21 e 13

D. THOMÆ CRAGII

De *RICCARTON*, Equitis,

In Senatu EDINBURGENSI *Patroni celeberrimi & juriſconſultiſſimi,*

JUS FEUDALE,

Tribus Libris comprehenſum:

Quibus non ſolùm conſuetudines Feudales, & Prædiorum jura, quæ in Scotia, Anglia, *& pleriſque* Galliæ *locis obtinent, continentur; ſed univerſum jus* Scoticum, *& omnes ferè materiæ juris clarè & dilucidè exponuntur, & ad fontes juris Feudalis & Civilis ſingula reducuntur.*

EDITIO TERTIA, prioribus multò emendatior.

In qua ſingulæ Diegeſes, ſive librorum capita, in Paragraphos diſtinguuntur, præmiſſis unicuique eorum ſummariis: Textuum præterea ex S. S. Scriptura, jure Canonico, Civili, Feudali & Municipali, cùm ab Auctore allegatorum, tum aliorum eodem pertinentium loca ab illo prætermiſſa, in inferiori pagina fideliter adnotantur. Ubi etiam mutationes ab Auctoris temporibus in jure noſtro ex ſtatutis publicis factæ, quatenus materia ferebat, breviter ſubjiciuntur.

ACCESSIT

Rerum & verborum Index locupletiſſimus, unà cum Regularum ſeu Axiomatum juris in hoc opere ſparſim adhibitorum Sylloge, ac vocabulorum forenſium Interpretatione.

Opera & ſtudio JACOBI BAILLIE *Advocati.*

EDINBURGI,

Apud THO. & WALT. RUDDIMANNOS, MDCCXXXII.

G.R. III.

Sereniſſimo ac potentiſſimo Principi,

GEORGIO AUGUSTO II.

Dei gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regi, Fidei Defenſori, &c.

INSOLENS fortaſſe, PRINCEPS SERENISSIME, cuipiam videbitur, quod hoc D. THOMÆ CRAGII *De jure Feudali* opus, mea qualicunque cura & induſtria emaculatum, commodioreque quam antea forma editum, auguſtiſſimo tuo nomini conſecrare auſim. Verum, ſi quis facti rationem paullo attentius conſideraverit, is tantum abeſt ut me temeritatis vel audaciæ queat arguere, ut contra, ſi alium mihi patronum quæſiviſſem, rem prorſus iniquiſſimam, ac piaculo proximam me admiſiſſe ſit exiſtimaturus. Cum enim clariſſimus Auctor hunc ſuum Librum JACOBO Primo Britanniarum Regi, eidemque abavo tuo, inſcripſerit, ut proinde jam inter Regia bona quodammodo cenſendus ſit; cui alii quam tibi, ejus regnorum heredi, hæc iterata utilibuſque quibuſdam acceſſionibus locupletata ipſius Editio inſcribi merito poteſt?

Sed & alio eoque juſtiſſimo titulo CRAGIUS hic noſter Majeſtatis tuæ favorem & patrocinium implorat; quod nimirum, cum te, REX CLEMENTISSIME, quæ præcipua regni tui gloria, ſubditorumque felicitas eſt, non ferreo ſceptro ſervilique metu (qui Tyrannorum mos eſt) tuis imperitare; ſed tanquam verum patriæ patrem, cives tuos æquabili juris moderamine

deramine ſuaviſſimiſque legum vinculis intra ordinem continere delectet, ad te peculiari quadam ratione ſpectare videantur ea doctorum virorum, inter quos CRAGIUS noſter cum primis eminet, monumenta, quæ regnorum tuorum jura explicant & interpretantur, id eſt, quæ cives tuos ad ſuum cujuſque officium, tum erga Principem, tum inter ſe mutuo, erudiunt atque informant.

Poſſum & illud commemorare, quod in prædicta illa ad ſuum Regem Epiſtola narrat ipſe doctiſſimus CRAGIUS, id ſibi inter alia in hoc opere propoſitum fuiſſe, ut regnorum Magnæ Britanniæ, quæ ejus tempore agitabatur, in unum coalitionem promoveret, præjudiciaque quæ ei obſtare videbantur averruncaret: & quamvis laudabile hoc inſtitutum non niſi ſerius multo, ac centeſimo demum poſt illius mortem anno ſucceſſum habuerit; fieri tamen non poteſt, quin tibi, qui univerſos tuos cives communi ac vere Regia benevolentia complecteris, ſcripta ejuſmodi ſint placitura, quæ ad tam optatum finem, in primiſque ad mutuam tuorum ſubditorum inter ſe amicitiam & concordiam fovendam ſtabiliendamque ſunt deſtinata. Hæc ſunt, SERENISSIME PRINCEPS, quæ hanc mihi ad auguſtam tuam præſentiam adeundi fiduciam fecere: verum ne in publica commoda, ſi longiore ſermone tua tempora morarer, peccare videar, memet ſumma cum ea quæ mei loci hominem decet reverentia ſubduco. Id ſolum reliquum eſt, ut ſupremum mundi arbitrum, Deum ter Opt. Max. cujus in terris vicem geris, precer & venerer, ut te quam diutiſſime mortalium cœtibus intereſſe patiatur, tibique & illuſtri tuæ domui proſperrimos rerum omnium ſucceſſus adferre velit: id quod animitus facio,

MAJESTATIS Tuæ,

Devotiſſimus ſubditus ac ſervus,

JACOBUS BAILLIE.

EPISTOLA NUNCUPATORIA Auctoris, inter ejus Adversaria inventa.

Sereniſſimo auguſtiſſimoque Principi,

JACOBO,

Dei gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regi potentiſſimo S.

NIHIL hodie relictum eſt nobis, qui M. T. deſideratiſſimâ præſentiâ ſumus deſtituti, quàm ut animi ægritudinem iis ſtudiis ſolemur & oblectemur, quæ M. T. gratiſſima putamus, præcipuè ſi cum publica utilitate fuerint conjuncta. Nam ab ipſis auſpicatiſſimi imperii tui in Britannia initiis, nihil tibi prius, nihil potius fuit, nec in quo tanto ſtudio & ſollicitudine deſudaveris, quàm ut duo hæc tuæ Britanniæ regna, infenſiſſimis inter ſe odiis antea efferata, tot urbium & exercituum cladibus nobilitata, in unum corpus & ſocietatem tandem coaleſcerent; ut utrique Genti, ſub te Principe, *unum & commune periclum*, ut cum Poëta loquar, *una ſalus* eſſet in futurum. Bœotiam veteres Græci Martis orcheſtram dicebant, quòd in ea, tanquam in ſcena, Mars ſua ſpectacula ſolitus ſit exhibere: nam in ea Mardonius cum trecentis Perſarum millibus apud Plateas occubuit; & Thermopylæ viginti millium Perſarum & Leonidæ Regis Lacedæmoniorum cædibus erant inſignes; & in Leuctris Bœotiæ itidem pago Lacedæmoniorum opes funditùs corruerunt; & Athenienſes & Thebani memorabili prælio ad Cheronæam in Bœotia à Philippo Macedonum Rege fuſi ſunt, libertatiſque tantùm nomen ſeu umbra Græciæ relicta. Quòd ſi quis à veteri Bœotia in noſtram Britanniam oculos convertat, non tam Martis orcheſtram aut theatrum dicet, quàm ipſius Martis natale ſolum, ædem & penetralia; denique & ipſam Martis aram, in qua parentes noſtri humanis victimis ſoliti ſunt litare. Quorum in Britannia malorum cauſas ſi quis perſcrutatus fuerit, nullam aliam inveniet, quàm ejus in plura regna diviſionem, & Regum inter ſe æmulationes; quòd alter ex alterius malis incrementum caperet, & hic parem, ille ſuperiorem non poſſet ferre. Hanc labem M. T. eluere omni curâ & ſtudio hactenus conata eſt, repugnantibus fortaſſe multis, qui, longè à finibus utriuſque regni diſſiti, has calamitates nunquam ipſi ſenſerant, in otio & voluptate, & ab omni periculo ſecuri, domi & in nidulis ſuis conſeneſcentes. In hoc M. T. ſtudio, nemo eſt, qui ſummam tuam ſa-

pientiam

pientiam cum pietate conjunctam non admiretur : nam cùm Deus Opt. Max. terram exſecretur in qua humanus ſanguis funditur, & pœnas & ultionem ſe expetiturum minetur ; hanc exſecrationem ut expiares, tuamque Britanniam liberares, nihil prætermittis quod ad verè Chriſtianum Principem pertinet. Et ſi quæ inter homines, & præcipuè in Britannia ſolent evenire ſpectemus, non minùs ſapienter quàm piè id attentatum perſpiciemus : nam multarum gentium irruptionibus hæc Inſula (ut in toto terrarum orbe nobiliſſima) non ſolùm patuit, ſed etiam melior & fertilior ejus pars crebrò ſuccubuit ; cujus cauſam Tacitus veriſſimè deſcribit, dicens, cùm Romani imperii Britannia facta primùm fuit provincia, *nihil Romanis adverſus validiſſimas gentes tam profuiſſe, quàm quòd in commune nihil conſulerent, & dum ſinguli pugnarent, omnes à Romanis victos.* Itaque non minùs ſapienter quàm piè M. T. inſtituit, ut unum & commune utriuſque eſſet gentis conſilium, & adverſus hoſtes idem animus : in eo imitatus Æneam Virgilianum, qui humeris ſuis patrem Anchiſen à Trojæ incendio in terram extulit. Hæc autem adunatio ſive conjunctio ut ſolida eſſet, & ſuis omnibus numeris abſoluta, conventum etiam Juriſconſultorum utriuſque regni dudum inſtituiſti, qui de legibus utriuſque populi inter ſe ſermones conferrent, & in quibus convenirent & diſſiderent deſpicerent ; ſi fieri poſſit, ut in utroque eædem leges iidemque mores obſerventur. Et licet plerique, falſo opinionis errore, imperitis perſuadere conantur, diverſiſſima inſtituta & mores utriuſque gentis non minùs inter ſe diſſidere, quàm quæ ex diametro ſunt oppoſita, aut, ut in Græco proverbio eſt, δὶς διὰ πασῶν ; ſtatui, ut hunc errorem ex animis imperitorum eximerem, in hoc incumbere, ut de primis juris apud utramque gentem fundamentis & initiis ſedulò perquirerem : audaci fortaſſe conſilio, ne dicam temerario ; ſed illud Poëtæ me conſolatur, *In magnis & voluiſſe ſat eſt.* Nam cùm his quadraginta annis foro noſtro me tradidiſſem, in eoque verſatus quodcunque nominis eſt comparaſſem ; & cùm mores noſtros, quóque jure noſtri utantur, quæque conſuetudines in foro locum habeant, aliquatenus percepiſſe mihi viderer ; cœpi etiam in mores & inſtituta vicinorum inquirere, quatenus jus Anglorum ex virorum doctorum commentariis eſt illuſtratum ; (nam, ut ingenuè fatear, fori Anglici formam vix ipſo in limine ſalutavi.) Tandem, ex his doctorum virorum commentariis & ſcriniis, eadem utriuſque juris, quod vel in Anglia vel in Scotia hodie obſervatur, fundamenta deprehendi ; eaque inter ſe conferendo, maximam inter ſe affinitatem in cauſis & rebus omnibus dicendis & cernendis habere manifeſtè comperi. Formas actionum, & procedendi modum in foro, ſcimus omnes aliam à nobis, aliam ab illis obſervari : ſed, pace vicinorum noſtrorum dixerim, neque temerè mihi videor hoc aſſerere, noſtras formas actionum & procedendi in judicio omnium gentium, quas unquam vidi, formis præferendas. Subjectum noſtri inſtituti eſt FEUDORUM doctrina, quâ nulla tractatu dignior, nulla utilitatibus reip. commodior. Hoc enim jus Feudale his multis ſeculis omnibus Europæis gentibus ita placuit, ut nulla ſit in Chriſtiano orbe gens, (addo etiam & immaniſſimos Turcas,) quæ non ex eo leges ſuas & inſtituta deſcripſit. Natum autem hoc jus in ea Italiæ parte, quam hodie vocamus Lombardiam, antè Galliam Ciſalpinam Romani dixerunt, à ferociſſimis gentibus primò introductum, progreſſu temporis à viris magnis limatum

matum & concinnatum : &, everſo Longobardorum regno, cùm ipſis victoribus æquiſſimum hoc jus videretur, à Gallis per manus acceptum, in Francia & Normannia primò ſedes ſibi fixit ; unde ad nos primùm, mox ad Anglos, ſed cum Conquæſtore Normannorum Duce, derivatum eſt. Hujus feudalis diſciplinæ fundamenta à gratitudine & ingratitudine deſcendunt : nam ut acquirendi feudi ſeu beneficii ſola domini benevolentia & gratitudo eſt cauſa, ſic & amittendi ſola partium ingratitudo. Neque in ſocietate civili ullum ſanctius & certius vinculum eſt retinendæ amicitiæ vel benevolentiæ, quàm hoc feudale ſacramentum, quo alter alteri in omnibus, tam in pace quàm bello, adeſſe ope & conſilio tenetur : ſi alteruter fidem fallat, meritò juris, quod in feudo habet, amiſſione punitur. Itaque, AUGUSTISSIME REX, ut ad M. T. orationem convertam, nihil tibi, nihil toti reip. tanto ſtudio & ſollicitudine curandum eſt, nihil ad utriuſque tranquillitatem prius aut potius, quàm ut hujus Feudalis juris præcepta & conſuetudines quàm arctiſſimè obſerventur : nam ſi tota Britannia in partes vel minutiſſimas ſecetur, nulla erit quæ non in feudo de M. T. teneatur, (ut in foro loqui ſolemus,) nulla quæ non fidem debeat. Quòd ſi illibatum & intaminatum perſtiterit hoc jus, perpetuâ tranquillitate, imò & felicitate, Britannia ſub M. T. auſpiciis fruetur. Eſt enim hoc jus Feudale omnium morum & officiorum gymnaſium, & unicum præſidium adverſus dominorum & vaſſallorum injuſtas cupiditates : nam tam dominos quàm vaſſallos in officiis parendi & imperandi continet, ne pacis vel belli tempore facienda omittant, vel non facienda faciant, & arctiſſimis fidei & pœnæ vinculis utrumque coërcet : nempe, ut vaſſallus dominum adverſus omnes in bello juvet ; præliantem, etiamſi vitæ periculum præſens ſit, non deſerat ; domi in omnibus conſiliis adſit ; arcana non prodat ; pericula detegat ; denique ut vaſſallus domino reverentiam & fidem, tanquam parenti, in omnibus dictis & factis exhibeat : utque, ex adverſo, dominus in eadem vaſſallo teneatur, niſi quòd reverentiæ officia dominus præſtare non cogatur. Hæc ſunt hujus diſciplinæ capita præcipua, cujus diſciplinæ præſidiis divina illa tua natura tanquam fulcris innixa, & quaſi manu porrectâ, allevabitur ad juris & æquitatis perfectam cognitionem ; quâ nihil in terris præſtantius, nihil Deo Opt. Max. (cujus ſpirans imago Rex in terris eſt) gratius. Memini me aliquando apud Xenophontem legiſſe, Perſarum fuiſſe inſtitutum, ut liberos ſuos in tenera ætate diſputationibus ſcholaſticis exercerent, non in nugis & tricis dialecticorum, ſed in actionibus forenſibus ; & præcipuè de illo crimine judicium agitare ſolitos, quod maximè in cauſa eſſet, ut homines mutuo ſe odio inſectarentur : vehementer enim urgebant cauſam ingratitudinis, ſi quæ occurriſſet ; & ſi quem ſcirent beneficium acceptum non agnoſcere, nec cùm poterat gratiam retuliſſe, in hunc ſeveriſſimè animadvertebant ; cùm eos, qui ingrati eſſent, judicarent & Deos majorem in modum negligere, & parentem, patriam & amicos : & paulo poſt, eos qui quinquageſimum annum excedebant, in his cauſis judices conſtituebant, & Seniores dicebant ; quâ voce Feudiſtæ noſtri dominos ſæpe ſignificant. Mirum quin hi feudorum libri, qui undique præmiis & pœnis (duobus omnis bene conſtituendæ reip. vinculis firmiſſimis) & gratitudinis, ingratitudinis, & Seniorum vocibus reſonant, aut à Perſarum moribus originem ſumpſerint, aut qui eos primi inſtituerant apud Perſas

(ſi ratio temporum pateretur) fuerint educati. Imò hodie, licet in totum jus Civile frequentiſſimi ſint commentarii, Interpreteſque, qui univerſum jus ſcriptis ſuis illuſtrârunt; nulla tamen juris Civilis pars eſt (nam & jus Feudale ſub jure Civili comprehendo) quæ tot doctiſſimorum virorum ſcriptis & lucubrationibus exculta, quàm quæ de uſibus & conſuetudinibus feudorum inſcribitur: nunquam alioqui tantas operas in eo excolendo impenſuri, niſi hanc partem non ſolùm juris Civilis, ſed omnis humanæ ſocietatis potiſſimam credidiſſent, nempe cujus ſubjectum eſſet gratitudo & ingratitudo, quæ omnia humanæ vitæ officia ſub ſe comprehendunt; nam, ut Cicero, *In ingratitudine nihil mali non ineſt.* In horum commentariis feudalium conſuetudinum laudes ſparſim occurrent. Erunt fortaſſe, quibus nihil, niſi quod ipſi fecerunt, placeat; qui noſtram hanc forenſem opellam elevent, freti Terentiano illo, *Nihil à me hîc dici, quod non ſit dictum prius.* Quibus hoc unum reſpondeo: Me in hoc mihi vel quàm maximè gratulari, quòd nihil meum, nihil novum in hoc libro adduxerim; uſum tantùm forenſem noſtrum cum jure feudorum ſcripto contuli, ut jus noſtrum, quod vagum & incertum à pleriſque creditur, in aliquam formam & artem redigerem: in eoque ſolo quantulamcunque gloriam mihi arrogem, quòd primus ex noſtris mihi videor qui id tentaverit; quod ut felicius aliis eveniat, & ſua pro noſtris meliora exhibeant, enixiſſimè precor; aut ſi noſtra errata corrigendi tantum ſtudium in animum induxerint, ne illud quidem indignabor, ſed ob patriæ communis utilitatem & dignitatem, ut ea quamprimùm in lucem producant, per communis patriæ utilitatem & commoda publica vehementer oro & obteſtor, gratiaſque quàm maximas tam meo quàm patriæ nomine habebo. Mihi ſanè lignatoris gratia ſufficit, qui in ſylvas ut ligna cædat proficiſcitur, aliis ea relinquens polienda & formanda. Si puritatem linguæ Latinæ quis hîc deſideret, meminerit nos in re forenſi verſari, forenſibuſque verbis uti coactos, ne de verbis nimium ſolliciti aliquando rem ipſam amitteremus. Hoc ſaltem mihi promittere audeo, ſi juventuti reip. adminiſtrandæ cupidæ hæc noſtra placuerint, vel me invito perlegentur; ſin minus, ne, rogante me, quiſquam erit qui attinget. Qualemcunque tamen hanc noſtram opellam M. T. (cujus judicio, tanquam lapidis Heraclii attactu, aureorum nummorum puritas probatur) conſecrare auſus ſum, & ut ſerenâ & exporrectâ fronte recipias, tuique vultûs divino ſplendore lucem infundas, & ab oblivionis injuria vindices, vehementer oro; licet erunt qui indignum M. T. munus hoc cenſebunt: ſed ſciant illi, non minùs Deos *farre pio & ſaliente micâ*, quàm ſolidis hecatombis placari; ſaltem ſub tui auguſtiſſimi nominis tutela deliteſcant, ut Teucer Homericus ſub Ajacis clypeo, unde ſecurus & ipſe non ſolùm Trojanorum impetus declinabat, ſed & eos ſuis telis retrocedere coëgit. A multis ſanè eo nomine plus gratiæ & auctoritatis promerebor, ſi ea M. T. quodammodo placere intelligant.

M. T.

Subjectiſſimus & obſequentiſſimus ſubditus,

THOMAS CRAGIUS.

Mr ROB. BURNETUS,

Auctoris per neptem ex filia progener,

Cupidæ Legum Juventuti

S. D.

QUantum præſtiterit inclytus Imperator Juſtinianus, in veteri jure Civili ordinando, enucleando, enodando, conjungendo & in ordinem digerendo, non tacent annales & Auctor noſter; nec dicam lippis & tonſoribus notum, ſed certò ſcio paucis verè doctis & juris peritis incognitum. Ut tamen tyronibus & juris candidatis aliqua in parte ſatisfaciam, non pigebit hîc breviter referre, ſupplens quædam omiſſa ab Auctore noſtro, & tenuem collationem inſtituere inter Imperatorem Juſtinianum & Auctorem hunc noſtrum; ut ſciatur ab omnibus, qui hæc legent, quantum vetuſtas debuit Juſtiniano, quantum hæc tempora debeant Auctori huic noſtro, ſi parva licet componere magnis.

Cùm confuſa eſſet tota juris Romani & Civilis ratio, confarcinati ex legibus Regiis, legibus XII. Tabularum, legis actionibus, legibus à populo Romano latis, Senatuſconſultis, Plebiſcitis, jure Prætorio & Ædilitio, conſtitutionibus Principum & reſponſis Juriſprudentum; Julius Cæſar leges, quas effreni regnandi libidine turbaverat, digerere inſtituit, poſtquam populos in communi tumultu reſtitantes ad pacem adegit, iiſdem armis, quibus antè, ſuam quietem retinentes, in media bella projecerat. Sed hanc animo curam agitantem, Brutus & Caſſius deprehenderunt. Quin etiam Gregorium & Hermogenem, privatos homines, quamvis impar & debilis, aliquâ tamen commemoratione digna ſollicitudo inceſſit, mali publicè graſſantis remedia tentandi. Confectis enim à ſe Codicibus ſuum nomen uterque præſcripſit; in quos Gregorius Imperatorum conſtitutiones ab Hadriano ad Gallienum, Hermogenes à Claudio, qui Gallieno in imperio ſucceſſit, ad Diocletianum conjecit, nullo niſi temporis diſcrimine obſervato. Nec diſſimili ſtudio Theodoſius junior in eandem curam incubuit, & Chriſtianorum Principum leges Codice Theodoſiano incluſit. Sed nec Gregorii, nec Hermogenis, nec ipſius Theodoſii conatus quicquam profecit, & potiùs exitio fuit quàm ſaluti: nam omne jus Civile, cùm ſub veterum malorum pondere vix ſpiraret, indigeſtâ mole obruerunt. Itaque, dilapſis omnium conſiliis, legum reſtituendarum laborem toties infelicem ad Juſtinianum fata deduxerunt: qui, licet tres potiſſimùm cauſæ gloriam digeſti juris affectantibus multa impedimenta objecerant; nempe, ruinoſa legum vetuſtas, quæ fuit ab urbe condita ad Juſtiniani principatûs initia annorum 1278; juris ſibi adverſi diſcordia & antinomia; & moles immanis, ac numeroſus immanium librorum exercitus, perpetuâ hoſtium inæqualium ſerie formidabilis, erant enim omnino duo penè millia: non expavit tamen ad tantæ molis impedimenta Juſtinianus, ſed potiùs ipsâ rei aſperrimâ difficultate mentem acriùs irritatam, erectis Regio vigore ſpiritibus, contrà obfirmavit; nec ceſſavit, donec ſqualidi juris illuvies hoc ordine deterſa eſt, ut

primùm Imperatorum conſtitutiones, ab Hadriano tribus codicibus, Gregoriano, Hermogeniano & Theodoſiano, malè disjectas, exactæ ſedulitatis homines (inter quos meritò eminebat Tribonianus, quicquid obloquantur alii) colligerent. Illarum enim memoriam, quæ ante Principem Hadrianum viguere, tenuis fama tunc ſuſtinebat; cùm verba penitus obſoleta evanuiſſent, ſenſum verò huc illuc diſtractum Juriſconſulti ſuis libris variè ſparſiſſent. Unde primò emiſſa eſt conſtitutio de novo Codice faciendo, anno Chriſti 528, Indictione ſextâ, imperii Juſtiniani ſolius primo, 13 Februarii. Deinde, anno 530, Indictione octavâ, imperii Juſtiniani ſolius tertio, die 15 Decembris, exivit in lucem conſtitutio de conceptione Digeſtorum. Ab hoc die ttes anni compoſitioni Digeſtorum ſeu Pandectarum dati ſunt: ac ſtatim, anno Domini 533, Indictione undecimâ, imperii Juſtiniani ſolius anno ſexto, die 21 Novembris, Inſtitutiones auctoritate legum donatæ ſunt, à Juſtiniano priùs lectæ & recognitæ, (licet quidam impiè maledici & inepti eum *Analphabetum*, ſuo ipſorum nomine, appellent.) Deinde, poſt menſem circiter, id eſt, die 16 Decembris, prodiit tandem memorabilis conſtitutio ad Senatum & omnes populos de confirmatione Digeſtorum. Denique, anno ſequenti, die 15 Novembris, manus extrema operi legitimo impoſita eſt, editâ conſtitutione de emendatione Codicis Domini Juſtiniani, & ſecundâ ejus editione, quâ hodiernus Codex ſancitus eſt, quem ideo repetitæ prælectionis inſcriptum hodie verſamus. Utinam novus aliquis emergeret Juſtinianus, qui faſtidioſos Interpretum juris commentarios & confuſam eorum farraginem novâ operâ è medio exterminaret: ſed hoc optandum potiùs quàm ſperandum.

Sed videamus quid nobis præſtiterit Juſtinianus hic noſter Scoticus, ante cujus tempora, qui juris Scotici erant candidati, & ambiebant patroni fieri in Senatu Edinburgenſi, vel inferioribus ſubſelliis, nihil habebant quò dirigerentur ad propoſitum finem aſſequendum, nulla adjumenta ſtudiorum; ſed incerti quam rationem & viam in legum ſtudio inſiſterent, ne quod paucis annis exſequi poſſent, in eo ſeculum impenderent, vel ab ore Advocatorum vel Judicum pendebant: qui æquè incerti, ultra metas liberè vagabantur, nullâ certâ lege conſtricti, quorum arbitria ſæpe erant pro legibus. Totum enim jus noſtrum municipale, vel ex actis Parliamentorum conſtabat, vel ex deciſionibus Senatûs Edinburgenſis, vel Dominorum Seſſionis, ut communiter à vulgo vocabantur. Illud enim jus, quod vulgariter *Regiam Majeſtatem*, ab initialibus verbis, vocamus, ad imitationem Inſtitutionum Juſtiniani, quorum initium eſt *Imperatoriam Majeſtatem*; (ut omittam hîc quærere, utrum jus noſtrum proprium hoc fuerit, à Davide I. ſcriptum vel ſtatutum, ut noſtri volunt, an à vicinis, & Richardo de Glanvilla mutuatum;) & reliqua quæ in eo libro congeſta ſunt, *Quoniam attachiamenta*, tempore Davidis I. edita; *Modus tenendi curias baronum*; *Exegeſis tractatûs Quoniam attachiamenta*; *Leges burgorum*, editæ tempore Davidis I.; *Leges forreſtarum*, incerto auctore; *Iter Camerarii*, ſub Jacobo III. editum; *De Maritagio*, incerto auctore; *Statuta Gildæ*, à Roberto Durhame Majore Berwici, & Simone Mareſchal, & aliis ibidem civibus edita; *Leges portuum*, incerto auctore; *De Judicibus*, incerto auctore: omnia in ordinem redacta & in lucem emiſſa à clariſſimo viro D. Joanne Skenæo de Curriehil Equite, Clerico Regiſtri, Concilii & Rotulorum, præter vetera acta quorundam Regum, Malcolmi, Gulielmi, Alexandri, Roberti I. II. III. & Davidis Bruſſii, auctoritate publicâ non nitebantur; & omnia ferè in deſuetudinem abierunt.

Quod ad acta Parliamenti attinet, in archivis latebant diu, donec primò vetere vel nigro charactere (unde *nigra acta* dicta ſunt) à quodam Licprevick edita. Poſtea, curâ & ſtudio dicti clariſſimi viri D. Joannis Skenæi, publici juris facta ſunt acta Jacobi I. & ſucceſſorum Regum, uſque ad finem anni Chriſti 1597. Poſtea ſucceſſivè addita ſunt reliqua acta Jacobi VI. Caroli I. & II. Regum, nullo niſi temporis diſcrimine obſervato, ſingula integro perpetuoque contextu. Sed eorum pauca erant exemplaria, (unde non mirum ſi hodie venalia non extent,) & difficulter in manus ſtudioſorum veniebant. Nec conferebat lectio iſtorum actorum multum junioribus: pleraque enim in deſuetudinem abierunt, nec obſervabantur; unde dicere

cere ſolebat Buchananus noſter, ut ferunt, *bonum fore, ſi unum conderetur actum, quo reliqua juberentur obſervari:* pleraque etiam magis tangunt politiam regni, quàm civiles controverſias, & pauci ſunt caſus juris in iis deciſi.

Deciſiones Senatûs Edinburgenſis multò plus conferebant, ſi omnibus fulſſent obviæ: ſed partim erant variæ & incertæ, & pro arbitrio judicum mutationi obnoxiæ; partim latebant in abdito & in archivis. Circumferuntur quædam *Practicæ* veteres Balfouræi, Ledingtoni, Vimæi, Hamiltonii & aliorum; & inter alios utiliſſimus tractatus clariſſimi viri, & in foro ac jure Civili ac noſtro exercitatiſſimi, D. Thomæ Hope de Craighall Equitis, Advocati Regii: nec dubito, quin plura hujuſmodi ejus viri lateant apud filios digna quæ lucem aſpiciant; &, ſi iis ita viſum fuerit, forſitan aſpicient. Sed omnes hi, ſive Tractatus, ſive Practicæ, vel paucorum erant in manibus, vel malè & ineptè deſcriptæ, ita ut in multis locis nullus ex iis perfectus & perſpicuus ſenſus erui poſſet. Audio, clariſſimi viri D. Alexandri Gibſone de Durie Equitis, mihi plurimum colendi, & cui multum debeo, Senatoris quondam doctiſſimi & ſagaciſſimi, acris ingenii, & judicii excocti, *Practicas*, vel quid ſimile, apud filium cognominem & heredem tanquam nobile cimelium domi ſervari. Spero non inviſurum patriæ & poſteris tam nobile & elaboratum opus: nihil enim prodire potuit à tam exacti & ſubacti ingenii viro, quod non oleat lucernam; oculatus enim fui teſtis ſæpe, per ſpatium 24 annorum, cùm eum aliquando honoris causâ, aliquando ob negotia interpellarem, nunquam eum à me deprehenſum, niſi occupatiſſimum in jure Civili & Doctoribus juris evolvendis, (jus enim Scoticum in ſcrinio pectoris gerebat,) &, ut conjicio, in jure Civili cum jure Scotico maritando: multum filio debet Scotia, ob hoc opus emiſſum in publicum ejus curâ & impenſis. Quod avo præſtitit, non negabit patri, nec ſpero ſinet perire dignas operas tam digni patris.

Jus Civile apud nos non obtinet, ſed ratio juris Civilis, deficiente jure noſtro municipali, ſemper in magno fuit pretio apud nos, & magni habita à doctis & juris peritis judicibus, & eam ſæpe ſequuti ſunt in cauſis decidendis; & magno eſt uſui patronis in foro verſantibus, ſi eâ rectè ſciant uti: hoc opus, hic labor eſt, quod pauci aſſequuntur. Cùm hic eſſet ſtatus juris Scotici, & hæc miſera conditio & difficultas candidatorum juris Scotici, ut ipſe experientiâ didici, primus Auctor noſter, tanquam alter Juſtinianus, lucem è tenebris eruit, & ſub nomine *Trium librorum de Feudis* totum jus Scoticum complexus eſt, & omnes ferè materias juris clarè, dilucidè & diſtinctè exponit, & ad fontes juris Civilis & Feudalis omnia ducit: jus Anglicum frequenter, jus Gallicum non rarò adjungit; ita ut paucæ ſint in Europa gentes, ubi jus Civile & Feudale viget, quibus non ſit futurus utilis hic liber. Habetis nunc, juris Scotici candidati, quem ducem ſequamini, qui certius filo Ariadnæo è labyrintho omnium difficultatum vos explicabit, & citò in forum deducet: ut de hoc opere verè dici poſſit, quod de collectione juris Romani Juſtinianus, qui tit. 1. *De Juſtitia & Jure*, in Inſtitutionibus, poſt definitam *Juſtitiam* & *Juriſprudentiam*, *His*, inquit, *generaliter cognitis, & incipientibus nobis exponere jura populi Romani, ita videntur poſſe tradi commodiſſimè, ſi primò levi ac ſimplici viâ, pòſt deinde diligentiſſimâ atque exactiſſimâ interpretatione ſingula tradantur: alioqui, ſi ſtatim ab initio rudem adhuc & infirmum animum ſtudioſi multitudine ac varietate rerum oneraverimus, duorum alterum, aut deſertorem ſtudiorum efficiemus, aut cum magno labore, ſæpe etiam cum diffidentia (quæ plerumque juvenes avertit) ſeriùs ad id perducemus, ad quod leviore viâ ductus, ſine magno labore, & ſine ulla diffidentia, maturiùs perduci potuiſſet.* Addam teſtimonium viri clariſſimi, mihi amiciſſimi & plurimùm colendi, D. Ludovici Steuart de Kirkhill Equitis, qui ipſe mihi narravit, ſe, cùm rediiſſet ex Gallia, ubi per quadriennium aut triennium, aut eo circa, juri Civili operam ſtrenuè navavit, deſperâſſe de foro, & abjecturum fuiſſe ſtudium juris Scotici, niſi in hunc librum incidiſſet; quo adjutore, erexit animum, & ſtatim ſe foro applicuit: & exinde factus eſt patronus diſertiſſimus, quo nemo acutiùs, terſiùs, concinniùs, & majori cum fide unquam actitavit cauſas.

Ne autem vos ignoretis, quis qualisve fuerit auctor hujus operis, scitote origine fuisse civem Edinburgensem, honestis parentibus civibus natum, heredem ædium in eminenti urbis parte, ex adverso Orientalis partis præcipui urbis templi, dicti D. *Ægidii*; quas magnificè postea exstruendas curavit, lapide quadrato: in anteriori quarum parte est λιθόστρωτον, vel pavimentum lapidibus quadratis stratum, frequentissimum totius urbis deambulacrum, quod *Lapidi-pavium*, vel *Plani lapides Magistri Thomæ Craig*, adhuc vulgò dicitur. Græcè & Latinè doctus fuit supra omnes sui seculi: totam ætatem exegit in literis & inter libros: juvenis juri operam dedit in Gallia: fuit inter patronos fori eminentissimus toto vitæ tempore, integrâ & incorruptâ fide, judicio solido & subacto, summâ humanitate. Anno Christi 1604, nominatus à Parliamento, & vocatus à Rege Jacobo VI. cum aliis 30 proceribus regni, ad unionem inter Scotiæ & Angliæ regna conficiendam. Multa raræ & exquisitæ eruditionis documenta dedit, multis doctis collationibus inter ipsum & clarissimum & doctissimum virum D. Camdenum, & alios Angliæ viros doctos habitis, cum summa voluptate auditorum, & magna ejus nominis fama. Unde decrevit Rex eum cum aliis Equitis titulo insignire. Sed ille, honores mundanos despiciens, cùm audiret se ad hoc vocandum, tacitè se subduxit: & cum relatum esset Regi, ideo eum se subduxisse, quòd nollet Eques fieri, imperavit Rex ut ab omnibus haberetur pro Equite, & non ampliùs diceretur *Mr. Thomas Craig*, sed *D. Thomas Craig Eques:* sed ipse titulum istum nunquam admisit. Multum hospitalitati deditus fuit, ita ut mensa ejus non solùm tenuioribus, sed omnibus bonis, præcipuè doctis, multis etiam proceribus passim pateret; unde non parùm imminuit rem, saltem parùm auxit rem, non curans ditescere. Obiit ferè sexagenarius, Edinburgi, anno Christi 1608, aut eò circa.

Quod potui præstiti in hoc opere emendando, & à mendis repurgando: sed piaculum duxi recedere à verbis Auctoris, aliquid addere vel detrahere, nisi summa necessitas cogeret, & nullus ex verbis sensus posset elici. Nullum habui exemplar quod consulerem, præter exemplar typographi, & aliud mendosum valde: & aliquando ad incitas redactus, coactus sum consulere veterem & doctum amicum Magistrum Joannem Nisbet Advocatum, ejusque exemplar aliis correctius & emendatius. Non mirum si quædam sint errata typographica, cùm tanta fuerit distantia loci inter typographum & me, nempe 70 milliarum & duorum fretorum maris: & longum fuisset schedas semel correctas sæpius remittere, donec liberæ fierent ab omnibus mendis.

Accipite igitur, bonæ spei Juvenes, opus hoc tam diu exspectatum, tot votis expetitum, ut ait Justinianus sub finem procœmii Institutionum, summâ ope & alacri studio; & vosmetipsos sic eruditos ostendite, ut spes vos pulcherrima foveat, toto legitimo opere perfecto, posse etiam nostram remp. in partibus ejus vobis credendis gubernari. Cogitate cum Persio Christiano,

Quid sumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus aut metæ quà mollis flexus, & unde:
Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
Utile nummus habet, patriæ carisque propinquis
Quantum elargiri deceat, quem te Deus esse
Jussit, & humana quâ parte locatus es in re.

Cogitate quæso, Juvenes, quis debeat esse propositus finis Advocato & Jurisperito Christiano; non turpe lucrum, (quia quod Advocatis datur non lucrum, non merces, non pretium, non salarium, sed honorarium in jure dicitur,) non congestio auri & argenti, non *conjunctio domûs domui, agri agro, donec nihil amplius sit loci*; quibus væ pronunciat Deus per Esaiam *(a)*: cum Davide enim Latino,

Præstat

(a) v. 8. & Habak. ii. 9. & seqq.

Præſtat ſupellex ſobria,
Rectèque parta recula,
Quàm rapta per vim divitum
Faſtidioſa copia.

Sed cum ſcientia juſti & injuſti, praxis & proſecutio juſti, fuga injuſti; ut de jure conſultus ſincerè & fideliter & ſine diſſimulatione reſpondeat; ut nullius jus tueatur aut foveat, etiam ditiſſimi vel conjunctiſſimi, niſi juſtitiâ & æquitate nitatur; ut paratus ſit viduis, orphanis, pauperibus & aliis miſerabilibus perſonis gratis patrocinari in juſta cauſa, & contra potentiores tueri, niſi juſta impediat cauſa. Cogitate quæſo, Juvenes, ultimum illud & ſeverum judicium juſti Judicis, ubi nulla fraus, nullus dolus, nullæ moræ, nullæ tergiverſationes locum invenient; ubi omnia nuda & aperta, nihil occultum & abſconditum; ubi omnibus nudis omnium geſtorum in carne ratio reddenda eſt. Quales vos hîc in judiciis geſſeritis, tale ibi exſpectate judicium. Nihil ibi aurum & argentum, nihil prædia & poſſeſſiones, nihil liberi & amici, nihil clientes proderunt; ſed ſolùm teſtimonium bonæ conſcientiæ, ſibi conſciæ, quòd ſine fuco, ſincerè & ex animo ſtuduerint gloriam Dei promovere, & bonis omnibus adjumento eſſe ad jus ſuum aſſequendum; omnem injuſtitiam oderint, nec ſcientiâ juris ſibi à Deo datâ, aut aliis donis uſi ſint ad juſtitiam evertendam aut injuſtitiam promovendam. Hoc ſi ſtudueritis ex animo, hic ſi ſit vobis finis ſeriò propoſitus, lætum illud tunc audietis, *Euge, ſerve bone & fidelis, ingredere in gaudium Domini tui*, &, *Venite, benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento (a)*. Quò nos omnes, precor, ſuo tempore ducat miſericors & benignus noſter Deus, per & propter Filium ſuum Jeſum Chriſtum; quibus, cum Spiritu Sancto, ſit laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum. AMEN.

(*a*) Matth. xxv. 21 & 34.

JACOBUS BAILLIE J. C.

Lectori benevolo S.

CVm nemini ferè, qui Jurisprudentiæ nomen dedit, sit ignotum, quàm illustrem, non apud suos modò, sed & exteros etiam, D. THOMAS CRAGIUS *locum teneat; non est, Lector benevole, quòd viri, supra meam commendationem longè positi, scriptorumque ipsius laudibus recensendis, tempora tua inutiliter disperdam. Id potius à me exspectabitur, ut quæ me ad hanc* Juris *ejus* Feudalis *editionem suscipiendam rationes impulerint, quidque in ea procuranda à me præstitum sit, paucis exponam. Atque, ut illinc incipiam, cùm ipse deprehendissem, aliique idem conquesti essent, nobilissimo huic & in jure nostro principi operi id præcipuè utilitatis deesse, quòd justo rerum in eo comprehensarum Indice destitueretur; consilium protinus mihi incessit, materias omnes in eo tractatas inter legendum subnotare, atque in locos communes juxta Alphabeti seriem digerere. Id, sive Repertorium, sive Indicem appellare mavis, in privatos meos usus primò destinatum, cùm aliis fortè ostendissem, auctores illi mihi fuerunt ut eum publici juris facerem. Et quidem initio institutum fuit, ut in eorum gratiam, qui priorum editionum, ac præsertim Edinensis, exemplaria sibi antea comparaverant, istuncce Indicem, ad primam illam Edinensem editionem adaptatum, seorsim evulgarem. Sed cùm id plerisque insolens ac penè præter exemplum videretur, mutato deinde consilio, ad novam totius operis, cui & Index ille subnectendus esset, Editionem me accinxi. Id porro ut libentiùs aggrederer, aliæ etiam rationes suaserunt. E quibus haud postrema ea est visa, quòd binæ illæ quæ præcesserant editiones infinitis propemodum ac fœdissimis erroribus essent inquinatæ. De prima editione rem indubiam reddit prælargus ille qui à fronte conspicitur erratorum syllabus, qui tamen non decimam eorum, quæ in hac nostra sustulimus, partem complectitur. Et quamvis vir doctissimus Luderus Menckenius, qui posteriorem editionem adornavit, quàm plurimis locis sanam sinceramque lectionem restituerit, multa tamen ejus diligentiam subterfugerunt; & (quod Typographi oscitantiæ præcipuè imputandum) multa, quæ priori editioni aberant, sphalmata huic sunt injecta; adeò ut haud rarò integræ voces, interdum & sententiæ, ad sensum Auctoris prorsus necessariæ, in ea deficiant: id quod quibusvis, vel nostram vel primam cum illa editione conferentibus, facili labore constare potest. Adjecit quidem Menckenius materiarum Indicem; sed cùm ille summa tantùm*

rerum

rerum capita ſequatur, curtuſque proinde admodum & jejunus ſit; fieri non poteſt, quin Auctoris ſententiam minutiùs exquirentem, aut ſæpe fruſtretur, aut ad varia identidem loca, non ſine tædio, diducat. Noſter autem hoc vitio ne laboraret, adeò operam dedimus, ut verendum potiùs ſit, ne nimia ipſius copia ei fortaſſe vitio vertatur. Verùm, cùm nemo ferè ſit, qui non ſupereſſe ſibi aliquid, quàm deeſſe malit, facilis mihi, apud æquos judices, patebit, ſpero, hujus rei venia.

Proxima (ut illuc redeam) poſt Indicem cura fuit, ut ipſius Auctoris textus, quoad ejus fieri poſſet, emendatiſſimus prodiret. Id autem quò certiùs accuratiùsque aſſequeremur, (neque enim induſtriæ noſtræ ex toto in hac re ſumus confiſi,) in ſubſidium porro advocavimus codicem MS. qui in Bibliotheca noſtra Juridica Edinburgi aſſervatur, quémque vel ab Auctoris Amanuenſi, vel certè ante ejus obitum exaratum, manifeſtis indiciis compertum habemus. Præſtantiſſimi hujus codicis cum impreſſis ſedulò collati ope, plurima in utraque priore editione malè affecta, quæque abſque eo eſſet vel oculatiſſimum ingenium fefelliſſent, loca, integritati ſuæ reſtituimus. Neque tamen, poſt tantum laboris in hac re exantlatum, librum tibi ab omni labe (quis enim id præſtare auſit?) immunem promitto. Nonnullas, ut verum fatear, mendas ipſe obſervavi; alii, nec dubito, plures reperient: ſed cùm eas nec multas nec graves futuras confidam, candidus & humanæ conditionis memor Lector earum mihi culpam facilis condonabit.

Hæc ſunt, quæ de hac quam nunc exhibemus editione te L. B. monitum volebam. De cæteris quæ ei acceſſerunt, quorumque utilitas neminem latere poſſit, ſatis eſt in ipſius fronte indicâſſe. Id tantùm adjiciendum habeo, Gloſſarium, ſive Vocabulorum quorundam forenſium Interpretationem, non tam meâ ſponte ſubnexam eſſe, quàm ne querendi anſam quiſpiam arriperet, me quidquam in hac, quod in Lipſienſi editione, de qua ferè tota deprompta eſt, haberetur, omiſiſſe. Aliter enim doctiſſimus Cragius, *vel nulla, vel certè pauciſſima vocabula adhibuit, niſi quæ vel ipſe explicat, vel in jure Feudali protrita, & vel tyroni cuivis ſatis obvia ſunt. Quapropter & hanc muneris ſuſcepti partem leviore pede percurrendam duxi. Tu, Lector benevole, commodis tuis inſervire cupienti fave, & vale.*

DE

D. THOMÆ CRAGII

Vita, Scriptis & Progenie, brevis Narratio.

D. Thomas Cragius de *Riccarton*, Eques, ex antiqua Cragiorum de Craigſton (quod prædium eſt Buchaniæ, Septentrionalis Scotiæ regionis) gente oriundus, patrem habuit Robertum Cragium mercatorem Edinenſem, illius quem diximus gentis Principis filium natu ſecundum. Vitales primùm carpſiſſe auras exiſtimatur anno circiter Æræ Chriſtianæ MDXLVIII. Poſtquam verò curâ & diligentiâ propinqui ſui Joannis Cragii Theologi id temporis celeberrimi educatus, prima linguarum & philoſophiæ in Scholis & Academiis patriis tyrocinia poſuiſſet; in Gallias deinde, ad majorem ingenii cultum capeſſendum, profectus, Juriſprudentiæ præcipuè animum applicuit: in qua, omnique elegantiore literatura, tantos progreſſus fecit, ut pleroſque æquales ſuos facilè anteiret. In patriam poſt aliquot annos redux cauſis coram ſummis Scotiæ tribunalibus orandis ſe dedit: quo in munere tanta cum laude ſe geſſit, adeòque ſumma ejus tum eruditio, tum vitæ integritas enituerunt, ut anno MDCIV. cùm Jacobus, apud nos ejus nominis Sextus, duorum M. Britanniæ regnorum, quæ anno ſuperiore ſub ejus unius ditionem conceſſerant, coalitionem, ſive Unionem quam dicimus, obnixo animo moliretur, ille ab Ordinibus Scotiæ unus interque præcipuos ad rem tam arduam tractandam promovendamque ſit delegatus.

Ab omnibus ferè ſui ævi, ſive eruditionis, ſive virtutis famâ florentibus viris ſummo in pretio habitus fuit; eorumque multis aut ſermone aut literis, magno præſertim illo Angliæ Antiquario, Gul. Camdeno, familiariſſimè eſt uſus.

Primum doctrinæ ſuæ inſigniſque in omni jure peritiæ documentum dedit hunc, quem jam tertiâ vice in lucem emittimus, *de Feudis* librum: in quo, alter veluti Juſtinianus, leges ſuas patrias, quæ rudi hactenus ac indigeſto Chao ferè ſimiles, confuſæ incultæque jacuerant, in clarum diſtinctumque ordinem redegit; jureque non Civili modò & Canonico, ſed & variarum præterea gentium conſuetudinario, mirum in modum illuſtravit.

Poſtquam hoc pacto primos ſui ingenii fœtus patriæ ac juris Scotici candidatis Cragius conſecrâſſet, proximus ipſius labor patriæ parenti, hoc eſt, Regi ſuo Jacobo VI. eſt dicatus: cujus *hereditarium* in regnum Angliæ *ſucceſſionis jus*, cùm Parſonus quidam Jeſuita, ſub mentito Dolomanni nomine, libro de ea re edito impetere atque elevare auſus eſſet; ille forti elatoque animo in eum calamum ſtringens, Regis ſui jus tam doctis nervoſiſque rationibus ſtabilivit & confirmavit, adverſariique argumenta, vel potius cavillationes, diruit & convellit, ut omnium (niſi quos Pontificiæ religionis in Angliam contra jus faſque revocandæ furor occæcaverat) judicio, perſonatus ille Dolomannus causâ prorſus victus & profligatus cenſeretur. Eruditiſſimi hujus operis exemplar in Bibliotheca Juriſconſultorum, & plura forſan alibi ſuperſunt: nec dubium quin typis mandatum publicam quàm magnopere merebatur lucem aſpexiſſet, niſi pacificus qui mox ſequutus eſt Jacobi VI. ad regnum Angliæ acceſſus ejus edendi conſilium ſupervacaneum reddidiſſet. Non ita pridem tamen ex Latino ſermone, quo illud Cragius conſcripſerat, in Anglicum à Reverendo admodum viro Jacobo Gatherer converſum præloque commiſſum, doctorum manibus verſatur.

Neque minus de Regibus ſuis, totoque adeò nomine Scotico, meritus eſt Cragius tertio ſuo ſcripto, cui *Diſputationi de Hominio* titulum indidit: quo Hiſtoricorum quorundam Anglorum, in primiſque Raph. Holinſhedii, qui Scotiam feudum Angliæ clientelare, ipſiuſque Reges Angliæ Regum beneficiarios eſſe contendunt,

dunt, calumnias redarguit, Scoticumque imperium liberum esse & absolutum, nulliusque præterquam suorum Regum sceptro subditum, solidissimis argumentis commonstrat. Quòd autem hoc scriptum in apricum non prodierit, vix alia ratio reddi potest, quàm quòd quorundam animos metus teneret, ne vetusta inter duas gentes odia, quæ placidâ jam unius Principis dominatione consopita videbantur, hoc pacto recrudescerent, & in novos forsan motus erumperent. Cæterùm, cùm alii postea Angli Scriptores, & in his ante annos complures Petrus Heylinus, & nuper Tho. Rymerus Historiographus Regius, eandem Camarinam movere voluerint, causam inde sibi datam ratus est vir haud incelebris Geo. Ridpathus, ut hoc Cragii nostri scriptum, quod omnium telis retundendis par esset, Anglico sermone donatum typis evulgaret.

Quarto eique postremo doctissimi Cragii operi, quod *De Unione regnorum Britanniæ* inscripsit, occasionem itidem præbuit perennis illa & indefessa patriæ charitas. Cùm enim, quod toties votis optârat, scriptisque pro virili promoverat, insigni tandem Dei Opt. Max. beneficio effectum videret, ut divulsa hactenus, mutuisque per plurima secula cladibus afflicta Scotiæ & Angliæ regna, sub legitimo unius Principis moderamine conquiescerent; cùmque præterea Princeps ille sereniſſimus id unicè operam daret, ut sua hæc Britanniæ regna arctiore adhuc necessitudinis vinculo conjungeret: ille, ut laudabili huic Regis sui instituto obsecundaret, utque ejus coalitionis utilitatem, plurimaque in utrumque regnum inde redundatura emolumenta ostenderet, non voce solùm in Delegatorum (inter quos unum eum & è primoribus missum diximus) consessu utendum ratus, sed hoc etiam scripto libello; in quo totas ingenii vires, egregiamque quâ pollebat doctrinam & eloquentiam, id ut evinceret, præjudicataſque quæ ei obstabant opiniones hominum animis eximeret, expromit. Huic quidem præclaro Regis Jacobi consilio, Cragiique nostri conatibus & votis eventus non respondit: neque res iterum imperante Carolo II. tentata feliciorem successum sortita est. Hæc demum gloria (si ita dicenda sit, res enim, pro variis hominum affectibus commodisque, variè probata aut improbata est) augustissimæ Annæ Reginæ temporibus est reservata, cujus auspiciis illa tantopere celebrata utriusque gentis in unam conjunctio perfecta tandem ac consummata est.

Sed, ut ad Cragium nostrum redeam, tot ejus tamque insignia in patriam & Principem merita quin acceptissima omnibus fuerint, non est dubitandum. Rex certè Jacobus gratum suum animum & benevolentiam vel hoc indicio testatus est, quòd eum Equestri dignitate (qui magnus illo seculo honos habebatur) ornandum volebat. Verùm cùm vir modestissimus, utpote qui non splendidos istos & inanes sæpe titulos, sed verum illud quod in sola virtute positum est decus appeteret, nunquam ut eum honorem agnosceret adduci posset; Rex, quod proximum erat, omnibus præcepit, ut Cragium Equitis nomine ubique salutarent.

Illud penè me præterierat, quod tamen haud injucundum memoratu est, Cragium nostrum non adeò severioribus his studiis, operæque forensi, quam illi negotiosissimam obtigisse credendum est, se totum tradidisse, ut non subinde amœnioribus literis animum suum oblectaret. Ejus rei luculentum specimen habemus, egregia illa ac ubere verèque lacteâ venâ effusa, quæ in *Deliciis Poëtarum Scotorum* locum sibi illustrem carmina invenerunt.

Neque, inter tot suæ pietatis in patriam pignora, inter causarum forensium jurgia & strepitus, inter animi cum Musis remissiones, cultûs Divini & humanitatis officia, aut privatas suas necessitudines Cragius neglexit. Nam (ut alia omittam) cùm ipsius pater Robertus, ritibus Pontificiis (quibus à prima quasi infantia innutritus fuerat) etiam in provecta (ut fieri solet) ætate addictissimus viveret; nunquam tamen destitit filius, donec patrem, salvâ quâ decuit reverentiâ, hortando ratiocinandoque ad recti viam, id est, ad puriorem religionem traduxisset; quod & summo ipsi gaudio fuit. Quanto autem studio & affectu religionem Reformatam amplecteretur, tabulis suis testamentariis, anno MDXCI. septemdecim ante ipsius mortem annis confectis, insigniter declaravit. In iis enim sanctè protestatur, se ut in ea religione hactenus vixerit, ita in eadem, tanquam unica vera & incorrupta à Christo Servatore nobis tradita doctrina, ad extremum vitæ halitum perseveraturum. Deinde

inde, poſtquam ſe ſuaque æterno rerum Conditori ardentiſſimis precibus commendâſſet, uxorique, unde ſe pro loco dignè ſuſtentaret, providiſſet; filium natu maximum per Dei ſuumque amorem obteſtatur, ut fratrum ſuorum parentis inſtar curam gereret.

Sed neque intra ſuam tantùm (quod multis ſolitum) familiam CRAGII noſtri ſtetit benignitas: verùm ille memor ſe hominem, &, quod majus eſt, Chriſtianum eſſe, nihilque adeò humani à ſe alienum putans, egenis ſuamque opem implorantibus facilem ſe præbebat, & quoad potuit ſuppeditabat. Laudatur in primis ejus hoſpitalitas, quæ tanta erat, ut ipſius menſa tenuioribus, virtutiſque vel literarum opinione cognitis, aſſiduè pateret. Hi mores, hi mentis habitus CRAGIO noſtro fuere; cumque eodem tenore omnia rectè vivendi munia implêſſet, decurſo tandem mortalis ævi ſtadio, ſanctiſſimam Deo animam reddidit, poſtridie Nonas Februarias, anno partæ per Chriſtum ſalutis ſupra milleſimum ſexcenteſimum octavo, ætatis ſuæ ſexageſimo. At vivit adhuc viretque, non per Scotos ſuos modò, ſed & omnes non barbaras gentes, latè fuſa viri fama,

——— Quam nec ventura ſilebunt
Secla, nec ignota rapiet ſub nube vetuſtas.

Id ſolùm laboris mihi ſupereſt, ut de ipſius ſobole pauca adjiciam. Ex uxore, fœmina lectiſſima, Helena Heriota, Comarchi de Trabrown in præfectura Hadintonana filia, quatuor filios, tres filias ſuſcepit. Filius, quem diximus, natu maximus LUDOVICUS, vivo adhuc patre, in Senatorium ordinem, hoc eſt, inter ſupremi fori Scotici Judices ab JACOBO VI. eſt allectus, & Equeſtri dignitate titulo Domini de Wrights-houſes honeſtatus, idque (raro iis temporibus exemplo, quibus pauci admodum, niſi quos, præter alias dotes, longa rerum experientia commendabat, ad tanti muneris faſtigium eveherentur) cùm annum tantùm ageret trigeſimum quartum. De quo etiam & illud memoriâ dignum narratur, quòd quoties ipſius pater aperto (ut moris eſt) capite coram eo cauſas oraret, ille, ut pium filium decuit, parentem aperto item capite & reverenter audiret. Secundus ei filius erat D. Jacobus Cragius de Caſtle-craig & Craigſton in Comitatu Cavanæ & Letrumi in provincia Ultonienſi Hiberniæ, qui ſtrenuam adverſus rebelles Hibernos anno MDCXLI. operam navavit; atque pro patriæ defenſione fortiter ſine prole occumbens, amplam ſuam hereditatem fratri ſuo minori reliquit Joanni Cragio; qui JACOBO VI. Medicus ordinarius, CAROLO I. Archiater fuit. Quartus CRAGII noſtri filius fuit Robertus: à quo duo filii generati, Thomas, qui abſque ſobole deceſſit; & Joannes, qui uxorem duxit Heriotam Comarchi de Ramorgnie heredem; cujus poſteri, ſed mutato primogeniti cognomine, terras de Ramorgnie in Fifa adhuc tenent.

Ex filiabus D. THOMÆ CRAGII natu maxima, Margarita, matrimonio collocata eſt D. Alexandro Gibſono de Durie, Equiti & Senatori; unde florentiſſimæ Gibſonorum de Adiſton & Durie, indeque Moraviorum de Polmais & Fotheringamiorum de Powrie familiæ materno genere ſunt propagatæ. Secundò genitam, Eliſabetham, conjugem duxit Jacobus Johnſtonus, & ex ea pater factus D. Archibaldi Johnſtoni de Warriſton, Equitis & Senatoris: cujus filius Jacobus Johnſtonus, ſummus quondam Scotiæ Secretarius, viridi adhuc placidiſſimâque ſenectute in amœno ſuo prædio ruſtico apud Anglos fruitur. Fuit & prædictæ Elizabethæ & ex eodem thoro genita filia Rachel Johnſtona, quæ Roberto Burneto, tum JCto, poſtea ſupremæ curiæ Senatori titulo Domini de Crimond nupſit. Is eſt Rob. Burnetus, qui proſoceri ſui D. THOMÆ CRAGII opus feudale typis primus mandandum, Præfatione ſuâ additâ, curavit. Ex hoc autem matrimonio bini ei filii prognati, D. Thomas Burnetus, Eques ac Medicus Regius, & D. Gilbertus Burnetus, S. Th. primùm in Academia Glaſguenſi Profeſſor, poſtea Sarisburienſium Epiſcopus, ſcriptis multifariis ingentique nominis famâ celeberrimus. Utrique liberi aliquot nepoteſque ſuperſunt: è quibus unus tantùm, utpote meritis nobis magis cognitus, memorabitur, D. Thomæ filius, Gilbertus Burnetus, JCtus, & ex Quinqueviris Regiis tributis (quam vulgò Exciſam vocamus) in Scotia Præfectis unus. Tertia CRAGII

GII noſtri filia, Janeta, Joanni Belchiſio de Toſts nuptum data, deque eo D. Alexandri Belchiſii de Toſts, Equitis & Senatoris, duarumque filiarum, Helenæ & Janetæ, mater facta.

Ut ad D. LUDOVICUM *Cragii* noſtri primogenitum revertar: ei unica tantùm proles maſcula fuiſſe memoratur; cui, à nomine avi, Thomæ nomen impoſitum: tres autem filias habuiſſe dicitur; quarum una, Alexandro Brodio de Lethen connubio juncta, unicam tantùm filiam ſuperſtitem reliquit; quæ Ludovico Grantæo de eodem, familiæ ſuæ Principi, nupta, quatuor ei filios, Alexandrum, Jacobum, Georgium & Ludovicum; totidemque filias, Eliſabetham, Annam, Janetam & Margaritam enixa eſt. E filiis (quòd natu maximus abſque prole defunctus, alii duo conjugio ſoluti militarem vitam agant) ſolus D. Jacobus nobis memorandus; qui nunc primos ſuæ familiæ honores tenet, atque ex uxore, D. Humfredi Colchonii de Luſs filia unica & herede, non ſuæ ſolùm Grantæorum, ſed & Colchoniorum etiam genti heredem protulit: ut filias aliquot omittam, unam Gulielmo Duffo de Bracco, omnium Scotiæ Comarchorum agri facilè ditiſſimo; alteram D. Henrico Inneſio de eodem, Equiti, nuptum elocatas. Ex filiabus autem Ludovici Domini de Grant, maxima pervetuſtæ Roſæorum gentis Phylarchæ Hugoni Roſæo de Kilravock conjunx data: ſecunda Gulielmo Grantæo de Balindalloch, Cohortis quam independentem vocant Præfecto: tertia D. Roderico Mackenzæo de Scatwell, Equiti: quarta Simoni Fraſerio de Beaufort, nunc Regulo de Lovat. Hæ utriuſque Grantæorum filiæ pulchrâ & numerosâ ſobole ampliſſimas in quas innuptæ ſunt familias auxerunt.

THOMÆ II. Ludovici filio uxor deſponſata eſt Eliſabetha Cranſtona, Gulielmi Reguli de Cranſton filia: quæ ei unum filium, Ludovicum; ſex autem filias, Helenam, Janetam, Margaritam, Annam, Mariam & Saram, procreavit. Harum maximam uxorem accepit Thomas Lermontius Advocatus: qui trinâ ex ea ſobole auctus; Ludovico, Centurione; Gulielmo, Medicinæ Doctore, qui cœlibem adhuc vitam agunt; & Margaritâ, quæ D. Gulielmo Calderwodio de Polton, Equiti, ſummique fori Senatori, nupta, trinis minimùm liberis eum beavit, filio nimirum Thomâ Calderwodio J. C. duabuſque filiabus; quarum altera Gulielmo Congaltonio de eodem, J. C. altera D. Roberto Stuarto de Tillicultrie, Equiti & J. C. ſunt elocatæ. Secunda Thomæ II. Cragii filia in conjugium data Borthuico de Crookſton, materque ex eo facta Joannis Borthuici Advocati. Tertiam uxorem habuit Gulielmus Calderwodius V. D. apud Dalkethenſes Miniſter. Quartam Georgius Mentethus Mercator Edinburgenſis. Quintam Jacobus Donnius de Smellum. Sextam denique Jacobus Cancellarius de Shielhill. Hæ omnes præter ultimam progeniem poſt ſe reliquerunt.

LUDOVICO II. Thomæ II. F. Ludovici I. N. Thomæ I. PN. ex uxore Margarita Dalgleſia, Roberti Dalgleſii de Lauriſton filia, quinque filii, quatuor filiæ ſunt ſuſceptæ. Filiorum maximus, THOMAS, ante multos annos deceſſit, unicâ filiâ relictâ, Helena: quæ Gulielmo Carmichaeli de Skirling J. C. & Comitis Hyndfordiæ fratri, in conjugem data, duos ei filios, totidem & filias peperit. Secundus ROBERTUS, itidem J. C. fratri Thomæ in prædium de Riccarton, quòd feudum eſſet maſculinum, ſucceſſit; qui vinculi conjugalis expertem vitam elegit. Joannes natu tertius peregrè profectus militiæ nomen dedit; ubi Locumtenentis, quem vocant, honores adeptum, ne altiùs aſſurgeret præmatura mors prohibuit. Quartus JACOBUS, cauſarum etiam patronus, Juriſque Civilis in Academia Edinburgena Profeſſor: quod munus cùm multos annos ſumma cum aſſiduitate obiiſſet, proximo menſe Auguſto, magno ſui deſiderio relicto, fatis conceſſit. Ex prima uxore Mariona Fraſeria, Alexandri Fraſerii de Strichen filia, unam tantùm, ſed primo ævo extinctam, filiam habuit: ex ſecunda autem, Chriſtiana Dundaſſia, Roberti Dundaſſii de Arniſton, Senatoris, filia, duo ei filii, THOMAS & Robertus, (Cragiæ familiæ ſpes altera,) duæque filiæ, omnes impuberes, ſuperſunt. Quintus & natu minimus Ludovici II. filius eſt Gulielmus Cragius, qui Londini mercaturam exercens, conjugem quidem, ſed nullâ jam vivâ ſobole, habet. Ex quatuor, quarum meminimus, Ludovici II. filiabus, primam Joannam matrimonio ſibi junxit Geor-

gius Danniſtonius Mercator Dublinenſis; ſecundam Eliſabetham, D. Joannes Gibſonus de Adiſton, Eques; tertiam Helenam, Alexander Brandius de Redhall; quartam denique Margaritam, Joannes Falconerius J. C. Hæ omnes maritos ſuos multâ jucundâque prole parentes fecerunt.

Hæc ſunt quæ de clariſſimi D. THOMÆ CRAGII progenie dicenda habuimus. E quibus liquidò apparet, plurimas, quæ nunc in Scotia florent, illuſtres potenteſque familias (ut alias inferioris quidem, ſed honeſtæ tamen ſortis prætéream) ex illius ſemine prognatas, atque inter ejus poſteros paternâ maternâve ſanguinis ſerie cenſendas eſſe. Atque hoc egregiæ viri pietati & meritis à Deo Opt. Max. magna ex parte datum videtur: cujus, in ſacris literis, ut multis aliis locis, Pſalmo cxii. promiſſum extat, *Deum timentium ſemen potens fore in terra*; *proborum nationem fortunatam futuram.*

THOMÆ DEMPSTERI, J. U. D. Delic. Poët. Scot. Vol. 1. p. 330.

EPICEDION THOMÆ CRAGII, *Poëtæ ſummi & Juriſconſulti eximii, cauſarumque in ſupremo Scotiæ Senatu patroni*; *ad D.* Ludovicum Cragium *Equitem, filium, ejuſdemque curiæ Senatorem.*

TOllite Pimplææ, feralia numina, frondes
Aonio lætas templo, palmæque virentis
Ligna procul; nullis niteant altaria vittis.
Omnia Cyrrhææ ſpirent lugubria rupes,
Proque hederis apium, pro lauru mœſta cupreſſus
Irrepat devota rogis, plorataque taxus;
Omnis & atrato paries veletur amictu.
Veſter honos CRAGIUS moribundi corporis artus
Exuit, & ſortem Naturæ legibus æquam
Paſſus, ad Elyſias animarum præmia valles
Conceſſit, quamvis conſumptæ in fine ſenectæ
Triſte ſui deſiderium poſt fata relinquens;
Euboici dignus tranſcendere pulveris annos,
Et Pylios ſuperare dies, Phrygiamque ſenectam.
Scitis enim, & meminiſſe juvat, cum matris ab alvo
Prodiit, & primas teneris vagitibus auras
Impulit, hunc gremio veſtro latuiſſe; Levana
Adfuit, & mulcens gratum Ilithyia dolorem.
Tunc & Calliope, nati poſt funus acerbum
Orpheos, arriſit primùm, plectroque remiſſo,
Hunc ſibi progenitum cecinit, nec defuit omen.
Nam ſimul ut venere anni, prædivite venâ
Argolicas exhauſit opes, & Mantua felix
Si quid miratur Smyrnæis æmula plectris.
Dignus quem premeret commixtâ quercus olivâ,
Ultimus emerito redeat ſi Flavius orbi.
Non Phryges hic verſos, ereptaque vellera Colchis,
Dulichiique fugam Regis, non arma Deorum
Impulſu tentat vano: ſed docta canentem
Regia majeſtas monita eſt mirata, Britannos
Dum collaudat avos, & magno ſtemmate ducit.
Quem ſi priſca ætas, ſi ſecla antiqua tuliſſent;
Non tantum Æneas habuiſſet nomen, & axis
Theſſalus obſcuro forſan latuiſſet in orbe:
Cognita nec Dirce, Thebana aut bella fuiſſent,
Nec Medea ſuos jactaret vana labores:
Sed nec fama loquax memoraret Punica tela,

Improba

Improba & Æmathii nec Julia fulmina belli :
Quin majus loquar, Ægypto illi cederet ortus
Qui canit Auguſtum, & magni Stilichonis honores.
Nec ſatis. Obſcuris ſi quæ olim ingrata vetuſtas
Obruerat tenebris, illi labor unicus orbi
Promere, & hiſtorias per tempora noſcere certa.
Ut metuenda Getis indixit bella Seſoſtris,
Et Pharios Regum currus cervicibus egit.
Aſſyrius ceu frena orbis, ceu Regia Medus
Sceptra tulit, ceu Perſæ oriens admiſit habenas,
Ceu Macedo imperium tenuit, ceu milite forti
Perdomuit gentes, urgente cupidine laudis,
Roma triumphatis utroque à cardine terris.
Mox & Romani quatiens Demoſthenis arma,
Judices attonitos rapit in ſua pondera ſenſus
Quò lubet, atque animos faciles flectitque movetque ;
Sive cliens patrios cenſus, & jura repoſcit,
Seu capitale nefas urget, non promptior alter
Cepiſſe oratâ ſublimem lite coronam.
Sed nec venale eloquium, cui gratior extat
Gloria, quàm optati fallax injuria nummi.
Ergo age, ferales ornat dum præfica pompas,
Et tuba ſolenni clangit lugubria cantu,
Juſtitium ſit triſte foro, vadimonia Prætor
Differat, & mœſtæ claudantur carcere leges.
Et tu ſandapilam genitoris, Nate, verendam
Illacrymans produc, quam non pollinctor avarus,
Non veſpillo nocens, non inſcripta agmina tangant ;
Sed ſubeant humeris patres, & lecta Senatûs
Majeſtas, & quos legum facundia ditat.
Teque licet tantis damnârit perfida Clotho
Cladibus, ingentis animo monumenta doloris
Officiis, Ludoice, piis oſtende, ſed ægræ
Frenum adhibe menti, ne ſit diffuſior æquo
Iſte dolor, vincat curas reſpectus honeſti.
Occidit heu ! genitor, deſolatumque reliquit,
Sed mortalis erat, ſed ſeros venit ad annos,
Sed clarum dignis peperit ſibi nomen ab actis,
Sed ſoboli patefecit iter, quo gloria gentis
Creſceret, & tanti floreret ſtemmatis ordo :
Et ſuper aurati jam parta palatia cœli
Sublimis reſidens, molimina vana laboris
Noſtri atque humanæ ridet ludibria ſortis,
Cui natus fuerat, jam tandem fine potitus.

EPITAPHIUM.

CAllebat juris formas, Lintonus obivit.
Pollebat linguæ fulmine, Scharpus obit.
Doctrinâ Cragius reliquos ſuperabat, & ille
Pene eodem Elyſias tempore tranat aquas.
Aut à Cauſidicis cohibe, mors improba, falcem,
Aut ſummi valvas, Scotia, claude fori,

CHRONOGRAPHICON.

PIsCIbVs hærebat IVnCtVs PhœbI IgneVs aXIs,
ECCe ſoLVM CragVs VItat, & aſtra sVbIt.

INDEX Titulorum seu Diegeseon.

LIBER I.

Dieg.		Pag.
1.	DE *origine Juris in genere,*	1
2.	*De juris Civilis sive Romani origine & progressu, & quis ejus apud nos usus?*	9
3.	*De juris Canonici origine, progressu, & quis apud nos ejus usus?*	15
4.	*De Feudorum origine & progressu,*	23
5.	*Refutatur eorum opinio, qui juris Feudalis originem à veteri Romanorum jure deducunt,*	30
6.	*Quando jus Feudale, quod consuetudinarium tantùm est, & dici solet, scripto comprehensum? qui Scriptores? ubi primò receptum pro jure? & de ejus subjecto,*	33
7.	*Quo tempore jus Feudale in Britanniam pervenit? & quo jure Angli hodie utuntur?*	38
8.	*Quando jus Feudale in Scotiam pervenerit? & quo jure hodie Scoti utantur?*	46
9.	*De Etymologia feudi, ejusque Definitione,*	53
10.	*De feudorum Divisione,*	67
11.	*De divisionibus feudorum quæ apud Gallos & Anglos in usu sunt,*	83
12.	*Qui feudum dare possunt? & primò de Laicis,*	98
13.	*De feudis Ecclesiasticis sive Clericalibus,*	115
14.	*De his qui feudum possunt accipere,*	126
15.	*Quæ res in feudum dari possunt?*	134
16.	*De jure Regis in feudis, & de Regalibus,*	147

LIBER II.

Dieg.		Pag.
1.	QUibus *modis feudum acquiritur?*	166
2.	*De feudi Constitutione, deque Investitura propria & impropria,*	178
3.	*De prima parte investituræ impropriæ, quam Chartam dicimus,*	192
4.	*De Evictione, sive de Warrantizationis actione,*	205
5.	*De Conditionibus in investituris vel circa investituras apponi solitis,*	215
6.	*De Reversionibus & mortuo vadio,*	221
7.	*De Sasinis, sive secunda parte investituræ impropriæ,*	235
8.	*Quid juris vassallus ex investitura consequatur?*	249
9.	*De Migrando, sive actione ad removendum colonos,*	265
10.	*De Locationibus sive Assedationibus,*	277
11.	*De mutua inter dominum & vassallum Obligatione,*	282
12.	*De feudi Renovatione,*	295
13.	*De Successionibus,*	306
14.	*De successione Fœminea, tam directa quàm collaterali,*	322
15.	*De successione Collaterali, & Conquæstu,*	329
16.	*De successione Talliata,*	336
17.	*Communia de successionibus,*	345
18.	*De his quæ impediunt successionem,*	363
19.	*De Non-introitu,*	377
20.	*De Custodia, quam Guardam sive Wardam dicimus, & Relevio,*	387
21.	*De Maritatione sive Maritagio,*	402
22.	*De Conjunctis investituris seu Infeudationibus, de Tertia, & de Curialitate,*	413

LIBER III.

Dieg.		Pag.
1.	DE *Resignationibus & Renuneiationibus,*	429
2.	*De Licitatione, quam Appretiationem dicimus, & Adjudicatione,*	445
3.	*Quibus modis feudum ob delictum amittatur? & de Recognitione,*	460
4.	*De jure Protimeseos,*	476
5.	*De Disclamatione, Purprestura, & aliis modis feudi amittendi, qui circa feudum ipsum versantur,*	486
6.	*De reliquis causis amittendi feudi, quæ circa personam vassalli versantur, & quædam de domini delictis, & alia generalia,*	503
7.	*De veterum judiciorum forma in causa feudali,*	512

FEUDO-

FEUDORUM

LIBER PRIMUS.

DE

Origine JURIS in Genere.

Diegesis sive narratio prima.

1. *Propositum Authoris in exordio hujus operis.*
2. *Quæ fuerat hominum conditio post diluvium.*
3. *Unde societates politicæ, & civitates.*
4. *Cives, civitas, & urbs ut inter se differant, & jura varia pullulascant.*
5. *Regum prima institutio, & regimen, quo neque judiciis, neque vinculis, sed tantum pudore & reverentiâ vitia coercebantur.*
6. *In quibus Regum officium maximè constabat. Unde imperia, & servitia, & mutuæ inter civitates & societates collationes, de utilibus promovendis, & damnis avertendis. Unde commercia permissa, unde emptiones, venditiones, cæterique contractus, & jus gentium ortum.*
7. *Reges primi hereditarii, & quibus ex causis.*
8. *De initiis tyrannidis.*
9. *Sua etiam jura inter latrones; & unde principatus legitimus à tyrannide dignoscatur.*
10. *Quæ erat conditio Ecclesiæ Dei ab initio.*
11. *Occasio legum constituendarum.*
12. *Legum scriptarum utilitas, commendatio, & descriptio.*
13. *Qui primi legislatores. Promethei fabula. Moses primus leges scriptas exhibuit.*
14. *Quomodo leges ferebantur. Lycurgus Lacedæmoniorum legislator, quibus nullæ diuturniores, licet scripto non comprehenderentur.*
15. *Draco primus Athenienſium legumlator, cujus leges erant sanguine scriptæ. Solon secundus, eas antiquavit, tantoque temperamento novas dedit, ut omnibus esset charissimus.*
16. *Respublicæ aliæ suos habuerunt legumlatores.*

1. ANTEQUAM Feudorum naturam & conditionem tractare aggredimur, operæ pretium facere videbor, si pauca præmisero de Juris prima origine, mox de Juris tam civilis quam Pontificii initiis, progressu, & incrementis; quibusque modis, & quo tempore leges per nobiliores habitabilis terræ partes dari cœptæ, & jus tandem consummatum & absolutum est. Neque enim hæc omnibus sunt obvia, & ad eum quem instituimus de Feudorum origine & natura tractatum perneceſſaria. Quod si qui sunt politioris ingenii & doctrinæ, quibus hæc non sunt incognita, juvabit fortassis & eos repetita antiquitatis memoria.

2. Poſt diluvium illud univerſale, cum genus humanum numero liberorum ſoboleſceret, velletque ſibi in poſterum providere, ne ſubitâ aquarum vi & inundatione obrueretur, primò turrim illam Babylonicam exſtruere cœpit, ſed interrupto per confuſionem linguarum opere, cum novas ſedes quærere cogeretur, priùs per Aſſyriam, mox univerſam Aſiam & Palæſtinam diſperſi homines, in Græciam etiam (quam inſulam in ſacris literis *(a)* dici certum eſt) omneſque regiones Europæas commigrârunt. Cauſa commigrandi hæc erat.

3. Quum ſibi quiſque & liberis ſuis proſpectum vellet, & proinde commodiſſima ad habitandum loca deligeret, ſive ſylvarum amœnitate, ſive fontium irriguitate, aut terræ ubertate illectus, ibique conſideret; ſupervenientibus potentioribus, qui ſibi potius tam amœna loca, ſive paſcua, ſuæque familiæ tanquam melioribus arrogabant, primi cedere, ut infirmiores, ſæpe cogebantur, & ulteriora, ubi conſiderent, quærere: potentiores tum melioreſque ſibi videbantur, quibus major familia, pluresque liberi, eorum ſive vi, ſive virtute, infirmiores pellebantur. Id cum pleriſque diſpliceret, nec ſinguli per ſe ſufficerent ad vim prohibendam, cœperunt conſilia inter ſe inire quibus modis his potentioribus familiis occurrerent: id potiſſimum è re cujuſque viſum eſt, ut quod unius familiæ viribus deeſſet, alterius familia aut plurium acceſſione ſupplerent. Ita amicitiæ & ſocietates primùm initæ, ex cujus fundamentis, in certa naturæque conſentanea ratione poſitis, civitates poſtea conditæ: neque enim aliud eſt ſocietas, quàm diverſorum inter ſe hominum conjunctio; neque civitas, quàm ex variarum familiarum conſpiratione & unione generalis aliquis conſenſus ſeu cœtus, ſub aliquo communi jure & imperio ad ſocietates ſeu familias in officio continendas conſtitutus.

4. Cives enim propriè dicuntur qui ſub uno vinculo juris & ſocietatis vivunt: civitas vero conjunctio plurium ſive familiarum ſive ſocietatum ſub uno imperio & fœdere: nam qui urbis & civitatis eandem putant ſignificationem falluntur, urbs enim ab *urbo* ſive *urvuo*, id eſt, aratro, ſive aratri curvatura dicitur, quia antiqui locum ædificiis condendis aratro deſignabant, ut *Virg.*

Interea Æneas urbem deſignat aratro.

& propriè mœnia ſive ædificia ſpectat; civitatis nomen ad ipſos cives pertinet, & nomen juris eſt, adeo ut quæcunque hominum ſeu familiarum multitudo unico fœdere & juris ſocietate conjuncta civitas rectè dici poſſit, & apud bonos autores dicitur. Sic Cæſar *(b)*, *Omnis civitas Helvetia quatuor pagos continet*, & poſtea: *Apud Helvetios longe potentiſſimus & ditiſſimus fuit Orgetorix: is cupiditate regni inductus, conjurationem nobilium fecit; & civitati perſuaſit, ut de finibus ſuis cum omnibus copiis exirent.* Sic aliquo metu potentiorum ex hac fœderum ſocietate familiarum patres liberati, ſenſim ex ædibus ſuis progrediebantur, & cum aliarum familiarum principibus ſermones conferebant, quid publicè univerſis eſſet utile ad arcendos potentiores; unde & armorum uſus inventus, & urbes foſſis primum, mox mœnibus cinctæ: tum etiam privatim opes ſuas exponebant, quid domi ſuppetebat, quid non; inde defectus ſuos vicinæ familiæ ſupplebant, domi artificia colebant, foris permutabant res ad invicem, ut quod uni deerat ab altero caperet, non gratuitò, ſed re non minoris utilitatis in vicinum collata: ſic & rationes contrahebant & contractus naſcebantur. Sed cum fieri non poſſet, ut plures ſimul in una ſocietate conſentirent, niſi mutuis vinculis colligati, quibus primùm potentiorum vim reprimerent, & privatim ipſi inter ſe reciprocis officiis interiùs continerentur; factum eſt primò pollicitationibus, & promiſſis mutuis, ne alter alterum offenderet, aut injuriam aut vim alius alii inferret, & unus alii auxilio ut eſſet, ſi quæ vis potentior urgeret. Nec tamen, ex his privatis conventionibus ſive pactis, ſingulæ offenſiones dijudicari poterant, quæ quotidie novæ inter ejuſdem ſocietatis cives oriebantur, quòque plures in uno cœtu, eò frequentiores erant; itaque cum multa iracundè, multa

(a) Iſæ xlii. 10. (b) Lib. 1. Commentariorum.

ta libidinosè, multa avarè, fierent, electus est communi consensu vir illius societatis optimus, qui de offensione aut injuria cognosceret, quodque æquum esset inter vicinos decerneret.

5. Sic judices in singulis civitatibus constituti juris distribuendi causâ qui reges dicebantur. Neque enim reges ab initio nisi judices erant, à *regendo* dicti: & suæ quique civitati præerant, id est, jus dicebant. Hinc illa regum in sacris literis multitudo. Sic Homerus reges pastores populorum vocat, quod procuratio & populi tutela eis esset ab initio concredita: Minos & Rhadamanthus Græcorum reges, quod summa cum æquitate populis suis præfuissent, judicandi perpetuum munus à Jove adepti finguntur apud inferos: imò & qui Athenienſibus post reges imperabant, Σιναϛαὶ vocabantur. Certè primos reges institutos ab initio fuisse distribuendæ justitiæ causâ in bene constitutis civitatibus certum est: nam Cicero ait *(a)*, *Non apud Medos videntur solùm (ut ait Herodotus) sed etiam majores nostros justitiæ fruendæ causâ olim bene morati reges constituti.* Cum enim initio premeretur multitudo ab iis qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant virtute præstantem; qui cum prohiberet injuriâ tenuiores, æqualitate constituendâ summos cum infimis pari jure retinebat.

Quæret tamen hic aliquis, quomodo hi reges jus dicere poterant, quod nullum erat, nullæ leges, ad quas veluti ad amussim sua placita dirigerent? Respondeo sequutos eos tum fuisse ingenitam quandam in animis hominum naturalis æquitatis rationem; nam, ut rectè Cicero *(b,) ad jus & æquitatem naturaliter instincti sumus, & jus præcipuum ex ipsius naturæ beneficio descendit*: & sanè jus tantùm dicebant, qui tum ad id eligebantur, ex cognato quodam & in animis hominum insito naturæ instinctu, aut ex pactis & conditionibus inter suas familias antè conventis. Vigebat enim tum vis naturæ in omnium animis quàm maximè, illudque penè incorruptum aut incorrupto proximum; neque ex hominum opinionibus aut erroribus emanans, sed ex ipsius æternæ mentis clarissimo & immutabili consilio. Vitia tum neque judiciis, neque vinculis, quæ nulla tunc erant, coërcebantur: sed tantum pudore & verecundiâ: jus æquè ab omnibus in honore tanquam deorum munus habebatur, vitia verò odiosa ubique, quasi igniculos illos à natura relictos extinguentia; & sic juris naturalis ingenitam in animis hominum rationem, & cum ratione adjunctam utilitatem in judicando sequebantur. Hoc erat illud tempus cujus meminit Tacitus *(c)*, *Vetustissimi* (ait ille) *mortalium, nullâ adhuc malâ libidine, sine probro, scelere, eòque sine pœna aut coercitionibus, agebant*: neque præmiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur; & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At postquam *exui* æqualitas, & pro modestia ac pudore, ambitio, & vis incedebat, provenêre dominationes: multosque apud populos æternùm mansêre.

6. Post verò cum querimoniarum multitudo ex injuriis cum finitimis urgeret, nec una societas sive civitas quod æquum esset, alii, nisi vi coacta, faceret; cœperunt ob res legitimè repetitas & non redditas discordiæ & lites nasci inter eos qui ex diversis erant civitatibus: inde certamina, iræ, & inimicitiæ, tandem & bella orta: ad quæ cum singulæ civitates exirent, unum ducem sibi præficiebant, cujus consilio & virtute victoriam & in rebus gerendis successum spectabant: & sic qui antea justissimus erat, consilio etiam & cæteris præstare visus, hunc & in bello ducem sequebantur, hic quod commodissimum erat præscribebat. Sic regum institutio in his duobus maximè constabat, in populo ad bellum educendo & reducendo, & in jure dicundo, quæ omnium regum sunt propria, & in quibus eorum potissimùm imperium consistit: & hæc duo propriè regis officio incumbere manifestum est ex sacræ historiæ infinitis locis. Ex his bellis imperia & servitia nata: nam victor, quæ ad victos antea pertinebant, urbes, agros, societates, ad se transferebat; victi servabantur; nondum enim sitis humani sanguinis homines infecerat: at victi in servorum numerum redacti sunt, & quod imperabant victores, facere coacti, & na-

 turalis

(a) Lib. 2. Offic. (b) 1. De legibus de jure naturali. (c) Lib. 3. Annalium.

turalis illa hominum libertas vivendi ut velis, paulatim imminuta, & alieno imperio vivere cœptum: mox cum qui ejusdem civitatis erant, inter se animo versarent, quæ suæ societati essent utilia, quæ illam augerent, & facultatibus aut potentia promoverent; quid rursus eis esset inimicum, quid denique societates everteret ac dissiparet, & nihil tam incommodum esse sibi prospicerent, quam cædes, rapinas, stupra, furta, infirmiorum oppressiones, nec homines pactis in officio contineri, pœnis vitia coercebant, & crimina, ut erant, sic dicebantur. Rursus cum ex commerciis cum vicinis civitatibus rempub. augeri cernerent, ea permissa civibus inter se: natæque emptiones, venditiones, locationes, & cæteri contractus: sic jus gentium paulatim ortum, & in civitatibus, qui æquum ab iniquo decernerent, ut nuper dixi *(a)*, rebusque omnibus majoribus præessent, viri boni eligebantur, qui naturale & jus gentium sequerentur, inde principes & primi civitatis dicti. Neque tum optimus princeps aliud erat, quàm optimus civitatis paterfamilias; & hi plerumque, postquam conceptæ de sua æquitate opinioni respondèrent, pro vita administrabant.

7. Sæpe etiam dum parentis indoles & gratia (vulgi opinione) videretur quæ in filio eluceſceret, favor in ſobolem prorogatus eſt, & filii in demortuorum locum ſufficiebantur: primùm inquam ex gratia & opinione populari; poſtea cùm eorum opes reliquis præeminerent, nec facilè paternæ dignitatis imminutionem paterentur liberi, jus ſucceſſionis in regnis introductum eſt. Certum enim eſt apud Medos, Perſas, Lydos, Phœnices & reliquas gentes regna pænè ab ipſa nativitate hæreditaria fuiſſe, quod Ariſtoteles teſtatur *(b)*, idque hac potiſſimum ex cauſa; nam cum extincto rege certamina magnatum intercederent, quis in ejus locum ſufficeretur; inde iræ, invidiæ, certamina nata, & factiones aliquando, una in alterius exitium imminentes, ut incertitudo ſucceſſionis, quæ in omnibus imperiis peſtis eſt certiſſima, vitaretur, maluerunt gentes unam aliquam eſſe familiam, quæ ſola imperii capax, & ejus familiæ principem ſive primogenitum imperii ſucceſſorem, quam ſe tot periculis, direptionibus & ſeditionibus implicare. Et hæc erant juris & regnorum in benè conſtitutis civitatibus initia.

8. Apud poſteros *Chami* alia longè gubernandi ratio fuit, ibi enim imperia ſive regna vi & potentiâ conſtituta ſunt. Primus erat *Nimrod*, qui regni Aſſyriorum fundamenta jecerat. Is in ſacris literis *robuſtus venator (c)* dicitur: venatores inter latrones numerati; & latrocinium nihil aliud eſſe, niſi venationis quoddam genus, antiqui putabant; & *latrocinari* pro bellum gerere, in primo fœdere inter Romanos & Carthaginienſes poni annotavit Bodinus. Latrocinii enim nomen tum non erat infame, ut neque poſt apud Boreales gentes Piratice; & plerique reges ex latronibus ſive venatoribus, & ex peſſimorum hominum colluvione conſtituebantur; regnaque patres poſteris per manus tradebant, quod in initio Romæ rectè vidit Satyricus, dum de generis nobilitate, quam plerique ſibi tribuebant, ſic ſcribit:

Majorum primus quiſque fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut illud quod dicere nolo:

Latronem per reticentiam ſignificans. Utcunque eſt, ex textu ſacræ ſcripturæ & antiquiſſimorum ſcriptis conſtat hunc *Nimrodum* primum fuiſſe qui rerum omnium arbitrium ſibi arrogaret, vi & potentiâ vicinos ſingulos aggreſſus ſubjecerit, oneribus & ſervitiis eorum libertatem oppreſſerit, & inde *Nimrod* (id eſt, *amarus dominator*) dictus eſt; nactuſque multos ſui ſimiles venatores alienæ libertatis oppreſſores, regni Aſſyriorum prima conſtituit initia. Plena ſunt omnia antiquitatis monumenta, plenæ hiſtoriæ, maxima quæque imperia, Aſſyriorum, Ægyptiorum, Lydorum & Barbarorum fere omnia à vi & violentia initia ſumpſiſſe: quod & ratio ipſa ſuadet, ſi hiſtoriâ deſtitueremur, fortiorem omnia ſibi ſolitum arrogare, infirmiores ſpoliare, cædere, ſubjicere ſibi & in ſervitutem adigere; imo victores ipſi

(a) § 5. *(b)* 1. Politic. *(c)* Geneſ. x. 9.

ipſi in bellis à naturali illa libertate aliquatenus decedebant, cum duces ſuos & qui virtute præerant officiis proſequi cogerentur.

9. In hoc tamen, quod ex violentia injuſta & aliorum oppreſſione & ſervitute natum eſt, ſua etiam inter illum ſummum venatorem & inferiores fuerant pacta, & conditiones conventæ, (*nam inter latrones ſua ſunt jura, ſuæque*, ut ait Cicero *(a)*, *leges*; *alioqui nulla eſſet inter eos ſocietas,*) hæ præcipuè ex Regis arbitrio pendebant, iſque ex animi ſui ſententia jus inter ſuos dicebat, ut potentiſſimus. Sic Livius, *apud Barbaros regum imperia pro legibus ſunt.* Sed cum Rex omnibus ad imperandum ſive jus dicendum non ſufficeret, inferiores ſubſtituit, ut quod ſuum eſſet cuique tribuerent, certaſque præſcripſit conditiones, quibus aſtricti, jus æquabile inter eos dicerent, non ignarus gratiam & auram popularem ſic acquiri, ſed præcipuè ne ſatraparum licentia in infinitum excurreret, & proinde jus ipſius Principis aliquando uſurparent. Hæc itaque prima erant Tyrannidis fundamenta; nam licet ipſi Tyranni, ſive Reges, nullis legibus, nulli juri aſtringerentur, judices tamen dabant, qui æquabilitatem inter ſuos ſervarent, obſequentibus præmia, rebellibus pœnas, pro merito diſtribuentes; ita tamen ut Regum imperia, ſi quid gravius occurreret, ſemper obſervarent, eumque conſulerent, ad cujus libidinem & commoda jus illud qualecunque tanquam ad finem dirigebant. Erant itaque hæ ſocietates jure quodam contractæ, ſed inter ſceleratiſſimos homines, qui ſibi, quòd fortiores eſſent, omnia deberi putabant, multitudinem graviter opprimebant. In hoc enim Principatus legitimus à Tyrannide dignoſcitur, quòd Tyrannus ſua tantùm commoda & utilitates ſpectet, de populi ſui ſtatu & ſalute ſecurus: verus autem Princeps ſuam ſalutem & ſuas utilitates populi ſaluti & commodis poſtponat, qualis erat Codrus apud Athenienſes.

10. Interea ex poſteris Semi, Deus Abraham & ejus familiam & poſteros ſingulari favore & providentiâ quaſi proprium patrimonium inter homines ſelegerat, ubi Eccleſiam ſuam conſtrueret: & quanquam Abrahamus ipſe & ejus poſteri locupletiſſimi & ditiſſimi eſſent (divitiæ omnes tum in pecore conſiſtebant;) tamen nec certas tum ſedes habuerunt, nec ullis pactis aut legibus peculiaribus regebantur. At horum Patriarcharum tempore non ſolùm jus naturæ ſive naturale valuiſſe certum eſt, ſed jus etiam gentium conſtitutum & abſolutum fuit: nam regna & imperia tum erecta, ſocietates & civiles conventiones contrahebantur: diſtincta enim tum erant rerum dominia: bellique jura fuiſſe, quibus quod bello quis acquiſivit, jure acquiſiviſſe ſe putabat, ex Sacra hiſtoria *(b)* conſtat: denique ſervitutes, manumiſſiones, civileſque omnes contractus emptionum, locationum, permutationum; poſtea & ſucceſſiones & teſtamenti factiones natæ, quarum omnium exempla legenti in Sacra hiſtoria Geneſeos occurrent: ſic & meritorum præmia, & ſcelerum pœnæ; adulteria enim & cædes morte tum puniebantur, furta quadruplo, (ut in legibus duodecim tabularum, de quibus poſtea dicemus:) reliquorum delictorum pro facti atrocitate ſua erant ſupplicia. Nec tamen ullæ leges ſcriptæ, aut juris ſcripti pœna tum poterat timeri, ſoli viri boni, aut qui ex opinione aut errore vulgi tales credebantur, judicia exercebant. Itaque cum Abimelecho ſe excuſaſſet Abraham quod Saram ſuam ſororem dixerat (ne mors præmium eſſet conjugalis amoris) cumque de ea cauſa graviter mendacii ab Abimelecho inſimulatus eſſet, ſe eam excuſationem prætexuiſſe reſpondit, *Quòd timorem Dei in illis locis nullum putabat (c)*; non leges, quæ tum nullæ erant, non jura hoſpitalia prætexuit, ſed tantùm timorem Dei, quo ſolo tum Reſpub. ſtabant, propoſuit; ſiquidem poſt lapſum Adæ protoplaſti, divinæ tantum auræ particula adhuc relicta pios illos animorum motus in Abrahami familia produxerat, ut ea ſola ad gubernandum ſufficeret. Itaque Abrahami, Iſaci, Jacobi, & reliquorum Patriarcharum temporibus nullæ certæ leges, nulla jura, nullæ ſedes erant, ſed, ut ait Ovid.

(*a*) De officiis Lib. 2. cap. 11. in medio. (*b*) Geneſ. 48 & 49. (*c*) Geneſeos Cap. 20. V. 11.

Sponte ſuâ ſine lege fidem rectumque colebant.

donèc Ægyptiâ ſervitute liberati, ad Chananæam proficiſcerentur. Ante illud, inquam, tempus, quiſque ſuæ familiæ & inter ſuos jus dicebat: ita tamen ut à jure naturali nunquam diſcederent, à jure aliarum gentium, niſi in Dei cultu, rarò: proinde illâ primâ & verè aureâ ætate Patriarcharum, jus ex unius virtute & modeſtia, ſive in civitate, Principis, ſive in regione, Magiſtratûs ſummi pendebat, ut is cerneret quid fas & nefas videretur: ejus ſcita, ſive arbitria obſervabant, & exſequebantur; ille ſolus jus ſocietatis convocandæ habebat, non tamen ab initio ut vitæ & necis poteſtatem per ſe excerceret, aut tributa imperaret, aut præſidia in civitatibus diſponeret, ſed tantùm ut civitatis principatus apud eum eſſet. Rexque tum dicebatur, quæ vox non tam imperii ſupra alios, quàm dignitatis & excellentiæ inter alios erat nomen, ut teſtatur *Silius*, qui, quum Hiſpanos ſalutaſſe regem Scipionem ſcribit, rationem hanc reddit:

Scilicet hunc ſummum norant virtutis honorem.

Nullas tum leges, nullos fuiſſe carceres, ex Homero vel ex hoc patet, quòd in omnibus ejus libris ne vox quidem legis reperiatur; ſed, ut ipſe teſtatur, ad edicta regentium reliqui ſe conformabant: vixit autem Homerus centum & ſexaginta annos poſt captam Trojam; nec Rex aliud tum erat, niſi publica potentia, aut armata juſtitia.

11. Sed aureo illo ſeculo exacto (quo niſi ex virtute nemo ante alios ſibi prærogativam vendicabat,) & ſeneſcentibus moribus, aut potiùs in omne nefas ſenſim degenerantibus; quum pro viris bonis locupletes poſtea ad judicandum ſuccederent, viderenturque divitibus quàm pauperibus æquiores; nec eadem omnibus loquerentur; ſed præjudicati aliquid ſecum domo ſemper adferrent: convenit tandem inter eos qui ejuſdem erant ſocietatis, ut leges ſcriberentur; juſque quo poſtea uſuri eſſent in ſua Repub. ſcripto mandaretur, ut idem omnibus uno ore loqueretur, & præſcriberet, non gratiâ cujuſquam, non odio perverteretur, nullius perſonam acciperet: nam cùm veri & incorrupti *judicis ſit*, ut ait M. Cic. *(a) cogitare tantum ſibi eſſe permiſſum, quantum commiſſum & creditum ſit: & non ſolùm ſibi poteſtatem datam, verum etiam fidem habitam eſſe, meminiſſe: poſſe quem oderit abſolvere, quem non oderit condemnare: & ſemper non quid ipſe velit, ſed quid lex & religio cogat, cogitare: animadvertere, quâ lege reus citetur, de quo reo cogноſcat, quæ res in quæſtione verſetur.*

12. Horum, inquam, judicum cum maxima apud omnes gentes ſit, & ſemper fuerit inopia, melius è repub. antiqui cenſuerunt ex legibus certis & ſcripto jure judicandum, quàm ex unius hominis arbitrio; neque enim contingere poteſt, ut judex tanto judicio & prudentiâ ſit, ut ſine legibus videat quid ſit æquiſſimum; aut tantâ juſtitiâ, ut non ſit opus ejus poteſtatem legibus temperari: ſæpe enim virum alioqui ſapientem aliqua recti ſpecies decipit, qui ſi præſcripto legum monitus fuiſſet, melius judicaſſet. Interdum qui gratiâ aut odio impeditus eſt, animo morem gerit, ſi nullis legum vinculis teneatur: nam bonos etiam viros licentia reddit deteriores: præclarè itaque Ariſtoteles *(b)*, *qui legem volunt civitati dominari, hi videntur deum dominari velle: qui verò hominem, hi belluam præficiunt: nam amor, odium, ira, concupiſcentia, libido, timor, optimos etiam viros depravant*, ut de Appio Claudio decemviro, apud Livium *(c)* & Halicarnaſſeum *(d)* legimus. At lex eſt mens ſine cupiditate, & jus ſcriptum munit Magiſtratum adverſus litigantium improbitatem, qui cum jus norunt, vident judicem nihil errore, nihil privato affectu pronunciare, ſed ſequi præſcriptum, quod impunè ei mutare non licet. Et hæc prima legum condendarum erat cauſa & origo: ut in moneta fieri ſolet, quoties ejus probitas vel in valore, vel quantitate vitiatur, ſpeciali ſcripto ſolent homines providere, qui ſibi tantum conſultum volunt, ut in tali moneta ſcripto expreſſa ſibi ſolutio fiat. At ne quis putet hoc in regnis & imperiis tantùm conſtitiſſe, nulla erat reſpublica,

a) Pro Cluentio Cap. 58. *(b)* De republ. Lib. 3. Cap. 16. *(c)* Lib. 3. Cap. 4 & 45. *(d)* Antiq. Rom. Lib. 9. C. 28. & Seqq.

ca, ſive ea Ariſtocratia, in qua optimates, ſive Democratia, in qua fæx popularis imperabat, quæ non inde occaſionem legum condendarum aut arripuerat aut prætenderat.

13. Supereſt inquirendum qui leges ſcripto populis ſuis primi pertulerunt. Si verum ſit quod a Plutarcho traditur, Ægyptii, gens antiquiſſima, Prometheum legis latorem ſuum produnt. Erat is Japeti filius, Moſe & ipſo Abrahamo longè prior tempore. Inde locus fabulæ factus, Promethea, cum homines anteà ſine anima eſſent, cœleſtem ignem ferulâ de cœlo ſubduxiſſe, unde univerſum genus humanum animaverat. Rectè illi: *nam qui ſine lege & ſine jure vivunt, etiam ratione & animâ deſtituti videntur, & à pecudibus, ſive brutis animalibus vix differre; cum jus ſit quaſi ignis cœleſtis ad rudia hominum ingenia animanda cœlo demiſſus, & proinde deorum munus:* ſic & Plato *(a)* legum inventionem diis attribuit, nempe legum Spartanarum Apollini, Cretenſium ipſi Jovi: ac inter omnes etiam profanos auctores certiſſimum eſt Moſen fuiſſe, qui primus leges ſcriptas exhibuit. Itaque Diodorus, Juſtinus, Joſephus ac plerique alii Moſen fuiſſe primum legiſlatorem fatentur: Philo enim prudentiſſimum legiſlatorem, juſtiſſimum principem & maximum prophetam aſſerit; non quòd leges & jura ante eum non eſſent, ut antea monui, ſed quòd primus is eſſet qui leges ſcripto commendavit; ante eum plerique an literæ fuerint, dubitant: Moſen grammaticam, id eſt, literarum & legendi artem primùm docuiſſe, ſunt qui putant; Philo eam Abrahamo tribuit. Ipſe tamen Moſes meminit libri de bellis Domini *(b)*; argumentum certiſſimum antè Moſen libros & proinde literas fuiſſe in uſu *(c)*. Utcunque certum eſt, & literas ab Iſraelitis ad Phœnices (nam Phœnicia Paleſtinæ contermina eſt,) à Phœnicibus & Cadmo in Græciam, à Græcia in Italiam advectas eſſe: itaque, licet gentes jure quodam inter ſe ſociatas non negem ante Moſen; ſcriptum tamen jus habuiſſe, nemo (ut opinor) verè dicere poteſt: & licet omnes Moſen primum legiſlatorem fateantur, parum tamen rectè faciunt meo judicio; nam earum legum perlationem Deus opt. max. non uno in loco ſibi uni & ſoli attribuit, qui Moſis operâ, ut amanuenſis alicujus, uſus *(d)*. Sed demus, ſcriptorum omnium fidem ſequuti, Moſen primum fuiſſe legiſlatorem; ejus tamen leges, licet ad Iſraelitici populi gubernationem ſufficere putabantur, ut plurimum circa ſacra & Dei cultum hærebant. Voluit enim Deus, ut ante omnia regnum cœlorum inquireremus, nihil de aliis ſoliciti, quæ nobis adjicienda pollicetur. Itaque vicinæ Reſpub. quæ res terrenas ſectabantur & luto ſeſe mergebant, multa in Moſis repub. abeſſe putabant, quæ ad humanam ſocietatem curandam ſpectarent; præcipuè quod ea, quæ à Moſe tradebantur, in vulgus efferri non ſinebant Iſraelitæ. Nam & librum Moſis etiam aliquot annis delituiſſe ipſa hiſtoria Sacra teſtatur; apud ſolos enim Levitas & eorum principem in occulto ſervabatur: unde & illud *Juvenalis.* Satyr. 14. v. 102.

Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes.

Itaque & ipſi ad leges ſuis hominibus ſcribendas animum adjecerunt, cum viri principes, quos ſibi præeſſe antea juſſerant, æqualitatem (ut dixi) omnino in jure dicendo non ſervarent: præcipuè itaque leges ab eis latæ ſunt, ut ait *Poeta*;

Ne fortior omnia poſſet.

potentiorum enim armis & libidine omnia opprimebantur. Itaque *Horatius* ſcitè admodum *Achillem* deſcribit:

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.

Nam

(a) In principio Lib. 1. de legibus. *(b)* Num. 21. v. 14. *(c)* Niſi ipſe Moſes ſit iſtius libri auctor, ut probabile eſt ex Exodi Cap. 17. v. 14. *(d)* Pſal. 108. & 147.

Nam viri fortes omnia deberi ſibi putabant. Sed erat & alia etiam bellorum & cædium frequentiſſima cauſa & teterrima, nempe vaga Venus. Ut igitur his importunis libidinibus, & oppreſſionibus, quæ in certiſſimam reip. ruinam & præcipitium tendebant, modus imponeretur, leges latæ ſunt.

14. Ferebantur leges, totius populi concione advocatâ, ſententiiſque rogatis, & plerumque quod ſocietatis illius pars maxima volebat, totam tenebat ſocietatem. Sed in Monarchia aliud, nam in ea leges plerumque ex unius Principis excellentis judicio ſumebantur. Ægyptiis leges primus ſcripſerat Vechoreus 4. qui circa annum mundi 3077. regnaverat, ut teſtatur Diodorus, nempe circa Carthaginis initium. Eodem ferè tempore Spartanis præerat Lycurgus; qui cum Eunomio fratri ſucceſſiſſe viſus eſſet, & Rex ab omnibus expeteretur, audiſſet tamen uxorem fratris uterum ferre, à Regis appellatione abſtinuit, & regnum poſtumi nomine adminiſtravit (cui poſtea Charilæo nomen fuit) curator ventri ab initio datus: eo nato, cum regno immaturus eſſet, octodecim annis gubernationem in ſe recepit, tanquam curator Reipub. & à republica conſtitutus; quo tempore Spartanis leges dedit, quæ cum duræ & difficiles pleriſque viderentur, ut religionis ſacramento ſuos cives aſtringeret, ſimulat ſe Delphos velle proficiſci, ut Apollinem de legibus ſuis & earum utilitate conſuleret: interea à ſingulis jusjurandum exegit, dum rediret, nihil ſe ex legibus ſuis immutaturos, quod & facile impetravit. At ille aliud animo verſans, ut Lacedæmonii perpetuò eis legibus continerentur, damnatâ ſpe redeundi, etiam oſſa in cinerem conſumi & diſpergi mandaverat, ne eludendi ſacramenti ullam ſpeciem ſuis relinqueret. Ejus leges Ariſtoteles ad rem militarem valde quidem utiles affirmat *(a)*; ſed cum militia, ſive diſciplina militaris, ſola ad bene regendam civitatem non ſufficeret, coacti ſunt Spartani etiam alias leges ſive ſtatuta inducere, quibus eorum Reſp. gubernaretur. Xenophon Spartanos ſeptingentis ferè annis principatum in Græcia tenuiſſe aſſerit, eo quod Lycurgi leges perpetuó obſervaſſent: nam præter militarem diſciplinam, frugalitatem, temperantiam & opum contemptum inducebant, quibus in civitate rectè conſtituenda & conſervanda nihil prius neque melius. Sed has ſuas leges Lycurgus ſcripto mandare nunquam patiebatur, ſed ῥήτρας appellabat, quod in loquendo & diſcendo conſiſterent. Harum una erat, legibus ſcriptis non utendum; ſæpe enim ſe fœlicem prædicare ſolitus eſt, ſi leges ſuæ non tabulis æneis, ut in aliis civitatibus fieri ſolebat, ſed in animis hominum ſculperentur & ſeneſcerent. His Lycurgi legibus nullæ ſanctiores, nullæ diuturniores erant, licet ſcripto non comprehenderentur. Athenæ (alter Græciæ oculus) non tam militaribus ſtudiis quàm politicâ gubernandi arte claruerunt, fuitque ea civitas (ut teſtatur Xenophon,) Spartâ & opibus & numero civium longè ſuperior: at mutationibus quæ in Rebuſpub. occurrunt magis obnoxia, præcipuè cum in ea Democratia locum primum obtineret. Nam populo ejuſque opinionibus nihil inconſtantius. Neque tamen militaris gloriæ expers; clariſſimi enim duces Conon, Miltiades, Themiſtocles, Alcibiades & plerique alii ex ea ſunt orti; ſed ſiquis omnia rectè expendere volet, Spartanis in gloria militari cedebat.

15. In hac civitate qui primus leges ſcripto tradidit Draco fuit, primuſque Athenienſium legiſlator dicitur. Demades dicere ſolebat (ut eſt apud Gellium *(b)*) Draconis leges ſanguine non atramento ſcriptas; unam enim omnibus delictis pœnam nempe mortem conſtituit, adeo ut qui deſidiæ damnaretur, aut olera vicini furto ſuſtuliſſet, non minus morte plecteretur, quàm qui cædis eſſent rei. Sequutus eſt eum aliquot annis minor Solon, qui cùm in magna veneratione apud Athenienſes & omnes exteros eſſet, permiſſa ei à populo leges condendi poteſtate, omnes Draconis leges antiquavit, novas conſcripſit, tanto temperamento, ut potentioribus æque ac populo eſſet cariſſimus: floruit autem tempore Tarquinii Priſci, circa annum mundi 3386. De ejus morte idem commemorant quod de Lycurgo antea diximus, jusjurandum nempe à civitate exegiſſe, leges ſuas nunquam antiquandas donec rediret; & cum Cypri decederet, mandaſſe ut oſſa Salaminem tranſlata per

(a) Lib. 1. Politic. (b) Lib. 12. Cap. 18.

per agros ſpargerentur, ne populus religione ſolveretur. Solonem in Ægyptum profectum & inde leges accepiſſe teſtatur Plutarchus, adeo ut non ſolùm Philoſophiam ſuam, ſed etiam reip. gubernandæ rationem Græcia Ægyptiis debeat. Ægyptiis contermini erant Iſraelitæ; nec dubium quin quod commodum ſibi videbatur ex eorum legibus ad ſe Ægyptii traducerent. Itaque omnium legum & reip. gubernandæ ratio Deo & ejus amanuenſi Moſi adſcribenda, à quo etiam reliqui in ſuis rebuſp. excellentiſſimi, fontes juris haurientes, ad ſuos ejus ſcaturigines ſive rivulos deduxerant.

16. Eodem tempore diverſæ aliæ reſp. in Græcia & alibi florebant, quæ ſuos tantùm legiſlatores agnoſcebant: Carthaginenſes Phaleam, Mileſii Hippodamum, Cretenſes Minoa, alii alium probabant; quibus inhærere non ſtatui. Qui plura de his cupit, Ariſtotelem *(a)* legat: nam his generalibus fundamentis poſitis, quæ juris Romani, ſive Civilis, quod nunc in maximo pretio apud omnes gentes eſt, initia, dicendum.

De Juris Civilis ſive Romani Origine & Progreſſu, & quis ejus apud nos uſus.

Diegeſis ſecunda.

1. *Jus Civile Papyrianum.*
2. *Jus Civile Flavianum.*
3. *Origo Legum 12 Tab. & earum elogium: quæ tamen non ſufficiebant ad univerſam civitatem Romanam gubernandam. Plebiſcita primùm, poſtea Senatuſconſulta, mox & Prætorium jus introducta ſunt: cujus varia ſunt exempla in ff.*
4. *Juriſprudentum reſponſa vim quandam legum habuerunt; præcipuè eorum qui à Senatu & Imperatoribus poteſtatem de jure reſpondendi accipiebant.*
5. *Conſtitutiones Principum pro legibus habebantur, & tribus conſtabant, reſcriptis, decretis, vel edictis.*
6. *Everſâ republicâ, non ceſſavit Juriſconſultorum auctoritas, ſed ſub Cæſaribus longè felicius floruerunt, & juris civilis ſcholæ aperiri cœptæ.*
7. *Digeſtorum libri 50. juris veteris tanquam horrea.*
8. *Codicis libri 12. ſunt quæ omnium Cæſarum qui Juſtinianum anteceſſerant reſponſorum de jure collectio; unà cum 50 deciſionibus vel conſtitutionibus ipſius Juſtiniani.*
9. *Authenticæ conſtitutiones, non ſolum Juſtiniani, ſed aliorum etiam Cæſarum.*
10. *Inſtitutionum Imperialium libri 4. prima totius Juris Civilis elementa.*
11. *Jus Civile Romanum ſuppreſſum & denuò emergens, quando & quorum operâ, & de textu Florentino. Hugolinus conſtitutiones Feudales Friderici in librum redegit, & decimam collationem ex iis fecit; ubi de Accurſio, Bartolo & Baldo, aliiſque, qui jus civile illuſtrando commentariis ſuis ad hæc noſtra tempora produxerunt.*
12. *Juris Romani ſive civilis laudes.*
13. *Gallorum tamen & Hiſpanorum Regibus inviſiſſimum erat jus Romanum: aliter apud Italos, & in meridionali parte Galliæ, & in quibuſdam Hiſpaniæ provinciis. Apud Germanos nullus juri Romano locus, ſed tantum juri Feudali.*
14. *Juris Civilis in Scotia uſus, & neceſſitas.*
15. *Jus Feudale juri Civili ſucceſſit, & jure Pontificio tempore prius eſt.*

1. ANTE Solonis tempora regnum ſuſceperat Romæ ejus urbis conditor Romulus, tum Numa, poſt eum Tullus Hoſtilius, eo defuncto Ancus Martius, tum Tarquinius Priſcus, cujus regni anno 33 Solon Athenienſibus leges ſcribere

(a) Lib. 1. polit.

bere cœpit *(a)*. Nec dubium in nova conſtituta republica multas leges, & ſanctiones interveniſſe, ut regnumſibi auſpicatiùs ſtabilirent, & populum in officio continerent; nec minus Servium in urbe novis inſtitutis formanda evigilaſſe certum eſt. Tarquinii Superbi tempore fuit Sextus Papyrius, qui leges omnes Regias in unum contulit, & ejus liber jus civile Papyrianum dicebatur; *non quòd* (ut ait Pomponius *(b)*) *aliquid de ſuo adjecerit, ſed quòd leges ſine ordine latas in unum volumen contraxerit.* Hujus Juris Papyriani aliquoties mentionem in Pandectis *(c)* reperio, et etiam apud Livium & Ciceronem: Quod tamen hoc jus fuerat, non ſatis conſtat; licet enim jus Civile dicebatur, quaſi jus civium Romanorum (& ſic à Pomponio & Livio vocabatur) tamen Regum tantùm ſanctiones continebat. Harum ſanctionum ſive legum Regiarum catalogum Car. Sigonius ex Livio, Plutarcho & aliis deſcripſit.

2. *Sequebatur jus Flavianum*, quod formulas actionum comprehendit; quæ magna juris Civilis ſunt pars & portio: Cicero *(d) non ſolum formulas actionum a C. Flavio evulgatas* ſcribit, *ſed etiam faſtos, ut ſciretur quibus diebus lege agere liceret.* Hic Flavius ſcriba erat & libertini filius, *qui illud jus Papyrianum inter pontificum libros antea reconditum* populo exhibuit: idque munus tam gratum populo erat, ut, non obſtante ignobilitate, Ædilis crearetur; licet Pomponius *(e)* innuere videatur hunc Flavium Appii Claudii ſcribam fuiſſe, librum de formulis actionum ab eo ſubtraxiſſe, & ea de cauſa Ædilem creatum: plura de hac re qui vult, legat Livium *(f)* & Pomponium *(g)*.

3. Sed hoc jus Papyrianum veriſimile eſt exactis Regibus & mutatâ reip. formâ antiquatum fuiſſe lege tribunitiâ, ut omnis Regum memoria à civitate aboleretur. Itaque primis viginti annis, ut Pomponius *(h)*, ſed veriùs tamen, ſexaginta, cœpit populus incerto magis jure & conſuetudine gubernari, quàm certâ aliquâ lege. Sed poſtea cum ſe à nobilitate graviter premi diceret, nec jam conſulare imperium *(neque Tribunos conſulari poteſtate præditos)* ferret, graviſſimæque de reip. adminiſtratione contentiones quotidie orirentur, placuit tandem ut Triumviri in Græciam mitterentur, tam ex patribus quàm ex plebe electi, qui leges utrique parti communes & utiles, quæque ad æquandam omnium libertatem pertinebant, poſſent deſcribere. Miſſi ſunt Sp. Poſthumius, A. Manlius & P. Sulpitius, juſſique inclitas Solonis leges deſcribere, & aliarum civitatum Græciæ inſtituta & mores cognoſcere: at illi ſequenti anno cum Atticis legibus redierunt. Mox Decemviri creati ſunt, quibus harum legum deſcribendarum, & juris Romani inde conficiendi cura demandata eſt. Hi primò decem tabulis omnes ex Græcia leges allatas comprehenderunt: ſed cum duæ adhuc tabulæ viderentur deeſſe, ut totum jus Romanum abſolveretur, continuato adhuc in annum ſequentem Decemvirorum magiſtratu, duæ aliæ tabulæ adjectæ ſunt, & ita omnis Romana juriſprudentia abſoluta, ait Livius, ut ſuo ævo cum immenſus aliarum ſuper alias acervatarum legum cumulus eſſet, vix quidquam adjici poſſet. Suntque hæ duodecim tabularum leges fons & origo totius juris publici & privati, quarum memoria ab omni poſteritate commendatur, licet cum maximo omnium bonorum incommodo ipſæ perierint. Earum quæ adhuc circumferuntur reliquias Marco Ciceroni præcipuè debemus, qui niſi libros de legibus ſcripſiſſet, nulla fere jam duodecim tabularum eſſet memoria.

Nobile enim eſt harum legum elogium apud Cic. *(i) Bibliotheca* (ut ait) *Philoſophorum omnium unus mihi videtur duodecim tabularum libellus (ſi quis legum fontes & capita viderit) quo auctoritatis pondere & utilitatis ubertate nullus ſuperior*; neque tamen leges duodecim tabularum ad gubernandam univerſam civitatem Romanam ſufficiebant; nam pleriſque duræ videbantur, aliis interpretatione egere, nonnullis ſupplendæ & corrigendæ viſæ. Itaque cum novæ quæſtiones & controverſiæ quotidie emergerent, neque quid in his fieret, ex legibus duodecim tabularum appareret,

(*a*) Gell. lib. 17. cap. 21. (*b*) L. 2. § 2. ff. de origine juris. (*c*) L. 144. de V. S. (*d*) Lib. 1. ad Atticum, & in oratione pro Murena. (*e*) L. 2. § 2. ff. de origine juris. (*f*) In fine lib. 9. (*g*) L. 2. § 7. de origine juris. (*h*) L. 2. § 3. de origine juris. (*i*) Lib. 1. de Oratore.

reret, primùm Plebiscita, pòst & Senatusconsulta, mox & Prætorium jus, adjuvandi illius veteris juris aut corrigendi causâ, introducta sunt. Exempla autem quando jus antiquum aut corrigebatur, aut supplebatur, aut juvabatur, ex hoc Prætorio jure passim in Pandectis occurrunt. Unicum hoc sufficiet, nam cum ex jure duodecim tabularum, ad successionem defuncti intestati, Sui ante omnes primi admitterentur, & libera cuique de re sua testandi potestas tribueretur; Prætor tamen illud jus supplevit, emancipatos cum suis adjungendo *(a)*: adjuvit, cum bonorum possessionem secundum tabulas testamenti suis hæredibus daret: correxit, cum contra tabulas liberis præteritis bonorum possessionem tribuerit *(b)*.

4. Accesserunt & postea Jurisprudentum Responsa, quæ vim quandam legum habebant in juris interpretatione, quoties nodus occurrebat; præcipuè eorum qui à Senatu & Imperatoribus potestatem de jure respondendi accipiebant *(c)*, & hi præcipui nominis & auctoritatis ante reip. mutationem erant. Primus, quod sciam T. Coruncanus fuit qui jus civile Romæ professus est *(d)*; vixit is circa annum ab urbe condita quingentesimum. Eum sequutus M. Fabius Pamphilus, initio secundi belli Punici, mox Ælius Petus, M. Attilius Sapiens, P. Cornelius Nasica, tum Q. Fabius Labeo, & Fabius Pictor, Portius Cato, Manlius Torquatus, P. Mutius Scævola, Licinius Crassus, Livius Drusus, M. Figulus, S. Pompeius Magni patruus, tum C. Aquilius Gallus Jurisconsultorum ejus ætatis princeps, Aufidius, Juventius & qui in ipsam reip. mutationem incidit Trebatius Ciceroni adeo familiaris.

5. Occupatâ repub. & in unius principatum sive dominatum conversâ, Principum constitutiones pro legibus habebantur: ea ex tribus constabant, nempe ex Rescriptis, quando Princeps ad supplicum libellos vel absentum Magistratuum de jure dubitantium consultationes respondebat: Ex Decretis, quando Princeps cognitâ causâ sententiam dicebat; Vel Edictis, quando reip. curam gerens aliquam novam legem sive edictum constituebat *(e)*.

6. Non tamen eversâ repub. Jurisconsultorum auctoritas cessabat; imò sub Cæsaribus longè felicius floruerunt, & jam juris Civilis scholæ aperiri cœptæ, ex quibus, tanquam ex equo Trojano, maxima pars Jurisconsultorum prodiit. Quæ eorum nomina, quique aliis & quo tempore successerant, auditorem ad Pomponium remitto *(f)*, Hotomannum, & Rutilium, qui historiam juris Civilis scripserunt. Et licet Jurisconsultorum horum in litibus terminandis non parva esset auctoritas, juris tamen novi constitutio ad solos Cæsares pertinebat, & sola antiqui juris interpretatio penes ipsos jurisprudentes erat; qui cum libris editis suas de jure sententias explicarent, & ex diversis scholis diversa prodirent ingenia, & quilibet suam in juris interpretatione sententiam tueretur, infinita nata Jurisconsultorum volumina, adeo ut Justinianus, suo tempore, supra duo librorum millia scribat fuisse: sic homines in utramque partem cum Demea Terentiano peccare solent, aut nihil aut nimium faciendo, medium negligunt.

7. Sed cum is librorum cumulus tædium legentibus, sæpe etiam confusionem pareret, Justinianus Romanorum Imperator, ut huic confusioni mederetur, primùm omne jus antiquum in quinquaginta volumina per octodecim viros magni nominis & auctoritatis redegit: hæc Pandectas dici voluit, quasi omne jus antiquum comprehendentes: quo autem modo & à quibus confectæ sunt hæ Pandectæ, ipse in sua præfatione tam Pandectarum quam Codicis & Institutionnm exponit. Sunt itaque Pandectæ juris veteris tanquam horrea, ex quibus penè de quacunque re proposita ex veterum Jurisconsultorum opinione licet disputare; omniaque illa quinquaginta volumina ex eorum, nempe Scevolæ, Viviani, Pauli, & reliquorum responsis confecta.

8. Sed cum non minorem auctoritatem haberent Imperatorum constitutiones, & ex eorum sive edictis sive responsis quid in quaque re æquum & bonum esset non minus eluceſceret, quàm ex Jurisprudentum responsis, per eundem Tribonianum &

(*a*) § 9. Instit. de heredit. quæ ab intest. defer. (*b*) § 12. Instit. d. tit. (*c*) § 8. Instit. de jure nat. gent. & civ. l. 2 § 47. ff. de orig. juris. (*d*) L. 2. § 35. ff. de orig. juris. (*e*) § 6. Inst. de jure nat. gent. & civ. (*f*) L. 2. de orig. juris.

alios delectos ad rem tantam viros, Codicem ex reſponſis Cæſarum confici curavit. Iſque codex Theodoſianus primò dictus; ſed cum pleraque reſponſa Imperatorum quotidie in manus venirent, ipſeque Juſtinianus novas aliquot deciſiones adjeciſſet, ſub incudem revocatus eſt Codex Theodoſianus, & longè locupletior factus ſub nomine Juſtiniani ipſius exiit. Eſt itaque Codex nihil aliud quàm omnium Cæſarum, qui Juſtinianum anteceſſerant, reſponſorum de jure, necnon & ipſius Juſtiniani quinquaginta conſtitutionum collectio: & ex iis reſponſis in unum collectis, ſervatâ tamen methodo, jus Codicis dictum.

9. Sequuntur Authenticæ conſtitutiones, quæ plurimæ ab ipſo Juſtiniano, pleræque ab aliis Cæſaribus confectæ ſunt. Et hoc eſt jus Authenticarum conſtitutionum. Ita dictæ ſunt quaſi originales *(a)*: ſic authenticæ tabulæ *(b)*, ſic authenticæ rationes, & authenticæ probatoriæ *(c)* dicuntur.

10. Poſtea in juniorum gratiam adjecit Juſtinianus quatuor libros Inſtitutionum, prima totius juris Civilis elementa continentes. Itaque totum jus Civile quo hodie utimur ex libris Pandectarum, libro Codicis (qui à multis etiam libris Pandectarum præfertur) & his Authenticis conſtitutionibus & Inſtitutionibus conſtat. Sunt qui jus feudale partem juris Civilis non ſine ratione faciunt; ſed de hoc poſtea *(d)*. Itaque jus omne Civile laudatiſſimo illi principi Juſtiniano debemus, qui non ſolùm armis imperium Romanum multis in regionibus reſtituit, ſed etiam jura Romana in lucem edidit; feliciſſimus ſanè Princeps, ſi ei talis uxor contigiſſet qualis ipſe fuit.

11. Juſtiniano cum nepos Juſtinus ſucceſſiſſet, & poſt eum Tiberius & Mauritius, paulatim cum majeſtate Romani imperii jus etiam Civile in Italia oppreſſum eſt armis Gothorum & Longobardorum, præcipuè temporibus Phocæ, qui quartus erat à Juſtiniano: adeo ut poſt Juſtiniani mortem (qui obiit anno ſalutis 565) penè perierint leges Romanæ: nec ſpatio quingentorum annorum & amplius in pretio erant; donec Lotharii ſecundi Imperatoris tempore, quæ diu latuerunt, in lucem tandem emergere cœperunt.

Floruit Lotharius, ſaltem imperare cœpit anno domini 1137. Guibaldus quidam, Abbas, ut aiunt, Stabulenſis, juſſu Lotharii claſſem Salernum adduxerat, & magnâ vi urbem oppugnavit. In ea expeditione Piſani quadraginta ſex armaverant triremes, & fortem & fidelem operam Cæſari navarunt. Nam cum pridie Cal. Auguſti Amalfim adorti, primo impetu expugnaſſent, tantùm beneficii loco à Lothario pro ſua opera poſtularunt Pandectarum ſive juris Civilis volumen, ibi olim à Juſtiniano Imperatore concreditum, & priſcis literis exaratum. Id cum impetraſſent Piſas tranſtulerunt, ſed Florentini Piſis ad ſe traduxerunt; quo, ad omnium aliorum textuum correctionem, aut ſi quod dubium in textu occurrat, hodie utimur: qui adhuc religiosè ſatis Florentiæ ſervatur.

Hujus libri elegantiam, & conjunctam cum vera Philoſophia prudentiam Lotharius cum conſideraſſet, eum publicè prælegendum Bononiæ inſtituit, Irnerium quendam, alii Verneherum volunt, maximis præmiis invitans, ut eam publicè eo loco profiteretur, aliaque omnia jura omneſque leges ſilere juſſerat. Primus itaque fuit Irnerius qui Imperatoris Lotharii mandato jus Civile Bononiæ prælegit, & gloſſematis illuſtravit: quo magis miror eorum vanitatem qui Mathildis rogatu id factum contendunt, quæ longè Lotharii tempora præceſſit. Mortuus Irnerius circa annum 1190. hunc ſequuti ſunt Bulgarus, Placentinus, Joannes Boſianus, & Hugolinus, qui conſtitutiones Friderici feudales in librum redegit, & decimam collationem ex eis fecit.

His ſucceſſit Accurſius, auditor quippe Joannis & Azonis, præceptorum ſuorum opiniones & gloſſas ad ſe tranſtulit, & edidit ut fertur, & hodie gloſſa ordinaria dicitur. Floruit hic circa annum domini 1226. Poſt Franciſcus Accurſius ejus filius, Innocentius, Othofredus, Hoſtienſis, qui circa annum 1255 claruerunt. Eum ſequu-

(*a*) L. 2. ff. de fide inſtrum. (*b*) L. fin. quemadmodum teſtamenta aperiantur. (*c*) L. 9. C. de diverſis officiis. (*d*) § 11.

ſequutus Gulielmus Durandus, Speculator communiter dictus, cujus egregium illud Speculi opus eſt. Poſt Dinus, qui circa annum 1300 vixit. Minor hoc Joannes Andreæ, circa annum 1348. *Poſt eum Cynus.* Hujus diſcipulus fuit Bartolus, ut ipſe aliquot in locis teſtatur, qui revera omnes & priores & poſteriores, qui gloſſemata in jus Civile ſcripſerant, longo poſt ſe intervallo reliquit.

In eodem ſeculo, ſaltem non multo poſt (nam obiit anno 1400) floruit Baldus, non diſſimulanter in Bartolum ſæpe invectus; ſed cum ſe diu fatigat, tandem Bartoli opinionem ſequi cum aliqua diſtinctione, ne nihil egiſſe videretur, ſæpe cogitur. Poſt eum Angelus Peruſinus, & Salicetus, Joannes ab Immola, Paulus de Caſtro, Alvarotus, Alexander, Felinus, Jaſon, & Decius ſequuti ſunt, & perpetuis commentariis jus Civile illuſtrando, ad noſtra tempora produxerunt. Itaque nihil magis nobis timendum, quàm id quod tempore Juſtiniani accidit, ne nimio Doctorum & librorum cumulo obruamur.

12. Quod ad juris Civilis dignitatem *(a)* & excellentiam attinet, ſive ſermonis elegantiam, ſive æquitatis fontes puriſſimos, ſive deciſionum & ſententiarum rationes graviſſimas & acutiſſimas quis ſpectet, nihil melius nihil elegantius ſcribi potuit, nihil quod in rebus dubiis lucem adferret, melius comminiſci, nihil ad res agendas utilius excogitari poteſt: cujus particulares laudes proſequi, Cicerone laudatore opus eſſet; quanquam & innumeræ hujus juris Civilis apud eum laudes reperiantur. Sunt etiam plerique hac noſtra ætate viri docti qui in hoc argumento feliciter deſudarunt: neque in eo hærere hìc animus eſt, quod per ſe integrum opus deſideraret: unum hoc inter cæteros ad earum commendationem adjicio, hujus juris Romanarumque legum excellentiam inde facilè perſpici, quod errantes in viam dirigunt, & quaſi lumen de ſuo lumine accendunt, dubios confirmant, bonos in officio continent, in improbos vindictam minantur ſeveriſſimè, privatorum commodis ſerviunt, publicæ tranquillitati conſulunt; immunes ab omnibus ſordibus; & perturbationibus, quæ ſinceriores animi affectus corrumpunt, deſtitutæ: in neminem vel ſpe lucri vel cupiditate vindictæ ſæviunt, nec quemquam odio aut amore perſequuntur, neminem timent, neminem imprudentem opprimunt, ſed quid facto, quid non facto opus ſit, prius monent.

Non eſt exceptio perſonarum in legibus; neſciunt dum conduntur, in quos ſunt caſuræ; pœnas improbis minantur, ne ſibi non prædictum dicant: denique ſi vitam honeſtè quis ducat, bene futurum illi ſpondent; improbis, ſecus: juſque ſuum unicuique æquâ lance diſtribuunt: denique nulla eſt in toto orbe Chriſtiano gens, quæ non jus Civile manibus & animo verſet, amet, & in ſinu foveat; nullum ſeculum ab exactis Regibus Romanis, quod non Juriſconſultos, id eſt, juris hujus Profeſſores honorandos, imò cum quadam veneratione ſuſpiciendos ſibi propoſuerit: nulli homines in juris & injuriæ diſputatione verſantur, qui ad deciſionem juris Civilis non decurrant, animoque ſuo & conſcientiæ ſatisfieri putant, ſi eorum ſententiæ cum jure Civili conveniant.

13. Scio Reges Gallorum ſuos legibus Romanorum teneri nolle, & Bodinus *(b)* teſtatur extare Philippi Belli leges, quibus Pariſiorum & Monpelienſium curias inſtituens, *eas legibus Romanorum obligari vetuit.* Et in Academiarum inſtitutione, in quibus juris Civilis Profeſſores magnâ mercede conducuntur, Reges declararunt, *Romanorum leges & Pontificia jura publicè quidem doceri velle, ſubditos tamen obligari nolle, ne peregrinorum legibus juri patrio derogaretur. Imò & Reges Hiſpaniæ capitali pœnâ vetuerunt Romanorum leges ſui juris teſtes appellare, ut ſcribit Oldradus, tametſi nihil eſſet in legibus patriis juri Romano aut Civili contrarium, cum Judicum religionem peregrinis hominibus nollent obligari.* Baldus tamen *(c) Italos omnes Romanis legibus teneri ait*; *Gallos verò non aliter quàm ſi rationi & æquitati naturali convenire videantur.* At Guido Papæ legibus Romanis & Pontificiis non aliter teneri Gallos ait, quàm ſi leges regni Galliæ fiant. Sunt tamen in Gallia, præcipuè quatenus ad meridiem vergit, & in Hiſpania pleræque provinciæ, quæ Romano-

(*a*) Vid. § 3. (*b*) Lib. 1. c. 8. 13. prope finem. (*c*) In 13. Cod de ſententiis & Interlocutoriis.

rum inſtitutis reguntur. At licet Fridericus Ænobarbus leges Romanorum & publicari & doceri præcepit, nullus tamen apud Germanos Juri Romanorum locus, ſed tantùm juri Feudali, ut poſt dicemus.

14. Nos tamen in hoc qualicunque regno Romanorum legibus ita obligamur quatenus legibus naturæ & rectæ rationi congruunt, *quibus* ait Pindarus, *omnes quotquot ubique terrarum gentes, quotquot Principes, ſunt obligati.* Sed ſanè nulla naturalis æquitatis area latior, nullus rationum & argumentorum ab ipſis naturæ principiis ſumptorum fertilior campus, quàm Juriſconſultorum libri; à quibus, velut ab ipſo fonte, quid naturâ æquum, quid iniquum, quid rectæ rationi maximè conveniat, quid diſſideat, hauriendum eſt. Et ſanè licet in Gallia, Germania, Hiſpania & ipſa Anglia non uſque adeò Romanis legibus & juri Civili pareatur, ferendum quodammodo eſt, quòd ibi patriæ leges & conſuetudines ferè omnes ſcriptis comprehenduntur: apud nos ſcriptarum legum maxima inopia, & naturaliter in pleriſque negotiis jus Civile ſequimur, non quidem edocti, & in eo inſtituti, quòd nulli adhuc quod ſciam apud nos juris fuerint Profeſſores, qui jus publicè docerent (quod ſane dolendum eſt;) ſed prope nolentes, cum proprio jure ſcripto deſtituamur, ſolâ naturæ benignitate aut ipſius juris dignitate inducti.

Credibile eſt veterum Seſſionum, apud quas omnes noſtræ actiones finiebantur, præcipuos fuiſſe ex ordine Eccleſiaſtico, qui in jure Civili & Pontificio egregiè inſtructi, ſecundum jus ſcriptum judicia exercebant: & quum laudatiſſimus Princeps, Jacobus quintus, Seſſionem perpetuam inſtituiſſet, viros neque ex ipſa nobilitate, neque magnis honoribus perfunctos, in eum locum aſciverat, ſed doctos & juris utriuſque peritos, qui in judicando jus Civile ſequentes, illud etiam poſteritati commendarunt.

Sequimur itaque juris Civilis ſive deciſiones ſive regulas, in rerum præcipuè mobilium adminiſtratione, licet judicorum proprias & peculiares formas unaquæque gens uſurpaverit. Et nos etiam noſtris formis actionum non omnino à jure Civili abhorrentibus utimur, tamen in pactis, tranſactionibus, reſtitutionibus in integrum, arbitriis, ſive (ut hodie loquimur) arbitramentis, ſervitutibus, contractibus tam bonæ fidei quam ſtricti juris, tam non nominatis, quam nominatis, evictionibus, pignoribus, tutelis, legatis, actionibus, exceptionibus, obligationibus, denique in delictis puniendis, jus Civile ſequendum omninò proponimus: et ut verè dicam, in rebus omnibus noſtris, & circa omnes res, hoc jus Civile ita diffunditur, ut nulla fere quæſtio, nulla facti ſpecies occurrat, in quo ejus vis & uſus ſingularis non appareat manifeſtè: in foro ſive judiciis, quoties quid arduum occurrit, ejus ſolutio inde eſt petenda. Et hæc de juris Civilis origine, progreſſu, & uſu frequentiſſimo.

15. Poſtulat locus, ut juri Civili jus Feudale ſubjiciam; nam in ejus locum, exulante ad tempus jure Civili, ſucceſſerat, & jure Pontificio tempore prius eſt: imò, ut doctiſſimi quique volunt, juris Civilis & Authenticarum conſtitutionum ſunt quaſi pars: nam ex Imperatoriis conſtitutionibus totum ferè conſtat; & Hugolinus ille (de quo antea) (*a*) ex earum faſce ſive colligatione decimam collationem fecit, ut Authenticarum Juſtiniani conſtitutiones ſint novem, Feudorum autem liber ſit pro decima. Sed quoniam juris Feudalis tractatus præſentis tantùm eſt inſtituti, & ſpecialem per ſe narrationem requirit, in ſequentem diegeſim remittimus, & de origine juris Pontificii (quòd utroque tam jure Civili quàm Feudali recentius) aliqua ſubjiciemus.

(*a*) § 11.

De Juris Canonici Origine, Progressu, & quis apud nos ejus usus.

Diegesis tertia.

1. *Juris Canonici origo.*
2. *Pontificum Romanorum versutia in Clero suo à potestate seculari subducendo; unde contentio inter Henricum II. Angliæ, & Thomam Becketum Archiepiscopum Cantuariensem, & quæ inde sequebantur.*
3. *Richardus ejus filius frustra patrem sequitur, qui tandem jus suum remittere coactus.*
4. *Pontificum superbia.*
5. *In Gallum, & apud nos Scotos, frustra fiunt eorum ejusmodi conatus.*
6. *Hispaniarum regna Pontifex per partes invasit, aliaque Europæ regna sibi paulatim clientelaria, quædam & ærariafecit: & ulterius de Pontificis Romani tyrannide.*
7. *Ecclesiastici hujus imperii duo fulcra, leges sc. & earum executio.*
8. *Decreti origo ad Pandectarum similitudinem, opus à Gratiano Monacho confectum; nec tamen integrâ fide, nec judicio.*
9. *Decretales sive Decretalium Epistolarum liber in imitationem Codicis Justiniani.*
10. *Sextus Decretalium liber.*
11. *Clementinarum libri.*
12. *Extravagantes quæ sunt extra corpus juris Canonici.*
13. *Regularum Cancellariæ liber, & de ejus auctoritate.*
14. *Decisiones Rotæ.*
15. *Juris Canonici subjectum multifarium. Primò circa electiones Pontificum versatur: quæ cum Cæsaribus Germanis aut Regibus comptebant, Romanus Pontifex eas sibi arrogavit, vel Cardinalium collegio tribuit. Sed nec in Gallia, nec in Scotia id omnino efficere potuit. Sicque omnium penè Ecclesiarum & sacrorum Dominus effectus est, inque eas earumque personas, ut & circa decimas quibus alebantur, jurisdictionem suam instituit.*
16. *Secundò in ultimis voluntatibus.*
17. *Tertiò in causis matrimonialibus, dotis, aut propter nuptias donationum, & in divortiis aliisque similibus.*
18. *Quartò, sub jurisjurandi specie, litium omnium & judiciorum cognitionem sibi suisque Pontifex vendicavit.*
19. *Quintò in orphanorum & miserabilium personarum causis. Hisque artibus non minor ejus jurisdictio in omnibus regnis facta, quàm ipsorum Principum.*
20. *Ad executionem hujus juris & arrogatæ jurisdictionis, commentum est fulmen excommunicationis, ejusque effectus non solum in Reges sed,*
21. *In totum populum: imò ipsi Reges huic executioni subserviebant: atque sic in conscientias hominum Pontifices dominabantur.*
22. *Dignitas Juris Canonici quanta habita. Pontifex ipse non solùm omnibus Christiani orbis Principibus præminere, sed Angelis ipsis imperare præsumit.*
23. *Comparatio facta hujus juris cum divino & civili ineptissima, & quæ blasphemiam spirare videtur.*
24. *Juris Canonici apud nos usus.*

1. FERVEBANT jam undique juris Civilis studia, Professores maximis honorariis propositis invitabantur; nec solùm Bononiæ, sed & Papiæ & reliquis celeberrimis Civitatibus Scholæ juri Civili docendo aperiebantur: cum subitò aliud jus, nempè Pontificium, sive Canonicum, emersit, insperantibus hominibus, imò invitis & reluctantibus. Ejus juris origo hæc erat. Pontifex Romanus cùm Romam imperii sedem occupasset, relegato in Thraciam Cæsare, paulatim etiam suum imperium ibi stabilire cœpit. Erat enim in fatis *(a)* ut Sathanæ post mille annos exactos, liberæ habenæ laxarentur, & filius iniquitatis ex Ecclesia & in Ecclesia dei regnum suum erigeret, satelliteſque suos, quos clerum, id est, domini sortem & patrimonium, interpretabatur, toti orbi imponeret, Reges omnes suo poculo inebriaret, & sibi subjiceret, ut supra omne quod Deus dicitur (nam Reges dii

(a) Vid. D. 13. § 1. in fin.

à domino *(a)* dicuntur) & ſupra omne quod colitur tandem elevaretur: ut his ſexcentis præteritis annis evidenter omnium oculis expoſitum. Tanta tamen caligo animos hebetaverat, ut per eam Antichriſtum non licuit intueri; Et quoniam, ut ait Satyricus,

Nemo repente fuit turpiſſimus,

paulatim & ſenſim meditatus eſt, ut ſub ſpecie religionis toti orbi imponeret.

2. Nam primùm Eccleſiaſticas perſonas & omnes clericali notâ inſignitos, à Regum & dominorum ſuorùm poteſtate & juriſdictione eximi curavit; indignum clamitans ut qui in ſacroſancto patrimonio domini erant, Laicorum, id eſt, profanorum hominum manibus & poteſtati ſubjicerentur. Nam antea non minus de Clero, quàm de aliis ſuis hominibus Reges cognoſcebant. Quo autem tempore in aliis regnis à judicio ſeculari (ut vocant) exempti ſunt, deſcribere, ejus eſſet qui otio abundaret: in noſtra verò Britannia non niſi ab Henrico II. Angliæ Rege potuit Pontifex illud obtinere. Nam totius controverſiæ quæ inter Henricum & ſeditioſiſſimum illum Thomam Beketum Archiepiſcopum Cantuarienſem interceſſerat, maximum & præcipuum hoc erat caput, quòd cum Rex vellet Presbyteros, Diaconos, & alios Eccleſiæ rectores (ſi comprehenſi fuiſſent in aliquo gravi delicto) ducere ad ſua & ſecularia examina, & de crimine cognoſcere, ſicut de laicis & aliis ſubditis fieri ſolebat: reſtitit Archiepiſcopus, aſſerens, nullum in ſacris ordinibus conſtitutum, niſi per viros Eccleſiaſticos & in curia Eccleſiaſtica judicari & puniri debere. Et hæc prima illius contentionis cauſa erat *(b)*. Nam cùm Rex juriſdictionem ſuam minui nollet, & recordatio ſive memoria facta eſſet omnium libertatum Regiarum & conſuetudinum in Eccleſia Anglicana, Thomas Cantuarienſis acerrimè reſtitit, & omnes ejus obſervatores excommunicavit *(c)*. Sed cum Rex nullum in regno pateretur eximi, & Pontificii acriter obſiſterent, factum eſt ut tandem Cantuarienſis exularet: cujus cum patrocinium Pontifex ſuſcepiſſet, uſque adeo exarſit Henricus in Pontificem Romanum, ut omnes à puero duodecim annorum ad ſenem in Anglia eum ejurare coegerit *(d)*. Inde Henrico Rege excommunicato regnum Angliæ interdicto ſubjectum. Itaque coactus Henricus, cum ab omnibus execrabilis & odioſus haberetur, Thomam ab exilio revocavit, & ſedi ſuæ reſtituit. Sed cum is in veteri pertinacia obſtinatus perſiſteret, nec Regis juriſdictionem vellet agnoſcere, a Regiis ſatellitibus interfectus; à Pontifice verò in Divorum numerum relatus, cum martyrii gloria, quòd Pontificium ordinem tam ſtrenuè & acriter contra Regis potentiam defendiſſet, & ſanguine ſuo etiam ſignaſſet: nec potuit unquam Henricus rurſus excommunicatus abſolutionem à Pontifice impetrare, donec & ſe de crimine jurejurando purgaſſet, & Eccleſiaſtico ordini exemptionem à judiciis ſecularibus ſive laicis conceſſiſſet. Acta erant hæc inter annum domini 1164 & annum domini 1172.

3. At Richardus ejus filius, cum regalia majorum ſuorum privilegia retinere vellet, & tamen Pontificis fulmen metueret; edicto ſtatuit ne Clerici ullatenus à ſecularibus & laicis poteſtatibus caperentur, ſicut conſueverunt, niſi pro homicidio, furto, incendio, & ejuſmodi gravioribus delictis. Coactus tamen & ipſe eſt jus ſuum in his etiam remittere. Sic in Britannia ſuper Eccleſiaſticis perſonis intercepta eſt Regalis auctoritas & juriſdictio, contra illud Apoſtoli *(e)*, *omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubdita ſit*, *Regibus propter excellentiam*, &c. Hujus autem exemptionis hic effectus erat, ut à Laicorum poteſtate exempti, impunitatem etiam conſequerentur, tot appellationibus interpoſitis, etiam tandem ad ipſum Romanum Pontificem, ubi veniæ locus, vel ob gratiam, vel pecuniam, ſemper erat.

4. Jam ubi Pontifex & ſe & ſuos ab omni Laicorum juriſdictione liberos & immunes videret, & nihil eſſe quod ab eis poſſet timeri, ſenſim in majorem ſuperbiam elatus,

(a) Pſal. lxxxii. 6. (b) Rog. Hovedenus in Hen. II. (c) Matth. Weſtmonaſt. in Hen. II. (d) Id. ibid. (e) Rom. xiii. 1. 1 Tim. cap. ii. 1, 2. 1 Pet. cap. ii. 13. Act. Apoſt. cap. xxv. 10.

elatus, nec æquari contentus, omnes terrarum Reges sibi subjicere non irrito incepto conatus est. Cœlestinus enim Papa Henrici quinti (cùm Romam ut coronaretur venisset) capiti coronam suis manibus imposuit, & rursus pede è capite excussit *(a)*, ingeminans illud Pilati; *potestatem habeo crucifigendi te, & potestatem habeo dimittendi (b)*. Fridericum Ænobarbum graviter increpuit, quòd ei equum ascensuro stapedam sellæ (ut vocant) dextram pro sinistra exhibuisset; nihil veritus primariam illam potestatem, ad hæc officia insolentem. Alexander II. Pontifex Fridericum I. Imperatorem clarissimum ante se humiliter prostratum non dubitavit conculcare, pede ejus cervici imposito, cum elogio Psalmistæ *(c) super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.*

Dandalum Ducem Venetorum, dum ipse ad mensam epularetur, more canino manibus & pedibus ambulare & rodere ossa sub mensa jacentia coegit. Nec quievit Pontifex, donec sibi quasi domino suo, Otho Imperator, pro se & successoribus juramentum fidelitatis, quale vasallus domino, præstaret. Extat ejus forma in Decreto *(d)*. Et planè ut jus illud constituat, clerum auro, laicos plumbo, Pontificem Soli, Imperatorem Lunæ comparat; eumque ex Pontificis judicio & auctoritate pendere, in illo ipso decreto ait, & proinde debere Cæsarem caput semper Pontificibus inclinare. Immò nec his contentus, Imperatorem sede suâ deturbandi potestatem usurpavit, & in legem deduxit; idque ut ex sua solius potestate, sine consilio fratrum suorum, facto super hoc Canone, sive constitutione. Immò nec electionem permisit, nec ex electione Imperatorem fieri, factâ constitutione, declaravit, nisi ad se Romam veniret, juramentum fidelitatis præstet, & coronam accipiat *(e)*. Sic subjecit sibi Romanum imperium & pessumdedit.

5. Nec interea in aliis regnis minus ausus, è regia Francorum sede Childerico dejecto Pipinum coronavit, eique & ejus posteris sceptra florentissimi regni attribuit; & quanquam frustra sæpius tentasset Regem Francorum in conditionem vasalli Romanæ Ecclesiæ redigere, ne quicquam tamen promovit, cum ejus regni Ordines ad Regis sui dignitatem contra tyrannidem Pontificiam conspirâsse animadvertisset: tamen jura servanda obtrusit. Hoc unicum penè è Christiani orbis regnis, præter hoc nostrum, ejus lanienam evasit.

6. Hispania in decem aut duodecem regna divisa nondum in eam magnitudinem quàm hodiè videmus coaluerat; sed per partes eam Pontifex invaserat. Nam Arragoniam non solum sibi tanquam domino superiori subjecit, sed etiam ærariam fecit. Accessit & Castellæ regnum; tandem & Lusitaniæ. Postquam Henricus Rex, quinque Maurorum Regibus in acie cæsis, Regium nomen assumpserat, Granatæ regnum etiam in fidelitatem Romano Pontifici subjecit. Ferdinandus & Isabella Reges Arragoniæ & Castellæ, & antè Balearum Insularum majoris & minoris Reges Pontificem dominum agnoverant. Post in ejus ditionem Arragonienses Reges sub eadem conditione hominii Pontifici maximo præstandi concesserunt. Navarræ regnum, licet sibi prius vasallum, Ferdinando tribuit, Joanne dejecto vero herede.

Hoc nostro seculo, Bohemiæ, Corsicæ, Sardiniæ, Neapolis, Siciliæ, Poloniæ, & Hungariæ Reges clientes se Pontificii imperii testati sunt. Supererat utraque Britannia, major, & minor quæ Hibernia dicitur. Major duo Regna Angliæ & Scotiæ continet. Horum alterum, nempè Angliam cum Hibernia, Joannes Rex, execrabilis factus, sive excommunicatus, ob horrendam sui nepotis Arthuri cædem, cum aliter veniam desperaret, Pontifici Romano non solùm clientelare subjecit, sed etiam ærarium fecit.

In ea epistola quàm Henrico II. Anglorum Regi scripsit, dum ei Hiberniam invadendam permittit, splendidissimè finxit, dominium omnium insularum, quibus sol Justitiæ Christus illuxit, ad patrimonium Beati Petri pertinere. Hæc omnia ex ipsis historiis sunt clarissima, & Bodinus catalogum Regum, qui clientelarem fi-

(*a*) Anno dom. 1191. Hovedenus in Richardo rege. (*b*) Joan. cap. xix. 10. (*c*) Psal. xci. 13. (*d*) Can. Tibi dom. 33. dist. 63. & Clement. de jurejurand. cap. unic. (*e*) Can. Duo sunt, 10. dist. 96. Can. Valentin. 3. dist. 63. Ad Apost. de sent. & re judicata in 6. Clem. de jurejurand.

duciam Romano Pontifici debebant, deſcripſit, veriſſimiſque teſtimoniis confirmavit *(a)*. Nec mihi illud eſſet difficilè, niſi hiſtoriam rerum à Pontificibus impiè geſtarum longum eſſet contexere. Illud tantùm ad noſtrum inſtitutum pertinet, ſi Pontificem Romanum in Eccleſia Dei & hominum omnium conſcientiis miſerrimam tyrannidem erexiſſe, reliquoſque omnes Chriſtianos Principes orbis præter Gallum & Scotum ſuo imperio ſubjeciſſe, legeſque in quas jurarent præſcripſiſſe, confirmavero.

7. Deerant huic Eccleſiaſtico imperio adhuc duo, nempè leges quibus tantum gubernaretur imperium, & earum executio. Quod ad leges attinet, jus Canonicum formari & excudi à ſuis hominibus curavit, ut earum vi imperium ſibi undique ſtabiliret. Hujus Juris Canonici hæ ſunt partes:

8. *Decretum*, quod ab Jvone Carnutenſi Epiſcopo originem traxit. Is enim primus erat qui Decretum conſcripſerat, quo etiam in ſcholis utebantur Pontificii ante Gratianum. Sed Gratianus, cum multa Jvonis Decreto abeſſe videret, eſſetque, ut ea ferebant tempora, non indoctus, & Romanæ Eccleſiæ ſupra quam par erat addictus, novum Decreti corpus, ut loquuntur, formare inſtituit. Fuit Gratianus Monachus Sancti Felicis Bononienſis, ordinis S. Benedicti, qui cum maximam ſibi ſcripturarum cognitionem arrogaret, & diligentiſſimus eſſet in patrum ſententiis & opinionibus corrogandis & congerendis, multum conciliis non ſolùm œcumenicis ſed etiam provincialibus tribuebat. Itaque ex eorum ſententiis farraginem conſarcinavit, ad Eccleſiæ (ut ille putabat) utilitatem & gubernationem valdè commodam. Sed profectò, dum Romanæ Eccleſiæ dignitati promovendæ plus æquo faveret, multa patrum loca corrupit, multa mutila citavit, denique non integrâ fide in hoc libro uſus, ſæpe etiam judicio caruiſſe à pleriſque meritò notatur. Eſt ſanè Decreti liber ad ſimilitudinem Pandectarum conſcriptus. Illæ enim ex veterum Juriſconſultorum opinionibus collectis operâ & induſtriâ Triboniani coaluerunt. Sic & Decreti liber, ex patrum, & poſteriorum Doctorum, & Romanorum Pontificum, denique Conciliorum ſententiis aliquando violenter diſtortis conflatus. Floruit autem Gratianus circa annum domini 1100. declinante jam religionis puritate, & Romanæ ſive Latinæ Eccleſiæ dignitate jam creſcente, donec in eam magnitudinem pervenerat, quam ipſi ante aliquot annos vidimus. Neque tamen Gratiani Decretum à pleriſque juris auctoritatem habere videtur; immò & ipſi Jeſuitæ hodie non magni faciunt, & ejus fidem elevant, dum multa in eo contineri videant, quæ Romanæ Eccleſiæ nocent, & errores, plus quàm eorum ſectæ conveniat, detegant. Sed profectò juris Canonici Profeſſores, illud pro auctoritate in ſcholis ſæpe producunt, & ab Eugenio tertio Pontifice maximo juris auctoritatem accepiſſe tradunt, quemadmodum & liber Pandectarum à Juſtiniano. Alii, ut ea, quæ ab opinione communi abhorrent, ſecernerent, *Paleæ* nomine inſigniverunt. Et hæc de Decreto Gratiani.

9. *Decretales*, ſive *decretalium Epiſtolarum* liber, à Gregorio nono Romano Pontifice ad imitationem Codicis Juſtiniani compoſitus eſt. Nam ut ille ex diverſorum Imperatorum reſcriptis, ſic & hic ex epiſtolis Pontificum decretalibus, id eſt, quæ vim & auctoritatem decreti, ſive ſententiæ Eccleſiaſticæ haberent, librum contexuit. Gregorius enim, cum prædeceſſorum ſuorum epiſtolas in unum volumen reducere vellet, ut ſtudioſorum juris Canonici utilitati conſuleret, operâ Raimundi, Capellani & Pœnitentiarii ſui, ut Juſtinianus Triboniani uſus, in certos titulos diſtinxit, & quinque libros earum confecit: In quorum primo de officiis & miniſtris Eccleſiæ; in ſecundo de judiciis & probationibus; In tertio de vita & honeſtate clericorum; in Quarto de matrimoniis; In quinto de delictis & accuſationibus clericorum tractat: unde ad memoriam verſus hi inconditi extant.

Pars prior officia parat, Eccleſiæque miniſtros,
Altera dat teſtes & cætera Judiciorum,

Tertia

(a) Lib. 1. c. 9. de repub.

Tertia de rebus & vita Presbyterorum,
Quarta docet quales ſunt nexus conjugiorum,
Ultima de vitiis & pœnis tractat eorum.

Sunt qui breviùs uno verſu & quinque verbis has quinque partes comprehendant,

Judex, judicium, Clerus, ſponſalia, crimen.

Decretalium itaque liber circa annum 1230 conſcriptus eſt, ut Hovedenus (*a*) tamen ait, anno 1235, qui ut ſemel in lucem prodiit, vulgare hoc erat de eo & populare judicium; *Poſtquam decreta habuerunt alas, totus mundus fuit conturbatus.*

10. Sed cum præter eas *Decretales Epiſtolas*, quæ his quinque libris continebantur, nonnullæ tam ab ipſo Gregorio, quàm ab aliis Pontificibus, decretales Epiſtolæ emanaſſent, de quarum auctoritate dubitabatur, Bonifacius octavus, (qui in Romanam ſedem anno domini 1294 evectus eſt, de quo illud vulgatum extat, *Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus eſt ut canis*) ut omnem controverſiam tolleret, ſextum Decretalium Epiſtolarum librum compoſuit, operâ in his uſus Gulielmi Epiſcopi Elendunenſis, Berengari Epiſcopi Biterenſis, & Ricardi de Senis, Romanæ Eccleſiæ Vice-cancellarii; & hunc ſextum librum in quinque libros ſubdiviſit, ut unuſquiſque liber uni Decretalium libro reſponderet, & ejus defectus, ſi qui eſſent, ſuppleret. Nam quæ in libro primo Decretalium tractantur, eadem in primo ſexti; quæ in in ſecundo Decretalium, in ſecundo ſexti, & ita deinceps, ut quiſque liber alteri vice prætermiſſorum aut ſaltem additionum inſerviret.

11. Sed his finibus jus canonicum non conſtitit; ſubſequutus eum Clemens quintus, qui & ſuarum decretalium Epiſtolarum librum compoſuit in concilio Viennenſi; quem & ipſe in quinque libros ſubdiviſit, ut ex ordine etiam quinque libris Decretalium reſponderent: viz. ut primus primo libro Decretalium, ſecundus ſecundo quoad materiam, tertius tertio, quartus quarto, & quintus quinto, reſponderet. Hic erat ille Clemens qui ſedem Romanam Avenionem tranſtulit anno 1306, ubi ſeptuaginta duos annos commorata eſt: & auctor fuit illius in Romana Eccleſia ſchiſmatis, quod totam Europam perculit. Alii enim Reges Clementem, alii Urbanum ſequebantur, diviſaque in ſe fuit Romana Eccleſia; nec ſatis ſciebant Europæi Reges cui Pontifici parendum eſſet. Fuit & hic Clemens innumerarum cladium in Italia auctor; adeo ut omnes Romanæ Eccleſiæ & templa penè ſitu corruerent, Templariorum ordinem, cum Philippo Francorum Rege conſpiratione factâ, in concilio Viennenſi ſuſtulit, hæreſeos & confœderationis cum Saracenis eos inſimulans, revera tamen eorum divitiis inhians, quas & poſtea cum Francorum Rege partitus eſt. Hunc tamen Decretalium Epiſtolarum librum, quæ hodie *Clementinæ* dicuntur, Clemens ipſe abſolvere non potuit, dum vixit: obiit, ut plerique volunt, fraude Florentinorum, qui Monachum quendam præmiis & pollicitationibus induxerant, ut Euchariſtiam veneno illitam illi præberet, ut in vita Clementis, illius libro præfixa, manifeſtum eſt. Ejuſdem tempore optimus Imperator Henricus VII. veneno Euchariſtiæ immiſto ſublatus eſt. Et anno domini 1154 (*b*) Gulielmus Eboracenſis Archiepiſcopus in perceptione Euchariſtiæ veneno tinctæ interemptus eſt. Adeò ut quod in his primariis viris & Principibus factum eſt, ad alios perveniſſe veriſimile ſit, licet ſilentio ſepulti ſunt; ita ut hæc inſtitutio ſalutaris Euchariſtiæ, nefariorum hominum conſpiratione, multis cauſa interitûs eſſet, quod cum tranſubſtantiatione parum convenire videtur. Hunc ſequutus eſt Joannes vigeſimus ſecundus, qui anteceſſoris ſui veſtigiis inhærens, eum librum *Clementinarum* edidit, ut in præfatione Clementinarum continetur, & in ſcholis prælegendum publicè propoſuit: & hic quartus eſt Juris Canonici liber.

12. Hic Joannes vigeſimus ſecundus ut prædeceſſoris ſui gloriæ favit, ſic & ipſe ejuſdem particeps eſſe cupiens, *Extravagantium* librum compoſuit. Et ne hîc

(*a*) In Hen. 3. (*b*) Bodin. in Hen. 2.

imitatio deeſſet, poſt libros Feudorum, Extravagantes quædam ſunt Imperatorum conſtitutiones, veluti Friderici & Henrici. Ad harum imitationem & ipſe aliquot Decretales ſententias ſeu Epiſtolas compoſuit, quas *Extravagantes* dici voluit, quod extra corpus ipſum juris Canonici vagarentur. Sunt igitur duplices Extravagantes, aliæ quæ Joannis XXII. dicuntur, aliæ communes. Quod ad eas quæ Joanni XXII. adſcribuntur, quia libris diſtingui non poterant, titulis diſtinguuntur; & ordinem librorum Decretalium eas ſequi facile apparet cuivis diligenter intuenti. Communes, quæ aliorum Pontificum erant, & in quinque libros dividuntur, ita ut unuſquiſque liber, ejuſdem originis libro Decretalium primarum reſpondeat, *viz.* ut primus primo, ſecundus ſecundo & ita deinceps. Quartus deeſt, cum nihil in his Extravagantibus de ſponſalibus & matrimoniis caveatur, quæ propria libri 4. materia. Hic eſt ille Joannes XXII. qui cum ſedes duos annos vacâſſet ad nominandum Pontificem delectus, ſeipſum nominavit; & cum pleraſque conſtitutiones lucri ſui cauſâ conſtituiſſet, præcipuè Extravagantem illam famoſam (*Execrabilis*;) tantum auri congeſſit, ut viginti duo milliones poſt ſe moriens in theſauro Pontificio reliquerit.

De fide harum Extravagantium & quam auctoritatem in judiciis habere debeant, acriter aliquando controvertebatur inter interpretes. Nam ſunt qui omnino iis auctoritatem adſcribant: alii non niſi forma authentica producantur ſub plumbo; alii ne tum quidem, alii plus minus: ſed profectò meo judicio non minor & eſt & eſſe debet earum auctoritas quàm ipſarum Decretalium. Hi ſunt Codices qui in jure Pontificio auctoritatem habent.

13. Supereſt liber *Regularum Cancellariæ*. Eas regulas cum in judicio allegatas viderim pro auctoritate, dubitare cœpi de earum vi & poteſtate. Sunt ſanè ex quibuſdam Papalibus conſtitutionibus collectæ & iis valde recentibus, ſed non ut in toto orbe pro legibus & canonibus habeantur; ſed tantum ut in curia Romana eis locus eſſet, & ipſe Ludovicus Comes, qui in has regulas commentarios ſcripſit, locum non habere putat extra curiam Romanam. Alii conſtitutiones has generales non putant, neque perpetuas, ſed Pontifice intereunte interire, & à ſequenti Pontifice etiam tacente tolli & derogari. Nam plerique tenent non ſolùm privilegia, ſed nec leges aut edicta mortuo Principe vim ſuam retinere, niſi à ſequenti Principe confirmentur. In Francia non habent locum hæ Regulæ, niſi quatenus leges regni factæ ſunt, & tum auctoritatem à legibus capiunt, ut vult Guido Papæ. Nam ex Regulis Cancellariæ aliquot in album legum Galliæ ſunt relatæ; quales ſunt illæ de triennali poſſeſſore, de infirmis reſignantibus, de veriſimili notitia, & aliquot aliæ.

14. Quod ad *Deciſiones rotæ* attinet, quæ Regulis Cancellariæ ſunt poſteriores, non magis auctoritatem juris, aut rerum judicatarum habent, quam arreſta ſenatûs Pariſienſis, aut Tholoſæ aut ſimilium ſenatuum; nec tenetur judex Eccleſiaſticus ſecundum eas judicare: tamen propter magnam virorum graviſſimorum, qui rotæ auditores conſtituuntur, auctoritatem, multum in dijudicandis quæſtionibus proſunt, & ad confirmanda partium jura, non tamen ut vim Canonum habeant.

15. Jam de ſubjecto hujus Juris Canonici, materiaque circa quam verſatur aliquid dicendum. Cum terræ omnes ſub aliorum Principum ditione eſſent, ipſeque Pontifex maximus à Germanis Cæſaribus, minores Pontifices à ſuis quiſque Regibus & Principibus deſignarentur (ut etiam ex ipſo jure Canonico *(a)* conſtat) non ceſſavit Pontifex maximus cum Germanis Cæſaribus colluctari, donec ei electionem ſuam extorſiſſet *(b)*, & Cardinalium collegio à ſe inſtituto tribuiſſet *(c)*. Primus Fridericus ſecundus coactus publico diplomate cavere, jus ſibi nullum creandorum Epiſcoporum aut ipſius Pontificis eſſe. Nec his contentus Pontifex, & aliarum Eccleſiarum præſentationes & electiones (dejectis Regibus ad quos priùs pertinebant) ſibi arrogare cœpit, & ut Cæſares Germani in id conſentirent effecit. Nam Henricus quintus pro ſalute animæ ſuæ conceſſit Petro & Paulo & Sanctæ Eccleſiæ catholicæ

(a) Can. 22, 23. Diſt. 63. (b) D. 4. § 8. (c) D. 13. § 6.

tholicæ omnium Eccleſiarum inveſtituram, & canonicam in omnibus Eccleſiis electionem. Ludovicus Bavarus, & Carolus IV. quibus ſolùm relicta erat pro præſentatione commendatio, quos, ut eligerentur, Pontifici commendarent, ad Papam ſcribere ſoliti, poſt *beatorum pedum oſcula*, qui mos ſcribendi ab omnibus poſtea Principibus uſurpatus. Is non potuit id omninò in Gallia ſive Scotia efficere; nam pertinaciùs jus ad Eccleſias præſentandi utriuſque regni Principes tutati ſunt, ut ex pragmatica ſanctione *(a)*, & pleriſque publicorum apud nos Comitiorum actis conſtat *(b)*. In Anglia pertinaciſſimè reſtitit Henricus ſecundus, quique eum Reges præceſſerant. At Joannes filius ejus, poſt immaniſſimum parricidium in ejus dominum & nepotem Arthurum commiſſum, cum diris publicè devotus & excommunicatus eſſet, & ab omnibus tanquam ſceleſtus declinaretur, ut turbatam conſcientiam levare aliquatenus poſſet, ſe Pontifici Romano ſubjecit, & ex liberrimo regno & domina, ancillam (ut aiunt Hiſtorici Angliæ) fecit: nec ad pacem Eccleſiæ receptus, donec omnium in ſuo regno Eccleſiarum præſentationem & electionem exuiſſet, & Pandulpho domini Papæ legato ejus nomine tribuiſſet. Sic omnium Eccleſiarum & ſacrorum Pontifex dominus effectus, in eas & circa eas primum ſuam juriſdictionem inſtituit, nempè ut juriſdictio in omnium perſonas, quæ ad Eccleſiarum curam promoverentur, ad ſe & ſuos pertineret. Et ſic omnis quæſtio decimarum & redituum Eccleſiaſticorum, quibus Eccleſiaſticæ perſonæ alebantur, in Pontificiam juriſdictionem & poteſtatem conceſſerant.

16. Succeſſerat ſecundò etiam teſtamentorum & ultimarum voluntatum cognitio. Nam cum antiquitùs pupillares pecuniæ in Eccleſiis reconderentur, & Epiſcoporum fidei concrederentur *(c)*, ex ea quam vulgus tum de eis conceperat opinione; & in eo articulo animarum etiam cura præſentiam Eccleſiaſticæ & eruditæ perſonæ poſtularet, & teſtamenta inter pias cauſas numerarentur: factum tandem eſt ut omnis de teſtamentis & ultimis voluntatibus, aut circa teſtamenta (veluti funerum quæſtio) [*cognitio*] & interpretatio ad forum Eccleſiaſticum devolveretur; conniventibus ad hoc Principibus, cum quid ſibi decederet, ignorarent. Et ex his ultimis voluntatibus maximorum commodorum acceſſiones Pontificiis accreverant.

17. Tertiò, cum matrimonium ab eis ſacramentum diceretur, nec æquum eſſet ſacramenta laicorum manibus profanari, aut eorum cognitioni ſubjici, de ſponſalibus, matrimoniis, de dote, & donatione propter nuptias, de divortiis, de liberis legitimis, & non legitimis, cognitionem ad ſe pertraxerunt. Neque inde levis acceſſio eorum juriſdictioni facta eſt: graviſſimas enim quæſtiones de ſucceſſionibus hæ diſputationes ſecum ferebant, & plerumque Principum aulas tangebant, unde & Principibus ſæpe fræna à Pontificiis injecta. Primus Richardus Anglorum Rex, qui & Cor Leonis dictus, quæſtiones de dote, donatione propter nuptias, & cauſas omnes matrimoniales edicto publico Eccleſiaſtico foro permiſit anno 1190 *(d)*. Cum tamen tempore Henrici II. ejus patris placita de dote & donatione propter nuptias ad curiam domini Regis pertinerent, ut Ranulphus de Glanvilla annotavit *(e)*.

18. Quartò, ſub jurisjurandi ſpecie omnium litium & judiciorum cognitionem vendicabant. Nam in reciprocis contractibus & omnibus obligationibus clauſulam jurisjurandi apponi curaverant, ut nos hodie clauſulam regiſtrationis in libris Concilii ſolemus apponere, ut cauſæ diſputationem ad ſenatum trahamus. Ubi autem hæc clauſula jurisjurandi inſerebatur, continuò judex Eccleſiaſticus cognitionem ad ſe trahebat, prætendens partes in id conſenſiſſe, & jurisjurandi religionem ſolum Deum habere ultorem, cujus vicarius in terris eſt Pontifex maximus, & qui ab eo poteſtatem delegatam habebant. Et ille idem Richardus Rex Angliæ anno ſupra memorato omnes quæſtiones de læſa fide & juramenti tranſgreſſione ad Eccleſiaſticam juriſdictionem remitti curavit *(f)*.

(*a*) De qua vid. hiſt. Gilberti Burneti *Of the Rights of Princes in the diſpoſing of Eccleſiaſtical Benefices.* (*b*) Cap. 13. Parl. 1. & cap. 48. Parl. 3. Jac. I. cap. 85. Parl. 11. Jac. III. cap. 4. Parl. 1. cap. 38. Parl. 4. & cap. 53. Parl. 5. Jac. IV. cap. 119. Parl. 7. Jac. V. cap. 2. Parl. 1. Jac. VI. (*c*) L. 30. C. de Epiſcop. audient. (*d*) Matth. Pariſ. in Richard. I. (*e*) C. 3. lib. de legibus & conſuetud. Angliæ. (*f*) Matth. Pariſ. in Richard. I.

19. Creſcente deinde verſutiâ Pontificiorum, alias cauſas & cognitiones ad ſe transferebant: nempe cum orphani, viduæ, aut quævis miſerabiles perſonæ agebant aut defendebant. Nam ut Imperatores aliquando eas quæſtiones ſolebant ad ſe evocare, ſic Pontifices hac occaſione juriſdictionem ſuam latiſſimè prorogarunt. Denique ubicunque cauſa aliqua curam animarum aut pietatem redolebat, ibi continuò Eccleſiaſtici, & ii ſoli involabant ſub pietatis ſpecie, & omnia ad ſe trahebant. Inde non minor eorum juriſdictio in omnibus regnis facta, quàm ipſorum Principum, in quorum patrimonio hæc ipſa regna erant: & ſic ſenſim & latenter meliorem partem regni, rerumque in eo contentarum ſuæ poteſtati & ditioni ſubjecerunt.

20. Executio hujus juris, pœnæ, & mulctæ difficiliores erant. Nam cum omnes provinciæ, quibus Pontifex imperabat, ſub aliorum imperio tenerentur, & bonorum publicatio, proſcriptio, ſupplicium mortis ad eos in cauſis criminalibus pertinerent; in civilibus autem apparitores, & accenſi non niſi Regum & dominorum ſuorum mandata agnoſcerent: Pontifices novam executionem commenti ſunt, non tantùm ut ea in ſuos Clericos & ſubditos uterentur, ſed etiam in laicos ſeu profanum ut dici voluerunt vulgus, nempe Excommunicationis fulmen *(a)*; quo adeò miſeras hominum mentes excarnificabant, ut quidvis mallent pati, quàm excommunicationi Eccleſiaſticæ ſive interdicto ſubjici. Hujus autem excommunicationis ea vis erat, ut ſi ſententiæ Pontificiæ quis non pareret, continuò cœtu Chriſtianorum ejiciebatur, execrabilis omnibus denunciabatur; adeò ut neque ſacris publicis intereſſe, nec ad ſacramenta participanda admitti poſſet, immò ne communis ſepulturæ honore frui. Si Rex peccaret in Pontificem, totum regnum interdicto Eccleſiaſtico ſubjiciebatur, ſubditi ſacramento fidelitatis abſolvebantur, novumque Regem refractario illi ſubrogare cogebantur; regnum prædæ expoſitum cuicunque occupanti, ut regnum Navarræ hoc penè ſeculo vidimus; adeoque populo ſuo Rex exoſus erat, ut ei occurrere, ominoſum; ſalutare, nefas; parere, anathema eſſet, quòd æternam damnationem mereretur.

21. Nonnunquam & excommunicatio ad totum populum extendebatur. Nam tempore quo Conquæſtor, ut vult Hovedenus *(b)*, regnavit, cum ſacerdotes uxorati eſſent, nec ullis comminationibus Pontificiis, imò nec ipſo fulmine excommunicationis à latere Papali librato, poterant induci, ut eas dimitterent; regnum Angliæ univerſum Hildebrandus, qui & Gregorius VII. Pontifex interdicto ſubjecit, ſi quis ſacerdotis uxorati miſſam audiret, aut ſacris intereſſet *(c)*: & interdicto id obtinuerant Pontifices, quod nullis diris aut execrationibus antea poterant efficere, ut ſacerdotes & Eccleſiaſticus ordo uxores ſuas dimitterent. Immò ipſi Reges, qui nullum in terra, niſi terræ Creatorem majorem agnoſcunt, huic executioni ſeu execrationi ſubſerviebant. Nam quemcunque Pontifex aut Pontificii fulmine illo percuſſerant, niſi intra 40. dies, is abſolutionem (quam vocant) ab hac excommunicatione impetraſſet, in ejus bona involabant, & fiſco ſuo adſcribebant. Et ſic juris Pontificii executio, non tantùm metum, ſed horrorem etiam in conſcientiis hominum induxerat, ne ſi fortè excommunicati, & ſtante contra eos ſententiâ ſubito caſu interirent, ab omni ſalutis æternæ ſpe exciderent. Sic jus Pontificium natum, altum, & educatum, conſummatum tandem eſt, & graviſſimis pœnis ſancitum & ſtabilitum, non in rebus moventibus ſive non moventibus, ſed in conſcientiis hominum, quas lancinari aut vellicari nemo bonus libenter patitur.

22. Dignitas autem hujus juris Canonici, tanta ubique terrarum erat, ut non tantùm juri Civili, ſed etiam patriis cujuſque regni legibus præponeretur. Nam patriæ leges, ſive patrium jus, tantùm in rebus, quas temporales dicebant, & earum adminiſtratione verſabatur; at hoc jus in conſcientiis hominum regnabat, quantoque animarum cura rebus temporalibus præferenda, tanto jus hoc patriis legibus excellentius, & ipſe Pontifex omnibus Chriſtiani orbis Principibus eminentior (ut

(a) D. 13. § 1. (b) Hoved. in vita Guliel. ſenioris. (c) Licet jure Decret. concub. habere licebat per C. Is qui 4. &, Chriſtiano 5. diſt. 34.

(ut antea docui *(a)*) non ſolùm Cæſari & omnibus Regibus ſuperiorem ſe conſtituit, ſed Angelis etiam imperare præſumpſerat, ut de Clemente VI. legitur *(b)*: & proinde ejus vis fortius conſcientias hominum alligabat, donec hoc ſeculo fraudes & calumniæ tandem per præcones evangelii detectæ ſunt.

23. Sed operæ pretium erit, quid ipſi Canoniſtæ de hoc ſuo Pontificio jure ſenſerint ſubjicere. Henricus Cardinalis Hoſtienſis juris illius Monarcha, in ſua eximia, copioſa, & admiranda lectura, (ſic enim ejus libri inſcribuntur) in quinque libros Decretalium, dum de dignitate hujus juris Pontificii tractat, illud cum jure divino & Civili comparat. Nam jus Divinum, quod Theologiam puram definit, ſcientiam hominum Angelicorum vocat; Civilem, ſcientiam hominum beſtialium; Canonicum, humanorum *(c)*. Jam hoc poſito fundamento, jus Divinum eſſe purum, ut & jus Civile aſſerit; Canonicum autem compoſitum ex jure Divino & Civili; latè diſputat compoſitam naturam præferendam ſimplici & puræ, ut vita activa contemplativæ, & proinde jus Canonicum præferendum: unde infert, Ideo vincit legem Moſis & ei præponitur, quod aliquot textibus confirmat *(d)*; vincit etiam ſcientiam Civilem, quæ ſimplex eſt humana; ſicut natura mulina compoſita eſt ex equina & aſinina. Nam ut conſtat quidem, Theologia tanquam dignior, equina natura dicitur; Civilis aſinina; & Canonica Mulina, id eſt, ex utroque mixta: abſtinet tamen, ne apertè in horrendam blaſphemiam incidat, à concludendo; licet tota illa diſputatio nihil aliud intendat, quàm ut naturam compoſitam, ut mulinam, puræ & ſimplici naturæ, ut equinæ, quam Theologiam dicit, vel aſininæ, quam Civilem ſcientiam vocat, anteponat *(e)*. Non dubito quin eadem argumenti formâ Papam Deo ipſo ſuperiorem potuit concludere, quod & verisimile eſt eum ſenſiſſe, licet callide propter motum populi, & ne Antichriſtus ante ſua tempora detegeretur, diſſimulet. Sanè multi Pontificii Deum eum eſſe in terris ſcripſerunt, & ulterius provecti, quicquid Deus in cœlo poterat, hoc Papam poſſe in terra, non dubitant aſſerere.

24. Hujus ſanè juris Pontificii magna adhuc (licet jugum Pontificium excuſſerimus) apud nos manet auctoritas *(f)*, adeò ut quoties à Civili jure diſſidet (ut ſæpe fit, extentque libri ſcripti de differentiis juris Civilis & Canonici) jus Canonicum præferamus, præcipue in iis quæ ad Eccleſiæ adminiſtrationem pertinent, & ubi ſcandalum imminet, aut (ut Canoniſtæ loquuntur) quoties animæ periculum verſatur, niſi quæ ſint ſanæ religioni contraria. Itaque quoties de adminiſtranda Eccleſia agitur, qui animarum curæ præficiendi ſunt, qui beneficiis, quibus beneficia debentur, de advocationibus Eccleſiarum, ſive de jure patronatus, de teſtamentis, de matrimonio, vel contrahendo vel diſſolvendo, qui legitimi cenſeantur, in his jus Pontificium, mutatis ſive antiquatis nonnullis, adhuc ſequimur. Et hæ quæſtiones ad judicem Eccleſiaſticum, nempe *Commiſſarios*, rejici ſolent, quoties occurrunt, qui & judices Chriſtianitatis, tam in veteribus Anglorum legibus, quam noſtris vocantur. Et hæc de juris Civilis & Canonici origine & incrementis.

De Feudorum Origine & Progreſſu.

Diegeſis quarta.

1. *Continuatio de origine & progreſſu hujus juris Feudalis, & qualiter jus hoc, ſuppreſſo jure Civili & Canonico, principatum in potentiſſimis Europæ regnis non ſolum occupaverit, ſed adhuc retineat, & quod ſit hujus regni proprium & peculiare jus.*

2. *Juris Feudalis origo, ex bellis, & jure gentium*

(a) § 1, 2. (b) Baleus in bulla Clementis VI. anno 1350. (c) In titulo de ſumma Trinit. & fide Cathol. Extra in verbo quaſi communem & in ſumma Hoſtien. ibid. (d) Diſt 1041. & præcipuè per c. venerabilem. Qui filii ſunt legitimi. (e) Hoſtienſis ſumma in præfat. Decretalium. (f) Vid. D. 4. § 13.

gentium introducta eſt, & ex dominorum in ſervos poteſtate, quæ apud gentes meridiem verſus durior.

3. *Apud Boreales gentes juſtior ſemper fuit & clementior, ut Tacitus deſcribit.*

4. *Septentrio officina gentium: unde juris Feudalis infantia, cum innumeræ gentes domi inopiâ rei famil aris preſſæ egrederentur, novas ſedes quærentes, regiones ex hoſtibus captas, militari more, inter ſe dividebant; fertiliſſima ſibi reſervantes, infertiliora colonis ſive comitibus permittebant: ſed ſub fiduciæ nomine; & ab his annuatim exigebant, quæ ad humanos uſus erant neceſſaria; ſed robuſtiores in comites aſſumebant, penſiones eis aſſignantes ex prædiis unde alerentur, aliquando ipſa prædia: ſemper tamen in dominorum arbitrio erat, quum vellent, aut ipſum prædium, aut penſionem ex prædio auferre: ſic eorum jus erat precarium. Aliud ſervire, aliud ſervum eſſe.*

5. *Feuda ex precario; pactionibus fiunt annalia, & vitalia: & hæc erant prima feudi cunabula.*

6. *Timmariæ apud Turcas Feudis non abſimiles. Huic Feudorum infantiæ tribuitur tempus à diluviis Aquilonarium gentium ad annum 650.*

7. *Pueritiæ juris Feudalis, quâ ſucceſſio ad filios, nondum ad nepotes ex filiis extendebatur, aſcribitur tempus ab anno ſalutis 650, ad 800.*

8. *Adoleſcentia juris Feudalis, quâ ſucceſſio ad nepotes & fratres, in feudo paterno extendebatur. Unde lex Salica. Guelphorum & Gibellinorum factiones.*

9. *Cum conceſſum eſt ut frater fratri ſuccederet, erat tantum in feudo paterno, non in feudo novo. Adoleſcentiæ juris Feudalis tempus aſſignatur ab anno 800, ad 1022. quo jus hoc mirum in modum adoleverat.*

10. *Quo tempore feuda cœperunt eſſe hereditaria. Ea primum in privilegia tantum, non in legem abierunt.*

11. *Sub Capetorum familia, poſt exactos Carolovingos, ſtatutum eſt apud Gallos, ut ſucceſſio in feudis eſſet perpetua in primo gradu.*

12. *Juris feudalis virilis ætas, in qua non ſolum fratres, ſed etiam patrueles, ſibi mutuò ſuccederent; mox ad collaterales in ſeptimo gradu, tandem non ſolum ad deſcendentes in perpetuum, ſed etiam ad collaterales in infinitum continuarentur.*

13. *Quomodo gradus conſanguinitatis, in jure Feudali, Civili, Canonico, & apud nos, numerantur.*

SUPEREST ut eiſdem veſtigiis inſiſtentes, etiam jus Feudale à ſua origine ad hæc uſque tempora deducamus, quibuſque modis & quo tempore in eam magnitudinem & dignitatem excreverit, ut ſuppreſſo pene jure Cæſareo & Pontificio, longoque intervallo poſt ſe relicto, in eo ſubjecto circa quod verſatur, juris ſibi principatum in potentiſſimis totius Europæ regnis occupaverit, & adhuc retineat *(a)*. Hoc jus Feudale, hujus noſtri regni proprium & peculiare jus eſſe, & ad quod in rebus dubiis decidendis ſit recurrendum, quoties de rebus immobilibus, id eſt, de hereditatis acquiſitione vel amiſſione agitur, contendo; & in hoc opuſculo veriſſimis rationibus me probaturum recipio: tantum, qui noſtræ opinioni adverſari videntur, judicium ſuſtineant, donec ea perlegant, quæ ad hujus propoſitionis confirmationem in hoc qualicunque opere produxero.

2. Ut igitur juris Feudalis ortum ab ipſo fonte repetamus, fuit dominorum in ſervos jus antiquiſſimum, & cum bellis & jure gentium introductum *(b)*. Sed non eadem dominorum & ſervorum apud omnes gentes conditio fuit: nam apud populos meridionales dura erat ſervitus, dominorum imperia gravia; quoque magis ad meridiem declinabant, ſervorum conditio fuit iniquior: in quos libera erat dominis vitæ & necis poteſtas; nihil illi quod ſuum, nihil quod proprium dici poſſet, habebant, & ad ergaſteria & piſtrina, id eſt, ad viliſſima & miſerrima miniſteria molendi & arandi pro dominorum arbitrio detrudebantur, dominos ſuis laboribus alere coacti. Inde dominorum majores opes & reditus, quemadmodum de Marco Craſſo legimus, qui exercitum ex laboribus ſervorum ſe alere poſſe prædicabat. Ab omni militia ſub pœna capitis arcebantur, ut indigni, *(c)* nili ſi quæ tempora incidiſſent,

(a) D. 6. § 7. (b) L. 4. ff. de juſtit. & jure. (c) L. ab omni 11. ff. de re milit.

incidiſſent, in quibus neceſſitas ſervorum operam expreſſiſſet; quemadmodum in ſecundo bello Punico à Romanis factum leginus *(a)*: alioqui ſervos domini ne quid in rempub. moliri poſſent, opificiis, & ſellulariis artibus impediebant.

3. Apud Boreales tamen gentes juſtior fuit ſemper ſervitus & clementior. Solebant enim ſervorum operâ domini tam in publica militia, quàm privatis inimicitiis ſuſtinendis uti; quum domi rara eſſet quies, rarior cum vicinis pax; & opera ruſtica domini vel per ſe exercerent, aut ſi in militiam proficiſci cogerentur, fœminis vel imbecillioribus mandarent. Hoc ex animorum diverſa indole & qualitate plerique promanare putant *(b)*, qui celeriores ingenii motus, majoremque ſubtilitatem in conſiliis & rebus inveniendis attribuunt iis, qui ſub cœlo & ſolo calidiore nati ſunt, quòd ibi purior & excoctior ſit aer; eoſdem tamen tradunt ſervire non invitos ſed lubentes; ſic Syri, Arabes, Phryges, pro mancipiis apud veteres erant: Borealibus verò (quia apud eos omnia in virtute militari poſita) animi magnitudinem ſervitutiſque impatientiam aſſignant. Unde & illud Lucani,

Omnis in Arctois populus quicunque pruinis
Naſcitur, indomitus bellis & mortis amator:
Quicquid ad Eoos tractus, mundique teporem
Labitur, emollit gentes clementia cœli.

Sic Julianus apud Cyrillum, *Vides*, inquit, *quàm libenter Syri aliis nationibus inſerviant, contrà verò quantus libertatis amor in Celtarum populis* At Parthi gens Scythica (Parthi enim erant Scytharum exules, qui Mediam poſtea occuparunt) *(c)* ſervos in eodem numero ac liberos habebant, & eâdem charitate amplectebantur; adeò ut eos manumittere turpiſſimum eſſet manumittenti: itaque eorum tantus erat numerus, ut ille Parthorum exercitus, qui Antonii copias ex Parthia exegerat, quinquaginta millibus ſervorum, & quadringentis tantùm liberis conſtare dictus ſit. Itaque rara apud Boreales gentes ſervitutis mentio, nulla vitæ & necis in ſervos poteſtas: imò, ut Tacitus ſcribit *(d)*, *neque animadvertere, neque vincire quemquam niſi ſacerdotibus licebat.* Sic ut liberalis ſemper apud has gentes fuerit (ſi quæ fuit) ſervitus: ſerviſque pecunias, id eſt, mercedes, penſiones, & beneficia domini, pro forti & fideli opera, tanquam veris militibus, domi militiæque aſſignabant. Sed præſtat ipſius Taciti verba adjicere, ex libello illo de Moribus Germanorum: nam ſub Germanorum nomine omnes Septentrionales gentes comprehendiſſe veriſimile eſt, & omnes docti conſentiunt. " Magna (*inquit ille*) comitum æmulatio, quibus primus apud Principem ſuum locus: & Principum, cui plurimi & acerrimi comites. Hæc dignitas, hæ vires, magno ſemper electorum juvenum globo circundari, in pace decus, in bello præſidium. Cum ventum in aciem, turpe Principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem Principis non adæquare. Infame in omnem vitam ac probroſum, ſuperſtitem Principi ſuo ex acie receſſiſſe: illum defendere, tueri, ſuaque fortia facta ejus gloriæ aſſignare, præcipuum ſacramentum eſt. *De ſervis poſtea hoc addit:* Aleam (quod mirere) ſobrii inter ſeria exercent, tantâ lucrandi perdendive temeritate, ut cum omnia defecerunt, extremo & noviſſimo jactu de libertate & corpore contendant: victus, voluntariam ſervitutem adit; quamvis junior, quamvis robuſtior, alligari ſe ac venire patitur: ea eſt in re prava pervicacia: ipſi fidem vocant. Servos conditionis hujus per commercia tradunt, ut ſe quoque pudore victoriæ exſolvant. Cæteris ſervis, non in noſtrum morem deſcriptis per familiam miniſteriis utuntur. Suam quiſque ſedem, ſuos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut veſtis, ut colono, injungit: & ſervus hactenus paret. Cætera domûs officia, uxor & liberi exſequuntur. Verberare ſervum, ac vinculis & opere coercere, rarum. Occidere ſolent, non diſciplinâ & ſeveritate, ſed impetu & irâ, ut inimicum, niſi quòd impunè."

(*a*) Livius lib. 24. Plutar. & Florus. (*b*) Vitr. lib. 6. Veget. lib. 1. (*c*) Juſtinus lib. 41. (*d*) Lib. de Motib. German.

Quod autem diximus in aleæ luſu de libertate & corpore contendi, victumque voluntariam adire ſervitutem, & alligari ſe ac venire, pati; ne quis putet ea quæ diximus pugnare (cum ſint durioris hæc ſervitutis argumenta & indicia) intelligenda ſunt hæc, non ſolùm de victis in aleæ luſu, ſed de iis reliquis omnibus qui æs alienum contraxerunt. Nam ut etiam conſtat ex reliquiis legum Longobardicarum (a) ſtatutum reperitur; *Si quis non habuerit unde debitam ſummam perſolvat, ſeipſum per guadium Principis ſervitio tradat*, id eſt, ſeipſum oppigneret ſervitio Principis, donec vel debitum ſolverit, vel à creditore ei fuerit remiſſum: id enim *guadium* ſive *guadiare* apud Longobardos adhuc ſignificat. Et in jure noſtro ſcripto *vadium* ſive *invadiare* idem, quod apud Tacitum eſt *alligari* & *venire*: & proinde qui aleâ victi ſe in ſervitutem tradiderunt, libertatem non amittere ait Bodinus, ſed tantùm eatenus obligatos, donec pecuniam debitam à parentibus emendicaſſent. Itaque ſatis conſtat Boreales gentes ſervis tanquam comitibus aut ſaltem colonis uſas eſſe, & annuas penſiones ſive pecuniæ, ſive frumenti, ſive veſtis imbecillioribus imponere ſolitas, quas tamen rurſus ſervientibus robuſtioribus velut beneficii loco aſſignabant: ſine eis nihil domi nihil militiæ actum, domi aderant conſilio, militiæ operâ & manu.

4. Poſtea factum eſt cum à ſeptentrione (quem Plinius officinam gentium veriſſimè dixit) innumeræ gentes domi inopiâ rei familiaris preſſæ egrederentur, novas ſedes petituræ; Gothi, Vandali & Hunni, tandem etiam Longobardi, ut de aliis taceam, & imperium Romanum diripuiſſent, regioneſque ex hoſte captas militari more inter ſe dividerent, ut non minor inferiorum quàm Principum in his expeditionibus haberetur ratio. Itaque ſi cui provincia bello quæſita pro numero comitum major vel minor aſſignata fuit, hanc ille rurſus in prædia partiebatur, fertiliſſima ſibi reſervans; aut ſi ipſe colere prædia viro militari turpe putaret, infirmioribus familiæ ſuæ & ſervientibus, quos in minori pretio habebat, colenda demandabat. Infertiliora colonis ſive comitibus permittebat; ſed, ſub fiduciæ nomine, ab his olei, frumenti, boum, veſtium, & pecuniæ etiam (poſtquam in eas regiones pecuniæ uſus penetravit) & reliquarum rerum quæ ad uſus humanos neceſſaria videbantur, ſed præcipuè earum rerum, quæ pondere, numero aut menſurâ conſtant, annuas penſiones exigebat, robuſtiores in comites aſſumebat, eis, unde alerentur, præſtabat. Neque enim vel in Gallia, vel in ulla Europæ parte extra imperium Romanum ſtipendia tum nota erant. Ac primùm quidem penſionibus ex dominorum prædiis contenti hi comites ſive ſervientes erant: poſtea & ipſa prædia loco penſionis, quæ prædio impoſita erat, accipiebant, cum nihil dominorum intereſſe videretur, utrum res ipſas, an fructus omnes ac utilitates rei aſſignarent: ſic tamen ut in dominorum ſemper eſſet poteſtate, aut ipſum prædium, aut penſionem in feudum datam quando vellent auferre (b). Neque ſervientibus aliud jus erat in his prædiis, quàm precarii; quod qui habet, non tamdiu quàm ipſe vult, ſed quamdiu is qui concedit, patitur, eo frui poteſt (c). *Servientis* verbo hîc libentiùs utor, quàm *ſervi*, quòd vox hæc rei meliùs conveniat: non ſolum, quod longè alia erat horum ſervientium conditio, quàm ſervorum, qui jure gentium introducti, ſed quia etiam ex ipſo Romanorum jure ſciam aliud eſſe ſervitium à ſervitute, & longè aliud eſſe ſervire quàm ſervum eſſe. Nam ſervire nihil aliud erat, quàm fidelem operam, aliquando opem & conſilium alicui præbere, & proinde alicui aut ejus rei aut commodis inſervire aut occaſioni dicimus; nam durior illa ſervitus jam cœperat exoleſcere, & pro eo liberius ſervitium eſſe in uſu. Papinianus (d) per hæc teſtatoris verba (*Scorpium ſervum meum Semproniæ concubinæ meæ inſervire volo*) ait, *non videri ſervi proprietatem Semproniæ propriè relictam, ſed tantùm, ut ſerviat*: & Cicero in oratione quam M. Craſſus oratorum Princeps apud populum Romanum habuit, hæc ejus verba ſenatûs nomine commemorat; *Nolite* (inquit) *Quirites, pati nos aliis quam vobis ſervire*; quum nihil minus cogitaret quàm ſenatum ſervum

(a) Leg. Longobard. lib. 1. tit. 26. (b) 1. Feud. 1. § 1. (c) L. 1. ff. de precario. (d) L. 24. ff. de uſu & uſufruct. legato.

ſervum eſſe populi Romani, nihilque minus ex dignitate ſenatûs eſſet. Fuerant igitur alii à ſervis & ſervorum conditione ſervientes (quâ etiam voce nos vulgò utimur) imò à libertis, licet in multis ſervientium conditionem cum libertis convenire non negarim, ut poſtea apparebit.

5. Sed ut ad feuda revertamur: quum dura in his initiis videretur ſervientium conditio, res ſuas omnes precarii nomine ex domini ſolius arbitrio pendere, factum eſt ne ſervientes omninò de conditione ſuæ mercedis eſſent incerti, ut pactionibus feuda fierent annalia, id eſt, annum integrum non longiùs durarent *(a)*, ut de Feudo Guardiæ & Caſtaldiæ mox dicemus *(b)*. Ac ſucceſſu temporis ſive id ſervientium merita, ſive importunitas procuraſſet, Feuda cœperunt eſſe vitalia, id eſt, à domino clienti concedebantur pro tempore vitæ *(c)*, pactionibus interpoſitis inter dominum & ſervientem de mutua tutela: & tum verè omnia Feuda uſus fructus dici poterant. Et hæc ſunt juris Feudalis prima cunabula, hæc Feudorum infantia ab uſu & conſuetudine ferociſſimarum gentium, quæ ab Aquilone in Romanum orbem incurrerant, primùm nata & introducta, qualia de *Timarris* ſive *Timarriotis* Turcicis hodie ſcribuntur.

6. Nam ſolet Imperator Turcicus regionem bello occupatam, præcipuè in finibus imperii qui hoſti objacent, viritim inter ſuos milites dividere, in multas partes & prædia diſſectam (quæ *Timarrias* vocat, fortaſſe à Græca voce τιμὴ, ut honorarium ſignificet) & militibus colendam tribuere, ſub ea lege ut ad omnes expeditiones certum numerum equitum paratum habeant pro quantitate & bonitate *Timarriæ*, decimâ etiam parte fructuum Imperatori reſervatâ. Inde duplex commodum accipit. Nam & regionem hoſti obverſam & imperii limitaneam firmiſſimo præſidio munit; & ſi quæ ſeditiones aut tumultus populi oriantur, paratum ſemper habet exercitum, qui omnes facilè comprimat: nec ſtipendio eis opus eſt, quia pro ſtipendiis ſua prædia habent vitalia, unde equites aut milites alant. Mortuo *Timarro*, *Timarria* ad Principem redit, ejus arbitrio cui velit poſtea locanda, ſub eadem conditione & vitæ tempore. Huic Feudorum infantiæ ea tempora tribuimus, quæ à diluviis Aquilonarium gentium ad annum ſalutis ſexcenteſimum & quinquageſimum interceſſerant. Jam enim Franci in Gallia, Gothi in Hiſpania, Longobardi in Italia, reliquæque ferociſſimæ gentes armis partas ſibi ſedes ſtabilierant, & ſine moleſtia in otio & pace poſſidebant; tum enim Feudi ipſus, tum vaſſali & hominii nomina orbi cœperant innoteſcere. Nam licet hereditaria ſucceſſio tùm non erat in Feudis, *nativi* tamen hi *tenentes* dicebantur, ut & apud nos hodie; quos niſi juſta offenſæ cauſa præceſſerit, & ad ſerviendum non ſufficerent, durum erat à ſuis poſſeſſionibus removere.

7. Pueritiam iis temporibus aſſignabimus, quibus Feuda, quæ antea annalia, aut ad ſummum vitalia erant, ad filios & eos ſolos extendebantur; ſive id ſervientes ſuâ fide & induſtriâ promererentur, ſive quod domini ſervientes beneficiis vellent demereri. Itaque Feudum, quod prius tantummodo uſusfructus erat, etiam ad filios continuabatur, aut ad eorum aliquem quem dominus ſervitio ſuo aptiſſimum deſignabat *(d)*. Nam Feudo alicui & ejus filiis conceſſo, omnes filii in capita ſuccedebant *(e)*, niſi unum nominatum dominus in Feudi conceſſione præelegiſſet; aut ſicubi uſus eſſet, ut primogenitus in totum Feudum ſuccederet, ut in Britannia *(f)*: nepotes autem in Feudo alicui & ejus filiis conceſſo, eis temporibus à ſucceſſione arcebantur. Sed illud cognitione dignum occurrit, cur Feudum alicui & ejus filiis conceſſum, in materia ſucceſſionis, quæ in jure inter favorabiles numeratur, ante Conradi Cæſaris tempora non etiam filiis mortuis ad nepotes extenderetur, cum in jure filiorum nomine nepotes ſæpiſſimè contineantur *(g)*. Sed facilis eſt ſolutio, ex voluntate præſumpta concedentis, quæ ſemper in Feudo ſpectatur: nam non aliter voluiſſe dominum, niſi ſuo ſervienti & ejus filiis providere præſumebatur, & non nepotibus *(h)*, quibus ſi voluiſſet proviſum id in Feudi con-

 ceſſione

(*a*) 1. Feud. 1. § 1. (*b*) 1. Feud. 1, 2. (*c*) 1. Feud. 1. § 1. (*d*) Id. ibid. (*e*) 1. Feud. 1. § 1, 2. F. 8. ibi: Succed. tantum filii æqual. (*f*) Lib. 2. D. 13. § 33. (*g*) L. 220. ff. de verb. ſign. (*h*) Vid. § 9.

ceſſione expreſſiſſet. Feudum enim ſuâ naturâ ſtricti juris eſt, naturamque habet privilegii, quod ab homine conceſſum alicui & ejus filiis, ad nepotes non extenditur; ſed vitâ functis filiis, Feudum ad dominum redibat: quemadmoduni in jure Civili nullum privilegium ab homine alicui & filiis ejus conceſſum ad nepotes extenditur *(a)*: contra verò ſi ex diſpoſitione juris communis beneficium deſcendat, non tantùm ad filios, ſed etiam ad nepotes, etiamſi non exprimantur, in infinitum extenditur *(b)*, ut poſtea dicemus, cum ad filiorum ſucceſſionem pervenerimus, cujus ea quæſtio propria eſt. Nam in re maxima à maleſanis hominibus urgemur, qui privilegium liberis regiis conceſſum, etiamſi extra fines regni naſcantur, ad nepotes negant pertinere, ut eo modo quæſtionem, ſi quo modo quæſtio dici poſſit, de ſucceſſione regni Angliæ imperitorum pectoribus obtrudant & imprimant. Et hæc erat Feudorum pueritia, cui ea tempora adſcribimus, quæ ab anno 650, ad Caroli Magni tempora interceſſerant: toto enim eo tempore Feudum tantùm erat uſusfructus alicui ſervienti ſive vaſallo, & primo ejus heredi ſive primi gradûs heredibus conceſſus: imperare autem Carolus Magnus anno domini 800. cœperat.

8. Adoleſcentiam Feudi cum textu *(c)* adſcribemus Conrado Imperatori, cum is Romam proficiſceretur. Nam cum ingentem exercitum legiſſet, & milites qui prædia militaria ſeu Feuda habebant, multa præclara pollicerentur, ab eo tandem impetrarunt, ut lege latâ Feudum etiam ad nepotes ex filio extenderetur, & additum etiam ad collaterales, (licet collaterales nunqaum ante Conradi tempora ſuccederent;) ſic ut poſtea frater etiam fratri in ea expeditione ſuccederet ſine liberis mortuo, in eo beneficio, quod ante patris communis fuerat. Utrumque non gravatè conceſſit Imperator, ut militum operâ fortiori & fideliori uteretur, quemadmodum & apud nos fieri videmus, cum in procinctu acies ſtant, ut Reges eorum qui in ea pugna, ſive ad pugnam expeditione morerentur, Wardas, Relevia & beneficia etiam Eccleſiaſtica propinquioribus promittere ſoleant *(d)*. Laudabile ſanè inſtitutum, nempe ut militum animi confirmentur, & acriores reddantur, cum ſciant morituris pro patria nihil de bonis deceſſurum.

Quis autem fuit hic Conradus (cum quatuor illius nominis fuerint) ex textu non patet. Conſtat tamen fuiſſe Conradum II. qui & Salicus dictus, quòd cum priùs dux Francorum orientalium fuiſſet, qui Salii dicebantur (unde & illa lex Salica, cujus hæc ſunt aut ſaltem finguntur verba, *In Terra Salica mulieres ne ſuccedant*) poſtea etiam in imperium eſt evectus, circa annum domini 1022, licet non rara ſit inter Chronologos in temporum ſupputatione varietas. Is ſanè contractis magnis copiis, cum in Italiam bis profectus eſſet, primò ut imperii coronam ab Joanne decimo nono tum Pontifice maximo, ſed Cæſaribus infenſo, acciperet (accepit autem ipſo die paſchatis anno domini 1027.) ſecundò ad reprimendos Italiæ motus. Nam tum cœperant Romani Pontifices cum Germanis Cæſaribus utri præeminerent contendere *(e)*. Unde factiones in Italia contractæ pro firmanda ſuæ partis dignitate, acerrimèque ſæpe decertatum, non ſine maximarum urbium excidio. Hinc etiam Guelphorum Gibellinorumque nomina funeſtiſſima, & ipſa adhuc memoria Italiæ luctuoſa, nata. Cæſar verò Conradus ut adverſæ factionis vires deprimeret, & partes ſuas confirmaret, rerum ſuarum ſatagens in Italiam cum expedito exercitu profectus eſt; & ut milites acriores ſuæ dignitatis aſſertores haberet, conceſſit ut nepotes filiis mortuis ſuccederent, & frater fratri in Feudo paterno. De Conrado primo aut tertio quod unquam Italiam ingreſſi ſunt non legimus, quartus verò longè poſterior fuit horum librorum ſcriptione.

9. Quod autem jam diximus *(f)* tum impetratum fuiſſe ut frater fratri in Feudo ſuccederet, hoc tantum locum habebat in Feudo paterno, & non in Feudo novo ſeu noviter acquiſito. Nam ſi ex vaſalli præmortui liberis unus moreretur, frater ante Conradi tempora fratri non ſuccedebat; præſumptio enim erat dominum in

(*a*) Gloſ. In l. 84. ff. de verb. ſig. & Bart. in l. 220. ff. eodem. (*b*) Bart. ut ſupra. Alciat. lib. 3. paradox cap. 14. (*c*) 1. Feud. 1. § 2. (*d*) Cap. 102. Parl. 7. Jac. IV. cap. 3, 4. Parl. 2. Jac. V. cap. 4, 5, 6. Parl. 3. Reg. Mariæ, & cap. 41, 42, 43. Parl. 2. Jac. VI. (*e*) Ut dict. D. 3. § 15. vid. etiam D. 6. § 5. (*f*) § 8.

in feudi conceſſione vaſallo tantùm & ejus filiis deſcendentibus conſulere voluiſſe *(a)*: adeo ut feudo ſemel per ſucceſſionem acquiſito, ſi unus ſine filiis moreretur, frater poſtremò defuncti ei non ſuccederet in ea parte, neque morientis pars ſuperſtitibus accreſceret, ſed ad dominum rediret; donec à Conrado Imperatore impetratum fuerat, ut frater fratri in feudo ſeu beneficio paterno ſuccederet: alioqui ſi feudum novum eſſet, id eſt, ſi qui feudum primus acquiſierat moreretur ſine liberis, frater ei non ſuccedebat, niſi aliud in conditione feudi fuit expreſſum, cujus tenor ſemper inſpiciendus & ſervandus *(b)*. Sed de hac collaterali ſucceſſione plura in titulo de ſucceſſione in feudis. Et huic adoleſcentiæ, ſi textûs verba ſequamur, ea tempora aſſignamus quæ à Carolo Magno ad Conradi tempora interceſſerant *(c)*; quo quidem tempore jus feudorum mirum in modum adoleverat *(d)*. Nam vaſſi & vaſſalli tum prædiis fiduciariis tanquam ſuis uti frui cœperant: & licet domini veri non eſſent, tamen pro dominis ſe gerebant, & ſerere, arare, plantare, & ædificare tanquam in ſuo incipiebant, ſecuri penè de dominorum voluntate, modo ſervitia conventa præſtarent. Dixi *(e)* hanc fuiſſe feudorum adoleſcentiam ſecundum textum: nam plerique ſucceſſionem in feudis fuiſſe etiam ante ea tempora putant; cum in hiſtoria Romana *(f)* legatur Alexandrum Severum primum fuiſſe qui militaria prædia ad militum heredes pertinere voluit; aſſerens eos attentiùs militaturos ſi & ſua defenderent. Hinc Itali colligunt & apud Romanos feuda quædam fuiſſe militaria, quæ ad heredes deſcenderent. Sed profectò locus ille de feudis non eſt intelligendus, ſed tantummodo de limitaneis agris, qui ad hoſtem vergebant: hos agros non tantùm limitum præfectis & militibus aſſignabant, ut ibi conſeneſcerent, ſed etiam & eorum poſteris, eâ tamen conditione, ut attentiùs militarent. Nam, ut antea dixi, putabat Imperator militaturos acriùs, ſi tanquam pro ſuo patrimonio pugnarent.

10. Sub Carolo Magno feuda primùm hereditaria eſſe cœperunt, ut plerique tradunt: nam is militibus de ſe bene meritis agros primùm diſtribuit, heredibus etiam poſſidendos, cum antea ad vitam tantùm concederentur; ſed tum hæc feuda in legem non abierunt, ſed in privilegia. Caroli tamen illius Magni liberi & progenies, quamdiu ea ſtirps duravit quæ Carolingorum ſeu Carolinorum dicta eſt, hujus exemplum creduntur ſequuti; adeò ut Lotharius Imperator, qui & ipſe Romam maximis de cauſis profectus eſt, conſtitutionem de hac ipſa hereditaria poſſeſſione, iiſdem ferè verbis quibus Conradus Salicus, in feudis reliquerit. Anteceſſerat Lotharius Conradum Salicum penè annos ducentos: itaque Hottomannus vir doctiſſimus Conradi nomen pro Lotharii irrepſiſſe putat, multis rationibus pro ſe adductis; ita ut circa Lotharii tempora multi putarint feuda multis in locis cœpiſſe eſſe hereditaria. Non negandum tamen Carolum Magnum, ſub quo feuda adoleſcere cœperant, primum Feuda liberis vaſſallorum indulſiſſe, ut vaſſalli ad liberos primi gradûs ſua prædia, quæ ex beneficio alieno poſſidebant, tranſmitterent. Sed hæc neque eo regnante, neque aliquot poſt annis, in legem abierunt, ſed privilegio erant propiora: licet multò frequentiora eſſent hæc privilegia imperante Lothario ejus nepote, tamen non ex lege, ſed beneficio & libertate ſui domini ſive ſenioris, ne tum quidem filii univerſaliter ſuccedebant.

11. Poſt exactos tamen Carolovingos, ſive Caroli Magni progeniem, Capetorum familia, cum regnum Francorum ad ſe quo jure quâque injuriâ tranſtuliſſet, ut procerum & nobilitatis animos liberalitate ſibi devinciret, lege ſtatuerat, ut in feudis ſucceſſio in primo gradu perpetua eſſet apud Gallos: & tum primum, id eſt, ſub Capeto patre & filio, Ducatus, Comitatus & Baroniæ, ad filios tranſmitti cœperant: eæque provinciæ, quæ ante ex ducibus regiis aut comitatu regio unum aliquem ſibi præpoſitum habebant, quaſi dominum eum præfecturæ agnoſcere coacti; vaſſique propriè dicebantur qui prædia ſua à Rege habebant; & his inferiores vaſ-

(a) Ut § 7. dict. *(b)* 1. F. 14. § 2. ibi: Niſi pactum fuerit inveſtitura. 2. F. 2. § 2. & 2. F. 18. *(c)* Qui regnare cœperat anno 1022. *(d)* 1. F. 1. § 1, 2. *(e)* § 8. *(f)* Ex Lampridio in vita Alexandri Severi, c. 58.

ſalli non precariò, neque ex alieno arbitrio, ſed jure ſuo utebantur: & ſic paulatim adoleſcebat jus Feudale donec ad virilem ætatem pervenerat *(a)*.

12. Nam cum facilis à ſimili in ſimile ſit tranſitus, fecit progreſſus temporis, ut non ſolùm fratres, ſed etiam patrueles, qui in quarto gradu eſſent, ad invicem ſibi & mutuò ſuccederent *(b)*: mox etiam ut feudum ad collaterales in ſeptimo gradu extenderetur *(c)*. Sed creſcente jure, noviſque moribus, tandem factum eſt ut feuda non ſolùm ad deſcendentes in perpetuum tranſirent, ſed etiam ut ad collaterales qui ex primo vaſſallo deſcendebant in infinitum continuarentur *(d)*. Illud verò quod jam diximus, circa Conradi tempora, feudum primum ad patrueles, id eſt, duorum fratrum filios in quarto gradu, mox etiam ad collaterales uſque ad ſeptimum gradum continuatum, ut explanatius ſit, pauca de gradibus adjicienda ſunt, quoniam frequens in hoc tractatu graduum mentio fit.

13. Aliter gradus in jure Civili, aliter in Pontificio numerari ſolent. In jure Civili gradus conſanguinitatis ita numerantur, ut ſingulæ perſonæ, excepto ſtipite, id eſt, eo patre per quem invicem junguntur, gradum efficiant *(e)*. Suntque totidem gradus quot perſonæ, veluti duo fratres per patrem communem junguntur: ita duo fratres efficiunt duos gradus, ſive ſecundum gradum conſanguinitatis; patrueles ſive ſororii, id eſt, qui ex duobus fratribus ſive ſororibus nati ſunt, quartum conſanguinitatis gradum faciunt, ut ſemper tot gradus ſint quot perſonæ præter ſtipitem. Stipes enim, ſeu communis pater, à quo reliqui deſcendunt, gradum non facit; deſcendentium à ſtipite quilibet facit gradum. At in jure Pontificio duo filii unum tantùm gradum inter ſe faciunt: quælibet enim perſona uno gradu à ſtipite diſtat, quotque uno gradu à ſtipite diſtant, unum gradum conſanguinitatis inter ſe faciunt *(f)*. Itaque fratrum & ſororum filii, qui ſunt nepotes, à ſtipite efficiunt ſecundum gradum; fratrum nepotes tertium gradum inter ſe conſtituunt, & ita deinceps. Feudorum ſcriptores in enumeratione graduum jus Civile ſequuntur, uſus noſter jus Canonicum: ex eo puto quòd in matrimoniis, diſpenſationibus, & divortiis illa graduum enumeratio in foro Eccleſiaſtico locum habuit primum: & cum materia illa apud noſtros eſſet quotidiana, eandem enumerationem in jure Feudali retinuerunt *(g)*; ne duas diverſas graduum enumerationes in una provincia ſequi cogerentur. Et hæc virilis Feudi ætas dici poteſt, cum eas ſibi vires jus Feudorum acquiſiviſſet, ut in ſucceſſionibus ſolùm attenderetur; in judiciis illud ſolùm juriſprudentes ſequerentur, neglecto ſive præterito (ut antea dixi) tam jure Civili quàm Pontificio. Et ſic Feudorum jus natum & educatum, & tandem confirmatum & abſolutum eſt: quommodo autem conſenuerit moribus in mollitiem lapſis, adeò ut feudum hodie in feudo vix agnoſcamus, capite nono dicemus.

Refutatur eorum opinio, qui juris Feudalis originem a veteri Romanorum jure deducunt.

Diegeſis quinta.

1. *Ratio auctoris in hac materia cur non Conrado Imperatori adſcribi poſſit feudorum origo.*
2. *Unde Itali feudorum originem deducant.*
3. *Unde Romani.*
4. *Unde Galli.*
5. *Unde Hiſpani.*
6. *Unde Germani.*
7. *Unde Græci.*
8. *Refutantur præcedentes opiniones.*
9. *Eorum argumenta diſſolvuntur.*

1. IN hac enarratione de primordiis feudi, rerum geſtarum veriſimilitudinem, & præcipuè ſcriptorum hujus juris fidem ſequi malui, quàm recentiorum, qui aliam

(a) 1. F. 1. pr. 2. F. 10. pr. (b) 2. F. 11. (c) 1. F. 1. § 4. (d) 2. F. 50. (e) § 7. Inſtit. de grad. cog. (f) Cauſa 35. Quæſt. 5. ad ſedem Apoſtolicam, 2. (g) Vid. D. 3. § 24.

liam feudi originem undique conquirunt; neque fieri poſſe putant, ut hoc jus, quòd etiam in textu *(a)* antiquiſſimum dicitur, Conrado Imperatori adſcribi poſſit: cum à Conrado Imperatore, qui primus, ut creditur, feudorum ſucceſſionem inſtituit, ad ea tempora, quibus hoc jus ſcripto traditum eſt, non intercedant anni 150. Imperare enim cœperat (ut dixi) hic Conradus anno domini 1022; Fridericus verò primus, cujus tempore hoc jus perfectum & ſcripto abſolutum fuit, anno domini 1155. Adeo ut doctiſſimi omnes hujus juris originem altiùs & ſupra Conradi tempora repetenda putent, ſi illud nomine antiquiſſimi dignemur, & ut in rebus magnis fieri ſolet, dum ſibi quiſque & ſuis favet, hujus juris originem ad ſe ſuamque gentem trahit.

2. Itali, & præcipuè Inſubres, ſive Lombardi, apud quos prima hujus juris fundamenta reperiuntur, quique illud proprium & apud Senatum vendicant, ejus tamen initia à moribus Romanorum deducunt, & primò à mutuis inter patronum & clientem officiis. Nam licet patronorum nomen, ad actores cauſarum poſtea tranſiit, antiquis tamen moribus (ut Budæus *(b)* notat, & veterum hiſtoriæ confirmant) ſolenne erat, ut provinciales & ſocii in clientelam ſe darent proceribus Romanis, quos in patronos optabant, neque ſolùm publicè ſed etiam privatim, & horum procerum dicebantur clientes. Ferebat enim id ea neceſſitudo, ut patroni tam præſentes quàm abſentes perpetuo patrocinio ſuorum clientum caput & fortunas tuerentur, viciſſimque ipſi patronos ſuos omni obſequio & veneratione colerent, operâ & pecuniis juvarent, & ne fides (quam fidelitatem dicimus) in hac neceſſitudine deeſſet, à Romulo lata lex eſt; *Si patronus clienti fraudem fecerit, ſacer eſto (c)*. Sic dominum patrono, ut ſæpe etiam in jure noſtro vaſallum clienti æquant, fideique ſacramentum ex illa Romuli lege deducunt.

3. Alii malunt hunc Feudorum morem ex alia Romanorum conſuetudine defluxiſſe. Nam veteranos & emeritos milites Romani, aut collatis ex ærario publico pecuniis alere, aut agros colendos iis aſſignare ſolebant, uti tranquillo in otio conſeneſcerent *(d)*. Conſtat Octavium, victis Antonio & Lepido triumviratûs ſociis, cum ſolus jam rerum potiretur, militibus de ſe bene meritis ob fortem & fidelem operam Cremonenſium agros colendos tribuiſſe; cum hi non ſufficerent, Mantuanorum etiam adjeciſſe: unde factum eſt, ut Virgilius prædio ſuo ab Arrio centurione ejectus, cui id forte obvenerat, Romam venerit, & Octavii Cæſaris beneficio reſtitutus, Bucolicorum ſcribendorum occaſionem ſumpſerit. Eum fuiſſe Romanorum morem teſtatur Horat. *Sat.* 6. *lib.* 2.

——— Quid militibus promiſſa Triquetrâ
Prædia, Cæſar an eſt Italâ tellure daturus?

Quorum verborum ſenſus hic eſt, utrum Cæſar prædia militibus promiſſa (illi feuda interpretantur) in Italia an in Sicilia ſit præſtiturus: quale & illud Lucani *(e)* in oratione, quam Cæſar ad ſuos milites habuit, ut eos in Pompeium & Senatum accenderet, inter alias indignitates ſibi ſuoque fortiſſimo exercitui illata etiam illam adjicit;

Conferet exanguis quo ſe poſt bella ſenectus:
Quæ ſedes erit emeritis? quæ rura dabuntur,
Quæ noſter veteranus aret? quæ mœnia feſſis?
An melius fient piratæ, Magne, coloni.

Quaſi diceret, à ſenatu Cæſaris militibus optimè de repub. meritis nulla prædia eſſe concedenda, in quibus exanguem ſenectutem deponerent; at piratis à Pompeio victis

(*a*) 1. F. 1. pr. & § 1. (*b*) In Pandect. (*c*) De qua vide Gravinæ origines juris Civilis, & Indicem ibi: Clientis Romani qui, & eorum officium. (*d*) Quorum mentio in l. 15. § 2. ff. de R. V. & l. 11. ff. de evictionibus, cum aliàs militibus, in iis locis in quibus militabant, agros mercari non licebat, l. 9. & 13. ff. de re militari. (*e*) Lib. 1. de Bello Civili.

ctis (qui non ſolùm reipub. ſed etiam humani generis hoſtes erant) prædia quæ colerent auctoritate Senatûs eſſe aſſignata.

Solebant Romani in agros perduellium victorum colonias ducere, partim ut veteranis præmia tribuerent, partim ut præſidium ibi eſſet ſi quid hoſtes molirentur, aut devictæ gentes tædio imperii commoverentur; qualia ſuperiore capite Alexandrum Severum limitum præfectis & limitaneis militibus aſſignaſſe ex Lampridio adduxi *(a)*; quod & antea nuper de *Timarris* Turcicis memoravi, & hæ turmæ militares dictæ. Soli tamen antea veterani deducebantur, qui pro dignitate Senatûs aut promovenda aut conſervanda conſenuerant, cum alioqui militibus in locis iis ubi militarent agros comparare non liceret, ſive quòd his commerciis à rei militaris ſtudio avelli crederent, ſive quòd comparationes illas vi aut metu extortas præſumerent. Et hanc in colonias militum deductionem originem feudis præbuiſſe putant. Pleriſque huc pertinere videtur, quòd Romani Regibus, quos in amicitiam receperant, beneficia, id eſt, agros, urbes, etiam regna ex hoſtibus capta, dono dare ſolebant: quod de Maſiniſſa legimus; & Cæſar Divitiaco principatum Heduorum, Taſgetio regnum Carnutum, pro inſigni eorum fide & militia tradidit. Sed hæc quanquam ſpeciem aliquam feudi habere videantur, longè propius tamen eſt illud quod ex Salluſtio in oratione Adherbalis ad Senatum: *P. C.* inquit *Adherbal, Micipſa pater meus* (fuit hic filius Maſiniſſæ) *moriens mihi præcepit, uti regni Numidiæ procurationem tantummodo exiſtimarem meam, cæterùm jus & imperium penes vos eſſe*, quaſi diceret, Imperium, quod nos directum dominium dicimus, Romanorum in regno Numidiæ eſſe, ſed quod ad Micipſam attinet, exiſtimaſſe beneficii loco ſe & patrem ſuum à P. R. Numidiæ regnum ſive ejus regni procurationem accepiſſe. Et hæc de Italis.

4. Galli autem, cum apud ſe originem feudorum fuiſſe antiquiſſimam oſtendere cupiant, illud ex Commentariis Cæſaris *(b)* adducunt, eos qui opibus inter Gallos valebant, *multos habuiſſe devotos, quos ſecum ducerent in bella, ſoldurios ſua lingua nuncupatos, quorum hæc erat conditio, ut omnibus in vita commodis cum iis fruerentur, quorum amicitiæ ſe dedidiſſent: quòd ſi quid per vim accidiſſet, aut eundem caſum ferrent ipſi, aut mortem ſibi conſciſcerent*, quibus verbis & dominorum in vaſallos & vaſallorum in dominos fidem & officia exprimi tanquam in ſpeculo putant.

5. Eodem argumento Hiſpani & potiſſimùm Celtiberi utuntur. Nam quæ Cæſar Gallis, eadem Plutarchus in Sertorio, & Valerius Maximus *(c)* Celtiberis adſcribunt.

6. Germani ne aliis cedere videantur, ad ſe eadem initia trahunt ex Taciti verbis prius adductis *(d)*. Nam cum Principes eligerentur qui per vicos & pagos jus dicerent, centeni ſingulis comites ex plebe aſſignabantur, conſilii & auctoritatis cauſâ. In eo comitatu diverſos eſſe gradus, magnamque contentionem & æmulationem, quibus primus apud Principem ſuum locus eſſet, & cætera quæ ſupra retulimus; quos Tacitus Comites tunc dixit, vaſſallos nunc dici putant Germani.

7. Quin etiam Græci in feudorum prima origine vendicanda, poſtremi eſſe nolunt, ex Conſtantini Porphyrogeniti conſtitutione Græca, quæ etiam adhuc extat *(e)*. In ea multa de prædiis militaribus traduntur, quod onus iis inhæreret, ut quandocunque dominus ediceret, ad militiam poſſeſſores inſtructi compareant; aut ſi juſtam excuſationem cur non poſſint, habeant, veluti ſi valetudine detineantur, tantum tamen pecuniæ domino repræſentent quantum ad militem vicarium conducendum ſufficeret, cujus operâ in bello dominus uti poſſit, quæ omnium feudorum natura eſt & conditio.

8. Hæc & his ſimilia quæ à viris doctis ornandæ ſuæ gentis ſtudio adducuntur, quo minus cum veris feudorum initiis convenire putem, facit, quod nulla feudi mentio, nulla feudalis clientelæ, ſeu fidelitatis forma, ante illa maxima Borealium gentium diluvia, apud probatos ſcriptores, quod ſciam reperiatur, nuſquam directi

(a) § 9. (b) Lib. 3. c 22. (c) Lib. 2. c. 6. § 11. (d) D. 4. § 3. (e) Apud Cujacium in fine lib. 5. Feudorum.

recti dominii, nuſquam utilis, memoria, aut, ut in foro loqui ſolemus, nullum ſuperioritatis, nullum tenendriæ, nullum denique inveſtituræ monumentum occurrat; neque ulla jura feudalia tum erant, nec prædia fiduciæ nomine tenebantur.

9. Nam quod ad patronorum in clientes beneficia attinet, nullam cum feudis ſimilitudinem habent: cum, præterquam quòd omnia feuda ab initio militaria erant, patroni etiam non ſuos clientes beneficiis, ſed clientes patronos ornabant; neque ulla patronorum in clientes juriſdictio, quæ naturaliter omnibus feudis inhæret, nullum fidelitatis ſacramentum. Et coloniarum deductio, aut prædiorum inter veteranos milites diſtributio, ad feudorum rationem ægrè trahitur; ſiquidem tum prædia veteranis jam militiâ functis dabantur, ut publico beneficio emeritæ militiæ eſſent auctoramentum: feuda verò è contra juvenibus robuſtis in primo flore ætatis, qui jam militaturi erant, & de quibus egregia erat virtutis expectatio, dari ſolita. Nec his prædia ex hoſte capta, aut bello ſubactarum gentium conſtituebantur, ſed ex propriis Principum & dominorum agris & patrimoniis; nec ulla certa neceſſitudinis & clientelæ vincula, aut fidelitatis ſacramenta à veteranis & emeritis militibus exigebantur, qualia jus Feudale inter dominum & vaſſallum requirit. Quod ad Porphyrogeniti conſtitutionem attinet, non eſt tantæ antiquitatis, ut hanc noſtram opinionem & ſententiam de feudorum origine evertere poſſit: Conſtantius enim Porphyrogenitus, cui hæc conſtitutio attribuitur, imperare cœperat circa annum domini 912: & poſterior fuit Carolo Magno & Lothario ejus nepote, quorum temporibus jus feudorum non ſolum vires jam exercere cœperat, ſed etiam initia ſucceſſionis in feudo facta: poterant enim & Græci aliquid inde excerpſiſſe, & ad ſuos mores traduxiſſe. Ex his, niſi me animus fallit, ſatis conſtat feudorum originem à ſeptentrionalibus gentibus defluxiſſe, & per totum orbem Chriſtianum diſperſam eſſe: cum quæque gens quod ſibi proprium & commodum videretur in ſuos mores tranſcriberet.

Quando jus Feudale, quod conſuetudinarium tantum eſt, & dici ſolet, ſcripto comprehenſum: Qui ſcriptores, ubi primo receptum pro jure, & de ejus ſubjecto.

Diegeſis ſexta.

1. *Qua in regione jus feudorum primò receptum.*
2. *Fridericus Ænobarbus primus hoc jus ſcribi curavit. Variæ erant feudorum conſuetudines, non ſolùm in diverſis regionibus, ſed in diverſis civitatibus ejuſdem regionis. Hinc factum ut ex variis conſtitutionibus, & varia civitatum obſervatione, jus unum Feudale conflatum ſit; poſt in foro obſervatum, & ibi juris auctoritatem nactum: id in Longobardia primum factum apparet ex vocabulis artis; & Mediolani in curiis hoc jus eſt receptum; dein ad ſcholas, & exteras gentes, penetravit.*
3. *Qui auctores librorum de uſibus feudorum Hottomannus à Cujacio diſſentit: quis ſit auctor libri quarti incertum.*
4. *Librorum feudalium ſtylus eſt forenſis.*
5. *Libri hi conſcripti ſunt imperante Friderico Ænobarbo, circa annum dominì 1170. ad quem Gerardus niger, & Obertus de Orto, legati à Mediolanenſibus miſſi erant, ad purganda crimina iis objecta, & placandum Cæſarem earum civitati infenſiſſimum. Ubi Guelphorum & Gibellinorum factiones invaluerunt. Carolus Magnus, everſo Longobardorum regno, eorum mores antiquare nec potuit, nec voluit, ſed ii eum in Galliam redeuntem ſecuti ſunt.*
6. *In medio horum librorum inſertæ ſunt Imperiales quædam conſtitutiones de feudis.*

7. *Quomodo & quando libri hi auctoritatem juris habere cœperunt.*
8. *Feudorum libri non à Gerardo nec Oberto auctoritatem habent; ſed ex Imperialibus conſtitutionibus, licet eæ cum multis aliis interierint.*
9. *Reliquiæ tantum juris Feudalis ſuperſunt.*
10. *Feudorum libri ſunt authentici conſenſu pene omnium gentium.*
11. *Quod ſit juris Feudalis ſubjectum.*

1. SED à principio vagum erat & incertum hoc jus, neque certis ſedibus aut limitibus continebatur: *Conſuetudo* tamen pro omni juris regula & vinculo erat, quæ pro temporum & locorum varietate ſæpiſſime mutabatur. Quærendum itaque eſt ubi terrarum jus hoc in lucem primum prodiit, ubi certas ſedes ſibi acquiſivit? quaque in gente ſcriptis primùm eſt traditum, & in forum & judicia productum, tandem in ſcholis (tanquam auctoritatem habens juris) protractum & publicatum fuit; de quo inter ſcriptores parum convenit. Alii id Saxonibus adſcribunt, & revera ibi jus antiquiſſimum feudorum ſemper viguit, & adhuc religioſe obſervatur. Alii ex conſtitutionibus Germanorum Imperatorum (poſtquam imperium bipartitum eſt) natum volunt. Antiqui & verior pars Inſubribus & Lombardis id attribuunt. Et omnes hæ gentes habent quo ſe veriſimiliter tueri poſſint. Sed nihil certius quam ex Caroli Magni, & Imperatorum qui eum ſequuti ſunt, conſtitutionibus primùm in Gallia Ciſalpina, quæ nobis tamen Tranſalpina eſt, quam hodie Longobardiam dicimus, cœpiſſe; mox ad Tranſalpinam penetraſſe: non ut unum univerſale jus de feudis à principio conſtitueretur, ſed tantùm ut peccata, quæ ex diverſa feudorum obſervatione eo tempore admittebantur, corrigerentur. Extat igitur Caroli Magni una conſtitutio de feudis, altera Lotharii primi ejus nepotis *(a)*, quibus præcipua penè juris totius Feudalis fundamenta continentur, quatuor capitibus diſtincta; in quorum Primo de ſucceſſione feudali tam directa quàm tranſverſali agitur; Secundo de cauſis feudi amittendi; Tertio de patroni in vaſſallum obligatione; Quarto de judiciis feudalibus. Sunt & aliæ conſtitutiones Henrici II. & Conradi Salici, de hereditaria vaſſallorum ſucceſſione *(b)*. Nec dubito quin toto illo tempore, quod inter Carolum Magnum & Fridericum primum interceſſerat, multæ aliæ conſtitutiones Imperatorum promulgatæ ſint de feudis, ſæpe inter ſe diverſæ, aliquando contrariæ, prioribus poſteriores, tamen quæ jus illud vagum & varium certis limitibus coërcerent.

2. Poſtea Imperator Fridericus primus cognomento Ænobarbus (qui imperare cœperat circa annum domini 1155) ſcribi jus illud & in ſcripta redigi curavit, ut teſtatur Radevicus his verbis *(c)*. *Ad ultimum inquit* (de Barbaruſſa loquens) *de jure feudorum, quod apud Latinos nondum ſcripto ſufficienter expreſſum fuerat, & penè omnes eam beneficiorum juſtitiam in injuſtitiam converterant, leges promulgavit, quarum capitula præſenti annotationi ſubjiciemus*; eam conſtitutionem innuens, quæ *lib. 2. Feud. c. 55.* habetur. Sic cum varii eſſent earum gentium, qui jure feudi uterentur, mores & inſtituta, cum quælibet gens ſuos de feudis mores ſibi pro legibus fingeret, accidit neceſſariò ut variæ feudorum eſſent conſuetudines, non ſolum in diverſis regionibus, ſed etiam in civitatibus ejuſdem regionis. Neque enim idem jus Mediolanenſes obſervabant, quod Cremonenſes; neque rurſus Cremonenſes Placentinis placebant *(d)*. Factum itaque eſt tandem ut viri docti ex Imperatorum conſtitutionibus collectis, & ex varia civitatum obſervatione, jus unum generale conflaverint, quod jus Feudale ſive feudorum diceretur: poſt in foro obſervatum, auctoritatem juris ibi primùm vendicavit. Id in ea Gallia, quæ à Romanis Ciſalpina dicta, nunc Longobardia, uti primùm factum putem, facit non ſolùm illud quod ex Radevico de Friderico Ænobarbo nuper attuli: ſed multo magis, quia omnes voces hæ, quibus in jure utimur, & quæ vocabula artis dicuntur, qualia ſunt *Guardia* pro *cuſtodia*, *Caſtaldia* pro *procuratione*; *Hominium* ſive *Homagium* pro *fidelitate*; *Vaſallus*, ſive *fidelis*, pro *beneficiario*; *feudum* pro *beneficio*; *dominium* pro *ſoli proprietate*: *Capitaneus* pro *duce militum*, *Alaudium*, ſive *Aodium*, pro *prædio immuni*

(*a*) 1 F. 19, 20, 21. (*b*) 1 F. 1. § 2. 5. F. 1, 2. (*c*) Lib. 2. cap. 7. (*d*) Vid. § 5.

immuni & jure optimo poſſeſſo; *Regalia* pro *iis quæ ad Regem jure coronæ ſpectant*; *Curtis* pro *curia dominica*; *Pædagium* pro *vectigali itinerum*; *deveſtire* pro *poſſeſſionem adimere*; *guerra* pro *bello*; *felonia* pro *noxa atrociori in dominum*; *cucurbitare* pro *vitium conjugi domini inferre* aut *corrumpere*; *relevium*, *brevia*, & multa his ſimilia, quæ in hoc tractatu occurrunt, à Lombardis profecta nemo ſanæ mentis negabit: Mediolanique primùm fuiſſe hujus juris ſedem: ibique jus hoc in judiciis primò fuiſſe uſurpatum, ex ipſo textu *(a)* patet; poſt in ſcholas penetravit, progreſſu denique temporis factum, ut jus hoc ſcriptum etiam paulatim ad exteras gentes traduceretur.

3. Qui tamen fuerint horum librorum, qui *de feudis* circumferuntur, auctores, & quo tempore conſcripti ſint, quomodoque juris vim, & vigorem induerint, aliquid adjiciendum eſt. Varii fuerunt horum librorum auctores, ut ex ipſo textu manifeſtum eſt: neque enim idem auctor eſt primi libri, qui ſecundi; neque libri ſecundi incipientis, qui & deſinentis. Nam communiter totus feudorum tractatus in tres libros dividitur. Duo primi ſententias Juriſconſultorum; poſtremus Imperiales conſtitutiones continet. Cujacius in quinque partes totum tractatum dividit, ſic ut primus liber viginti octo titulos contineat, aliter tamen diſtinctos & inſcriptos quam in communi diviſione. Hujus primi libri auctor creditur fuiſſe Gerardus Niger, qui & Gerardus Capagiſtus dicitur *(b)*; quod ex textu colligi poteſt. Idem vult etiam Zaſius, niſi forte alter fuit Gerardus Niger à Gerardo Capagiſto; quod non puto. Cur tamen hic liber Gerardo Nigro attribuitur, colligit Cujacius *libri quarti titulo* 63 *(c)* & 67 ſecundum ejus diviſionem, ubi contrariæ referuntur opiniones Gerardi & Oberti, qui ſine controverſia ſcriptor fuit libri ſecundi, ut ex ejus initio conſtat. Nam Gerardo placuit, *Si quis inveſtitus fuerit de feudo, ita ut ad fœminas tranſiret, & duas tantum filias reliquerit, quarum una filium habeat, altera duas filias. Gerardus in hac facti ſpecie, maſculum ex ſecunda filiarum ſuccedere debere in toto feudo putat*; *Obertus contra.* Sic in eodem libro quarto (ſecundum Cujacii diviſionem loquor *(d)*) *feudum lege commiſſoriâ datum valere non putabat Gerardus*; *Obertus contra.* Utraque hæc opinio Gerardi habetur *libro primo de uſibus feudorum*, prior *Titulo ſexto*, altera *Titulo vigeſimo ſeptimo*: ex quibus colligit Cujacius non dubium ſcriptorem libri primi fuiſſe Gerardum. Hottomannus tamen longè ab eo diſſentit, nec poſſe Gerardum auctorem dici libri primi multis rationibus pro ſe adductis contendit. Sed in re non magni momenti non inhærendum, licet Cujacii opinio mihi verior videatur. Libri ſecundi (ut communem diviſionem ſequamur) incipientis auctor fuit Obertus de Orto, ut ex ipſa epigraphe conſtat, cum ad erudiendum filium Anſelmum librum illum conſcripſiſſet. Tertius, ſecundum Cujacii opinionem, initium ſumit ex illo titulo, cujus initialia verba ſunt, *Cogis me ut ſuper hoc (e)* &c. Sic ut hic tertius liber tantùm cauſas amiſſionis feudi contineat, de quibus Obertus à filio Anſelmo fuit interpellatus. Utcunque eſt, ſive tertius liber ibi initium capiat, ut vult Cujacius, ſive tantummodo pars ſecundi, ſecundum diviſionem communem, Oberto rectè adſcribi poteſt.

Qui ſequitur titulus, *Si de feudo vaſſallus interpelletur* (ſive is faciat initium libri quarti, ut Cujacius vult, ſive ſit poſterior pars libri ſecundi deſinentis) & omnes qui ſequuntur eum tituli, Gerardum & Obertum auctores non agnoſcunt: diverſa enim continent reſponſa Juriſprudentum ad diverſas quæſtiones in materia feudi propoſitas; in quibus Gerardus & Obertus inter ſe ſæpe committuntur: nam ſic placuiſſe Gerardo & Oberto, & aliquando utrique, in propoſita facti ſpecie tertius affirmat; qui & aliquando recitans utriuſque opiniones, utrique ſe opponit, ut nulli dubium ſit neutri horum hunc librum adſcribi poſſe, & tantum centonem eſſe quendam ex diverſorum Juriſconſultorum illius temporis ſententiis conſutum, & libris feudorum inſertum. Itaque auctorem hujus libri quarti, ſecundum Cujacium, aut, ut in ſcholis dicere ſolemus, libri ſecundi deſinentis, incertum in medio relinquimus.

(*a*) 1. F. 1. § 4. in fine. (*b*) 2. F. 28. (*c*) Qui in vulgaribus editionibus eſt, 2. F. 51. § 3. (*d*) In editione vulgari eſt, 2. F. 51. § 6. (*e*) 2. F. 23.

4. Stilus forenſis eſt, qualis Juriſconſultorum ejus temporis eſſe potuit: ſcripti enim ſunt ſeculo inerudito, neque fieri potuit quin aliquod ejus ſeculi vitium contraxerint. Verba ipſa Latina, niſi ſi quæ ſint fori propria. Phraſis, ſive, ut Grammatici loquuntur, conſtructio Lombardica eſt, ut facilè quivis ſine interprete ſenſum percipere poteſt. Tumultuariè ſanè ſunt conſcripti, ex adverſariis ſive ſchedis Gerardi & Oberti relictis, ab alio puto quam ipſis collectis. Obertus enim & Gerardus, prout quæque facti ſpecies occurrerat, conſulti quid de eo ſentirent, ſcripto declararunt. Hæc eorum adverſaria, poſt eorum exceſſum, aliquis juris feudorum ſtudioſus in libros redegit, ſine delectu, ſine methodo (quod non eſt negandum:) ita tamen eorum reſponſa celebrata ſunt, & in honore habita, ut pro jure certiſſimo à poſteris adhuc ſint uſurpata.

5. Conſcripti autem ſunt hi duo libri circa annum domini 1170. imperante Friderico primo cognomento Barbaruſſa, ad quem Gerardus hic Niger & Obertus de Orto legati à Mediolanenſibus (fuit enim uterque conſul Mediolanenſis) miſſi erant, ad purganda crimina, quæ graviſſima iis objiciebantur, & placandum Cæſarem civitati infenſiſſimum (ut excidio urbis teſtatus eſt.) Nam tum Guelphorum & Gibellinorum, ut dixi *(a)*, pro dignitate Imperatoris & Pontificia ad interitum uſque decertantium, factiones invaluerunt. Mediolanenſes verò contra dominum, pro factione Pontificia ſtabant, & Guelphorum duces fuerunt & anteſignani. Itaque in his omnibus hoc tantum monendum putamus, libros qui à Juriſconſultis ſcripti ſunt, mores Lombardicarum gentium, quibus in judiciis uti ſolebant, tantum deſcribere. Neque enim, everſo Lombardorum regno, mores ejus gentis Carolus Magnus antiquare potuit, aut ſaltem voluit, cum naturalem æquitatem, præcipuè in re militari, præ ſe ubique ferrent. Quin potiùs, ut de Judæis dici ſolet, poſt excidium Hieroſolymitanum, qui in exteris regionibus deſidentes, ſuas etiam leges multo inſtantiùs, ſed non eo ſucceſſu nixi ſunt & hodie nituntur propagare: ſic Lombardi, nomine gentis ſalvo, non ſolùm mores priſtinos retinuerunt: ſed etiam, Carolo in Galliam redeunte, cum eo in ultimam Galliam jus etiam ſuum tranſmiſerunt, feliciſſimo cum ſucceſſu. Nam non ſolùm totam Italiam, ſed etiam, Galliam, primùm vicinam, mox Celticam implevit: ita tamen ut non omnes omnia amplecterentur, ſed hoc Mediolanenſibus, illud Placentinis, aliud, ut dixi *(b)*, Cremonenſibus placeret. Itaque Auctores horum librorum primùm, ſi quod ſit, feudorum jus univerſale, mox qui mores uniuſcujuſque civitatis, enarrant. Et hæc de moribus Lombardorum.

6. In medio horum librorum inſertæ ſunt Imperiales quædam conſtitutiones de feudis ſive beneficiis; una Lotharii ejus nominis primi, qui Caroli illius Magni nepos fuerat (plerique Conrado Salico eam attribuunt,) quæ habetur lib. 1. feudorum *(c)*; in qua nonnulla de ſucceſſione nepotis avo, & patrui ad nepotem, & de ſucceſſione fratrum *(d)*, de beneficio amittendo *(e)*, & de tempore quo vaſſallus inveſtituram petere poteſt *(f)*: alia Lotharii ſecundi, qui priùs Saxonum erat dux, & Henrico quarto ſucceſſerat. Malè Obertus Lothario tertio hanc attribuit *(g)*; quatuor Friderici primi, una de pace tenenda *(h)*; altera ejuſdem argumenti *(i)*; tertia quæ beneficiorum alienationem prohibet *(k)*; quarta ad tutelam ſcholaſticam pertinens, quæ etiam inter authentica Codicis inſeritur. Una etiam Friderici ſecundi, quâ mores libertatem Eccleſiaſticam minuentes è medio ſuſtulit, licet malam à Pontificibus gratiam retulit *(l)*. Una etiam eſt Henrici primi, quâ quinque teſtes ad probandam ingratitudinem fidelis adhiberi vult *(m)*; duæ Henrici VII. ab Oberto in poſtremum locum rejectæ; una quomodo in crimine læſæ majeſtatis procedatur *(n)*; altera qui ſint rebelles *(o)*, & hæ duæ extravagantes dicuntur; quas alii undecimam collationem appellant. Tandem Friderici primi conſtitutio de pace Conſtantiæ, inter eum, filium ejus Henricum, & quoſdam nobiles Alemanniæ

(*a*) D. 4. § 8. (*b*) § 2. (*c*) Cap. 19. (*d*) 1. F. 20. (*e*) 1. F. 21. (*f*) 1. F. 22. (*g*) 2. F. 52. (*h*) 2. F 53. (*i*) 5. F. 9. (*k*) 2. F. 55. (*l*) Poſt finem Feudorum. (*m*) 5. F. 4. (*n*) Extravagantium conſtitutionum 1. (*o*) Extra 2.

manniæ ab una parte, & civitates Lombardiæ & Marchiæ ex altera, librum feudorum concludit.

7. Sed mirum cuivis videri poſſit *(a)*, cùm horum librorum auctores tantùm fuerint viri privati & forenſes (licet alioqui viri ſanè magni, & Senatûs ſui Principes) quomodo fieri poterat, ut eorum reſponſa, non ſolum pro legibus haberentur, ſed etiam leges Cæſareas & Pontificias ſibi ſubjicerent, & quaſi principatum juris in eo ſubjecto circa quod verſantur ſibi arrogarent; cum tamen certum ſit ſolos Pontificem Maximum & Cæſarem (ſub Cæſaris nomine omnes Principes comprehendo qui ſuperiorem non agnoſcunt) legum condendarum jus & poteſtatem habere. Nam ex jure poteſtas ea tantum Principibus eſt conceſſa, & inter regalia auctoritas condendarum legum numeratur; & ipſum Digeſtorum volumen, licet ex doctiſſimorum & memoriâ digniſſimorum virorum reſponſis conſtet, non tamen ab Ulpiani, Scævolæ & Pauli auctoritate vim & poteſtatem accipit, ſed ab ipſo Imperatore Juſtiniano, & ejus edicto, quod etiam Digeſtis præfixum eſt. In jure Pontificio, quæ à Gratiano collecta ſub nomine Decretorum circumferuntur, vim & effectum ſacrorum canonum non habent, licet in corpore juris Pontificii inſerta. Oberti tamen & Gerardi auctoritas ita apud omnes gentes invaluit, ut eorum reſponſa non ſolum pro jure habeantur, licet à nullo Cæſare confirmata; ſed etiam in ſcholis & academiis optimè conſtitutis prælegantur; in foro & judiciis pro confirmatione partium adducantur; in omnium ferè gentium animis & manibus circumferantur; & infinitis denique doctiſſimorum virorum commentariis illuſtrentur.

8. Sed hujus nodi facilis eſt ſolutio. Nam Digeſtorum auctoritas, non ab ipſis auctoribus, ſed à die Juſtinianeæ conſtitutionis evulgatæ, quæ Pandectis præfixa eſt, auctoritatem accepit, *viz.* 17. Kal. Januarii, Juſtiniano tertium Conſule. Is annus ejus imperii erat ſeptimus, & à Servatore nato 533. Decretorum auctoritas adhuc inutat, licet non deſint qui ab Eugenio tertio eum librum confirmationem & auctoritatem accepiſſe volunt. Idem de libris Feudorum æſtimandum, non eos à Gerardo nec Oberto auctoritatem ſuam accepiſſe, ſed ex Imperialibus conſtitutionibus: quæ cum in curiis Longobardorum allegarentur & producerentur, Gerardum & Obertum, quatenus in obſervatione & uſu eſſent, brevibus ſchedis annotaſſe credibile eſt; ut in actis publicorum comitiorum (quæ Parliamenta dicuntur) fieri videmus: poſt, quæ ſparſim & ſine delectu adducta erant, collegerunt, & in unum quaſi corpus memoriæ cauſâ redegerunt; non tamen quaſi jus ex ſe ortum, ſed ab ipſis Imperatoribus emanans, & jam omnibus judiciis approbatum, poſteris tradiderunt. Neque in his libris tam obſervandum eſt quid hi ſcriptores ſenſerint, quàm quid ex conſtitutionibus Imperatorum Lotharii, Conradi, Friderici & aliorum ſancitum erat, & ab aliis tanquam viris digniſſimis memoriæ & poſteritati commendatum, & his libris collectum. Nec dubito conſtitutiones etiam quaſdam extitiſſe, quæ robur & dignitatem his libris conciliarent, licet cum multis aliis interierint: neque enim aliter in ſcholis prælegi, aut in judiciis obſervari paſſi fuiſſent Imperatores, niſi robur & auctoritatem iis tribuiſſent: imò ut majoris auctoritatis & dignitatis apud poſteros cenſeri poſſent, ſuas etiam conſtitutiones in fine adjecerunt, & quaſi ſe iis ſubſcripſerunt.

9. Multas autem de feudis conſtitutiones interiiſſe, ſatis cuivis ex lectione horum librorum conſtabit: reliquias hujus juris & quod ſervari poterat his ſcriptoribus debemus; nec præter hos libros, licet multis in locis corruptos, dignitati tamen ſuæ à viris doctiſſimis hodie reſtitutos, quicquam de jure feudorum lectione aut obſervatione dignum habemus. Qui plura de horum librorum auctoritate intelligere cupit, legat Baldum in procemio feudorum, & Franciſcum Curtium in prima parte cap. 1. de feudis, quibus omnes ferè Doctores conſentiunt.

10. Sunt ergo hi libri authentici, ut nunc forum & Doctores loquuntur; vimque legum & auctoritatem juris ſibi meritò ex conſenſu penè omnium gentium compararunt; neque ulli in toto corpore juris Civilis aut Pontificii libri, tot doctorum

(*a*) Vid. ſupra, D. 4. § 1.

ctorum hominum commentariis illuſtrantur, quàm hi qui de uſibus feudorum inſcribuntur : quod nunquam illi feciſſent, (nam alioqui operam ſuam luſiſſent) niſi hos libros juris ſive legum auctoritatem habuiſſe credidiſſent.

11. Supereſt ut de horum librorum ſubjecto, & materia circa quam verſantur, aliquid dicamus. Subjectum horum librorum, ſive materia circa quam verſantur, eſt feudum : quod in rebus ſoli, aut ſolo cohærentibus, aut iis quæ inter immobilia cenſentur, tantum conſiſtit *(a)*. Nos hereditarios titulos dicimus, qui à prædeceſſore in heredem tranſeunt, adeò ut rectè ſubjectum hujus tractatus dicere poſſimus conſiſtere in hereditate rerum immobilium ſive acquirenda, ſive retinenda, ſive amittenda. Et hæc de juris Feudalis initiis, progreſſu, & auctoritate, quoque modo & quo tempore per univerſam Europam propagatum ſit, ut potuimus, ex veterum tamen ſcriptis, diximus.

Diegeſis ſeptima.

Quo tempore jus Feudale in Britanniam pervenit, & quo jure Angli hodie utuntur.

SUMMARIA.

1. *Jus Feudale nec nobis, nec Anglis, ante milleſimum annum innotuit.*
2. *Vocabula artis, quibus hodie Angli in foro utuntur, ſunt Gallicæ non Saxonicæ originis.*
3. *Leges Saxonicæ adventu Normannorum antiquatæ ſunt, aut in deſuetudinem abierunt : in iis nullum veſtigium juris Feudalis. Ulterius ex Polydoro & Bodino probatur, jus hoc cum Conquæſtore transfretaſſe.*
4. *Duo exempla inveſtiturarum Anglicarum, quorum unum 130 annis ante Conquæſtorem, alterum ipſius Conquæſtoris, minime feudalem diſpoſitionem ſapiunt.*
5. *Auctor duabus objectionibus reſpondet.*
6. *Statutum Canuti Regis Anglorum feudale non eſt.*
7. *Cur tam ſerò jus Feudale in Angliam pervenit. Normanni ante adventum in Galliam, juris Feudalis ſcintillas habuiſſe plerique putant. Unde quod olim Neuſtria, nunc Normannia vocetur.*
8. *Quo jure Britannia ante Conquæſtum uſa.*
9. *Britanniâ in provinciæ formam redactâ, invaluit jus Civile, ſed poſtea ex variatione dominorum, varium & diverſum eſt Anglorum jus.*
10. *Conquæſtor per leges Normannicas juris Feudalis in Anglia primus fundamenta jecit.*
11. *Parliamentorum apud Anglos origo : ejus uſus antiquior apud Gallos, ſerior tamen apud nos. Parliamenti conſtitutio ſive poteſtas.*
12. *Præcipuum jus quo Angli utuntur, ex ſtatutis Parliamentorum naſcitur.*
13. *Jus commune ſecundum locum obtinet in decidendis cauſis ; quod Anglorum Reges, cum inſignia regni ſuſcipiunt, ſolenni juramento cavent ſe perpetuò curaturos.*
14. *Juris hujus communis axiomata quædam.*
15. *A quibus non eſt temere recedendum ſub gravi pœna : & hæc axiomata in multis nobiſcum conveniunt.*
16. *Maximis quibuſdam generalibus tertius locus in judicando datur apud Anglos.*
17. *Generales hæ maximæ quæ ſint : & an maxima ſit necne judicis arbitrio, non duodecimvirali inquiſitioni, permittitur.*
18. *Quartus locus in judicando tribuitur maximis quibuſdam ſpecialibus, in ea regione ubi res agitur uſu receptis : ubi, inter alia exempla, notatur ſingulare apud Notingamos inſtitutum, quo pluribus fratribus minimus natu ſuccedit in aſſem.*
19. *Differentia conſuetudinis à præſcriptione ; ubi diverſæ formæ rentalium, ut apud nos eſt obſervatum.*
20. Quin-

(a) 2. F. 1. § Sciendum.

20. *Quintus locus tribuitur rebus ſimiliter judicatis in Banco regio.*
21. *Forum conſcientiæ quid, & quare inſtitutum.*
22. *Rarus eſt juris Civilis apud Anglos uſus. Hinc illi jure ſuo municipali reguntur; nos jure Civili. Non tamen adeò apud eos in judiciis exulavit jus Civile, quin in omnibus controverſiarum deciſionibus, & Juriſconſultorum & Regum reſponſis eluceſcat.*
23. *Jus Pontificium, ſive Canonicum, ſuum habet locum apud Anglos; ut in conſiſtoriis Eccleſiaſticis, & ſi de decimis aut cauſis matrimonialibus agatur.*
24. *De duello, & lege ordalliæ.*

1. QUO autem tempore Britanni jure Feudorum uti cœperunt, quæri à nonnullis ſolet: nam jus hoc Feudorum non ſimul nec uno tempore gentibus Europæis illuxit, ſed his ſeriùs, illis citiùs ſenſimque adolevit, & radices undiquaque cœpit agere. Noſtri puriore hoc jure utuntur, quàm vicini *(a)*, eoque quod multò magis cum ipſis fontibus ſeu ſcaturigine conveniat: neque tamen vel nobis vel illis ante milleſimum annum innotuit. Sanè Anglos ante conquæſtum vix puto hoc recepiſſe. Rationes cur ita credam hæ ſunt.

2. Omnia vocabula, quæ à Dialecticis vocabula artis dicuntur, quibuſque hodie in foro Angli utuntur, Gallica ſunt, nihilque cum Saxonica lingua habent affine: ſic *placitare*, *diſrationari*, *eſſoniare*, *hominium* ſive *homagium*, *fidelitas*, *hominium ligium*, *breve* de morte anteceſſoris, *ligii homines*, *ſaſinæ*, voces omnes ſunt Gallicæ ſive Normannicæ. Extat liber expoſitionis omnium vocum quibus in foro ſuo Angli utuntur, ab Joanne Raſtello editus, & Londini à Richardo Tottell typis excuſus anno 1563: ex quo, nec non ex tenore omnium arreſtorum ſive rerum adjudicatarum, tam à tribus regni ordinibus, quàm à judicibus inferioribus, certum eſt jus omne quo Angli hodie utuntur, & præcipuè de wardis & maritatione heredum, à Normannis, ſeu potiùs à Gallis, ad eos emanaſſe.

3. Scio ante conquæſtum multas apud Anglos leges extitiſſe, tam ab Iva occidentalium Saxonum Rege, quàm à duobus Edvardis, Aluaredo, Athelſtano, Æthelredo, Edmundo, Canuto, & aliis Angloſaxonum Regibus ante conquæſtum conſcriptas, quæ tamen adventu Normannorum aut ſunt antiquatæ aut deſuetudine exoleverunt, & tamen ad feudorum naturam exponendam non pertinebant: imò ne veſtigium quidem juris Feudalis in eis penè reperitur. Nam licet vaſſallorum in dominos ingratitudo, ſive felonia, expreſsè aliquo ſtatuto puniatur; pœna tamen non eſt amiſſio feudi, ut in jure Feudali *(b)*: ſed tantum vel mulcta pecuniaria, ſi parva ſit injuria; vel pœna capitis, ſi major; quæ juris Feudalis naturam non ſapiunt. Præterea ex ipſo Polydoro *(c)*, qui Anglorum Hiſtoriam conſcripſit diligentiſſimè, conſtat manifeſtè *Conquæſtorem, cum omnia Angliæ prædia jure belli ad ſe pertinere diceret, legem agrariam tuliſſe, qua ſe omnium poſſeſſionum dominum declaravit* (quod nihil aliud erat quam omnia prædia de eo tanquam domino teneri;) *ita tamen ut poſſeſſoribus à ſe faceret redimendi poteſtatem, vectigalis nomine mercede aut officio aliquo ſibi præſtando jure dominii: caſuſque ſtatuit quibus dominium ad ſeſe rediret; voluitque idem jus dominos inferiores in ſuos fructuarios, quos tenentes vocant, habere, quod ipſe in ſuos.* Hæc ex Polydoro ad verbum, quibus dominorum jus in vaſſallos, quidque dominis præſtandum, & quibus caſibus feuda amittantur quaſi penicillo deſcribuntur. Et hoc Conquæſtoris factum Bodinus etiam ad feuda tranſtulit. Ejus hæc ſunt verba *(d)*, *Conquæſtor, cum Angliam domuiſſet, privatorum omnium facultates tam moventes quam non moventes ſibi arrogavit, hoſtium agros fiſco addixit, reliquorum arva prioribus dominis ſub fiduciæ nomine fruenda permiſit. Ad exemplum etiam Conquæſtoris, Edwardum primum ad emungendam pœcuniâ Angliam hoc aſtu uſum* ſcribit idem Polydorus *(e)*. Ex quibus locis facile eſt cuivis elicere jus Feudorum, ſive in acquirendo, ſive conſervando, ſive amittendo feudo conſiſteret, à Normannis cum Conquæſtore in Angliam perveniſſe.

4. Gregorius ab Haillan, Hiſtoricus graviſſimus, *Conquæſtorem devictâ Angliâ omnes*

(*a*) D. 8. § 2. (*b*) 2. F. 26. § ibi: Domino. (*c*) In Conquæſtore, lib. 9. Hiſtoriæ. (*d*) Lib. 2. cap. 2. prope finem. (*e*) Lib. 17.

eorum leges & jus priſtinum antiquaſſe, & ſuum, id eſt, Normannicum, (nam Normanni tum eodem jure cum Gallis utebantur) *introduxiſſe* aſſerit: quod & reliqui omnes ſcriptores tam Angli quam Galli ſcriptis ſuis reliquerunt. Exempla duplicis inveſtituræ à duobus Angliæ Regibus facta producam, ex quibus quod ante propoſui facilè eluceſcet. Unum Adelſtani Regis, qui Conquæſtorem 130 annos anteceſſerat; alterum ipſius Conquæſtoris. Adelſtaneæ diſpoſitionis hæc ſunt verba. *Ego Adelſtanus Rex do tibi, Pauline, Oddam & Roddam* (duorum in Anglia prædiorum hæc erant nomina) *tam bona atque pulchra, quam unquam mea erant, teſte Mathilde conjuge meâ.* Conquæſtor non abſimili formâ Hugonem Lupum, ſororis ſuæ filium, in comitatum Ceſtriæ inveſtiit, *Tenendum ſibi & heredibus ita liberè ad gladium, ut ipſe Rex totam tenebat Angliam ad coronam.* Et licet hæc poſterior diſpoſitio magis affinis inveſtituræ videatur, neutra tamen Feudalem diſpoſitionem ſapit; cum nulla ſit in eis ſervitiorum aut recognitionis præſtatio, nulla de domino ſuperiore mentio: propiùſque ad Allodii formam accedunt, de quo poſtea, aut certè ad diſpoſitionis formam quâ Romani utebantur.

5. Duo tamen ſunt quæ noſtram ſive opinionem ſive ſententiam evertere videantur. Primum quod tam ex Polydoro *(a)*, quàm Boethio *(b)* conſtet inter leges fœderis quibus pax inter Adelſtanum & Malcolmum Reges convenerat, hoc cautum eſſe, ut qui in regno Scotiæ ſucceſſor deſignaretur, Princeps Cumbriæ diceretur (quæ Angliæ provincia eſt,) eoque nomine hominium præſtaret Anglo *(c)*. Alterum ex Gulielmo Neubrigenſi, qui Rollonem jam ſenem hominium Carolo Craſſo Francorum Regi præſtitiſſe ſcribit. Sed credo tam Polydorum, quàm Boethium & Neubrigenſem, modum ſui ſeculi in ſcribendo ſequutos; aut ſi aliud aliis videatur, ſaltem hoc mihi dabunt, non niſi unius ſeculi ſpatio aut paulò amplius Carolum Craſſum atque adeò Adelſtanum, Conquæſtorem præceſſiſſe. In aliis Anglorum hiſtoriis, quotquot unquam legi, nulla ante Conquæſtorem vel hominii, dominii, ligii, vel feudi, reperitur mentio.

6. Si quis ſit qui ſtatutum illud Canuti Regis Anglorum, numero 75, cujus hæc ſunt verba; *Sive quis in terreſtri, ſive navali pugna, dominum aut commilitonem ſuum, per ignaviam & pigritiam deſeruerit, vitâ & rebus ſuis mulctator, ejuſque res omnes, & quem illi priùs dederat fundum, dominus recipito: ſin quæ ex ſcripto prædia poſſederit, ea Regis ſunto: verùm enim verò ſi quis in exercitu, ſive in regno, ſive extra quidem pugnans, coram domino mortem oppetierit, ipſum condonator ac remittitor hereotum: atque in bona prædiaque paterna heredes ejus ſuccedunto, eaque ſecundum jus faſque dividunto.* Si quis, inquam, eſt, qui ſtatutum illud juris Feudalis eſſe putet, quia vaſſallum qui dominum in acie pugnantem deſerit fundo privat, qui verò pro domini vita fortiter pugnando interierit, ejus heredi dominum teneri affirmat, ut condonet heriotum; & in bona prædiaque paterna heredes ejus ſuccederent; meminerit velim ſtatutum illud, non tam de feudo hereditario, quàm de fundo pro domini arbitrio locato innuere: neque enim feudum hereditarium debet domino heriotum, cujus uſus apud Saxones & noſtrates erat antiquiſſimus.

7. Neque mirum ſi tam ſerò in Angliam jus Feudale pervenerit; nam nec ipſis Normannis, à quibus advectum eſt, jus hoc longè ante ea tempora notum. Rollo enim ipſe, licet Neuſtriam ſub hominii nomine accepiſſet, niſi ſenex hominium non præſtitit, imò in eo præſtando, ut Neubrigenſis ſcribit, graviter offendit. Nam cum Gallus ei pedem exoſculandum præberet, Rollo, licet jam ſenex, pedem Regis ita extulit, ut Regem ſuum penè in tergum proſtraviſſet, niſi circumſtantes Regi ſuo ſuccurriſſent. Sunt tamen plerique, qui Normannos ante adventum in Galliam juris hujus ſcintillas habuiſſe ſcribant, ſecumque jus inveſtituræ in Galliam attuliſſe hoc argumento probent. Nam cum Normanni ad Neuſtriæ littora appuliſſent (ſive id factum eſt Sigefredo duce, ſive poſtea Rollone, incertum relinquitur) ut occaſionem belli ex injuria undiquaque ſibi inferenda quærerent, adoleſcentem ex ſuis unum in terram emittunt magno torque aureo ornatum, non dubii quin à primo

(*a*) Lib. 16, p. 113. (*b*) Lib. 11. Fol. 125. (*c*) Vid. auctorem de Homagio, cap. 18.

primo occurrente ei eriperetur, quòd & maximè optabant. Adoleſcens torquatus cum ab indigenis rogaretur, ſi vellet torquem vendere, aut permutare, reſpondit ſe velle. Rogatus de pretio, quodcunque vellent reſpondit. Illi illudentes ſimplicitati, torquem ei detrahunt, manumque ejus pulvere à ſolo ſumpto implent, ut ille pulvis eſſet ei pro pretio. Sed magno conſtitit iis hoc ludibrium. Adoleſcens enim ad ſuos reverſus, cum quæ facta eſſent renunciaſſet, illi mox copiis in terram expoſitis eam occupant. Interrogati, quo jure illud facerent, reſpondent jure longè optimo & æquiſſimo; adoleſcentem enim ſuum publicò nomine inveſtitum eſſe in ea terra per traditionem pulveris ſive terræ, ut moris erat, & non ſine pretio. Itaque quaſi in ſuo ſolo jure & non bello acquiſito ſedes poſuerunt: fruſtra armis Gallorum poſtea laceſſiti, non deſtiterunt, donec ex Neuſtria antiqua, Normanniam novam effeciſſent; ſub quo nomine adhuc provincia illa permanet.

Facta hæc ſunt Carolo Craſſo regnante in Gallia, à quo in feudum Rollo Normannorum Dux eam provinciam accepit. Regnare autem cœperat Carolus Craſſus in Gallia anno 878. & Conradum Salicum annos 144. præceſſit.

8. Quæret autem hîc aliquis, ſi jus Feudorum in Angliam à Conquæſtore, aut paulò antè ea tempora, introductum ſit, quo jure Britannia utebatur priùs (per Britanniam eam partem inſulæ intelligo, quæ muro Severi includebatur, ut & veteres rerum Britannicarum ſcriptores omnes) quo tempore à Britonibus habitabatur? Suo jure ſuiſque legibus, ſive potiùs moribus & conſuetudinibus, cum jus ſcriptum non haberent, Britannia ante adventum Dictatoris Cæſaris vivebat. Quod autem erat illud jus, quæque leges fuerant, à nemine quod ſciam traditum; neque tradi potuit, cum literæ, quorum beneficio præteritorum memoria conſervatur, cum Romanis & præcipuè tempore Julii Agricolæ apud Britannos in uſu eſſe cœperint, & quicquid de Malmutio, Dunnallone, & Martia Anglici hiſtorici fabulantur, nullam tamen legem extare, quæ eis certò attribui poſſit, non uno in loco teſtatur Holinshedius.

9. Poſt redactam Britanniam in provinciæ formam, Romanis legibus aſſuetos Britannos veriſimile eſt: non tantum quia victores victis leges imponere, patria inſtituta tollere, ſua pro eis introducere ſolebant; ſed quòd apud omnes etiam immaniſſimas gentes, Romanarum legum conjuncta cum naturali ratione æquitas & fama ita invaluerat, ut non inviti eis homines ſe ſubjicerent. A Romanis deſerti, & Scotorum & Pictorum irruptionibus relicti Britones, leges à Romanis traditas retinuerant, ut veriſimile eſt, donec ab Angloſaxonibus victi, & in Cambriam pulſi, tandem Anglorum leges agnoſcere, eiſque ſubmittere ſe coacti. Angloſaxones verò, quo tempore in Britannia ſedes ſibi ſtabilierant, ſuo jure ſuiſque legibus, quas è Saxonia & Germania advexerant, uſos eſſe certiſſimum eſt. Earum pleræque apud Tacitum in libello de Moribus Germanorum habentur. Fertur Ina, occidentalium Saxonum Rex (qui circa annum domini 800 regnaverat) legum à ſe conditarum libella Saxonicâ linguâ reliquiſſe. Sic & Edwardus poſtremus Angloſaxonum Rex *(a)*, quarum multæ etiam hodie obſervantur; ut fieri ſolet, quoties regio aliqua mutatis dominis novas leges induit, aliquid priſtinum tamen ſemper retinere ſolent, ſed pro authenticis non habentur, id eſt, ut quid certum in judiciis ex iis obſervari poſſit. Dani verò, cum inſulæ magnam partem occupaſſent, in eaque feliciter aliquot annis vixiſſent, ſuas & ipſi leges intulerunt, quæ adhuc in aliquot Angliæ regionibus cuſtodiuntur. Hinc ex variatione dominorum jus Anglorum diverſum & varium. Neque enim Eſſexiani eodem jure utuntur, quo Nortfolciani; neque hi jure rurſus eo, quo Cantiani. Conquæſtor autem imperio Britanniæ potitus, non ſolùm Britonum, quæ tum nullæ erant, ſed etiam & Anglorum patrias leges & inſtituta publico edicto ſuſtulit, Normannica jura obtrudens: eiſque vice legum in poſterum Anglos uti voluit. Retinuerant tamen & Angli aliquot patria inſtituta; neque enim omnia poterant aboleri: adeò ut Angli hodie permiſto quodam jure, partim Britannico, partim Saxonico, partim Danico, partim etiam Normannico,

(a) Vide Αρχαιονομίαν, ſeu de priſcis Anglorum legibus.

mannico, partim denique Feudali gubernentur. Sic ut occidui Saxones & auſtrales, & qui Cantium incolebant, jure Saxonico uterentur: orientales verò Saxones, & Northumbri, id eſt, ab Humbro flumine Scotiam verſus, quoniam eæ provinciæ Danorum oppugnationibus infeſtiores erant, Danorumque progenies ibi ſedes fixerat, Danorum leges obſervabant: Mercii verò & his contermini, partim Danorum, partim patriis inſtitutis regebantur. Id ut planius fiat, qui hodierni mores ſint Anglorum, quoque jure utantur, paucis expediam.

10. Conquæſtor leges Normannicas intulit, neque in ejus regno ulla juris antiqui & patrii obſervatio erat. Legibus tantùm & moribus Normannicis omnia ſubſellia ſtrepebant; Normanni ſoli jus dicebant; Angloſaxones ab omni juriſdictione pulſi: imò, quod majus eſt, ne patriâ quidem linguâ uti in judiciis licuit: omnes formæ novæ & Gallicæ introductæ; Normannico idiomate tantùm litigantes utebantur: prout magna ex parte & hodie in publicis Parliamentis, cum ad leges ſanciendas pervenitur, Normannico utuntur idiomate; libri qui quid ſincerè de legibus tractant, & hi Normannicâ linguâ ſcripti: adeò ut, ſi verum excutere velimus, Normannicaſque conſtitutiones, quæ adhuc extant, licet ab antiquo illo Normannorum jure declinantes, cum hodiernis Anglorum moribus conferre, facile fuerit unam juris in utroque populo originem, eamque Normannicam colligere. Legant qui habent librum illum conſtitutionum Normannicarum, à viro doctiſſimo Gulielmo Terrieno conſcriptum *(a)*: ibi enim fontes totius juris quo hodie Angli utuntur (niſi quod ex tanti temporis interſtitio formulæ judiciorum paululum ſunt immutatæ) deprehendent. *Cartæ* nomine, leges in utraque provincia deſignantur; ut *Magna Carta* apud Anglos; apud Normannos *Carta* Ludovici Hutteni, *Carta* Philippi Regis, pro legibus ab iis Principibus latis, uſurpatur. Cattallorum nomine utrinque bona moventia innuuntur; & infinita alia quæ in noſtro hoc feudorum tractatu legentibus paſſim occurrent. Jure itaque & inſtitutis Normannorum, toto Conquæſtoris tempore, ejuſque filii Rufi, uſi ſunt Angli. Illud tamen *de pace domini Regis fracta*, licet ex Angloſaxonum Regum ſtatutis deſcenderet, tenaciſſimè Conquæſtor retinuit, omneſque ab eo deſcendentes, quòd maximè rationibus fiſci conveniret.

11. Priſtinarum legum reſtitutionem, & præcipuè Edwardi Confeſſoris, cum importunis precibus Angli ab Henrico exigerent; ille callidè diſſimulans, nunc annuendo, nunc differendo, revera tamen tergiverſando & abnuendo, Parliamentum primus inſtituit, id eſt, trium ordinum regni comitia ſive conventum, ut in eo ſi quid ex antiquis inſtitutis & legibus aut corrigendum, aut ſi quid novum condendum eſſet, id communi conſilio fieret, reſervatâ tamen ſibi ſoli Parliamentum convocandi, & ſuffragia approbandi poteſtate. In eo liberè quod è reipub. uſu eſſet, quilibet impunè poterat profiteri: nihil tamen ſine Principis conſenſu agebatur. Nam leges & petitiones, quæ ordinibus placebant in Parliamento, ante Principem leguntur: tum Princeps linguâ Gallicâ, *placet* mihi, vel *non placet*, conſenſum & diſſenſum ſuum aperit. Quæ ejus conſenſum expreſſum non accipiunt, irrita & caſſa habentur, licet ab ordinibus approbata. Et hæc prima apud Anglos Parliamentorum origo; callidoque hoc inſtituto Henricus deſiderium patria inſtituta repetentium eluſit. Parliamenti autem nomen à Gallis emanavit, ut & vox ipſa teſtatur: neque ulli Principi permiſſum, niſi qui ſui juris eſt, & ſuperiorem non agnoſcit. Apud Gallos antiquior fortaſſe ejus origo fuit. Joannes enim Montanus, Pipino Caroli Magni patri aſſignat. Budæus in Pandectis originem tribuit Philippo Pulchro, qui circa annum Domini 1294 illud inſtituit. Alii Philippo Longo, circa annum 1306: ſed utrumque de Parliamenti Pariſienſis prima inſtitutione intelligendum. Parliamenta enim, ſive publica regni comitia, ante ea tempora & eos Reges, quoties de Repub. deliberandum erat, ex Annalibus Francorum in uſu fuiſſe conſtat. Sed in principio hæc Parliamenta vaga erant, & per provincias Franciæ, nunc in hac, nunc in illa, vicariâ quadam ſucceſſione, perambulabant. Primus Philippus Pulcher Francorum Rex, ut illud Lutetiæ Pariſiorum perpetuò conſideret, inſtituit.

(a) Vid. lib. 2. D. 20. § 3.

it. Apud nos non tam antiquus Parliamentorum uſus erat, ſed ex potentiorum gentium imitatione defluxit. Sed de Parliamentis hoc unum monuiſſe ſufficiat, nihil ratum eſſe, nihil legis vim habere, niſi quod omnium trium ordinum conſenſu conjuncto conſtitutum eſt: ita tamen ut uniuſcujuſque ordinis per ſe major pars conſentiens pro toto ordine ſufficiat. Scio hodie controverti, an duo ordines Parliamenti, diſſentiente tertio, quaſi major pars, leges condere, onera ſive realia ſive perſonalia imponere, ſtatuta nova introducere poſſit: cujus partem negantem boni omnes, & quicunque de hac re ſcripſerunt, pertinaciſſimè tuentur: alioqui duo ordines in everſionem tertii poſſunt conſentire. Quod de everſione dixi, idem de præjudicio & incommodo intelligendum. Sed de his latiùs fortaſſe poſtea.

12. Ut ad jus Anglorum redeam, primum & præcipuum eſt illud quod Statutarium dicitur, quod ex horum Parliamentorum ſtatutis derivatur: ubi enim res in controverſiam deducitur, ſtatim ſi quid ex Parliamentorum ſtatutis cautum ſit, examinant, & religiosè ſecundum ea quæ ſtatuto præſcripta ſunt, cauſas cernunt. Nec licet ab eorum verbis recedere, niſi aliquando per interpretationem, quæ tamen ſtatuti menti maximè conveniat. Quod ſi fuerit favorabile, ſolent plerumque interpretatione extendere; ſi odioſum, reſtringere ſolent, qui jus dicunt *(a)*; ut in jure Civili cavetur.

13. Si nihil ex ipſis ſtatutis colligi poſſit, commune jus ſequuntur, quod, ut dixi, *(b)* ex jure quatuor gentium, quæ Britannis imperarunt, conflatum, jus patrium & jus commune dicitur. Hoc jus ſecundum habet locum in decidendis cauſis, præcipuè ſi neque à jure Divino diſſideat, neque à jure Naturæ, quod jus ſive legem rationis vocant, ob ingenitam in animis hominum rationem ejus naturalem, quæ ad reipub. ſalutem conſervandam expedit. Reges Anglorum, cum regni inſignia ſuſcipiunt, ſolenni juramento cavent, ſe perpetuò curaturos, ut hoc jus patrium ſive commune fideliter inter ſuos adminiſtretur & conſervetur. Hujus juris communia aliquot *Axiomata* adferam, cum magna ex parte etiam à noſtratibus obſerventur.

14. Jure communi cavetur, *ne quis re quam poſſidet privetur, aut cuſtodiæ tradatur, niſi citatus & legitimo judicio damnatus.*

Primogenitus maſculus in aſſem hereditatis ſuccedit, filiæ in capita: quod & in fratribus, *ut natu maximus* (ut qui propior) *in aſſem ſuccedat*; *& ſororibus, ut pro virili parte*, etiam in ulteriore linea, obſervatur.

Feudum non aſcendit ad patrem aut avum in directa linea (c), nec qui ex dimidio ſanguinis eſt (ſive, ut noſtri ajunt, qui ex alterutro parente tantum eſt) *ſuccedit in feudo, ſed ulteriori locus eſt (d).*

Nam *fratri in feudo frater ex alia conjuge ſuſceptus non ſuccedit, ſed tantum patruus: at patruo mortuo ſine liberis, frater ex alia conjuge ſuſceptus, qui patrui nepos eſt, rectè ei ſuccedit in feudo.*

Si extraneus jus civis accipiat (quod illi *denizationem* vocant) *& poſtea filios ſuſceperit, in ſucceſſione feudi paterni præferentur filiis ante denizationem natis (e).*

Ceſſante deſcendentium & collateralium lineâ feudum ad dominum redit. Primogenitus ex multis fratribus cuicunque mortuo ſuccedit in conquæſtu, ratione dignitatis & primogenituræ, non immediatè præcedens aut ſequens.

Teſtari de feudo antiquo non licet (f).

Quod feudum ſimplex paternum nunquam ad materni generis propinquos pertinet, ſed potiùs collateralibus ex parte patris: eis deficientibus, ad dominum redit.

Conquæſtus tamen, *deficiente paternâ propinquitate, ad conſanguineos ex materno latere devolvitur.*

Mortuo filio in feudo, feudum non ad patrem ſed ad patruum pertinebit, ita tamen, ut ſi pòſt pater ex eadem uxore filium ſuſceperit, is reſciſſâ priore ſucceſſione in aſſem ſuccedat fratri longè priùs mortuo.

Sine ſaſina dominia rerum non transferuntur, niſi in permutationibus.

(*a*) L. 64. in fine, ff. de Condit. & Dem. l. 2. § 10, 16. ff. ne quid in loco publico fiat. (*b*) §. 9. (*c*) 2. F. 50. pr. & 2. F. 84. (*d*) Lib. 2. D. 13. § 46. (*e*) Lib. 2. D. 18. § 8. in fine. (*f*) 1. F. 8. pr.

In locationibus, quia idem dominus remanet, ſaſina non eſt neceſſaria.

Bona moventia non ad hercdes ſed ad executores ultimæ voluntatis defuncti pertinent.

Sic *jus* illud *Curialitatis*, ſive *Curteſiæ*, *quo vir prædiorum uxoris defunctæ uſumfructum habet*; *& uſusfructus tertiæ*, ſive *trientis qui viduæ defuncti debetur.*

Sic *jus cuſtodiæ & maritationis heredis, & etiam relevii* (ut dicuntur) *ad dominum pertinent.*

15. Hæc Axiomata ideò appoſui, quia cum jure noſtro in pleriſque conveniunt, &, ut facile intuenti apparet, magna ex parte ex jure Feudali ſunt deſumpta, licet illi diſſimulent, nullumque jus niſi ſuum agnoſcere profiteantur. De his Axiomatibus, verane ſunt juris communis Axiomata judex ipſe pronunciat, neque ad duodecim-virale ſacramentum, ut alia, & præcipuè quæ in facto conſiſtunt, remittuntur. Neque ab iis Axiomatibus unquam judex temerè recedit; ſi fecerit, appellatio parti læſæ permittitur apud judicem ſuperiorem; quâ peractâ & ſententiâ reſciſsâ, judex pœnâ omnium bonorum amiſſionis punitur, & ille in miſericordia domini Regis poni dicitur.

16. Si neque in ſtatutis publicis, neque in hoc jure communi inveniatur, quod religioni judicantis ſatisfaciat, ad *Maximas* quaſdam *generales* recurritur; quæ quidem Maximæ, licet omninò non eandem auctoritatem cum Axiomatibus juris communis habeant, ab eis tamen pendent, & proximum ab eis locum dignitatis habent. Hoc tantum eſt diſcriminis, quod illud jus commune omnibus doctis & indoctis pariter notum eſt; hoc tantum Doctoribus, quique in foro ſive judiciis exercentur.

Id ex quarundam harum Maximarum enumeratione facilius patebit.

17. Prima eſt: *Scutagium incertum, inducit militare ſervitium*; *certum, tantum ſoccagium*: de Scutagio & Soccagio in Diegeſi undecima pleniùs. *Qui pro cuſtodia caſtri tenet feudum, licet militare ſit ſervitium, non tamen ſcutagium debet.* Ratio eſt, quoniam in periculis cuſtodia caſtri ei pro ſcutagio & ſervitio eſt: qui tamen certum reditum habet ex hoc caſtro annuatim percipiendum, in ſoccagio tenet.

Præſcriptio in feudis locum non habet, neque ea dicitur præſcriptio, cujus incipientis memoria extat. Quòd uſusfructus aſſignatio fieri poſſit, etiamſi nulla in ejus conſtitutione aſſignatorum mentio. Feudi, ſive *rerum immobilium, ſine ſcripto nulla petitio*; *ſecus in mobilibus.*

Confirmatio ejus, qui tempore confirmationis nullum jus habuit, irrita eſt; *neque jus ei ſuperveniens proderit, niſi de evictione priùs cavit.*

Si rei furto ablatæ valor duodecim nummos ſuperet, fur laqueo punitur; *ſi minor ſit, cùm eo agitur mitiùs (a). Qui à corpore alicujus aliquid ſuſtulerit, omninò capite luet*: & id genus infinita alia. Et his Maximis tertius in judicando apud Anglos locus eſt, & Maxima ſit necne, judicis arbitrio & non duodecim-virali inquiſitioni permittitur: & hæ Maximæ jus conſuetudinarium, quia ex conſuetudinibus conſtant, dicuntur; & jus Feudale omninò ſapiunt, ut poſteà apparebit.

18. Poſt ſtatuta, jus commune, & has generales Maximas, ſive propoſitiones, ſi nihil certum ex eis poſſit colligi, ad id quod in ea regione maximè obſervatur, recurritur; nempe ad quædam Axiomata, ſive *Maximas ſpeciales* illius regionis ubi res agitur. Nam alio jure Cantiani, alio Eſſexiani & Northfolciani, alio Suffolciani, & Cantuarienſes utuntur: quod ex eo provenit; dum diverſi in diverſis partibus regnarent, juſque dicerent, neceſſario fiebat, ut diverſæ conſuetudines naſcerentur; exempli cauſa, in Cantio inveterata conſuetudo eſt, ut omnes filii ex æquis partibus & in capita ſuccederent: idem in filiabus obſervant; licet primogeniti prærogativa, generali axiomate & conſuetudine ſit confirmata. Sic apud Nottingamos ex pluribus fratribus minimus natu ſuccedit in aſſem, neque illi ſuis rationibus deſtituuntur *(b)*.

Londinenſes de ſuo feudo contra jus commune teſtantur: quod tantum in Burgalibus feudis locum habere puto. Sic in nonnullis regionibus, felonia patris filio non præjudicat in ſucceſſione. In nonnullis obſervatur, ut vidua bonorum à marito

(a) Idque ex jure Feudali, 2. F. 27. § 8. (b) D. 11. § 19.

to relictorum dimidium lucretur, ſi cœlebs manſerit; ſic ut vir dimidium hereditatis uxoris eâ præmoriente conſequatur, licet nulli ex eo matrimonio liberi relicti ſint. Hæc digito mihi commonſtrare ſufficiat, ut noſtri juris Anglorum originem & fundamenta quaſi per tranſennam tantùm prætereuntes intelligant: neque enim eſt noſtri inſtituti hoc loco per univerſum jus Anglorum diſcurrere. Admonendi tamen ſumus in his conſuetudinibus hoc præcipuè obſervandum eſſe, ſi conſuetudo hæc memoriam hominum exceſſerit; nam tum in legem abit, aut ſaltem legis vim & auctoritatem habet.

19. Differt tamen conſuetudo à præſcriptione, quòd conſuetudo generalior ſit, & unius provinciæ communis; præſcriptio verò ad aliqua ſeparata dominia & Baronias ſive Parochias virorum nobilium extendatur. Nam ſolent pleraque in una Baronia ſive Parochia obſervari, quæ in alia non habent locum: exempli cauſa, aſſedationes ſive rentalia in quibuſdam Baroniis vitalia ſunt; in nonnullis etiam hereditaria, ut apud nos in terris Eccleſiaſticis ſedis Glaſguenſis & Paſletenſis Monaſterii hactenus eſt obſervatum. Imò rentalia (quæ vocamus) in occidentalibus Scotiæ partibus vitalia eſſe ſolebant, eorumque è libris Dominorum extractio pro uſufructu erat: hodie cautiùs res agitur, ut pro vitæ tempore exprimatur, ne dominis eludendi ex jure communi occaſio relinquatur. Itaque hæc præſcriptio magis ſpecialis eſt quàm conſuetudo; juſque præſcriptum ab eo tempore quod hominum excedit memoriam dicitur.

20. Si neque de axiomate aliquo generali, neque de conſuetudine aut præſcriptione conſtet, tum rerum ſimiliter, præcipuè in Bânco Regio, judicatarum auctoritas in deciſionibus prævalet; & ex his præcipuè controverſiæ novæ judicantur, ſi oſtendatur ita aliàs judicatum fuiſſe. Nec ulla alia exceptio contra hanc formam judicandi ſolet objici, niſi quòd caſus variatur; ut ſæpiſſimè ex minimis circumſtantiis tota hypotheſis facti ſolet immutari. Hinc frequentes illi de caſibus (ſic enim hypotheſes facti vocant) Ploudini libri, ſic de caſibus judicis Dyarii & aliorum: ut omnes in judiciis controverſiæ inde pendeant, ſi quis ſimilem caſum poſſit producere, ubi ſit judicatum; ut contrà ab altera parte totis viribus contenditur, differentiam eſſe in ſpecie facti ab antiquo illo caſu. Utri veriſimiliùs argumententur, & caſuum ſive circumſtantiarum ſimilitudo aut diſſimilitudo, judicis arbitrio relinquitur.

21. Sed cum juris nimius (ut volunt) rigor, ſive illud jus ſummum pleriſque ſæpe officiat, & in captionem ſæpe deducat, mollitur ſive mitigatur illud jus ſummum aliquando; ut lapſis & à re ſua ſine culpa decidentibus ſubveniatur, & pluribus, ſi fieri poſſit, ſuccurratur. Hanc curiam Conſcientiæ vocant, ubi juris ſummi rigor aliquando emollitur, præpoſterâ ut plerique volunt clementiâ, & ſæpe ipſi conſcientiæ contrariâ. Sed hæc exequi non inſtitui.

22. Juris Civilis rarus apud eos uſus; & profectò licet in omni literarum genere apud Anglos viri reperiantur doctiſſimi, rari tamen ſunt qui juri Civili ſe totos dederunt, contenti in limine tantùm ſalutaſſe, cum patria inſtituta & mores potiùs apud eos in uſu ſint. Hinc Municipali jure Angli uti à doctis feruntur, cum Scoti Civili gubernentur. Sed nunquam ſic jus Civile apud eos in judiciis exulavit, quin ejus & rationes & deciſiones quaſi ſcintillæ quædam in omnibus rebus & controverſiis deprehendantur; quas tamen illi ſuis hominibus adſcribere, quàm veteribus Juriſconſultis debere, malunt: utcunque eſt, magnus juris Civilis uſus in omnibus controverſiis eluceſcit, adeò ut non difficulter juris Civilis peritus maximas juris Anglici controverſias ex juris Civilis fontibus, & Juriſconſultorum ſeu Cæſarum reſponſis, poſſe terminari comperiat; ut ex Ploudini & Dyarii caſibus ſæpiùs apparebit.

23. Quod ad jus Canonicum ſive Pontificium attinet, adhuc in multis locis retinetur, licet Pontificis Romani auctoritatem jam ejurarint. Habet autem hoc jus Canonicum ſuum locum in omnibus conſiſtoriis Archiepiſcoporum & Epiſcoporum; & præcipuè ſi de decimis agatur, ſive de adminiſtratione rerum Eccleſiaſticarum, aut ipſarum Eccleſiarum: ſic in quæſtionibus & controverſiis matrimonialibus,

nempe in ſponſalibus, matrimoniis, dotibus, qui filii ſint legitimi, & ſimilibus.

24. Statueram etiam de duello & lege Ordalia aliqua adjicere: quorum illud, uſitatiſſimum fuerat apud omnes Anglos, etiam & apud noſtrates, tam ante conquæſtum quàm poſt, ut ex libris Ranulphi de Glanvilla ſatis apparet: in quibus deficientibus aliis probationibus duello & ſingulari certamine rem definire permittitur *(a)*. Hujus, nempe legis Ordaliæ, poſt Normannorum conquæſtum rarior uſus erat. Ante Conquæſtoris adventum evidens eſt illud exemplum, in Emma Regina matre Edwardi Confeſſoris, qui Conquæſtorem præceſſerat: ea enim violatæ pudicitiæ inſimulata ab Alvino Epiſcopo Vintonienſi, accuſationem ex jure Ordalio purgavit, per ignitos vomeres, ſive candens ferrum, ſine pedum offenſione tranſeundo. Solebant enim ſuperſtitioſæ gentes ſeptentrionales de criminibus inquirere, eaque explorare, vel per ferrum candens, vel per aquam, nunc frigidam, nunc calidam: in hac ſi mergerentur, in illo, niſi illæſi & intacti fuiſſent, rei criminis impoſiti habebantur. Sed quoniam utrumque hoc inſtitutum, non tantùm Anglorum, ſed omnium ſeptentrionalium gentium erat commune, & jam deſuetudine antiquatum *(b)*, neque in Chriſtiana Repub. tolerandum; in librum tertium, ubi de judiciis agitur, diſtuli. Et hæc de jure quo hodie Angli utuntur.

Diegeſis octava.

Quando jus Feudale in Scotiam pervenerit, & quo jure hodie Scoti utuntur.

SUMMARIA.

1. *Quo tempore jus Feudale in Scotiam pervenerit.*
2. *Jure Feudali noſtrates uſos longè ante Anglos, eoque puriore, variis exemplis oſtenditur.*
3. *Ex contracta cum Gallis amicitia veriſimile eſſe jus Feudale ad nos perveniſſe. Id Conquæſtorem ſecum in Angliam attuliſſe videri. Polydorus Virgilius notatus.*
4. *In quibus jus Feudale conſiſtat. Licet eodem jure cum Anglis utantur Scoti, iiſdem tamen legibus non gubernantur. Male inde colligitur, non diſtinguendo inter jus & leges, Scotos Anglis eſſe ſubditos: de qua re notatur Nicolaus Adams Anglus.*
5. *Nullo jure ſcripto antiquitus uſi ſunt Scoti; ſed tam cauſæ æquitas, quàm facti veritas, vicinorum ſacramento permittebatur.*
6. *Quo jure hodie Scoti regantur. De jure naturali, & duplici ejus ſignificatione.*
7. *Jus hoc naturale quare bonum & æquum vocetur.*
8. *Jus gentium, quod ab omnibus gentibus obſervatur, apud nos etiam valere debet, non obſtante quocunque regni ſtatuto; etiam inter cives, ſi non obſtet lex, aut ſtatutum ſpeciale.*
9. *De jure noſtro Municipali, ſive Civili. Acta Parliamenti apud Anglos, niſi expreſſâ conſtitutione antiquentur, in deſuetudinem non abeunt; ſecus apud nos, ubi quædam in totum, alia in majorem partem, longâ deſuetudine antiquata ſunt. Alia apud nos, licet locum habeant, ita ſibi Senatus ſubjicit, ut interpretatione quò volunt deducant. At ea ſtatuta, quæ à Rege & concilio ſuo ſecretiore publicantur, vim legum non habent.*
10. *Statuta conventionum extra Parliamentum vim legum non habent; licet aliter olim, cum uſus Parliamentorum non eſſet.*
11. *Libros qui Regiam majeſtatem inſcribuntur, non noſtrum ſed Anglicum jus eſſe.*

12. *In*

(a) De quo vide Indicem ad Regiam Majeſtatem verbo de ſingulari duello. (b) Imò cap. 7. § 3. Statutorum Alexandri II. expreſſè abrogatum eſt.

12. *In decidendis controverſiis apud nos primus locus tribuitur actis Parliamenti.*
13. *Deficiente jure proprio ad praxin recurritur.*
14. *Secundus locus conſuetudini tribuitur, quæ tamen nunquam eſt ſequenda contra jus proprium ſcriptum, licet vincat jus ſcriptum Romanorum. Ea optima eſt interpres juris ſcripti.*
15. *Conſuetudo judicio contradictorio firmata intelligenda eſt, nec negligentiâ, vel imperitiâ advocatorum impetrata. Item is qui juriſdictioni præeſt à ſimilibus ad ſimilia, vel etiam ad id quod apud vicinos obſervatur, procedere poteſt.*
16. *Tertius locus juri Feudali tribuitur, quod eſt proprium hujus regni jus. Ex præcedentibus exſtruitur regula generalis.*
17. *Juri Civili quartus locus tribuitur, cujus maximum & meritò eſt elogium; licet aliquando in quibuſdam caſibus jus Canonicum apud nos ei præferatur.*

1. QUO autem tempore hoc jus Feudale in Scotiam pervenerit, & quando eo uti noſtri cœperint, multò incertius eſt: nam nullo jure ſcripto antiquitùs utebantur, ſed tantùm conſuetudinario jure: quod etiam me movet maximè, ut putem jure Feudali noſtrates uſos longè ante Conquæſtorem. Nam & Lombardi, longè antequam hoc jus ſcripto mandaretur, jure hoc Conſuetudinario regebantur; nec ullum aliud jus in civitatibus erat, ex quo jus populo diceretur, quàm perpetua juris Feudalis conſuetudo. Sunt tamen adhuc quorundam Regum ſtatuta, qui Conquæſtoris tempora præceſſerunt, quæ juris vim & poteſtatem habere creduntur; qualia ſunt, quæ à Malcolmo Mackenneth de feudis Officiariorum ſcribuntur *(a)*; & multa de militibus qui tenent de Baronibus; & quomodo in curiis ſuis debent verſari, & ad quem eſchetæ pertinebunt; & de iis qui tenent de domino Rege. Ubi plura, de tenentibus & tenendriis, de Rege, & militibus in feudo.

2. Sed in his omnibus rara ſunt veſtigia juris Feudalis, ut annotavi ſuprà *(b)* in ſtatutis Regum Angliæ ante Conquæſtorem; in quibus licet multa præclarè ſtatuta reperiantur, præcipuè quoad criminum coërcitionem, raræ tamen & quaſi ſcintillæ juris Feudalis eluceſcunt. Multa tamen ſunt quæ me movent, ut hoc jure noſtrates uſos putem, antequam Angli eo uti cœperint. Hoc enim certiſſimum eſt, nos purius hoc jus habere, quàm vicinos *(c)*; ut in rivulis aquarum, qui quo propiores ſint fonti ſive ſcaturigini, eo ſunt puriores: quod in hoc noſtro tractatu manifeſtè apparebit, cum ad controverſa juris capita inter nos & vicinos noſtros pervenerimus. Præterea *Cuſtodiæ (d) heredum* (quas *Wardas* dicimus) & eorum *Maritationes* cum *Releviis* longè priùs in Scotia viguerunt, quàm in Anglia; quas tamen certiſſimum eſt ex jure Feudali deſcendiſſe, & ab eo ſolo originem habere. Nam tempore Kennethi III. qui regnavit circa annum Domini nongenteſimum & ſeptuageſimum, expreſſa conſtitutio eſt de wardis & releviis, quòd ea in futurum ad Regem pertinere debeant: & certum eſt ex hiſtoria, Malcolmo ejus filio ad dignitatem Regiam ſuſtinendam conceſſa, cum Regiæ opes in bellis contra Danos fuiſſent exhauſtæ. At ſi Polydoro credimus, non ante Henrici III. tempora recepta ſunt in Anglia: ſic enim ille ſcribit *(e)*. Eſt etiam aliquod veſtigium in conſtitutionibus Regis Kennethi, ſive Cannethi II. quibus cavetur ſuſpectos cujuſcunque criminis per inquiſitionem 7, 9, 11, 13. & ſic deinceps numero impari hominum proborum judicandos, ſi noxii ſint necne *(f)*; & quòd mutus & ſurdus, aut alioqui lege vel naturâ impotens, à ſucceſſione repellatur *(g)*: utrumque hoc ſtatutum juris Feudalis eſt.

Regnare autem cœpit Cannethus II. circa annum Domini 834. Sic & Cannethus III. qui regnare cœperat circa annum Domini 970. aliquot leges de ſucceſſione ſtatuit, non minus de ſucceſſione Regis quàm vaſſallorum: ut illi, quam primùm nati eſſent; hi, non ante annum vigeſimum primum ætatis paternam feudi hereditatem

(*a*) Vide Regiam Majeſtatem in pr. ubi ſunt ſtatuta dicti Malcolmi Mackenneth, noſtri Regis, qui regnare cœpit anno Domini 1004, vid. infra § 3. (*b*) D. 7. § 3. (*c*) D. 7. § 1. (*d*) Lib. 2. D. 20. § 3. (*e*) In Henric. III. (*f*) 1. F. 22. § ult. & 2. F. 22. de qua vid. etiam Leſlæum de rebus & geſtis Scotorum, lib. 1. p. 76. (*g*) 2. F. 36.

tem adirent: quod in prædiis, quæ ſervitia & wardam ſive cuſtodiam cum maritatione debent, intelligi nemini dubium. Et in Macbetho quædam de ſucceſſione fœminarum caventur, & ne fœmina heres feudi domino ſuo invito nubat, neque ut quiſquam alius poſſideat prædia, niſi de Regis licentia, hoc eſt, quæ de Rege teneant, & ne vaſſallus ligius Regis alii domino fidelitatem juret in præjudicium Regis. Id ille caverat, ut factionibus, quæ tum frequentes erant, occurreret. At ego legem illam de verbo in verbum ex Caroli Magni inſtitutionibus *(a)* crederem deſumptam, niſi in Carolina conſtitutione hæc immediatè ſequerentur [*& ſuo ſeniori ad noſtram utilitatem, & ſui ſenioris, id eſt, domini*] quæ in Macbethi conſtitutione deſiderantur. Aliqua etiam habentur de Baronibus, qui à jure Feudali deſcendunt, cùm ante ea tempora Capitanei tribuum tantum dicerentur. Hæc & his ſimilia multa, licèt à Macbethi Regis ſucceſſore antiquata, tamen in aliquo uſu antea fuiſſe, & ex jure Feudali deſcendere certiſſimum eſt.

3. Apparet igitur manifeſtè, noſtros hoc jure Feudali uſos ante ipſius Conquæſtoris tempora, & proinde ante ipſos Anglos; ſed ex contracta cum Gallis amicitia, & morum frequentia, primùm jus hoc ab eis recepiſſe; vel à Regibus noſtris introductum ad æmulationem aliorum Regum: ut proni omnes ſunt Reges ad ea introducenda, quæ ad rationes fiſci ſui videbuntur conducere. Et cum cuſtodias heredum, & maritationes cum releviis in uſu apud Gallos videret, ſive Cannethus, ſive ejus filius Malcolmus, ad noſtros traduxiſſe videntur, & ex benevolentia Baronum recepiſſe, ut dixi, aut vi illis extorſiſſe. Henricus III. Anglorum Rex à ſuis Baronibus, ſive jure, ſive injuriâ idem impetraverat, ut ex Polydoro *(b)* conſtat. " Is enim rei domeſticæ inopiâ preſſus, cùm ſine auxilio ſuorum Aſiaticum " bellum promovere, vitamque regalem decenter degere nequiret; Principes exacto " priùs tributo pro eo bello gerendo, poſtea excogitato novo vectigalis genere, ut " pro ſua quiſque parte Regem ſuum eâ indigentiâ levaret, ultro conceſſerunt, ut " quoties quiſpiam eorum qui poſſeſſiones haberent, quarum Rex eſſet dominus, " ante moreretur, quàm liberi heredes vigeſimum alterum agerent annum, tum ea- " tenus tam ipſe heres quàm patrimonium in poteſtate atque tutela Regis foret, & " ille patrimonii hujuſmodi reditus & utilitates caperet, quoad heres ad eam æta- " tem perveniret. Et ſic iſtiuſmodi nobilium heredum tutelas, ut rem ſibi valde " utilem accuratiſſimè ſuſcepit. Quid quod ita res curæ omnibus fuit, ut non " modò Reges, ſed reliqui locorum domini in hereditates vaſſallorum demortuo- " rum eodem modo invaſerint?" Et quæ ibi ſequuntur. Has autem tutelas ſive cuſtodias, ſub eodem prætextu, nempe pro ſublevanda inopia rei familiaris, & pro regia dignitate ſuſtinenda, Malcolmo II. indultas noſtri ſcriptores referunt, qui regnare cœpit circa annum Domini 1004, 62 annos ante Conquæſtorem. Sed mirum eſt quòd noſtri id Malcolmo II. tribuant, cùm ab ejus patre Kennetho III. ſtatutum extet de cuſtodia & maritatione heredum, ut ad dominos debeant pertinere. Nec minus mirum de Polydoro, qui initium hujus conſuetudinis in Henrici III. tempora rejicit, cùm certum ſit Normannorum duces, ipſius Conquæſtoris majores, & ipſum Conquæſtorem, ante vigeſimum primum ætatis annum in perpetua cuſtodia Regum Franciæ fuiſſe; quod & etiam in reliquis vaſſallis minoribus Normannorum, & tum ſervatum erat, & adhuc hodie ſervatur. Jura autem Normanniæ Conquæſtor ſecum in Angliam attulit, mutatis patriis omnibus inſtitutis, quòd parùm ſuo fiſco viderentur æqua: nec veriſimile eſt tantam rei familiaris locupletandæ occaſionem præteriiſſe: & proinde crediderim Polydorum hallucinatum fuiſſe in temporum diſtinctione, cùm cuſtodiæ hæ in Scotia ante Conquæſtoris tempora vigerent, & jus Feudale cum Conquæſtore introductum Scriptores poſteritati reliquerint.

4. Sed, ut ad propoſitum redeam, cùm totum jus Feudale in his penè conſiſtat; de dominorum in vaſſallos jure & ſuperioritate; vaſſallorum in dominos obſequiis debitis, & præcipuè militaribus, de fidelitate præſtanda, & quibus modis feudum acquiratur, quibus retineatur, quibus denique amittatur, & in cuſtodia & maritatio-

ne

(*a*) C. 8. l. 3. de Leg. Francorum. (*b*) Lib. 16. Hiſtoriæ.

ne heredum cum releviis; quæ omnia nobis cum vicinis noſtris ſunt communia: non malè colligemus, eodem jure utramque gentem hodie uti, eiſdem moribus gubernari. Quod & etiam animadvertit Leguleius quidam apud Anglos, Nicolaus Adamus *(a)*: ſed malè & contra leges diſſerendi inde colligit, Scotos Anglis fuiſſe ſubditos, quòd eiſdem legibus uterentur. Sed diſtinctionem inter jus & leges non animadvertit. Scoti enim, licèt eodem jure fortè quo Angli utantur, non tamen eiſdem legibus: leges enim à magiſtratibus, ſive ſuperiore feruntur, & ſubditos aſtringunt; jus autem à natura proficiſcitur. Sic jus Naturale, jus Gentium, ſic jus Commune dicitur, quòd omnium fere gentium commune eſt, quaſi ingenita quædam æquitatis ratio in hominum animis regnans. Sic Terentius *(b)*: *Quid cum illis facias, qui neque jus, neque bonum aut æquum ſciunt?* *Lex* enim *commune omnium ſubjectorum præceptum; virorum prudentûm conſultum; delictorum, quæ ſponte vel ignorantiâ contrahuntur, coërcitio; communis reip. ſponſio (c).* Jus, vinculum naturale eſt; lex, civile: jus, nomen commune; lex, ſpecies juris, quæ aut neceſſitate urgente, aut conſenſu populi, aut perpetuâ conſuetudine introducitur. Itaque longè aliud eſt jus à lege: nec meo quidem judicio Logicus dici vel haberi poteſt, qui ex communione juris unam gentem, multò minùs alii aliam ſubditam inferet. Aliud fortè dicendum de lege, quæ à ſuo Rege vel populo lata, legis nomen meretur, &, ut nomen juris exterum aſtringit, ſic nomen legis, civem; licèt non ſit obſcurum, multas leges multarum fuiſſe provinciarum communes, quæ tamen uni non parebant. Sic Regulæ Pontificiæ, quæ Cancellariæ dicuntur, pleræque leges regni Francici factæ, & ideo obſervandæ: quæ tamen, ſi non ſunt leges regni factæ, neminem ligant, & meritò in judiciis omnibus exploduntur. Sed de his plura in ſequente narratione.

5. Non deerit etiam aliquis, qui ſcire cupiat quo jure noſtri hactenus uſi ſunt, quóque hodie utuntur. Quod ad jus antiquum noſtrorum hominum attinet, ante Angliæ conquæſtum (qui in tempora Malcolmi cognomento Canmori incidit) nullo jure ſcripto (quod ſciam) uſi ſumus, in controverſiis ſecandis patrios tantùm mores & conſuetudinem ſequentes: nempe ut quindecim-virali vicinorum & parium ſacramento, tam ipſius cauſæ æquitas, quàm facti veritas permitteretur. Solebant enim tum, ſi quid inter nobiles aut vicinos controverſum occurreret, ſeptem, novem, undecim, decem & tres, ſæpiſſime quindecim, aliquando & ſeptemdecim, ſemper autem in numero impari, qui de cauſa judicarent, ſeligere, & eorum religioni controverſiam credere; qui collatis inter ſe utriuſque partis rationibus, quid faciendum, cernebant: in quo ordinem juris Feudalis, quo primi feudorum conſtitutores uſi ſunt, noſtri ſunt ſequuti.

6. Supereſt, ut de eo jure quo noſtri hodie uti ſolent aliqua dicamus, ut intelligant juniores, quorum ſtudia hoc opuſculo promovere cupio, quoties in ſalebras inciderint, quo ſit recurrendum. Et primò, ex jure Civili conſtat juris nomen eſſe multiplex, multiſque modis dici. Aliud enim eſt jus Naturale, aliud Gentium, aliud Civile. Jus autem naturale in duplici ſignificatione uſurpatur. Aliud enim eſt commune omnium animantium, quod natura omnia animantia docuit; veluti conjunctionis appetitus, prolis procreatio, ſui & prolis tuitio, vim vi repellere: nam & hæc omnia, tam brutorum, quàm piſcium & volucrum, etiam & reptilium, ſunt communia, ut ad ſuæ ſpeciei conſervationem enitantur. Aliud eſt jus naturale, quod natura omnes homines docuit, quod æquè à Judæis, Turcis, & ipſis etiam Paganis obſervatur: ut, Deum timere & ſupra omnia venerari, quæ bona ſunt amplecti, ſcelera & crimina damnare & coërcere, vim vi incontinenti repellere, ſe ſuaque quoquo modo ab injuſtis invaſoribus defendere, tranquillè & modeſtè cum aliis vivere, jus ſuum cuique tribuere, nemini injuriam inferre, neminem lædere: quæ omnia ex illa generali & naturali ratione procedunt, Ut alteri nemo faciat, quod ſibi fieri non vult. Et huic juri, ſive in judicando, ſive in faciendo, ſive in contrahendo, ſemper primæ partes tribuendæ ſunt.

(a) Ho'inſhed. lib. 1. præfationis Britanniæ. (b) In Heautontim. (c) L. 1. ff. de ll.

7. Diciturque hoc jus Naturale bonum & æquum, ab ingenita in nobis hujus juris ratione ſive æquitate : exempli causâ, cædes jure Divino, Civili, & Municipali damnatur & punitur; at ſi quis, ſe defendendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, quempiam aggreſſorem interfecerit, liberandus : fur capite luit; ſed ſi edulia aliena neceſſitate coactus aſſumpſerit, cùm aliunde quo ſe aleret habere nequeat, abſolvendus *(a)* : adeo ut contra hoc jus, neque ſtatutum regni, neque præſcriptio vel longiſſimi temporis, neque conſuetudo, locum habeat.

8. Aliud eſt jus quod Gentium dicitur, quod poſt ingenitam à natura nobis æqui & boni rationem & cognitionem, obſervandum præcipuè eſt. Ex hoc jure gentium, cùm res repetitæ non redderentur, bella, manumiſſiones, legationes, induciæ, promanârunt. Quodque omnes gentes obſervant, etiam & apud nos valere debet, non obſtante quocunque jure Civili vel Municipali. Sic & juris Gentium ſunt emptiones, venditiones, locationes, permutationes, quique præſcriptis verbis, & reliqui omnes tam nominati quàm non nominati contractus, in quibus ex verbis conventionum & pactis interpoſitis jus ſumitur, quidque faciendum aut dandum, quid non faciendum aut non dandum, apud omnes fere gentes æquè obſervatur. Sic hoc jus Gentium cum exteris omnino ſervandum, non obſtante quocunque regni ſtatuto : inter cives, locum habet, niſi lex aut ſtatutum ſpeciale obſtet.

9. Tertium eſt jus proprium ſive Civile cujuſque gentis. Nam jus Romanum, quod proprium & Civile Romanorum priùs erat, hodie tamen jus proprium Romanorum dici non poteſt, cùm aliæ etiam gentes eo jure utantur; Civilis tamen juris nomen retinuit. Itaque poſt illud jus Naturale, & quod hodie omnium gentium penè eſt commune, quoties aliqua difficultas, & gravior controverſia inciderit, ad jus noſtrum ſcriptum, ſi quod ſit, primò recurrendum. Id verè noſtrum jus eſt, quale eſt illud quod ex trium regni Ordinum conſtitutionibus & ſtatutis, accedente Principis conſenſu, promanat, & hoc jus regni proprium eſt : & acta, quæ dicuntur Parliamentorum, primò inveſtiganda, quoties difficultas aliqua occurrat, ut nuper in jure Anglorum diximus *(b)*. In his quid faciendum, quid fugiendum, primò inquirendum : neque enim præter ea, apud nos ullum jus ſcriptum certum & ſtabile habemus. Sed profectò non eâ religione hæc apud nos ſervantur, quâ apud Anglos; ubi nemo actum Parliamenti, etiam longâ deſuetudine penè abolitum, niſi expreſsâ poſterâ conſtitutione antiquatum, unquam violavit impunè. Apud nos quædam omnino in deſuetudinem abiêrunt : veluti, ne liceat cuiquam inter feſta Simonis & Petri, & purificationem Virginis navigare; ne ludo pilæ majoris ſe exerceat; de veſtibus Advocatorum in Parliamentis, & pleræque ſimiles. Quædam non in totum, ſed pro majori parte antiquata ſunt : quale eſt illud, de nullitatibus per exceptionem recipiendis; quod tantùm in cauſis regiis, & quæ circa ejus patrimonium verſantur, locum habet. Quædam etiam, ſi locum habeant, ita Senatus ſibi ſubjecit, ut interpretatione quò velint deducant : quale eſt illud de inſtrumentis *(c)*, ne in rebus hereditariis ſive gravibus controverſiis locum habeant, niſi duorum notariorum teſtimonio & ſignis confirmentur. Nam quæ res magnæ, quæ graves controverſiæ dicantur, ſibi Senatus judicium reſervavit *(d)*; in quo etiam ſæpe variatum vidi. Præter ea ſtatuta, jus ſcriptum apud nos ſtabile & certum nullum eſt, ex quo, veluti fundamento, deciſiones cauſarum colligi, & ad conſequentiam trahi poſſunt. Nam de iis ſtatutis, quæ à Principe & ſuo concilio ſecretiori publicantur, ſi de capite, hereditate, aut omnibus fortunis alicujus ſit quæſtio, ſæpe à viris doctis, & rerum noſtrarum peritis accepi, ea vim legum non habere; neque ex iis quemquam periculum vitæ, hereditatis, aut omnium fortunarum ſubire poſſe.

10. Quid ergo, dicet aliquis, de ſtatutis his, quæ in conventionibus Statuum ſive Ordinum extra Parliamenta fiunt, eáne vim legum obtinebunt ? Neque ea puto parem cum actis Parliamenti vim habere, alioqui fruſtra Parliamenta indicerentur,

(*a*) Cap. Si quis propter 3. Extra de furtis. Vide etiam lib. 3. D. 4. § 10. (*b*) D. 7. § 12. (*c*) Cap. 80. Parl. 6. Jac. VI. (*d*) Sed hodie magis ſtabilitum per deciſionem Senatûs, ult. Januarii, A. D. 1623.

tur, ſi quod extra ea fieret, ejuſdem eſſet roboris & firmitatis: licèt non ſim ignarus, & quæ hîc fiebant, auctoritatem legum habere, & pro legibus obſervari olim ſolita, præcipuè cum Parliamentorum uſus non erat: nam tum conventiones hæ loco Parliamentorum erant.

11. An autem juris proprii nomine comprehendam quatuor libros qui ſub nomine *Majeſtatis Regiæ* circumferuntur, alioſque libros eis annexos quæret aliquis? Minimè ego quidem. Nam cum omne jus perfectum & omnibus ſuis partibus abſolutum eſſe debeat *(a)*, negari non poteſt jus hoc ex actis publicis regni purgandum & corrigendum eſſe viris doctis: neque unquam auctoritatem juris vel edicto vel principali conſtitutione obtinuit. Imò ut caliginem noſtratium omnium oculis & animis offuſam, quâque miſerè hactenus occæcati fuimus, detergam, aſſero nihil in eis libris contineri, quod ad mores noſtros, ſive uſum noſtrum forenſem conducat; neque unquam ſcriptoris illius fuiſſe inſtitutum, ut aut noſtris hominibus prodeſſet, aut leges nobis præſcriberet. Auctor enim eorum librorum fuit Ranulphus de Glanvilla, comes Ceſtriæ, ut vult Balæus *(b)*; qui tractatum *de legibus & conſuetudinibus Angliæ*, regnante Henrico II. edidit. Regnare autem cœperat Henricus II. anno Domini 1154. Hunc tractatum in tredecim libros partitus eſt, quem fortaſſe ab initio in quatuor tantùm partes diviſerat. Hi ſunt illi quatuor libri, qui nobis ſub nomine *Regiæ Majeſtatis* obtruduntur; nam de verbo in verbum excerpti ſunt, & tranſcripti ex tredecim libris Ranulphi Comitis Ceſtriæ, licet in quatuor redacti. Aut ſi quis novus homo fuit, qui velut ſuos oſtentavit, manifeſti furti reum eſſe oportet; qui aliorum ſcrinia & opellas in publicis noſtris nundinis expoſuit vendendas: & ne quis fallatur, verba, phraſes, ſententiæ, totus denique textus ipſius Ranulphi eſt. Nec furandi finem hic noſter fecit, dum aliquid ſupereſſet quod furaretur: ita omnes illos decem & tres libros in ſuos quatuor digeſſit, ut ne cæcum quidem latere poſſit. Plura de his quatuor libris, & de eis qui ſubſequuntur, ſpeciali opuſculo poſt noſtras has de feudis lucubrationes exponam: ſufficit hoc jam monuiſſe nullam auctoritatem eos libros habere, nihil unde cauſæ deciſio quæri poteſt continere, & nunquam in foro pro authenticis conſuetudinibus habendos; imo ne nominandos quidem. Si quis aliter ſentiat, poſtquam rationes noſtras perlegerit, nemini vim faciam.

12. Sed ut ad jus proprium hujus regni revertamur, cogor ingenuè fateri, nullum penè apud nos jus eſſe proprium ſcriptum (ſi ſtrictè jus proprium accipiamus) niſi id quod Acta Parliamentorum dicimus. Licet ea publicam regni politiam potiùs ſpectent, quàm rerum privatarum deciſiones; ſunt tamen in iis multa quæ ad privatorum hominum cauſas dirimendas conducunt. Itaque quoties controverſia de jure inciderit, primùm videndum eſt, ſi quid in eis actis contineatur, & ad illud cauſæ determinatio accommodanda eſt, quaſi ad jus regni proprium.

13. Si quando verò jure proprio deſtituamur, tum rerum perpetuò ſic judicatarum conſuetudo obſervatur, quam nos πρᾶξιν vocamus: licet hujus conſuetudinis prætextu graviſſimè in judiciis peccetur. Nemo autem eſt qui negare poteſt, quin conſuetudo apud omnes gentes juris nomen ſibi vendicet, juſque moribus conſtitutum dicatur: imò & prior jure ſcripto fuit, ut antea monui; cum primùm inter homines contracta fuit ſocietas, nec adhuc leges ſcriberentur, conſuetudo & tacitus civium conſenſus omnes dirimebat controverſias.

14. Secundus ergo locus in dirimendis cauſis conſuetudini eſt: ſed nunquam eam ſequendam puto, quoties contra jus proprium ſcriptum producitur, etiamſi ſit antiquiſſima. Nam, ut in jure Pontificio habetur, tum potiùs vetuſtas erroris appellanda eſt, quàm conſuetudo. Neque tamen negarem conſuetudinem juri ſcripto aliquando prævalere: ſed tum jus ſcriptum de Romanis legibus intelligendum eſt, & non de jure proprio cujuſque regni & provinciæ, cui primas partes in omni negotio dijudicando ſemper tribuendas puto. Quòd ſi quid ſit dubium aut ambiguum in jure proprio ſcripto, conſuetudinem optimam eſſe juris interpretem, nemo

(a) L. 1. pr. de orig. juris. (b) Lib. de Scriptoribus Britan.

eſt qui ambigat *(a)*. Denique in conſuetudine alleganda idem obſervandum puto, quod nos in teſtibus contractui aut obligationi inſertis in foro ſervare ſolemus; nempe ut eorum teſtimoniis tantùm credatur, quoties vel de mente contrahentium, aut de interpretatione ejus quod actum eſt, dubitatio oritur: ſed cum aliquid proponitur quod contractum ipſum aut obligationem evertat, vel quod ejus ſenſui manifeſtè repugnet, tum in eo caſu teſtes licet inſertos non ſolemus admittere. Itaque conſuetudo legem non evertit, ſed tantummodò interpretatur; & ab ea interpretatione in judiciis ſemel facta, non eſt temerè recedendum: quod ſi, vel præter, vel contra leges introducta fuerit, ut aliquando evenire ſolet, plures actus cum decem annorum ſpatio requiruntur.

15. In conſuetudine tamen hoc ſemper obſervandum, ſi contradictorio aliquando judicio ſit firmata *(b)*: nam ex frequentia rerum eo modo judicatarum majorem aut minorem auctoritatem conſuetudo capit. Præterea animadvertendum, ne vel negligentia, vel imperitia, aut fortaſſe dolus Advocatorum controvertentium occaſionem conſuetudini præbuerit, dum unam cauſam remiſſiùs agunt, ut majori præjudicetur, ut aliquando factum vidi. In jure tamen ſcripto & conſuetudine hoc obſervandum, ut ſive jus, ſive expreſſa conſuetudo defecerit, tum ad illud, quod proximum eſt, ſive juri, ſive conſuetudini, ſit recurrendum, præcipuè ſi eâdem ratione nitatur. Nam is qui juriſdictioni præeſt, ſi jus proprium & conſuetudo defecerint, ad ſimilia producere, & vel juriſdictione, vel auctoritate, ſupplere debet; præcipuè ſi ad eandem utilitatem tendat, eademque concomitetur ratio. Neque illud puto negligendum quod in vicinis gentibus in tali ſpecie obſervatur (ſi modò eodem jure utantur) & ad earum conſuetudines aliquando confugiendum, quoties jure proprio & conſuetudine deſtituimur; ſi par ſit utriuſque ratio, quæ anima legis meritò dici ſolet.

16. Quod ſi novus aliquis caſus ſupervenerit, qui neque jure ſcripto, neque conſuetudine comprehendatur, neque ex iis quæ diximus dirimi poteſt, & casùs illius deciſio in jure Feudali reperiatur, præferendum jus Feudale, & juri Pontificio, & juri Romano. Imo ſi exactè rem omnem æſtimare velimus, hoc jus proprium hujus regni dici poteſt (ſi latiùs juris proprii nomen extendamus) cum ex ejus ſcaturigine & fontibus omne jus, quo hodie utimur in foro, omniſque uſus & praxis defluxerit, & ſi quid dubii oriatur, origines ſemper repetendæ ſunt, ut inde quod æquum eſt dignoſcatur. Scio pleroſque qui hæc legerint, offendi poſſe; ſed peto ut judicium tantiſper ſuſtineant, dum quæ in hoc tractatu delineabuntur expendant: aut enim ego fallor, aut apud æquos rerum æſtimatores obtinebo, nullum aliud eſſe jus proprium in materia ſucceſſionis hereditariæ, ſive in acquiſitione hereditatis novæ, quam nos conquæſtum dicimus, ſive in amiſſione, præter hoc Feudale: licet non negem nonnulla eſſe pro ratione locorum & temporum immutata, & ob hoc jus ipſum feudorum dicitur locale, quod pro locorum varietate varias etiam recipiat interpretationes & conſuetudines, ut poſtea eluceſcet.

Sit igitur hæc generalis regula, ut primus juri ſcripto locus in cauſarum deciſionibus ſit, ſecundus conſuetudini *(c)*, & hoc ex ipſo jure Feudali. Nam cum feudalia jura ſunt localia, & pro locorum varietate varientur, meritò ſecundum locum conſuetudo regionis cujuſque obtinebit. Poſt conſuetudinem tertium locum juri Feudali ſcripto tribuemus.

17. Si neque ex actis Parliamentorum, neque conſuetudine judiciali, neque jure Feudali, quid ſit faciendum in quavis quæſtione occurrat, ad jus Civile recurrendum eſt. Nam jus Civile hominum ſocietatem reſpicit, & quomodo in repub. ſeu communi ſocietate civium ex æquo & bono res adminiſtretur, docet: cujus juris maximus uſus, & omnibus ſeculis & apud omnes gentes fuit. Et licet ſingulæ gentes formulas ſuas judiciorum uſurparint, tamen hoc jus Civile omnibus negotiis & circa res omnes ita diffunditur, ut nulla ferè quæſtio, nulla facti ſpecies occurrat, in qua ejus ſingularis uſus non ſit manifeſtus. Et in foro noſtro ſi quid arduum, ſi quid

(a) L. 37, & 38. ff. de ll. *(b)* L. 34. ff. de ll. *(c)* D. 9. § 36.

quid difficile interveniat, ex jure Civili ejus solutio petenda est: si tamen in aliquibus per jus Canonicum sive Pontificium sit innovatum (& sunt qui ea omnia collegerunt in quibus jus Canonicum à Civili dissentit,) in eis jus Pontificium à nostris præfertur, præcipuè ubi Ecclesiæ administratio, vel scandalum (ut Canonistæ loquuntur) ubi animæ periculum versatur. Et hæc de origine & incrementis juris Feudalis, quoque modo per Europam propagatum sit, dicta sufficiant. Sed nimium diu expatiati sumus: ad feudorum itaque naturam inquirendam, ejusque etymologiam & definitionem ante alia investigandam revertamur.

Diegesis nona.

De etymologia feudi ejusque definitione.

SUMMARIA.

1. *Etymologia quid? ea semper definitioni rei præponenda est.*
2. *Varia feudi etymologia*; à fœdere, fide, faida *(voce Germanica) vel* 6 *literis initialibus jurisjurandi.*
3. *Feudi vox non est derivata, sed primitiva, sive primigenia*; & *est beneficium vel merces, quæ pro opera militari ut plurimum dabatur, unde vassalli alerentur.*
4. *Feudi vox homonyma est.*
5. *Feudi definitio, quæ deinceps per partes explicatur.*
6. *Feudum est beneficium liberè concessum, ex amore & honore acquirendum: quæ aliter acquiruntur feudastra vocantur.*
7. *Feudum propriè in rebus immobilibus constituitur. Quæ immobiles dicantur. Nec fit quasi feudum, ut est quasi ususfructus, nec in rebus mobilibus, nisi una cum re immobili in feudum dentur*; *ut apud nos* fiefbow goods *dicuntur.*
8. *Feudum etiam recte constituitur in rebus incorporalibus, quæ inter res immobiles enumerantur.*
9. *Feudum constituitur, transferendo dominium utile, & retinendo dominium directum. Dominii vox homonyma est. Quid sit dominium, & quis dominus. Dominium est tantum directum & utile, nullum quasi dominium.*
10. *Cujacii & recentiorum rationes, cur feudum sit tantum ususfructus, & non dominium utile.*
11. *Dominii in directum & utile distinctionem retinendam putat auctor, & quare.*
12. *Cum actiones & servitutes dividantur in directas & utiles, & is cui restituitur hereditas, quodammodo sit heres, quod est dominium utile hereditatis, & possessio sit duplex; cur non & dominium?*
12. *Respondetur objectioni quod beneficium definiatur per usumfructum, & non per feudum, & aliis recentiorum argumentis. Quare inventæ sint distinctiones. Parumque interesse sive per usumfructum, sive per dominium utile, feudum definiatur.*
14. *Directus dominus, apud nos, superior vocatur.*
15. *In rebus incorporalibus, quarum nullum proprie est dominium, loco dominii directi, directa actio, & loco dominii utilis, actio utilis est.*
16. Sub Fidelitate, *quæ est vera essentia feudi.*
17. Sub exhibitione servitiorum honestorum.
18. *Servitia feudalia debent esse incerta & personalia.*
19. *Feuda qualia apud nos antiquitùs concedebantur, & qualiter se habent hodie in hac senili eorum ætate.*
20. *In definitione feudi tria sunt ponderanda, essentialia, naturalia, & accidentalia.*
21. *Primum quod est essentiale in feudo, est superioris expressio: fides rarò exprimitur, sed semper intelligitur.*
22. *Secundum essentiale est aliqua redditio, sive in dando sive faciendo consistat. Quæ minoris sunt pretii nostri communiter negligunt, licet Angli severissimè exigant.*
23. *Tertium essentiale, licet non exprimatur, est fidelitas, quæ pacto remitti non potest;*

& licet non exprimatur semper præsumitur, & pro expresso habetur.
24. *Quid sit Allodium & unde ?*
25. *Allodii duo sunt genera. Omnia bona mobilia sunt allodialia, prædium quoque ita alicui concessum, ut illud pleno jure possideat quis, ut nihil pro eo debeat, cujus dominium est infinitum, cum feudi dominium sit finitum.*
26. *Allodiorum exempla frequentiora erant apud antiquos, quam hodie sunt.*
27. *Quæ sint naturalia feudi ? Cum quibus pacto dispensari possit.*
28. *Quæ sunt accidentalia ?*
29. *In quibus feudum & ususfructus conveniant ?*
30. *In quibus feudum & ususfructus differant; & an in pluribus differant quam conveniant. Definiri non potest feudum per usumfructum, sed per dominium.*
31. *Feudum est contractus reciprocus.*
32. *Feudum est contractus nominatus.*
33. *An sit contractus stricti juris, an bonæ fidei ? Qui sint contractus bonæ fidei, & qui stricti juris. Omnium Feudistarum opinio est feudum esse stricti juris, cum sit ex sua natura species donationis.*
34. *Feuda à Principe concessa sunt stricti juris, & ideo Princeps nunquam de evictione tenetur.*
35. *Ex divisione essentialium, naturalium & accidentalium qualitatum feudorum, omnes feudorum divisiones nascuntur.*
36. *Regulæ quædam generales ad feudorum intellectum utilissimæ.*

DEFINITIONI Feudi ejus etymologia præponenda, ut quæ medium inter originem & definitionem locumte neat; utque illa posterior, sic & hæc prior, & quasi altera sit feudi definitio. Baldus eam vocat resolutionem vocis in proprium effectum rei, quæ demonstratur: sanè Cicero in Academicis verborum explicationem probat, cum qua de causa quæque essent ita nominata, explicatur, quam *etymologiam* sive notationem appellat; quia notam facit rem de qua prædicatur. Varro *etymon* vocat. Utcumque est, putant Doctores in jure ab etymologia rectè argumentationem deduci: sic *tugurium* & *togam* veteres dixerunt à *tegendo*, *tutorem*, quod pupillum *tueatur*, *testamentum*, quod sit *testatio mentis* de eo quod quis post mortem suam fieri velit. Ego sanè cum Baldo probabile argumentum ab etymologia posse sumi puto, maxime in odiosis, & iis quæ sunt stricti juris, neque tamen per se satis validum, nisi aliis adminiculis sustineatur.

2. Sed ut ad feudi etymologiam veniamus, frustra in ea mihi elaborandum putarem, cum de re constet, nisi non parvam de ea inter Feudistas controversiam esse sciam. Sunt qui putant à *fœdere* deduci, & idem esse *feudum* quod *fœdum*, sive *fœdus* (in qua opinione est Isidorus,) eamque etymologiam à Britannis adhuc retineri, quia *feodum* per [eo] scribunt. Sane à *fœdere* deduci *feudum*, si significationem spectemus, non incommodè potest; est enim quasi *fœdus* inter dominum & vassallum, quo mutuis vinculis ita inter se astringuntur, ut qui contra fœdus fecerit, omni jure quod in feudo sive beneficio habet privetur, dominio nempe directo, si dominus sit *(a)*; utili, si vassallus *(b)*.

Alii à *fide* deductum putant, & iis ipse textus patrocinatur *(c)*. Nam licet *fides* in omnibus contractibus requiratur, hic tamen maximè; cum dominus se, rem suam, bona, dignitatem & honorem fidei vassalli concredit; cumque rursus vassallus se & sua omnia fidei domini permittit, sitque fides prima instituendi beneficii sive feudi causa; infidelitas autem, sola feudi privationis, tam in domino quàm in vassallo, nempe si fides alteri ab alterutro violata fuerit; & proinde nihil in his libris tractari, nisi de fide, & fidelitate, de juramento fidelitatis, & ejus capitibus observandis.

Alii à voce *faida*, sive *feida*, quæ Germanicè *privatas inimicitias* significat, derivari putant. Hæc vox, cum sua significatione nunquam satis deplorata, à Germanis sive Saxonibus ad nos contagione quâdam pervenit: unde voces *diffidare*, & *faidam levare*, quod nihil aliud est, quàm privatas inimicitias denunciare, *faidam* autem

(a) 2. F. 6. in fine, & 26. § 5. ibi: Domino committente. (b) 2. F. 33. § 1. (c) 2 F. 3. § ult. in fine, cum vassalli in multis locis fideles dicti sunt, 1. F. 1. § 1, 2. 1. F. 4, & 10.

tem *levare* pro inimicitias tales ſuſtinere: unde fœminæ in feudum ſuccedere jure Feudali non permittuntur *(a)*, quia faidam levare non poſſunt, id eſt, ad inimicitias ſuſtinendas non ſufficiunt: & antea monui apud Boreales gentes, inter Principes inimicitias magnas intercedere ſolitas, quas ut poſſent meliùs & pro dignitate ſuſtinere, patrimonialia prædia beneficii loco in feudum ſæpe dabant. Sunt qui & *feudum* à *fundo* deducunt, quaſi *fundum* beneficii loco conceſſum, qui nihil aliud eſt propriè niſi feudum. Nam liquidæ literæ ſæpe in dialectis eliduntur: ſic quæ Latinè *inſulæ*, *iſole* Italicè & Germanicè dicuntur; & ita ſubtractio literæ frequens eſt, ut illud Virgilii,

——— matriſque vocavit
Nomine Caſmillæ, mutatâ parte, Camillam.

Quod præcipuè locum obtinuit poſt Latinæ linguæ corruptionem. Alii à ſex literis initialibus jurisjurandi *feudum* dictum volunt; cujus ſacramenti hæc erat forma, *Fidelis ero ubique domino vero meo*; quarum ſex vocum initiales literæ ſunt, *f, e, u, d, u, m.*

3. Ego ſanè feudi vocem non eſſe derivatam, ſed primitivam ſive primigeniam puto, & à Borealibus gentibus uſurpatam pro mercede quæ pro alimentis dabatur, & ab ipſis Inſubribus receptam & retentam auguror; his præcipuè rationibus adductus, quòd ex prima inſtitutione, ut dixi, feudum nihil aliud erat, niſi beneficium aut merces, quæ pro opera ut plurimùm militari debebatur, & dabatur, & ut vaſſalli haberent unde alerentur. In ipſo jure Feudali feudum pro mercede, ſive penſione, ſæpe ſumitur. Sic penſiones, quæ de Camera ſive Cavena ſumuntur, feuda dicuntur. Sic & feuda Guardiæ & Caſtaldiæ nihil aliud ſunt quàm mercedes, quæ pro Guardia, ſive Cuſtodia, & Caſtaldia, pro officio curationis rerum domini, debentur, ut poſtea dicemus. Sic apud veteres rerum Francicarum ſcriptores, & alios, *in feudo eſſe*, *pro feudo dari*, & *nomine feudi habere*, nihil aliud eſt, quàm, *pro mercede*, *ob mercedem*, & *nomine mercedis habere*. Inde Gallica vox *feaux*, quaſi *feudalis*, nos *feallis* dicimus, qui certam mercedem pro ſervitio habent. Et apud nos, in omnibus Scaccarii libris, Cancellario, Theſaurario, Juſticiario, & aliis coronæ Officiariis ſummæ pro ſuo cuique feudo, id eſt, mercede aſſignantur *(b)*. Sic & Principi fœcialium, quem nos Leonem armorum Regem dicimus, prædium illud, quod *Luthery* dicitur, pro feudo aſſignatur; quod tamen ad heredes non tranſit, ſed ad officii ſucceſſores. Sic ejus fratribus (quos *heraldos* dicimus) ſua cuique ſunt feuda. Quod etiam juri communi feudorum convenit, in quo advocationis & cancellariatûs frequens eſt mentio, & de eorum feudo ſive mercede. Imò in rerum mobilium ſubhaſtatione, ſeu licitatione (nos *appreciationem* dicimus) vicecomiti, ſive apparitori, qui vicecomitis partes ſupplet (nos *vicecomitem in hac parte* dicere ſolemus) vigeſima pars rerum ſub haſta venditarum pro feudo ſuo aſſignari ſolet. Si quis aliud de hujus vocis derivatione ſenſerit, per me licebit.

4. Sequitur ut definitionem feudi apponamus: ſed feudi vox eſt homonyma; aliquando enim ſumitur pro ipſa re, ſive *prædio* in feudum conceſſo *(c)*, unde phraſes hæ, *in feudum ſuccedere*, *feudum ad heredes pertinere*, *feudum domino aperiri*, *vaſſallum à feudo cadere*; ſi controverſia fuerit de feudo, *in feudi eſſe poſſeſſione*, *de feudo inveſtire*, & ſimilia, quæ paſſim hoc libro occurrunt. Aliquando pro ipſo contractu Feudali, id eſt, pro ipſa conceſſione & diſpoſitione prædii in feudum *(d)*: in quo ſignificato in hac definitione à nobis uſurpabitur, prout in ipſo textu *(e)*, & ab omnibus interpretibus ſæpiſſime ſumitur. Scio Cujacio, Schonero, & novitiis interpretibus utrumque hoc diſplicere, qui neque feudum contractum, neque rem ipſam dici volunt, ſed rei tantùm uſumfructum. Ego veteres interpretes ſequi malo, quoniam hæ ſignificationes uſui noſtro magis conveniunt *(f)*. *Omnis definitio in jure periculoſa eſt*, ut vult Javolenus *(g)*; quod licèt gloſſa intelligat de regula

(*a*) 1. F. 8. § ult. in medio. (*b*) Vide ſtatuta Malcolmi Mackenneth Regis noſtri, cap. 2, 3, 4, 5, 6, 7. in princ. libri Regiam Majeſt. (*c*) 2. F. 8. § 1. è contrario. (*d*) 2. F. 3. §. Sed etiam, vide D. 9. § 31. (*e*) 2. F. 20. (*f*) Vide § 11. ibi, Noſtri ſanè inſanirent. (*g*) L. 202. ff. de R. J.

juris Civilis, quam *periculoſam* vocat, accedo tamen ad ſententiam Decii, qui illam propoſitionem non de regula, ſed de definitione, quâ Philoſophi utuntur, intelligit. Ratio, quia difficillimum in jure ſit rei definitæ eſſentiale genus in multis invenire. Exemplum tamen veræ definitionis habemus in teſtamento, quod Modeſtinus *(a)* definit eſſe, *voluntatis noſtræ juſtam ſententiam, de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri velit*: quam definitionem, ut omnibus ſuis membris abſolutam, tuetur aperte Bartolus. Sanè ſi quæ definitio in jure periculoſa eſt, in noſtro propoſito locum habet hæc propoſitio vel maximè, dum alii *feudum* per *dominium utile*, alii per *uſumfructum*, alii per *beneficium* definiunt, neque acriùs unquam Trojani cum Græcis pro corpore Achillis à Paride interfecti dimicârant, quàm de genere hujus definiti recentiores cum antiquioribus controvertunt. Ego verò, ut neutri part iprejudicium afferam, eam definitionem hîc feudi proponam, quæ maximè noſtris moribus & uſui forenſi convenit; ita tamen ut priorum controverſias, quaſi inanes logomachias, cùm in re ipſa conveniant, conciliari per me facilè poſſe ſperem.

5. Eſt ergo feudum *Beneficium, ſeu benevola & libera rei immobilis aut æquipollentis conceſſio, cum utilis dominii tranſlatione, retentâ proprietate, ſeu dominio directo, ſub fidelitate & exhibitione ſervitiorum honeſtorum.* Hæc Zaſii eſt definitio, quem ſequitur Rebuffus, Molinæus, & ſanior Interpretum pars; imò Franciſcus Curtius hanc definitionem cum definito converti poſſe putat. Eam per partes primò explicabo, pòſt ad ea quæ objiciuntur à recèntioribus diluenda locus erit planiſſimus.

6. Primò igitur dicitur feudum *Beneficium, ſeu benevola & libera conceſſio*: feudum enim antiquitùs, neque pecuniâ interveniente (ut hodie in feudis emptis fieri ſolet) neque ſub prætextu canonis, & annuæ mercedis (ut in emphyteoſi,) ſed ex mera & gratuita domini liberalitate conſtituebatur *(b)*: &, ut textus *(c)* loquitur, tantùm ex *amore & honore acquirendum eſt feudum.* Gratis enim & libere debent feuda concedi, nullius mercedis interventu: & quæ aliter acquiruntur, ea novas conditiones ex voluntate paciſcentium accipiunt, & *feuda conditionata* dicuntur; Hottomannus, non ineleganti vocabulo, vocat *feudaſtra*, id eſt, *ſemifeuda*, quòd à vera feudi natura degenerent. Et licèt feuda aliter hodie comparentur, interveniente ſæpiſſime pretio *(d)*, aut aliâ re pro pretio, denominatio tamen fit ab eo quod prævalet, ut plurimùm evenire ſolet, ut ſit liberalis donatio ſive munificentia: & quanquam pretio interveniente, tamen juſtum pretium nunquam numeràſſe præſumitur, qui ſe fidelitatis & obſequii vinculo alii aſtringit; vinculum enim hoc obſequii, pro parte pretii eſt. Itaque feudum liberam & gratuitam donationem definimus, ad illud quod fieri debet, & alioqui fieri ſolitum erat, attendentes; non ad id quod in hoc corrupto ſeculo apud degeneres homines in uſu frequenti videmus. Et in feudis à Principe conceſſis etiam hodie patet: licèt enim interveniente pecuniâ (ut fit ſæpe) feudum Princeps alicui concedat, ex ſola tamen liberalitate & munificentia concedere ſe ſignificat: alioqui ſi aliis verbis utatur, aut mentionem acceptæ pecuniæ faciat, non eſſe verum feudum Baldus putat.

7. Additum in definitione [*rei immobilis,*] quia propriè in rebus immobilibus *(e)* feudum conſtituitur *(f)*. Ratio eſt, quia in feudo directum dominium ſemper retinetur. Quòd ſi rei mobilis utile dominium concedatur (quale in feudo neceſsè eſt) fructus ad fructuarium neceſſariò pertinebunt; nec tamen fructus provenire poſſunt niſi ex uſu. Itaque res mobilis, quæ in feudum conceditur, aut utendo conſumitur, aut non. Priori caſu feudum interit, fieri enim non poteſt, quin res quæ in continuo uſu eſt, continuè utendo non conſumatur, & ita ſuo directo dominio dominus ſine ſua culpa, etiam ignorans & invitus, privabitur. At ſi res hæc mobilis uſu non conſumatur, ſed ſervando ſervari poſſit, nullum commodum ad vaſſallum pertinebit: raræ enim ſunt utilitates ex re mobili quâ non utimur; rariores rerum quæ utendo non intereunt. Itaque rectè feudum in immobilibus conſiſtere diximus, cùm ex iis propriè utilitates & fructus, qui vaſſallo debentur pro mercede, proveniant.

Res

(a) L. 1. ff. qui teſtam. facere poſſunt. (b) Vide § 19. (c) 1. F. 27. (d) 1. F. 16 & 20. (e) Quod ad fructus pendentes meritò extenditur arg. l. 44. ff. de R. V. exceptis induſtrialibus, ut erat judicatum apud nos 2. Feb. 1627, inter Somervelium & Stirlingum. (f) 2. F. in fine, & 23. in fine.

Res autem immobiles dicuntur, res ſoli, quales ſunt prædia, fundi, areæ, horti, lacus, ſtagna, & quæcunque ſunt ſolo coherentia, ut caſtra, tabulata, & ſi quæ ſint ita affixa ut partem in fundo faciant *(a)*. Scio pleroſque magnæ auctoritatis viros feudum aliquando rerum mobilium conſtituere, ad exemplum uſusfructûs earum rerum quæ utendo conſumuntur *(b)*; nempe ut fructus & commoda ad vaſſallum pertineant, proprietas apud dominum remaneat, ſi quando vaſſallus à feudo caderet. Sed in hoc caſu, proprietas non eſt ejuſmodi individui, ut loqui ſolemus, ſed ejuſdem generis tantùm & ſpeciei, ut pro feudo animalium, frumenti, olei, vini, pecuniæ, tot capita, ſeu tot menſuræ, & ejuſdem valoris reſtituantur: &, ut rectè Cujacius, propriè is non eſt uſusfructus; neque enim naturalis ratio auctoritate Senatuſconſulti mutari poteſt; ita nos in hac ſpecie propriè dicemus, rei mobilis feudum conſtitui non poſſe, ſed quaſi feudum.

At moribus noſtris neque *quaſi feudum* rectè dici poteſt. Nam licet tales pactiones apud nos ſint frequentes, ut pro pecuniæ uſu, aliqua ſive pecuniæ portio, ſive frumenti menſura præſtetur; nemo tamen eas nomine feudi dignatur, neque is cui debentur decedens in feudo illius pecuniæ obiiſſe dici poteſt. Hæc autem de feudo rei mobilis ita intelligenda ſunt, ut res mobiles per ſe in feudum dari non poſſint omnino; ſed cum re immobili & fundo rectè poſſunt. Sed & adſcriptitii coloni ſive ſervi, & inſtrumenta fundi tempore Cæſarum, & hodie ea bona (quæ vulgò Steilbow-guides dicimus) rectè cum prædio in feudum dari poſſunt.

8. Sequitur in definitione clauſula, [*vel rei æquipollentis immobilis vel quaſi immobilis,*] nempe quæ rei immobilis loco habeatur. Sic apud Juriſconſultos poſſeſſionis nomine, quaſi poſſeſſio; dominii nomine, quaſi dominium ſæpe comprehenditur. Hæc autem clauſula adjecta eſt propter vectigalia, juriſdictiones, annuos proventus, cuſtodias caſtrorum, ſive loci alicujus, penſiones, ſportulas, operas ſervientium, quales ſunt meſſorum, vel aliorum molis ſive molendinis ſervientium, exactiones: nam & hæc inter res immobiles enumerantur, & ex iis fructus colligi poſſunt, licèt proprie loquendo non ſint res, ſed jura tantùm incorporalia; & tamen feudum in his rectè conſtituitur, & quaſi ſunt partes feudi *(c)*.

9. Adjectum in definitione, quòd ſit [*tranſlatio dominii utilis retento dominio directo:*] ad cujus clauſulæ intellectum, nonnulla de *dominio* præmittenda, & quomodo in jure dividatur. Maxima eſt hujus vocis homonymia, ut rectè notat Bartolus: aliquando accipitur pro dominio pleno, aliquando pro nuda proprietate, detracto uſufructu, aliquando pro uſufructu ſimplici, aliquando etiam pro uſu: ſic & uſusfructuarius dominus dicitur in jure, ſic & maritus dominus dicitur rei dotalis, & heredi etiam nomen domini vivente patre aliquando attribuitur. Proprie tamen *dominium* in jure dicitur, proprietas rei: nam cùm dominium ad dominum habet relationem, qui dominus eſt, ſe dominium habere recte dicit. Dominus autem in jure definitur, qui *proprietatem rei habet*. Bartolus tamen dominium aliter definit, nempe, *jus eſſe de re corporali perfectè diſponendi, niſi quis à lege vel judice prohibeatur.* Sic [*meum*] definitur in jure, *Id cujus nulla pars alterius dici poteſt (d)*. Itaque quod in cujuſque ita eſt poteſtate, ut nulla pars alterius dici poſſit, id in ejus dominio eſſe rectè dicimus; & ſic in ſolidum unius rei domini plures eſſe non poſſunt. Quid ſit in ſolidum eſſe dominum mox dicemus. Dominium itaque, propriè capiendo, à Bartolo & Doctoribus melioris notæ fere omnibus, dividitur in *directum* & *utile*. Sunt qui *quaſi dominium* pro tertio membro adjiciant: ſed quia in hoc inſtituto nullus ei eſt locus, præterire malui, relictâ tantùm dominii dichotomiâ.

10. Hanc diviſionem dominii Cujacius & recentiores quique acerrimè oppugnant, ſimplex tantùm & unicum dominium in jure aſſerentes, nullum utile; quod ex ipſo textu ſic probant, cùm Paulus *(e)* *eos qui in perpetuum fundum fruendum conduxerunt, actionem habere dicat jure, licet domini non efficiantur.* Itaque ſi emphyteuta dominus non ſit, licet actionem habeat; profectò illud utile dominium, ſi non in

(*a*) l. F. 4. § 3, 4, 5. (*b*) § 2. Inſtit. de Uſufructu. (*c*) Vide § 15. (*d*) L. 25. ff. de V. S. (*e*) L. 1. § 1. ff. Si ager vectigalis petatur.

emphyteuta, in nullius certe persona potest consistere; & leges naturaque ipsa repugnare videntur, ut duo in solidum unius rei sint domini, id est, dominus directus, & vassallus, sive sit feudatarius, sive emphyteuta. Et hæc est causa cur feudum potiùs definiant esse usumfructum tantùm rei alienæ, ne dominium utile quovis modo agnoscere videantur. Quòd si quis objiciat usumfructum morte usufructuarii interimi, cùm tamen feudum in heredes continuetur, suam & illi comminiscuntur divisionem ususfructûs, ut quidam ususfructus sit personalis, qui cum persona usufructuarii extinguitur; alius qui in heredem defuncti pacto vel conventione transeat, & ex eo genere ususfructûs est feudum: convenire enim posse aiunt vel pacto vel testamento, ut ususfructus apud heredes usufructuarii perpetuò remaneat, talesque conventiones tempore Justiniani fuisse frequentes. Sed Justinianum dubitationes antiquorum temperâsse de hac quæstione satis constat: nam quoties convenit ut ususfructus in heredem transeat, rem ita temperandam statuit, ut ad primum heredem coarctetur & non amplius *(a)*; ut quod suâ naturâ non esset transmissibile, in persona primi heredis finiatur; quod & etiam apud nos observatur: nam locationes & rentalia quæ vocamus, licet conveniat, ut in heredes perpetuò continuentur (quod in occidentalibus hujus regni partibus frequens est) in persona tamen primi heredis deficiunt, & extinguuntur, cùm sine sasina ex pacto continuari non possint. Quod & annotandum quam maximè puto, ne quis rentalia vel locationes eâ lege factas, ut in heredes perpetuentur, ultra personam primi heredis continuari putet, licet verba ipsa aliud innuere videantur: nam, ut Bartolus ibidem doctissimè concludit, appellatio heredis relata ad id quod sua naturâ non est transmissibile, in persona primi heredis finitur.

Verùm (ait Cujacius) quod Justinianus suis temporibus negaverat, postea tamen moribus receptum. Convenire enim potest, ut & usustructus ad heredes perpetuò, & in infinitum transeat. Itaque feudum definiri per usumfructum, sed perpetuum, rectè posse: & huic opinioni videtur favere textus *(b)* ipse, cùm beneficium (sub quo nomine feudum contineri nemini dubium est) definit illud esse, *quod ita alicui datur, ut proprietas rei immobilis beneficiatæ penes dantem permaneat, ususfructus autem illius rei ad eum cui datur, & ad ejus heredes in perpetuum transeat, sub conditione servitii, sive nominati, sive innominati*; & alibi dicatur, *possessionem beneficii ad eum qui feudum accipit pertinere, proprietatem verò ad dominum (c)*. Proinde concludit Cujacius, & alii ejusdem factionis recentiores, hanc divisionem dominii in *directum* & *utile* jure veteri Romanorum incognitam, nostris feudorum scriptoribus contrariam, & à veteribus Interpretibus seu Doctoribus confictam, & proinde omnino esse rejiciendam; præterea in multis feudum cum usufructu convenire, & ejusdem esse naturæ penè cum feudo, cùm neque deteriorem feudi conditionem feudatarius facere possit, neque usufructuarius proprietatis. Hæc recentiores pro confirmatione opinionis suæ adducunt, meliusque feudum definiri per usumfructum putant, cùm ususfructus sit potius genus definiti, quam dominium utile, ut à recentioribus traditur.

II. Solus ex recentioribus quos legi, Hottomannus hanc distinctionem dominii in *directum* & *utile* probat, licet veteribus Jurisconsultis incognitam, tamen ab illorum consuetudine & nominum distinctionibus non abhorrentem; ut illud dominium dicatur directum, cujus nomine directa; utile, cujus nomine utilis actio competit. Utiles enim actiones in jure dicuntur, quæ utilitatis communis causâ, contra juris summi rationem comparatæ sunt. Ego sanè, Hottomanni opinionem sequutus, doctrinam veterem retinendam puto: viz. ex omni contractu, præter directum, posse acquiri utile dominium, vel utilem actionem. Rationes quibus adducor hæ sunt: Primùm, quia datur vassallo utilis actio pro ipso feudo, uti apertè textus utilem actionem ei concedit *(d)*; Secundò, quòd alio loco ipse textus hanc ei potestatem det, ut à quolibet possidente possit vendicare, & defensiones ipsius feudi nomine suscipere; Tertiò, quòd loquendi modus apud nos receptus ab illa altera

(a) L. 14. C. de Usufr. (b) 2. F. 23. in fine. (c) 2. F. 8. § 2. (d) 2. F. 43. & 2. F. 8. ibi? Rei autem.

tera forma planè abhorreat: quis enim Rollonem Ducem Normanniæ, cùm in Normannia nomine feudi inveſtitus fuit à Carolo, ſimplicem tantùm uſumfructum acepiſſe dicet? aut præſentem Ducem Saxoniæ, Marchionem Brandeburgenſem, Palatinum Comitem, tantum eſſe uſufructuarios ſuarum ditionum? Noſtri ſanè inſanirent, ſi eos non eſſe dominos ſuorum prædiorum, ſed tantùm uſufructuarios diceremus. Accedit & illud, quòd ſi tantùm eſſent uſufructuarii, nec alium ſubinfeudare poſſent, nec uſumfructum ſuis conjugibus, aut aliis conſtituere: cum uſufructuarius alium uſufructuarium facere non poſſit *(a)*; neque uſusfructus ex jure communi ſit tranſmiſſibilis: neque curialitati apud nos (de qua poſtea) locus eſſet, ſi feudum idem ſit quod uſusfructus, cum curialitas ſit tantum uſusfructus à lege conſtitutus, & ſic duo uſusfructus ejuſdem eſſent individui, unus à domino conſtitutus, alter à lege: neque ex perſona vaſſalli decedentis naſci poterat talis uſusfructus.

12. Præterea, cum in toto jure actiones dividantur in utiles & directas, & ſervitutum aliæ directæ, aliæ utiles ſint, & is cui reſtituitur hereditas, quodammodo ſit heres, ut ait Paulus *(b)*, quod nihil aliud eſt, quàm ut dominium utile hereditatis ad eum tranſeat, cur non & dominium duplex ad horum exemplum dicere poſſumus, ſcilicet directum & utile, nempe ut directum ſit apud dantem, utile apud accipientem? præſertim cum poſſeſſio, quæ ex adverſo proprietati reſpondet, duplex ſit, naturalis & civilis, naturalis apud eum qui naturaliter poſſidet, civilis apud eum cujus nomine poſſidetur. Ad ejus ſimilitudinem cur non duplicem proprietatem aut duplex dominium aſſerere poſſumus neſcio: veteres enim eam diſtinctionem introduxerunt; qui ne expreſſo quidem textu deſtitui videantur, legem adducunt ex libro undecimo Cod. *(c)* ubi emphyteuta ſpeciatim & expreſsè dominus dicitur, licet qui concedit emphyteuſin dominus remaneat. Sunt ergo duo domini, cum emphyteuta qui accipit dominus dicatur, licet qui concedit emphyteuſin dominus remaneat. Quod ut facilius intelligatur, veteres unius & ejuſdem rei duplex eſſe dominium voluerunt, ſcilicet utile & directum, ſed diverſo reſpectu; utrumque tamen finitum, & ſuis finibus incluſum & limitatum, tam in perſona domini quam vaſſalli.

13. Quod autem ex textu *(d)* allegatur, beneficium per uſumfructum definiri, id ſolvunt, quòd beneficium ibi definiatur ex Senecæ ſententia (cujus tempore feuda non erant) & non feudum; proprietatemque manere apud dominum concedunt, ita tamen ut utilis aliqua proprietas tranſeat ad accipientem. Atque hæ ſunt cauſæ cur ad veterum opinionem accedam, de diviſione dominii in directum & utile, eamque retinendam putem. Nam quòd recentiores objiciunt, eam ſine ulla ratione à veteribus fuiſſe confictam, reſpondeo & eos in idem vitium, quod aliis objiciunt incidere, cum & ipſi, ad objecta dum reſpondere non poſſent, ad ſuas etiam diſtinctiones confugiant: cum natura hæc ſit uſusfructûs, ut morte uſufructuarii finiatur, neque id feudi naturæ convenire poſſe vident, cum in heredes tranſeat; aliam diviſionem uſusfructûs, ſed minori cum ratione, comminiſcuntur, nempe ut alius ſit uſusfructus perſonalis, alius perpetuus: quæ ſanè diſtinctio magis cum textu pugnare videtur, quam illa veterum de dominio directo & utili. Inventæ ſanè ſunt diſtinctiones ſive in jure, ſive in Philoſophia, ſive in Theologia, ut faciliùs res ſub intellectum cadant, & reſponſorum ſalebræ differentes concilientur. Utcunque eſt, in vocibus multum, in re parum inter has opiniones differentiæ eſt. Nam, ſi verum quod Cicero ait, *Id proprium cujuſque eſſe quo quis uti & frui poteſt*; frui autem dicitur is, qui vel dominus, vel quaſi dominus, fructus vel obventiones perpetuò, aut pro tempore percipit; imò & in ipſo jure, aliquando uſusfructus pro dominio habetur, aliquando pars ipſius dominii reputatur: nihil penè intereſt, utrum vaſſallum uſufructuarium, cum recentioribus, dicamus; an verò, veterum diſtinctionem ſequuti, proprietarium, ſed talem qui alium priorem in proprietate agno-

 ſcat,

(*a*) L. 8. § 2. de periculo & commod. rei venditæ. § 3. Inſtit. de uſufr. (*b*) L. 5. § 1. ff. quod cum eo qui in aliena poteſtate eſt. (*c*) L. 12. de fundis patrimonialibus. (*d*) 2. F. 23. in fine.

ſcat, cum utriuſque idem ſit effectus, *proprium* enim veteres pro *diuturno* dixerunt,

——— *Nimiùm Romana propago*
Viſa potens ſuperis, propriâ hæc ſi dona fuiſſent. Virg. Æneid. 6.

Sic Plautus *amatorem proprium*, pro *perpetuo* frequentiſſimè adducit. Itaque in feudo, ſive utile dominium tantum tranſire dicamus, ſive uſumfructum, ſed perpetuum, in nomine aliquid, in re nihil eſt differentiæ.

14. Noſtri ut hos nodos evitent, modeſtiùs & fortaſſe ſignificantiùs, dominum directum *ſuperiorem* vocant, vaſſallum verò *tenentem*; licet *tenentis* nomen latius quam *vaſſalli* extendatur; ſed cum in materia feudali quæſtio eſt, pro vaſſallo tantum ſumitur. Ex his patet retinendam eſſe priorem feudi definitionem, quæ à nobis propoſita eſt, quam etiam in hoc tractatu ſequi ſtatui, non tantùm quod ſaniori Doctorum parti placeat, ſed quod noſtris moribus magis conveniat. Nam niſi tranſlationem utilis dominii in vaſſallum concedamus, innumeræ, ut dixi *(a)*, in noſtra praxi difficultates orientur.

15. Quæri autem poteſt, Si in feudo duplex ſit dominium, & antea feuda vectigalium, ſervitutum, juriſdictionum, penſionum, & annuorum proventuum conſtitui poſſe diximus *(b)*, quæ res non ſunt corporales, ſed jura tantum, quorum dominium nullum proprie poteſt eſſe, quomodo hæc inter ſe conveniant, cum neque dominus directus horum feudorum eſſe poteſt, neque utilis? Hæc quæſtio à Baldo in præfatione feudorum proponitur, & ejus ſolutio ab eo petenda eſt, nempe loco directi dominii directa actio ſuccedit, & loco utilis dominii utilis actio, quæ datur feudatario contra debitorem horum annuorum redituum, ſive præſtationum: multi etiam in ea ſunt opinione, hæc jura quæ memoravimus inter mobilia numerari.

16. Redeo ad definitionem, in qua ſequitur clauſula [*ſub fidelitate*] quæ nihil aliud eſt quam tutela feudalis, qua dominus & vaſſallus invicem, ſed præcipuè vaſſallus, ad mutuam fidem obligantur *(c)*: fidelitas enim non ſolum vinculum eſt feudi, ſed vera ejus eſſentia, ſine qua nullum feudum ſubſiſtere poteſt; adeò ut fidelitas ipſa ne pacto quidem remitti poſſit: alioqui in aliam contractus ſpeciem tranſit, nempe in allodium. Sed de allodio & fidelitate mox plura ſubjiciemus.

17. Diximus [*ſub exhibitione ſervitiorum honeſtorum:*] Nam licet vaſſallus inſervire domino ſemper teneatur *(d)*, alioqui feudum dici non meretur, ſed potius donatio ſeu allodium, non tamen niſi ad honeſta ſervitia tenetur, imò nec ſervus domino, nec filius patri, nec civis rectori ſuo in turpibus parere debet. In factis tamen non atrocibus, ſi ſervus aut vaſſallus domino, aut filius patri, aut civis Magiſtratui paruerit, in jure Civili excuſatur *(e)*, jure Canonico non item. Sed de his poſtea.

18. Quod autem de ſervitiis diximus, de ſervitiis incertis & perſonalibus intelligendum. Nam cum feudum tantum ob unum & certum ſervitium datur, propriè feudum non eſt *(f)*, ut infra dicemus *(g)*: neque ſi ſervitus ſit realis, i. e. ſi ſervitus uni prædio ex altero debeatur. Nam tales ſervitutes in feudis non ſpectantur; vaſſallus enim militares operas domino debet, id eſt, ut cum armis & equis ad domini imperium quoties mandaverit paratus ſit *(h)*. Sunt qui definitioni apponendam vocem [*perpetuò*] putant, quaſi feudum eſſet perpetua & benevola conceſſio. Et ſane feudum jure noſtro perpetuum eſſe ſolet, neque *feudi* nomen convenit ulli, cui non *hereditatis*; niſi quis dicat conjuges in conjuncto feudo eſſe, aut uſumfructum conjugi conceſſum genus eſſe feudi. Ego ſane ab hac voce [*perpetuò*] conſultò abſtinui, cum ſciam alia feuda eſſe vitalia, alia temporalia, alia annalia, ut in diviſione feudorum poſtea apparebit.

19. Hæc

(*a*) § 11. (*b*) § 8. (*c*) 2. F. 3. in fine, & 6. in fine. (*d*) 1 F. 21. & 2. F. 26. § 5. ibi: Licet. (*e*) L. 11 § ult. & ſeqq. ff. de his quæ notantur in fam l. 20. ff. de oblig. & act. l. 157, 167. § 1. & 169. ff. de reg. jur. (*f*) 2. F. 23. in fine, & 24. § 2. ibi: ſed non eſt alia. (*g*) § 27. (*h*) 2. F. 26. § Licet. & 2. F. 28. ibi: Ad hoc.

19. Hæc autem feudi definitio, quam per partes explicavimus, antiquis apud nos feudis maximè convenit; quoque feudum antiquius eo magis definitioni conſentit. Nam antiquitùs apud nos feuda ex mera dominorum liberalitate concedebantur *(a)*, propter operam in bello vel præſtitam, vel præſtandam; tranſlationemque dominii utilis, retento dominio directo, (unde vaſſallus moriens obiiſſe veſtitus & ſaſitus ut de feudo dicebatur,) fidemque vaſſalli obſtrictam domino, cum aliqua recognitione dominii, id eſt, aliquo, teſtificandæ gratiæ cauſâ, obſequio, continebant. Pòſt feneſcentibus ſeculis, cum in pretio tantum pretium haberetur, militares operæ negligi cœperunt, & Martia illa feudi natura inquinata & corrupta eſt *(b)*; ut hodie feudum in feudo vix agnoſcamus. Et hoc feudorum ſenium dici poteſt, prout ſingulas ejus ætates antea enumeravimus *(c)*. Nam cum feuda cœperunt ex pactis conventis legem accipere, cumque attentiores domini ad rem faciendam progreſſu temporis facti eſſent, etiam in emphyteoſin prædia dabantur, ſub annuo cenſu, præteritis ſervitiis.

20. Hæc ut planiora omnibus fiant, tria in definitione feudi ſunt ponderanda: quædam enim ſunt feudorum omnium *eſſentialia*, quædam *naturalia*, quædam *accidentalia*. *Eſſentialia* verò ſunt ea, ſine quibus in feudo ipſo ſive diſpoſitione feudi expreſſis, ipſa diſpoſitio feudi ſubſiſtere non poteſt: & hæc tria ſunt, licet Baro duo tantum eſſentialia ponat, rem nempe immobilem & fidelitatem; Schonerus unam eſſentialem qualitatem, nempe ut ſit de re immobili de qua fides *(d)* præſtatur. Primum itaque in omni feudo ſervandum, ut dominium directum apud concedentem maneat *(e)*. Secundum, ut præſtatione alicujus rei, aut facti, vaſſallus dominum ſuum recognoſcat *(f)* Tertium, ut juramentum fidelitatis, ſaltem ipſam fidelitatem, præſtet *(g)*.

21. Hæc tria expreſſa, ex uſu noſtro, in diſpoſitione feudi non ſemper requiruntur: nam fidelitas aliquando tacitè, aliquando ineſt expreſſè in clauſula Redditionis. Et de primo, quod ad dominum directum attinet, quem nos ſuperiorem dicimus, is ſemper eſt exprimendus, ſive is ſit qui concedit, ſive ejus immediatus ſuperior, ut de eo feudum teneatur; quo caſu non manet feudum concedentis, ſed domini ſui ſuperioris. Uſque adeò autem exprimendus eſt dominus ſuperior in feudi conceſſione, ut ejus omiſſio totam feudi conceſſionem vitiet: neque feudum in eſſe (ut dicere ſolemus) producitur, donec domini immediate ſuperioris conſenſus interveniat, ſi de eo feudum tenendum concedatur. Quod ſi de concedente tenendum ſolùm detur, dominus ſuperior permanet qui concedit. Hinc factum eſt ut vulgare illud ſit in foro, *Niſi in charta exprimatur, de quo feudum tenetur, omni effectu & robore deſtituatur (h)*.

22. Secundum eſſentiale eſt ut præſtatio aliqua ſive redditio in conceſſione exprimatur, ſive ea in dando, ſive faciendo conſiſtat *(i)*: neque intereſt, ſi quid corporale redditum ſit, quale illud ſit, aut cujus valoris, veluti in feudis francis accidere ſolet, in quibus redditio roſæ, vel nummi argentei, vel paris cheirothecarum, vel calcarium, vel ſpeculi, vel ſimilium, habetur. In tales enim præſtationes clariſſimus dominus de Olyphant, licet ab aliis ſervitiis immunis, pro multis latifundiis tenetur; cum tamen alia prædia in feudo recto ſive proprio teneat, ex quibus Regi Warda & Maritatio debentur. Imò & in feudis quæ ad manum mortuam, ſive in puram eleemoſynam conceduntur, aliqua ſemper redditio exprimitur, nempe precum, & divinorum officiorum *(k)*. Et ſic in feudis ſemper aliqua præſtatio, quaſi grati animi teſtificatio, & memoris beneficii, ſemper exprimenda eſt. Has autem præſtationes, ſive redditiones, quales in feudis francis exprimuntur, cum plerumque minimi ſint pretii, noſtri negligere ſolent: Angli tamen exigunt diligentiſſime, eâ ratione adducti, quòd ſi prætereantur vaſſalli franci, in oblivionem ſuorum dominorum veniant, ſi nunquam vel munuſculo eos agnoſcant. Itaque ut

(a) § 6. (b) 1. F. 16 & 20. (c) Vid. D. 4. § 13. in fine, de virili feudi ætate. (d) 12. Theſ. diſp. de feud. quæſt. (e) 2. F. 23. in fine. (f) D. 2. F. 23. in fine. (g) 2. F. 3. in fine. (h) 2. F. 58. § ult. ibi: Si qua inveſtitura. (i) 2. F. 23. in fine. (k) Vid. lib. 2. D. 1. § 5. in fine.

utriusque & vassalli & domini refricetur memoria, has præstationes severissimè solent observare : quod & hodie apud nos custoditur *(a)*.

23. Tertium de fidelitate, licet non exprimatur, tamen tacitè in verbo præstationis semper intelligitur, & domini superioris personæ adhæret, quasi esset accidens inseparabile. Superiori enim, & præcipue domino, semper fides, reverentia & obsequium debentur *(b)*; neque fidelitas hæc ullo pacto remitti potest. Nam quod apponitur in textu *(c)*, quòd pactum feudo interponi potest, ut sine sacramento fidelitatis vassallus feudum habeat, de sacramento solo seu juramento intelligunt omnes, quasi illud pacto remitti possit; quod & etiam apud nos in usu est. Nam licet fidelitas semper sit præstanda, sacramentumque debeatur, rarò tamen apud nos exigitur. Hæc autem fidelitas usque adeò naturæ feudi inhæret, ut non solùm pacto remitti non possit (ut antea monui *(d)*;) sed neque pactum illud in jure consistat, ne vassallus propter infidelitatem aut feloniam e feudo suo cadat, ad exemplum pacti, ne donatio propter ingratitudinem possit revocari *(e)*. Utrumque enim pactum hoc in jure rejicitur, ne delinquendi materia sceleratis hominibus præbeatur. Est itaque fidelitas quasi essentiale feudi, quæ si non exprimatur, (exprimi tamen videtur sub nomine *Tenendriæ*) aut prædium ita concedatur, ut de nullo teneatur, jam feudum dici non potest, sed Allodium.

24. Et quoniam in Allodii mentionem incidimus, cum feudo allodium opponi soleat, quid allodium sit, & quæ bona dicuntur allodialia, paucis perstringemus. Nam & hæc etiam definitionem feudi, ejusque naturam faciliùs demonstrabunt, cum contraria juxta se posita maximè eluceścant. De definitione vocis Allodii, non satis inter Feudistas imò doctissimos convenit. Budæus enim putat *Allodium* ex *à* privativa particula, & *laudando* deduci, quasi *allodes* sint, qui ob beneficium acceptum dominum non tenentur *laudare*, vel agnoscere, *leodes* enim sive *leudes* subditi dicebantur; Galli *Loyaulx*, nos *ligios* dicimus, & proinde *allodes* qui non sunt subditi, & *allodium* quod ex nostra jurisdictione sive districtu non est. Alii (quibus magis assentior) Gothicam vocem, seu vocabulum feudale putant, & cum Gothis & septentrionalibus gentibus & feudis ipsis irrepsisse, apud quas nulla vis est illius particulæ privativæ *à*. Allodium tamen, si his credimus, propriùm cujusque patrimonium, quod quis jure quàm optimo possidet, significat, in quo nullum superiorem dominum agnoscere tenetur *(f)*.

25. Hujus Allodii duo sunt genera; alterum in rebus mobilibus consistit, alterum in rebus soli. Mobilia autem omnia allodialia sunt, in quibus dominium plenum habemus, ut iis uti, vel abuti, pro arbitrio nostro possimus, pro quibus neque servitium, neque operam cuiquam debeamus. Imò feudorum fructus præteriti jure allodii censentur, licet ex feudo debeantur. Ita gravissimè errant qui bona mobilia de Principe teneri, aut in patrimonio aut potestate Principis esse asseverant, ut ejus commodis quando velit liberè possit applicare. Nam rerum mobilium dominium privatorum est, neque in dominio Regis esse possunt, nisi quoad tuitionem, quam nos protectionem dicimus. Alterum genus Allodii est, quando prædium vel tenementum pacto ita conceditur, ut pleno jure quis concessum ita possideat, ut nullam pro eo gratiam, nullum servitium, nullam denique operam aut mercedem debeat : & sic Allodium à feudo differt *(g)*, cum feudum teneatur dominum agnoscere. Præterea in his Allodiis dominium est infinitum, ut illud servare, perdere, & libere uti, vel abuti possit, ex animi sui sententia : apud vassallum verò dominium finitum est, quo neque abuti, vel alienare sine domini consensu potest *(h)*.

26. Exempla autem Allodiorum erant frequentiora quàm jam sunt; nemo enim hodie Allodium solet concedere. Donationes tamen illæ quæ à Pipino, Carolo Magno, & Lothario, Regibus Francorum, Romanis Pontificibus de ipsa urbe Roma, deque aliis Longobardorum Regum, quos everterant, præcipuis urbibus factæ fuerunt, mera erant Allodia, quippe cum concedentes nihil sibi retinuerunt. Sic omnes

(*a*) Per cap. 14. Parl. 18. Jac. VI. (*b*) 2. F. 6, 7. (*c*) 2. F. 3. in fine. (*d*) § 16. (*e*) Arg. l. 38. ff. de pactis, 2. F. 26. § 5. vers. Domino, & 2. F. 47. (*f*) 2. F. 17. § 1. & 26. § 1. (*g*) 2. F. 26. § 1. & 2. F. 54. (*h*) 2. F. 52 & 55.

omnes prædiorum donationes apud veteres Romanos Allodia erant; nondum enim nomina tenendriæ & ſuperioritatis occurrerant. Talis etiam eſt, ut refert Franciſcus Curtius, & Olradus, de principatu Achaiæ, cujus Carolus Rex Neapolis tam utile dominium quàm directum Principi Tarentino conceſſit: &, ut ad nos redeam, talis erat donatio Regis Athelſtani, quam ſupra *(a)* retulimus, prædiorum Oddam & Roddam, eodem jure, & adeo immunium, quàm ipſe ea poſſiderat, id eſt, neque dominio utili neque directo apud ſe retento. Sic (ut teſtatur Holinſhedius, in Gulielmo Ruſo) Hugo Lupus nepos Gulielmi Conquæſtoris comitatum Cheſtriæ ab ipſo Conquæſtore accepit, adeo libere ad gladium, ſicut ipſe Conquæſtor totum Angliæ regnum ad coronam. Et ut ad recentiora accedamus, talis eſt inveſtitura, quam Rex Franciſcus primus Duci Lotharingo fecerat, de urbe Caſtaleta ad Ripam Moſellæ ſita, in qua neque recognitionem ullam ſibi reſervavit. Sequitur ut naturalia feudi explicemus.

27. *Naturalia* feudorum dicuntur eæ qualitates quæ ex natura contractûs pendent, quaſi feudo innatæ, ſemperque cenſentur feudo inhærere etiamſi non exprimantur: veluti, ut feuda ſint gratuita, ut maſculi tantum heredes ſuccedant *(b)*. Natura autem ab omni feudo fœminas ſecludere videtur, quaſi ad obſequia domini, quæ vel in conſulendo, vel in militando conſiſtunt, (quorum præcipue cauſa feuda conſtituuntur,) impares & ineptas. Sic & hoc naturale eſt feudi, ut res cum omnibus annexis ſuis, juribus, & privilegiis tranſeant, ut domus, ædificia, arbores, plantæ vaſſallo cedant, juxta illud vulgare:

Quicquid plantatur, ſeritur, vel inædificatur,
Omne ſolo cedit, radices ſi tamen egit.

Naturale item eſt, ut dominus vaſſallo qui ſervitia debet de evictione teneatur, licet de evictione nihil exprimatur *(c)*. Hinc fit ut apud nos, feudum ob ſervitium datum, vel propter merita, dicatur *titulus oneroſus*, & ad actionem de evictione ſufficiat. Sic & naturule hoc eſt feudi, ut citra noxam, culpam & voluntatem beneficiarii non amittatur; ſic ut incerta ſervitia ſint quæ præſtentur, & à domino indicenda cum libuerit, & ſimilia, quæ in hoc tractatu paſſim legenti occurrent. Si quid contra hæc fiat, & eveniat, jam non eſt rectum & naturale feudum, ſed degenerans & conditionatum, vitioque aliquo affectum, & (ut Hottomanni verbo non inconcinno utar) *feudaſtrum*, quaſi *ſemifeudum*, & non verum feudum; qualia apud nos ſunt pleraque omnia, in quibus certum ſervitium inveſtituræ exprimitur, veluti ut vaſſallus dominum ad comitia regni comitetur, ut ei à poculis vel dapibus ſit, aut cellæ vinariæ præſit, penus curam gerat, portas claudat, claves ſecum retineat, ſtapedam domino equum in publicis comitiis aſcendenti teneat, ut tormenta bellica dirigat, & ſi quæ his ſimilia, quæ multa profectò apud nos ſunt. Neque enim ob certa hæc ſervitia feudum conceſſum rectè feudum dici poteſt, ſed feudaſtrum; cum vaſſallus domino ad omnem operam, conſilium, fidem, domi militiæque præſtandam, & nullis finibus conſtrictam, ex natura veri feudi obſtringatur: & proinde ex domini arbitrio vera feuda pendent *(d)*, & ob id incerta & naturalia dicuntur. Horum naturalium hic effectus eſt, ut licet naturaliter inſint, tamen cum iis pacto diſpenſari (ut loqui ſolemus) poſſit; veluti, ſi conveniat ut pecunia ſolvatur, ut tam ad fœminas quàm ad maſculos feudum deſcendat, ut à ſervitiis ſit immune: ſed ne eſſentialia locum habeant in feudo, nullo pacto provideri poteſt *(e)*.

28. *Accidentalia* ſunt quæcunque vel in ipſa conceſſione vel cum ipſo feudo accidunt, qualia ſunt pacta quæ in feudis emptis aut permutatis apponuntur, vel proviſiones, vel *clauſulæ* quæ vocantur *irritantes (f)*: quæ licet cum natura feudi non omninò conveniant, tamen ſervandæ ſunt, vel ut pacta in continenti appoſita,

(a) Dieges. 7. § 4. (b) 1. F. 8. § filia. & 2. F. 50. pr. (c) 2. F. 8. pr. & 2. F. 25. niſi ſit Princeps, ut § 34. (d) 2. F. 23. in fine. & 55. § firmiter. (e) L. 23. ff. de reg. jur. (f) Et licet odioſæ admodum ſint, permittuntur tamen certis conditionibus, cap. 22. Parl. unic. Jac. VII.

Pars contractûs à Jurisconsultis censentur. Et ab his accidentalibus naturalia plerumque feudorum innovantur: exempli causâ, emptionis natura est, ut præstetur evictio, licet non exprimatur, pro expresso tamen habetur; licet pacto provideri possit, ne quid evictionis nomine præstetur: sic etiam in feudis, si quæ diximus essentialia sint salva & intacta, licet naturalia pacto immutentur, feuda tamen manent, licet proprie feuda vix dicantur. Imò si ex arte differendi definitionem feudi & ejus naturam discutiamus, ne feuda quidem franca, neque quæ in emphyteosin, aut quæ ad Libellum conceduntur, cum proposita feudi definitione conveniunt, cùm servitia non debeant. Unde patet *quàm periculosa sit omnis in jure definitio, rarò enim fit, quin subverti possit (a):* sed profectò ea quam supra adduximus feudi definitio, pro feudi vera definitione à doctissimis Feudistis usurpatur; feudi, inquam, nativi & genuini, & præcipuè militaris, qualia omnia erant feuda ab initio. A qua definitione quantò longiùs feuda recedunt, tantò feudi appellatione sunt indigniora: itaque à veteribus Interpretibus degenerantia, sive conditionata feuda dicuntur, nempe quæ ratione singularis pacti genuinam naturam feudi amittunt, ut in divisionibus feudorum sequentibus apparebit. Sed eatenus tantùm degenerantia dicuntur, quatenus pacto immutantur: in reliquis feudi proprii naturam servant. Si quis definitionem hanc non esse bonam ex legibus differendi pertinaciùs contendat, saltem pro descriptione accipiat, & utatur, donec ipse meliorem in medium adducat.

29. Et quoniam recentioribus placet feudum per usumfructum definire, contra veterum opinionem, non inutile fore putavi pauca subjicere, in quibus ususfructus cum feudo convenit, & in quibus dissentit, & ut veterum & recentiorum opiniones de genere definiti in hac feudi definitione faciliùs eluceścant, & inter se conferantur. Nam si ususfructus est genus definiti ipsius feudi, certè quæcunque de specie dicuntur, etiam de genere dici, per leges disputandi oportebit. Habent itaque feudum & ususfructus hoc simile: 1. Quod utrumque sit jus utendi, fruendi, & omnes utilitates quæ ex feudo veniunt percipiendi. 2. Uterque, id est, usufructuarius & feudatarius, feudi conditionem meliorem facere potest, deteriorem verò non item. 3. Uterque naturaliter possidet; nam civilis possessio apud dominum remanet: itaque non pro suo, sed pro eo quod quodammodo alienum est, possident; & cùm jura statuant ejus esse possessionem, cujus nomine res possidetur, certè hæc naturalis tantùm possessio omnem præscriptionem excludit: nam licet usufructuarius centum annos possideret, nunquam tamen proprietatem præscribit, neque feudatarius dominium directum. Ratio est, quia proprietarius per usufructuarium, & dominus per vassallum possessionem fundi retinent. Naturalis enim possessor contra civiliter possidentem nunquam proprietatem præscribit. 4. Uterque fundum locare, uterque ejectus interdicto *unde vi* potest experiri.

30. Dissentiunt autem in pluribus. Nam, 1. Ususfructus testamento constitui potest *(b)*; feudum, nisi inter vivos, constitui non potest, proprièque ejus vassallus quisque censetur, à quo investituram accepit. 2. Ususfructus constituitur venditione, alienatione, locatione, permutatione; at in feudo, præcipuè nativo & genuino, pretium non admittitur, neque merces, aut quid aliud nisi militaris opera. 3. Ususfructus rerum mobilium, & omnium quæ in bonis sunt constitui potest; feudum tantùm in immobilibus & æquipollentibus consistit, ut antea *(c)* probavimus. 4. Usufructuarius, nisi præstitâ cautione de utendo & fruendo boni viri arbitratu, & re restituenda, in possessionem non admittitur; sed in feudo nihil tale requiritur. 5. Usufructuarius ad nulla servitia tenetur; feudatarius verò contrà. 6. Ususfructus solâ patientiâ & cessione tradi intelligitur; at in feudo investitura requiritur. 7. Usufructuarius nullum dominium habet; at in feudo utile dominium transfertur, ut antea dixi. 8. Ususfructus tantùm vitalis, & morte usufructuarii finitur; at vassallus feudum possidet plerumque perpetuum. 9. Usufructuarius formam & qualitatem ædium mutare non potest, adeo ut ne ædificare possit in area fructuaria; at vassallus rectè faciem mutat loci, ædificia reformare potest. 10. Usufructuario proprieta-

(a) L. 202. ff. de R. J. (b) § 1. Instit. de Usufructu. (c) § 7.

prietarius nullâ neceſſitudine devinctus eſt; at dominus vaſſallo ita devinctus eſt, ut ſi quid extra fidem fecerit, à proprietate ſive dominio directo cadat *(a)*. Hæ differentiæ cùm plures ſint, quam ſimilitudines inter uſumfructum & feudum, facit ut verior appareat veterum Interpretum definitio, feudum non poſſe per uſumfructum definiri, ut recentiores volunt, cùm inter ſe tot modis & capitibus diſſentiant.

31. Ex hac autem definitione liquet, feudum eſſe quendam contractum (licèt nonnulli in contrarium contendant) reciprocum inter dominum & vaſſallum, in quo uterque alteri obligatur, reſque uni ab altero traditur, ut aliquid pro ea rurſus repræſentetur, quod in contractibus reciprocis & innominatis præcipuum eſt *(b)*. Itaque qui pro feudo acquirendo agit, is idem obſervare debet quod in aliis contractibus fieri ſolet, nempe ut probet, omnia quæ convenerant pro ſua parte impleta eſſe, aut ſaltem, ut impletionem omnium, in quibus tenetur, offerat: aliter ex reciproco contractu nemo audietur.

32. Sed an feudum nominatus, an verò innominatus contractus dici poſſit, controverti poteſt. Movet quæſtionem quòd ejus nomen inter contractus nominatos in jure non reperiatur: ſed rectè Bartolus omnes contractus à jure vel à lege introductos, etiam ſub nova forma & nova ſpecie, nominatos rectè dici putat *(c)*.

33. Secunda quæſtio major eſt, & in uſu quotidiano frequentior, Sitne feudum contractus bonæ fidei, an ſtricti juris. Hic pauca, ad juventutis ſtudia promovenda, de contractibus bonæ fidei & ſtricti juris adjiciam. Bonæ fidei contractus dicuntur, qui ex æquo & bono extenſionem capiunt, licet in iis nihil ſit dictum: & ſic mens contrahentium potiùs ſpectatur, quàm quod inter contrahentes expreſsè convenit. In quibus omnibus hanc formam uſurpatam fuiſſe putat Hottomannus, quantum ex bona fide fieri & dari oporteat.

Inter contractus bonæ fidei numerantur omnes contractus reciproci, velut emptio, venditio, locatio, conductio, & reliqui qui à Juſtiniano enumerantur: contractus etiam matrimoniales, teſtamenta & legata, naturam contractûs bonæ fidei ſapiunt; cùm in illis favor matrimonii præcipue ſpectetur, in his plenius defunctorum voluntates ſint interpretandæ. In quibus omnibus, quia ſæpe fidem aliorum ſequi cogimur, quid actum ſit ex æquo & bono inquiritur, quidque in ſimilibus negotiis fieri ſoleat.

In ſtricti juris contractibus nemo bonam fidem, nemo bonum & æquum excludit: ſed ideò ſtricti juris actiones dicuntur, quòd ſtrictiùs hæc fides arctatur, bonumque & æquum inter cancellos quaſi conſtringitur; ita quòd nihil actum niſi quod ſcriptum credatur, cujuſque ſpecialis mentio in contractibus ſit facta. Stricti juris ſunt omnes ſtipulationes, fidejuſſiones, ſeu ſatiſdationes, quæ ſtipulationum naturam ſapiunt: etiam omnia crimina & judicia, quæ ex delictis & criminibus oriuntur, & pœnæ; neque enim hæ aut extenſionem recipiunt, aut interpretationem.

Sed, ut ad propoſitam quæſtionem de feudo revertamur, feudum contractum ſtricti juris dicimus, licèt beneficium ſit, & ex contractu bonæ fidei oriatur frequentiſſimè, & hæc eſt omnium pene Feudiſtarum ſententia, & noſtris moribus apprimè convenit. Nam cùm jus Feudale, quo utimur, totum ex conſuetudinibus coaluerit, non eſt ad conſequentias trahendum, ut Doctores loquuntur. Conſuetudo enim, licet ſcripto comprehendatur (neque enim minùs eſt conſuetudo, licet ſuper ea ſcriptura interveniat) juris ſtricti eſt, & proprios terminos non excedit. Præterea feudum ex ſua natura eſt ſpecies quædam donationis, &, ut Baldus ait, æquum eſt ut donationes omnes ſint ſtricti juris, ne quis plus donâſſe præſumatur, quàm in donatione expreſſerit. Hinc fit ut omnes locationes, venditiones, pacta de retrovendendo, quæ nos reverſiones dicimus, & ſi quæ ſint his ſimilia, quæ circa feuda & res immobiles apud nos interponuntur, ſtricti omnino juris cenſeantur *(d)*; licet jure Civili ſint contractus bonæ fidei. In rebus autem allodialibus, ſive mobilibus, venditiones, locationes, & reliqui contractus,

(*a*) 2. F. 6. in fine, & 34. § 1. (*b*) Vide § 4. (*c*) 1. F. 28. in fine. ibi: Per feudum, id eſt, vi contractûs Feudalis. Et 2. F. 3. § 1. ibi: Per feudum, id eſt, contractum Feudalem. (*d*) Lib. 2. D. 6. § 3.

ſuam naturam, quam ex jure Civili ceperunt, retinent; id eſt, ut in iis omnia ex bona fide impleantur, quodque ex natura contractûs æquum & bonum poſtulat, etiamſi de eo nihil actum expreſsè fuerit, ab utravis parte præſtetur.

34. Sed gravior quæſtio eſt de feudis à Principe conceſſis *(a)*: quotquot enim juris Interpretes legi, ii omnes affirmant, non ſolùm omnia feuda à Principe conceſſa, ſed & omnes contractus cum Principe initos bonæ fidei eſſe: nuſquam enim bonam fidem, ſi in Principe deficiat, quærendam; cùm is ad implementum aliàs vix cogi poſſit, & in jure beneficium à Principe conceſſum, latiſſimè contra ipſum Principem *(b)*, ſtrictiſſimè contra alios interpretandum ſit *(c)*. Contrarium verò apud nos obſervari cenſeo, ut feuda etiam à Principe conceſſa ſtricti juris ſint. Nam cùm ex ſola Principis liberalitate procedant (neque enim ex ullo alio titulo apud nos conceduntur, niſi ſub titulo puræ donationis) non eſt æquum ut is in plus teneatur quàm voluit, aut plus voluiſſe credatur quàm expreſſit. Inde factum eſt ut Princeps nunquam de evictione feudi teneatur, licet ea (ut dixi) naturaliter feudo inhæreat.

35. Itaque, ut tandem definitionem hanc concludamus, ſi quæ diximus eſſentialia deficiant, omnino feudum conſiſtere non poteſt. Naturalia, vel ex conſenſu contrahentium, vel ex diverſa locorum conſuetudine, mutari poſſunt, & iis aliquid addi vel detrahi; ita tamen ut niſi aliquid expreſsè mutetur, natura vera feudi remaneat. Accidentalia autem vel adeſſe vel abeſſe ſine ſubjecti ſui interitu poſſunt; ſed non ineſſe præſumuntur, niſi exprimantur. Ex hac diviſione naturalium, eſſentialium, & accidentalium qualitatum feudi, omnes feudorum diviſiones naſcuntur: nempe hinc factum, ut quædam feuda eſſentialia feudi & naturalia ſervent, alia ab his plùs minùſve declinent, & ut variæ feudorum diviſiones, tam in ipſo textu, quàm Interpretum ſententiis emanârint. De quibus jam locus eſt, ut aliquid dicamus, modo quaſdam generales regulas ad feudorum intellectum faciliorem utiliſſimas, & definitionem illuſtrantes, præmiſerimus.

36. Prima eſt, ut in feudis ſemper inveſtituræ tenor ſpectetur, verborumque vis diligenter expendatur. Nam tenor eſt qui dat legem feudo, & omni contractui, & plerumque naturam feudi mutat, quæ alioqui cum definitione ante explicata conveniret; ejuſque conditiones retinere cenſetur, niſi aliud ex tenore conſtet. Itaque in jure, tenor aliquando pro pactione *(d)*, ſive conditione, contra communem feudi naturam in contractu Feudali interpoſita, ſumitur.

Secunda, mos regionis non minùs dat legem feudo quàm tenor. Nam, ut ait Baldus, conſuetudines feudorum ſunt locales: apud Inſubres enim ſive Longobardos, ubi primùm jacta ſunt Feudalis juris fundamenta, ſaltem ubi incrementum cœperunt feuda, diverſæ pro locorum varietate fuerunt feudorum conditiones. Nam Mediolani, Cremonæ, Ticini, & hodie in univerſa penè Gallia, vaſſallus feudum alienare poteſt, ſine conſenſu domini ſui ſuperioris; Mantuæ aut Veronæ non poteſt: quod & apud nos obſervatur; ut localibus conſuetudinibus, poſt jus proprium uniuſcujuſque regionis, qui in ea ſunt, regantur. Sic ex jure Feudali, in Gallia, Germania, & pleriſque Galliæ regionibus, in feudis omnes filii æqualiter & in capita ſuccedunt; in Britannia & magna parte Normanniæ primogenitus tantùm.

Tertia, ubicunque facti Feudalis ſpecies occurrit, quæ expreſsè in libris feudorum non deciditur, in illius deciſione, jus Civile ſive Romanorum ſequi debemus; at contra Feudales deciſiones, niſi in feudorum materia, locum non habent.

Quarta, ubicunque nomen heredis in libris feudorum occurrit, de herede maſculo intelligendum *(e)*: fœminæ enim regulariter non ſuccedunt *(f)*, quaſi inutiles ad ea onera, quæ feudis naturaliter inſunt: neque enim militare, neque domino in re difficili conſulere, aut ejus conſilia reticere poſſunt; quæ tamen in feudis ſingula requiruntur. Sic & nomen heredis in prima inveſtitura expreſſum, tantùm ad deſcendentes ex corpore vaſſalli primi extenditur, veluti ad filium, nepotem & pronepotem

(*a*) Vide lib. 2. D. 4. § 10. in fine. (*b*) L. 3. ff. de conſtitutionibus Principum. (*c*) L. 14. ff. de ll. (*d*) 1. F. 14. § 2. ibi: Niſi pactum fuerit inveſtitura. Et 2. F. 18. ibi; Propter tenorem inveſtituræ. (*e*) 2. F. 11. juncto 1. F. 15. in fine. (*f*) 1. F. 8. § ult. in medio.

nepotem, & non ad collaterales, niſi ex corpore primi vaſſalli ſive ſtipitis deſcendant. Rationem ſuprà poſui, quia dominus potiùs vaſſallo, & heredibus ex corpore gignendis ſive genitis proſpexiſſe videtur, quam ulli collateralium, niſi clauſula [*heredibus quibuſcunque*] adjiciatur. Itaque in feudo novo uni & heredibus conceſſo, deſcendentes tantum heredes venient ad ſucceſſionem, non item collaterales.

Quinta, quòd in feudis, licet ſint ſtricti juris, tamen de his proceditur de ſimilibus in ſimilia; &, quod magis mirandum, etiam in pœnalibus, licet regulariter pœnæ non extendantur *(a)*.

Sexta, in omni feudo conceſſo retineri videtur in vaſſallum juriſdictio, id eſt, dominus in vaſſallum reſpectu illius feudi habet ordinariam juriſdictionem. Ratio eſt, quia hæc datur à lege, & præſumptio juris eſt, & de jure, quaſi à contrahentibus ipſis conſtituta ab initio, præſumitur.

Septima, quandocunque mentio fit poſſeſſionis, veluti ſi Rex aut Pontifex confirmaverit Titio omnia caſtella quæ poſſidet, de juſtè poſſeſſis intelligendum; & poſſeſſio de juſta poſſeſſione, niſi qualitatem poſſeſſionis expreſſerit qui confirmat.

Octava, quòd regulariter non valet argumentum de feudo ad emphyteoſin, præcipuè in prohibitis: exempli cauſa, feudum ſine domini conſenſu non poteſt alienari, ergo neque emphyteuſis; niſi eadem utriuſque ſit ratio, & quæ ex jure communi deſcendat.

Nona, quòd ea capitula quæ in omnibus libris non reperiuntur, pro jure Feudali non habentur, neque ad cauſarum deciſionem ſufficiunt. Nam ut cuivis in his liberis verſato apertiſſimum eſt, multa capitula in aliis libris reperiuntur, quæ in communibus de uſibus feudorum libris deſiderantur, & præcipuè apud neotericos & recentiores conſtitutiones multæ reperiuntur, quæ parem, neque in foro, neque in ſcholis, cum jure Feudali vim non habent. Hanc etiam regulam Baldus & plerique Doctorum tenent; & qui juris Feudalis cognitionem aſſequi cupit, has regulas memoriæ ſuæ commendet: de quibus ut argumenti occaſio ſe præbebit, nonnulla in his Diegeſibus perſtringemus. Nunc ad Feudorum diviſionem pergendum.

Diegeſis decima.

De feudorum diviſione.

SUMMARIA.

1. *Continuatio à definitione feudi, ad ejus diviſiones.*
2. *Prima feudorum diviſio eſt in* Proprium & Improprium. *Quid utrumque ſit? Pacta contra naturam contractûs apposita in aliis contractibus reddunt contractum nullum; hic tantum improprium.*
3. *Differentiæ inter feudum proprium & improprium. Quid* Curtis, *& unde deducatur?*
4. *Omnia feuda non habent ſibi annexam juriſdictionem. Diſtrictus & juriſdictio inter ſe differunt: quid uterque ſit? Semper præſumitur feudum proprium, niſi aliud ex verbis inveſtituræ conſtet. De feudo recto, & non recto, quod idem eſt cum proprio.*
5. *Secunda diviſio feudi eſt in* Francum & non Francum. *Quid utrumque ſit? Nos francum* blancum *dicimus. Francum nunquam dicitur niſi exprimatur, in libera alba firma conceſſionem eſſe factam; & licet francum liberum ſit ab omnibus ſervitiis, non tamen à maleficiis. Recognitio non habet locum in feudo franco.*
6. *Tertia diviſio eſt in* Maſculinum & Fœminum. *Quid utrumque ſit? Licet feudum præſumatur proprium & maſculinum in jure,*

(a) Vid. § 33.

jure, non ita tamen apud nos, ſed ad fœminas æque ac mares deſcendere, niſi expreſsè heredibus maſculis fuerit proviſum.

7. *Quarta in* Reale & Perſonale, *ſive* perpetuum & temporale. *Feudi naturalis qualitas eſt, ut ad heredes tranſeat, & ita præſumitur, licet heredum mentio non fiat. Sanior tamen Feudiſtarum pars feudum hereditarium non vult, niſi ſpecialis heredum, ſeminis, vel progeniei mentio fiat. Ita apud Anglos, imò ne diſpoſitionem proprietatis continere, itaque feudum ſemper perſonale eſſe; niſi heredum mentio fiat, niſi ex favore, vel ultimæ voluntatis, vel matrimonii.*

8. *Perſonale ſive temporale feudum ſubdividitur in* Annale & Vitale, & *hoc etiam in illud quod cum vita dantis, vel accipientis extinguitur, vel alterutrius. Singula quid ſint? Unde hereditariæ cuſtodiæ caſtrorum, Balliatus, aut Vicecomitatuum.*

9. *An habitatio in feudum temporale data ſublocari poſſit? Apud nos ſublocatio eſt illicita, niſi expreſſè concedatur poteſtas ſublocandi, licet pro certo annorum ſpatio: nec aſſignatio permittitur, niſi ita concedatur ab initio; ita etiam apud Anglos.*

10. *Quid ſit feudum* ſoldatæ: *ejus etymologia: ſoldarii milites qui: ſtipendia militum quando irrepſerunt.*

11. *Quid ſit feudum* Cameræ & Cavenæ; *ubi de officiis coronæ, quæ non ſolùm nobilitatem habent, ſed immunitatem ab exactionibus & vectigalibus; & inveſtituram aliquam habent, ac fidelitatem Principi jurant. An hæc feuda morte dantis finiantur, licet concedantur ad vitam accipientis, incertum: ubi etiam de advocatia fiſci, urbis & Eccleſiæ.*

12. *Quinta diviſio eſt in* Laicum *ſive* Seculare, & Eccleſiaſticum: *quæ diviſio eſt ex diverſitate perſonarum quæ feudum accipiunt, in quibus eſt aliquid diſcriminis.*

13. *Sexta diviſio eſt in* Antiquum *ſeu* Paternum, & novum. *Quidam antiquum à paterno diſtinguunt. Quid utrumque ſit?*

14. *In feudo novo deſcendentes tantum ſuccedunt, non collaterales. Nec regulariter nobilitat.*

15. *An feudum novum pacto contrahentium fieri poſſit antiquum? Verba narrativa partium non poſſunt mutare naturam actûs in præjudicium tertii,*

16. *Septima feudorum diviſio eſt in* Nobile & Ignobile. *Nobile feudum dividitur trifariàm, in ſimpliciter nobile, minus nobile, & aliqualiter ſeu mediocriter nobile. Reliqua feuda ignobilia, ſeu plebeia dicuntur. Quid hæc ſint? Nobilitare quid? Si ſine dignitate, aut juriſdictione concedantur, non nobilitant. Rex eſt nobilitatis fons, ac voluntas cum poteſtate concurrat neceſſe eſt. Feudum burgale non nobilitat. Rex, etiamſi ſit ipſe ignobilis, eſt nobilitatis fons, & nobilitatem aliis conferre poteſt.*

17. *Fedum minus nobile quid? Vaſſi, vaſſalli & valvaſſores, vaſſarii & viaticum quid? Vaſſorum nomen pro Barone uſurpatur.*

18. *Aliqualiter nobile feudum quid? feudum ignobile quid?*

19. *Octava feudi diviſio eſt in* Ligium & non Ligium, *quod idem eſt ac* regale & non regale. *Quid utrumque ſit? Quomodo in his feudis inveſtitura conferatur, & fidelitas præſtetur. De dignitatibus Germanicis à Septemviris collatis.*

20. *Nona diviſio eſt in* Simplex & Conditionatum, *Quid utrumque ſit? de feudo curſoris claudo, patroni muto.*

21. *Decima feudi diviſio eſt in* Diviſibile & Indiviſibile. *Quid ſint? An feuda dignitatum, ſc. regimen & juriſdictio, diviſionem admittant? Quid in Gallia, Germania, Britannia & Normannia hac in re obtineat?*

22. *Aliæ ſunt feudorum diviſiones, quas Auctor conſultò præterit, ut non multum ad forenſem noſtrum uſum accommodas.*

23. *De diviſionibus feudi apud nos; quæ prædictas diviſiones non tollunt, ſed ab iis illuſtrantur, & ita immiſtæ ſunt cum iis, ut parum inter ſe differant. Feuda apud nos ea tantum dicuntur, quæ perpetua ſunt, & ad heredes tranſeunt; nulla vitalia, annalia aut temporalia.*

24. *Prima apud nos feudorum diviſio eſt in* Simplex & Limitatum, *ſive* conditionatum; *nos* Talliatum *dicimus. Quid utrumque ſit?*

25. *Unde* Talliæ *nomen? Talliatum feudum dicitur quoties* tales *heredes ſuccedunt, qui proximi alioqui non ſunt.*

26. *Secunda apud nos feudorum diviſio eſt in* Hereditatem & Conquæſtum. *Quid utrumque ſit. Hujus diviſionis effectus apud nos.*

27. *Ter-*

27. *Tertia apud nos feudi diviſio eſt in* Militare, Blancum, Burgale, Eccleſiaſticum & *ad* manum mortuam. *Quid militare ſit? Id feudum proprium eſt, & pro quo ſemper eſt præſumptio, niſi aliud ex tenore inveſtituræ conſtiterit. Quid ſi feudum contineat præſtationem ſectæ in curiis capitalibus?*

28. *Quid de iis præſtationibus, quæ nomine* Canæ *fiunt? utrum nomine feudi firmæ, an feudi blanci cenſeri poſſint.*

29. *Quid de his formis feudorum, in quibus ſummæ alicujus præſtatio, vel ſervitium unius comitis vel militis, cum hac adjectione (nomine Blanci vel feudi franci) dicendum?*

30. *De feudo Blanco, quod idem cum Franco.*

31. *De feudo Burgali. Burgi apud nos inter regalia ſunt, nec cum territorio alienantur, niſi expreſſa eorum fit mentio. De eorum ſervitus, & ubi ſint præſtanda?*

32. *De feudo Eccleſiaſtico, & prima ejus ſpecie. In hoc genere feudi Eccleſia ipſa conſideratur ut vaſſalla, Prælatus tantum eſt adminiſtrator, ex cujus delicto Eccleſia non patitur, ſed Prælatus. De eorum ſervitiis, & comparitionibus in curiis capitalibus.*

33. *Secunda ſpecies feudi Eccleſiaſtici, eſt quod vel commune, vel in emphyteuſin perpetuum, vel ad libellum datum eſt.*

34. *Tertia ſpecies feudi Eccleſiaſtici, quâ perſona Eccleſiaſtica, non Eccleſia reſpicitur; cum Prælatus, vel alia Eccleſiaſtica perſona feudum acquirit.*

35. *Feudum ad manum mortuam, ad nulla ſervitia tenetur; ſed tantum recognitionis nomine preces & ſupplicationes præſtat. Mortificatio quid, & manus mortua?*

36. *Feudum Burgale & Eccleſiaſticum reduci poſſunt ad feuda propria, ſive communia.*

37. *Alia apud nos feudi diviſio eſt in feudum ipſius prædii, & annuæ præſtationis ex ipſo prædio. Qui poſterius habet, jure & privilegiis Baronis gaudet. Quid utrumque ſit?*

38. *Triplex apud nos feudum annui reditus, quæ ab Anglis in noſtros mores irrepſiſſe videntur.*

1. LICET ex rei cujuſvis definitione, ut Dialectici volunt, plenam rei definitæ notitiam conſequamur; non minorem tamen lucem ad feudi naturam & conditiones intelligendas, ſubſequentes ejus diviſiones adferent. Sunt autem omnes διχότομοι, quarum ut plurimùm unum membrum ex alterius membri negatione ſeu privatione conſtat, & proinde ex mutua inter ſe collatione facilè cujuſvis membri patebit intellectus.

2. Prima itaque feudorum diviſio eſt in *Proprium* & *Improprium*. Et hæc quidem præcipua & primaria diviſio eſt, à qua reliquæ (licet alio reſpectu) dependent, & ad eam reducuntur. *Proprium* autem id feudum dicitur, quod cum definitione præmiſſa convenit in omnibus; ideo dictum feudum rectum ſive proprium, quòd propriam feudi naturam contineat, & communi & regulari feudorum jure regatur (*a*). *Improprium*, quod à naturali feudi qualitate declinat, & quod pacto & conditionibus, vel obſequiis nominatim definitis, eſt alligatum, contraque innatas feudi qualitates impropriatur, ut loquitur Baldus: exempli cauſa, ſi vel certum ſit ſervitium, quod in feudo præſtandum ſit; aut quandocunque aliquod pactum apponitur, contra naturales qualitates feudorum, feudum improprium eſt (*b*).

Sed hîc meritò dubitari poteſt, cum pacta contra naturam cujuſvis contractûs appoſita efficiant contractum nullum, qui fit ut hæc pacta contra definitionem feudi appoſita, non omnino contractum totum vitient & tollant, ſed tantum mutent, & aliqua ex parte innovent. Sed ne nimium hîc ſimus ſubtiles, retinendum eſt, pacta contra feudi naturam appoſita, feudum ipſo jure non tollere, ſed tantummodo improprium reddere; hæcque feuda valere ex mutua contrahentium in ipſo contractu ab initio voluntate interpoſita.

3. Feudum autem hoc proprium ſemper in rebus corporeis exiſtit, improprium in juribus: proprium in iis quæ ſunt in *Curte*, ſive curia domini; improprium extra *Curtem* dicitur eſſe. Quid ſit autem *Curtis*, & unde deducatur, quæſtio poteſt moveri.

(*a*) 1. F. 2. 2. F. 2. § præterea. 2. F. 33 & 48. (*b*) Vid. D. 9. § 35.

veri. *Curtis* nihil aliud eſt, niſi domus domini, aut ejus palatium, in quo juriſdictionem ſolet exercere, quam juriſdictionem Feudiſtæ *diſtrictum* vocant, id eſt, diſtringendi poteſtatem *(a)*: adeò ut nihil aliud ſit in *curte* domini eſſe, quàm eſſe in ejus curia, juriſdictione ſive diſtrictu *(b)*, id eſt, infra id territorium eſſe, in quo dominus poteſt jure dominii diſtringere. Sic & *pares Curtis*, qui & *pares Curiæ*, & *pares domûs vaſſalli* dicuntur, qui ab eodem domino, ſive eadem domo, aut juriſdictione feuda ſua habent: licet alii *pares Curiæ* quaſi *patres* ſive *patricios* dici putant. *Curtis* nomen videtur, non tam à *Curia*, quàm *cohorte* deductum, quaſi pares dominicæ cohortis. Nam Cicero notat Verrem ſolitum eſſe de cohorte ſua judices dare, quod nihil aliud erat, quàm de *curte* ſua dare, id eſt, de familiaribus, comitibus ſeu domeſticis ſuis.

4. Advertendum tamen eſt, non ſemper feudum habere ſecum comitem *juriſdictionem* ſive *curtem*: multa enim feuda ſunt quæ nullam habent juriſdictionem, veluti omnia feuda inferiora apud nos: niſi quis fortè dixerit, habere ea juriſdictionem, ut poſſint pro annuo cenſu diſtringere. Sed profectò diſtrictus ille, juriſdictio dici non poteſt, cum juriſdictio cognitionem cauſæ requirat, quam certum eſt inferiores hos dominos non ſemper habere. Nec diſtrictus ille juriſdictionem arguit, cum apud Anglos cuilibet locatori contra colonum diſtrictus pro mercede competat, non tamen juriſdictio. Nam diſtrictus ille videtur conditio innata & inhærens ipſi feudo, ut dominus poſſit pro canone diſtringere. In hac autem definitione illud ſemper mente tenendum, quòd ſemper præſumatur feudum proprium, niſi mutatam eſſe ejus naturam ex verbis inveſtituræ conſtet. Sunt qui aliam feudi diviſionem adducunt, nempe in feudum *Rectum* & *non Rectum*: ſed hæc cum diviſione à nobis propoſita in omnibus ferè convenit. Quod ſi quis rectum feudum à proprio diſtinguere velit, certas tantummodo differentias in qualitate, eaſque ſubtiliores quam par ſit, nulliuſque in noſtro foro uſus, adferet. Itaque prudens hanc diviſionem præterii, rectum enim feudum cum proprio confundo, ut non rectum cum improprio; ut quod de uno dicatur, de altero etiam intelligatur: ſic enim ab Interpretibus tam rectum feudum quàm proprium uſurpari & dici obſervavimus, ut ſemper illud feudum intelligatur, in quo, præter eſſentiales, naturales etiam qualitates ineſſent.

5. Secunda feudi diviſio eſt in *Francum (c)* & *non Francum*; & hæc à priore diviſione diverſitate tantum qualitatum differt *(d)*. Feudum enim *Francum* improprium feudum eſt, ſive non rectum, neque cum definitione feudi in naturalibus qualitatibus convenire poteſt: nam à ſervitiis omnibus eſt immune; cum tamen ſervitium ſit naturalis feudi qualitas. Feudum *non Francum* dicitur proprium. Nos feudum francum *blancum* dicimus, quod quidem feudi genus in initio ob præclara in remp. merita, & partam bello gloriam introductum fuit; hodie tamen cujuſvis commercii & utilitatis ſit pretium. Francum igitur feudum dicimus, quod ab omni ſervitio liberum eſt: cujus tamen rara aut potiùs nulla in ipſo textu mentio fit, frequens tamen apud Doctores, & in noſtro foro uſus frequentiſſimus. Sed in feudo franco hæc duo ſunt obſervanda. Primum, quòd nunquam dicatur feudum francum, niſi exprimatur. Nam, ut dixi *(e)*, cum feudum francum non ſit feudum proprium, ſemper præſumitur pro proprio, niſi improprium probetur ex tenore conceſſionis. Itaque francum feudum non eſt, licet annuam præſtationem, vel annuum cenſum contineat, pro omni alio ſervitio, niſi etiam expreſsè dicatur, in libera albafirma conceſſionem factam *(f)*. Secundum, licet francum feudum expreſse ab omnibus ſervitiis ſit immune, non tamen à maleficiis, quæ aut in faciendo aut celando conſiſtunt, vaſſallum liberat. Nam ſi egregia aliquâ (ut loquitur textus *(g)*) ingratitudine vaſſallus francus dominum affecerit, veluti ſi feloniam commiſerit, aut inſidias in eum ſtructas celaverit, neque domino aperuerit, a feudo cadit. Hinc fit ut apud nos non minus in franco feudo, quam in aliis, pœnæ, feloniæ, purpreſturæ, & delictorum quæ his ſunt ſimilia, locum habeant; non autem recognitio ob alienationem

(a) 1. F. 5. § ult. in fine. 2. F. 51. pr. (b) Vid. D. 12. § 21 in fine. (c) 2. F. 104. (d) Ut § 35. D. 9. dictum. (e) § 4. (f) Vid. § 27. in fine. (g) 2. F. 23. ibi: De illa.

nationem majoris partis, cùm hæc alienatio delictum conjunctum non habeat.

6. Tertia diviſio eſt in feudum *Maſculinum* & *Fœmininum*, quam Baldus eodem ſenſu *Paternum* & *Maternum* vocat *(a)*. Hæc autem diviſio, ex alia diverſa qualitate à feudi definitione deducta emanat *(b)*; cùm *Maſculinum* feudum proprium dici debeat, propriam enim habet naturam feudi, quod exclusâ fœminâ mares tantùm admittit. *Fœmininum* autem feudum eſt, quod vel à fœmina deſcendit, vel in quod fœminæ ſuccedunt: quod, cùm à propria feudi natura abhorreat, ut antea *(c)* monui, aliunde ex pacto, aut à moribus regionum ſive provinciarum, introductum eſt, & improprium dicitur. *Maſculinum* enim feudum eſt, quod ex continua maſculorum ſucceſſione deſcendit nunquam per fœminam interrupta. Quod ſi ſemel ſucceſſio per fœminam interrumpatur, veluti ſi pater ex filia præmortua nepotem maſculum habuerit, nepos hic maſculus in feudo maſculino non ſuccedet, quod maſculinæ lineæ tantùm debetur. Uſque adeò autem à fœminarum ſucceſſione abhorret, ut etiam licet expreſsè de iis caveatur in conceſſione, veluti ſi quis feudum receperit pro ſe & heredibus ſuis, tam maſculis quàm fœminis; fœminæ tamen, maſculis extantibus ex corpore primi vaſſalli, non ſuccedunt, ſed tantum maſculis deficientibus: quod & etiam apud nos obſervatur.

An autem hîc dici poſſit, quod ſupra *(d)* de feudo proprio diximus, nempe ſemper præſumi maſculinum feudum, niſi conceſſio mentionem fecerit fœminarum, quæri poteſt; cùm feudum maſculinum ſit tantùm proprium feudum: quod quidem in jure ſemper præſumitur, niſi contrarium exprimatur *(e)*. Uſus tamen noſter longè diſſentit; præſumit enim feudum ad fœminas æque ac mares deſcendere, niſi expreſsè heredibus maſculis fuerit proviſum *(f)*. Hanc quæſtionem in titulum Succeſſionis in feudo differemus, ubi uſum noſtrum cum jure ſcripto feudorum in hac etiam ſpecie convenire probabimus.

7. Quarta diviſio feudi in *Reale* & *Perſonale* ab Interpretibus fit, ſive (ut alii volunt) in feudum *Perpetuum* & *Temporale (g)*. Sed hujus diviſionis membra cum prima feudi diviſione in proprium & improprium conveniunt, licet diverſitate alterius conditionis, viz. temporis, differant *(h)*. Nam reale ſive perpetuum feudum proprium dicitur; feudi enim qualitas naturalis eſt, ut ad heredes tranſeat in perpetuum; & (ut multi putant) ſemper præſumitur feudum ad heredes deſcendere, tametſi de iis mentio non fiat, tam quia ſit feudum proprium (quod ſemper ad heredes tranſire præſumitur) quàm quòd unuſquiſque, dum ſibi providet, providiſſe & heredibus videtur *(i)*. Sanior autem Feudiſtarum pars (cum qua uſus noſter conſentit) feudum hereditarium eſſe non putat, niſi ſpecialis heredum vel ſeminis vel progeniei mentio fiat; cùm omnia feuda, ut antea *(k)* monui, ſtrictiſſimi ſint juris, nec extenſionem recipiant. Cur autem, niſi heredum mentio fiat, feuda ad heredes non tranſeant, rationes pleraſque ex jure Feudali adducit Schonerus, quas hic longum eſſet recenſere. Nam apud Anglos (à quibus nec uſus noſter abhorret) licet feudum alicui, ſive in perpetuum, ſive ſempiternum tempus concedatur, niſi heredum ſpecialis mentio facta fuerit, feudum vitale eſt *(l)*. Imò ne diſpoſitionem quidem proprietatis habet: qui tale feudum conſequutus eſt, tantùm uſufructuarius eſt; ſive (ut Angli volunt) tenens pro vita, aut in vita; & feudum morte ejus finitur, quia tempus cum eo finitur: neque enim mortui ſunt in tempore, neque tempus iis poſt mortem currit. Itaque communem opinionem retinendam cenſeo, feudum, quibuſcumque verbis concipiatur, tantùm eſſe perſonale, niſi heredum mentio fiat *(m)*; aut ſicubi teſtamento feuda diſponere licet. Nam (cùm pleniùs defunctorum voluntates interpretandæ ſint) ea diſpoſitio, licet heredum non faciat mentionem, tamen ad heredes tranſit: ſic ſi quod ſit feudum quod in francum maritagium datur, qualia apud Anglos ſunt pleraque, licet heredum mentio non fiat, favor tamen matrimonii feudum ad heredes extendit.

(*a*) 2. F. 30 & 50. (*b*) Vide D. 9. § 35. (*c*) Vide D. 9. § 27. (*d*) § 4. (*e*) 1. F. 15. 2. F. 2. § ult. in fine. (*f*) Vide lib. 2. D. 14. § 3. (*g*) 1. F. 1. § 1, 2. & 2. F. 10. in fine. (*h*) Vide D. 9. § 35. (*i*) L. 9. ff. de Probationibus. (*k*) D. 9. § 33. (*l*) Vide D. 11. § 25. (*m*) Vide lib. 2. D. 3. § 28.

8. Sed, ut ad divisionem nostram redeamus, feudum personale sive temporale rursus subdividitur in *Annale* & *Vitale*: *Annale*, veluti feudum *Guardiæ* & *Castaldiæ (a)*; *Vitale* verò, sive personale. Et hoc subdividitur in feudum quod cum vita dantis extinguitur, & aliud quod cum vitâ accipientis, tertium quod cum alterutrius vita extinguitur. De his singulis dicendum. *Guardus* nihil aliud est, nisi custos curtis; id est, domûs, castri, palatii, sive prætorii. *Castaldus* autem actor sive procurator prædiorum, sive redituum, quem nos *Camerarium* dicimus. Itaque feudum Guardiæ nihil aliud est, quàm pensionis assignatio ob custodiam domûs, seu castri, ex ejusdem quoad fieri potest fructibus: feudum verò Castaldiæ, quod dominus actori, seu negotiorum suorum gestori, ob bene procurata negotia assignat. Et hæc feuda annua sive annalia dicuntur, quia actûs aut custodiæ nomine dantur, & mercedes tantùm fructuum sunt annales, (ut & fructus ipsi non nisi singulis annis semel percipiuntur;) nisi fortè pacto convenerit, ut in longius tempus producantur. Sed paulatim hi qui temporarii actores seu custodes prædiorum domini sui ab initio fuerunt, postea facti sunt perpetui sub nomine feudi & hominii, ut apud nos multis in locis videmus; ut, *custodiæ Castrorum*, *Balliatus*, *Vicecomitatus*, ceteraque officia in perpetuum & hereditario jure conceduntur, habitâ potiùs ratione commodi & utilitatis, quæ ad ipsos actores seu procuratores provenit, quàm dominorum, quorum rebus & commodis debent inservire, proque suis feudis, si non omnes fructus, saltem præcipuos illius feudi, seponere & reservare solent *(b)*.

9. Vitalis autem feudi, quod morte accipientis finiatur, exemplum habemus in feudo *habitationis (c)*: censetur enim dominus habitaturo in usum proprium tantùm & durante vitâ concessisse. Itaque non mirum si eo mortuo ad dominum redeat.

An autem is cui habitatio in feudum data est, eam alteri sublocare possit, controverti solet; cum habitatio (ut antea dixi) videtur tantùm in proprios habitatoris usus concessa: & quoniam causa concessionis est usus proprius, cessante causâ cessare debet causatum, sive effectus, ut nostri loquuntur. Baldus, post multam disputationem, putat beneficiarium posse suam habitationem locare sine ullo periculo, modò aliquam utilitatem & commodum ex ea locatione percipiat. Placeat Baldus sibi in sua opinione, & si qui sint qui ei faveant: usus noster contrarium probat, viz. ut sublocare ei non liceat: neque illud sine ratione, cùm omnia feuda sint strictissimi juris, neque sublocare licet, nisi illud expressè cautum fuerit, præcipuè in feudo locationis: & apud nos sublocatio non valet, nisi expressè in locationibus concedatur potestas locandi, removendi tenentes aut subtenentes; imò ne transferre rem assignatam possunt in assignatos, sive singulares successores, nisi expressa fuerit eorum in locatione mentio. Itaque non solùm in jure nostro habitatio, sed etiam locatio, personalis est, & morte conductoris, sive accipientis, extinguitur, etiamsi pro certo annorum spatio locatio interceserit, nullâ heredum factâ mentione: nec assignatio transit in heredes & assignatos, nisi illorum aliqua fuerit in instrumento locationis mentio, quo jure & Angli utuntur.

10. Personalissimum Feudistæ vocant *Soldatæ* feudum, quod nihil aliud est, nisi annua pensio præberi solita ex solidis, id est, ex pecunia numerata ad alimenta seu sustentationem illius, qui bellis, aut aliis non inhonestis servitiis, ad inopiam redactus est *(d)*: & quoniam hoc feudum tam morte dantis quàm accipientis extinguitur, ideo personalissimum vocatur; cùm reliqua feuda, quæ vitalia dicantur, non nisi morte accipientis finiantur. De *solidi* & *soldatæ* etymologia dissentiunt veteres inter se: alii à *soldariis* deducunt, & *soldatum* & *solduros* ab uno etymo sive origine derivari putant, à Germanica voce sold. *Solduriorum eam conditionem*, dicit Cæsar *(e)*, *ut omnibus in vita commodis unà cum his quorum amicitiæ se dediderunt simul fruantur.* At nescio si commodè ab hoc fonte vel soldatæ feudum vel soldariorum possit derivari. Potiùs à *solido* deduci puto, qui quidem certum genus erat numis-

(a) 1. F. 2. (b) Vide D. 12. § 14. (c) 2. F. 105 & 75. (d) 2. F. 10. in fine. (e) De bello Gallico, lib. 3. § 22.

numiſmatis, & ſeptuageſimam partem libræ auri continebat, ſoliduſque auri vigint libris æris æſtimabatur: unde factum eſt, ut quicunque ære vel pecuniâ conducti erant, *ſoldarii* dicerentur: ſolidus enim ideò dicebatur, quòd juſto pondere erat percuſſus, & non dimidiato neque trientali, quemadmodum ſemiſſes & tremiſſes.

Primos ſolidos inſtituiſſe Alexandrum Imperatorem teſtatur Lampridius *(a)*, quaſi integros. Progreſſu temporis factum eſt, ut quibuſcunque ſportulas pecuniarum concederemus, hi feudum ſoldatæ aſſequi dicerentur; à ſolidis enim ita dicebatur. Hinc ſoldarii hoſpites, qui pecuniâ hoſpitium redemerunt. Soldariorum tamen militum mentio fit, tam in ſupplemento Sigeberti, quàm apud Radevicum, ubi ſoldarii milites dicuntur pecuniâ collecti: neque enim ſtipendiariorum militum, everſo Romanorum imperio, etiam apud maximas & potentiſſimas gentes, uſus erat, ſed omnes militabant, qui pro ætate poterant, pro patriæ tutela; donec, creſcente militum avaritiâ, paulatim ſtipendia irrepſerunt, unde & vectigalia, tributa, exactiones, quæ miſeram plebem exhauriunt. Sed de hac voce *ſoldatæ* ſatis.

11. Huic ſimile feudum de *Camera*, & feudum de *Cavena*. Feudum de *Camera* dicitur quod militi conceditur, ſive alicui alii bene merito ex Camera ſive ærario domini: Camera enim eſt conclave, ſive locus interior, in quo domini pecunia ſervabatur. Feudum autem ex *Cavena*, quod ex cella ſeu cellario domini, id eſt, penu, depromitur *(b)*. Prius feudum in pecuniæ numeratæ penſione, poſterius in annua vini, olei, & frumenti præſtatione conſiſtit: & ſæpe cum feudo ſoldatæ hæc duo feuda concurrunt. Et horum feudorum ea eſt natura, ut ſi nihil ſit in Camera, id eſt, in theſauro domini, nihil in ejus penu ſive cavena, ſine promiſſoris culpa, nihil debeatur, ſed expectandum donec ex illis dari poſſit: dominus enim in id quod facere poteſt tenetur. Itaque tantùm conveniendus deducto ære alieno; iniquum enim erat, eum qui ex ſua liberalitate convenitur, ſub prætextu amicitiæ ad egeſtatem deduci *(c)*. Et hæc feuda tam morte dantis quàm accipientis finiuntur. Nec diſſimilia ſunt ea feuda, quæ Advocatiæ *(d)* ſeu Cancellariatûs nomine dantur, & aliorum officiorum, quæ coronæ officia vulgò dicuntur, qualia ſunt Theſaurarii, Cancellariatûs, Rotulatoris, ſive Præfecti rationum, Regiſterii, Secretarii, & ſimilium. Hæc autem officia, ſi à privatis concedantur, & eorum utilitatem & commoda reſpiciant, nullam habent annexam dignitatem: ſed cùm à Principe conceduntur, eam habent; & officium alioqui vile, mandante Principe, efficitur nobile, ut Valerianus ait, de dignitate quæ Principe jubente ſuſtinetur, ex quo loco Romanus & reliqui Interpretes omnibus officiariis Principis nobilitatem adſcribunt. Inde fluunt eorum ab exactionibus & vectigalibus immunitates: ſed tantiſper, & dum in officio ſunt, & quatenus officium ſpectat; mercedeſque, quæ iis pro eorum laboribus debentur, feuda dicuntur. Nam & hi inveſtituram aliquam capiunt, & fidelitatem Principi jurant: & gratis vult eos inveſtiendos Imperator; non enim tam ſunt Principis, quàm reip. procuratores. Itaque peſſimè fit à nonnullis, & expreſsè contra Imperiales ſanctiones, qui magiſtratus vendunt, aut pretio ad honores juridicos alios promovent. Fieri enim non poteſt, quin qui pretio procurationem in rep. redemit, pro pretio rurſus proſtituat, & licitet. An autem hæc feuda morte dantis finiantur, adhuc incertus ſum: nam conceduntur pro tempore vitæ accipientis. Vidi tamen eos omnes qui publicas procurationes in rep. gerebant, inaugurato S. D. N. Jacobo VI. renovationem ſuarum procurationum impetrâſſe: cujus cauſam cùm inquirerem à clariſſimo viro Domino Joanne Ballendino, hoc reſponſum ab eo retuliſſe me memini, dignitates illas ſive procurationes, & officia quæ reip. ſive coronæ dicuntur, tam morte dantis quàm accipientis finiri. Illud tamen prætereundum non putavi, Advocatiam, quam Rebuffus Advocato fiſci attribuit, à nonnullis ad Eccleſiarum advocatiam trahi *(e)*; ubi planè advocatiam cum beneficio conjungit: qua etiam in ſignificatione advocatia apud nos uſurpatur, ita ut hi Advocati dicantur. Itaque in hac ſecunda advocati ſignificatione, nihil aliud eſt advo-

(*a*) In vita ejus. (*b*) 2. F. 1. in fine. 2 F. 2. § 1. (*c*) 2. F. 58. pr. (*d*) 2. F. 27. § 7. (*e*) In tit. de pace Conſtantiæ.

catia, niſi dignitas quædam urbis & Eccleſiæ, ad eam tuendam & defendendam: quales dignitates apud alias gentes ſunt frequentes, & noſtris etiam moribus non incognitæ. Sed de hac diviſione, quatenus in jure Feudali continetur, hæc ſufficiant.

12. Quinta feudorum diviſio eſt, in feudum *Laicum* ſive *Seculare*, & *Eccleſiaſticum*: quæ quidem diviſio non ex diverſitate qualitatum naturalium, ſed ex diverſitate perſonarum quæ feudum accipiunt naſcitur. Et in harum perſonarum obſervatione etiam aliquid diſcriminis. Nam in ſeculari feudo, quod nos laicum dicimus, id tantùm ſpectamus, an laicus ſit qui dedit, ſimul & qui accipit, id eſt, talis qui ordines Eccleſiaſticos non ſuſcepit. Feudum tamen Eccleſiaſticum aliter conſideramus: nam Eccleſia tam dat feudum quàm accipit, & utrumque feudum Eccleſiaſticum dicitur, ſive qui dat ſit Clericus, ſive qui accipit, modò ſit nomine Eccleſiæ conceſſio: imò & aliquando Clericus, non nomine Eccleſiæ cui præeſt, ſuſcipit: ſed & hoc feudum etiam ſub Eccleſiaſtici nomine agnoſcitur *(a)*.

13. Sexta feudorum diviſio eſt ſolennis, & cum prima diviſione non concurrit, ſed ex diverſitate temporis, & non qualitatis alicujus, naſcitur; nempe, ut feudum dividatur in *Antiquum* ſeu *Paternum*, & *Novum (b)*. Sunt qui antiquum à paterno diſtinguant, ut *paternum* id dicatur, quod ad patrem, avum, abavum, tritavum pertinebat, id eſt, ab eis majoribus acceptum, qui nomen habent peculiare in jure: *antiquum* verò quod ab aliis majoribus, qui nomina diſtincta non habent in jure, fuit acquiſitum; veluti ab iis qui ſupra tritavum ſunt *(c)*. Sed profectò cùm idem ſit utriuſque effectus, paternum feudum ab antiquo non diſtinguo: nam quæ de uno in jure dicuntur, de altero dici poſſunt, ut Logici loquuntur. Itaque paternum ſive antiquum feudum id dicitur, in quo quis patri, avo, aut alicui majorum ſuccedit *(d)*. *Novum* autem feudum dicitur, quod in perſona ejus qui primus illud acquiſivit initium capit, nec ex ſucceſſione progenitorum provenit *(e)*. Nos *Conquæſtum*, Angli Purcheſſe vocant. Cujus diviſionis varii ſunt effectus in jure, nonnulli etiam in foro noſtro; de quibus ſingulis dicendum eſt.

14. In jure enim deſcendentes tantummodo ſuccedunt in feudo novo *(f)*; nam ſemper præſumitur, dominum vaſſallo, & ejus liberis ex eo deſcendentibus, providere voluiſſe. Itaque feudum novum ad collaterales ex parte patris nunquam pertinebit *(g)*; cùm in feudo antiquo etiam collaterales ſuccedant *(h)*. Sed dici poteſt eandem in utroque eſſe ſucceſſionis rationem: nam collaterales in feudo antiquo ſuccedunt, non ut collaterales, ſed ut deſcendentes ex eodem ſtipite. Semper enim feudum ſtipitem reſpicit, quòd nulli niſi ex ſtipite ſuccedant; quod æquè commune eſt feudo novo & antiquo. Secundus effectus feudi novi eſt, quòd regulariter feudum novum neminem nobilitet; nobilitas enim non naſcitur in nictu oculi, ſecundum Baldum *(i)*. Dixi, *regulariter*, propter ea quæ mox adjiciam in proxima diviſione de feudo nobili & ignobili.

15. Quærit hîc Baldus, an feudum novum pacto contrahentium fieri poſſit antiquum? exempli cauſâ, ſi Epiſcopus in feudo aliquem inveſtiret, & in conceſſione ſe non dare animo novandi, neque ut hoc feudum cenſeri poſſet novum, ſed tantùm antiquum & paternum. Reſpondet, quòd his verbis feudum non fiat antiquum, quod reverà erat novum. Nam hæ verborum cumulationes præſumptionem circumventionis juris adducunt, niſi ſic eſſe per probationes juris legitimas doceatur. Ratio eſt, quia ſolius Epiſcopi conceſſio non poteſt ex novo antiquum feudum facere, qui nec de novo infeudare poteſt. Si tamen is qui potuit concedere ab initio, ita conceſſit, ut eſſet feudum antiquum, eatenus eſſe feudum antiquum, non ut veritatem feudi mutet, ſed tantùm ut illud feudum novum juris antiqui habeatur, id eſt, ut eadem privilegia habeat, & eoſdem effectus quos antiquum *(k)*.

Ita-

(a) 1. F. 1. & 2. F. 35. (b) 2. F. 3. pr. & 2. F. 11, 12, 15. (c) Innitentes textui 1. F. 8. § 1. (d) 2. F. 50. (e) 2. F. 12 & 26. (f) 2. F. 50. ibi: Inferiùs verò filius patri ſuccedit. (g) 1. F. 1. § 2. verſ. Sin autem. (h) 2. F. 11. ibi: His deficientibus. (i) In l. σύμπλα, ff. de Grad. & Affin. & Nomin. eor. Bald in proœm. feudor. deciſione 10. (k) 1. F. 20. 2. F. 12 & 90. quibus pactis ſatis indigitatur, novum feudum feudi veteris naturam induere poſſe, dummodo is qui concedit, poteſtatem habeat.

Itaque Epiſcopi conceſſio, adjuncto Capitulo (qui unanimi conſenſu de novo concedere & conſtituere feudum poſſunt) ſic ut novum feudum quaſi antiquum habeatur, poteſt efficere; nempe ut tranſverſales, ſive collaterales, ſuccedant in feudo novo, alioqui non ſucceſſuri. Verba enim enunciativa, ab eo prolata qui voluntatem habet & poteſtatem diſponendi, probant. Et ut hoc ad noſtros mores aptemus, verba narrativa partium non poſſunt efficere ut id quod conquæſtus reverà eſt, jure hereditatis cenſeatur in præjudicium heredum conquæſtûs: bene tamen, & cum ratione efficere & providere poſſunt partes, ut feudum ad heredes in genere pertineat & deſcendat, & non ad heredes conquæſtûs. Plura de effectibus feudi antiqui & novi, ſive conquæſtus, poſtea in titulo de Conquæſtu *(a)*.

16. Ex hac diviſione naſcitur ſeptima feudorum diviſio, nempe quâ feudum dividitur in *Nobile* & *Ignobile (b)*: quæ quidem diviſio ex diverſitate perſonæ dantis naſcitur. *Nobile* autem feudum dividitur trifariam, in *ſimpliciter nobile*, *minus nobile*, & *aliqualiter* ſeu *mediocriter nobile*: reliqua feuda Ignobilia ſeu Plebeia dicuntur. *Nobile* autem feudum vocant in jure, quod à Principe qui ſuperiorem non agnoſcit conceditur, veluti à Cæſare, Pontifice maximo, vel Regibus. Ego tamen hîc aliquam diſtinctionem eſſe adhibendam puto, ut nempe ea tantùm feuda à Principe conceſſa nobilitent, quæ cum dignitate & juriſdictione conceduntur; qualia ſunt Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Baroniæ *(c)*. His enim dignitas & juriſdictio inheret; itaque cum ipſo feudo nobilitas conceſſa videtur. *Nobilitare* enim nihil aliud eſt, quàm *noſcibilem*, id eſt, præclarum, illuſtrem & perſpicuum plebi reddere, & lucem ei adferre, ut ab omnibus talis, qualis à Principe conſtituitur, agnoſcatur. Quòd ſi ſine dignitate & juriſdictione concedatur, qualia ſunt emphyteuſis, & ſi quæ ſint alia feuda, quæ pro juſto annuo cenſu conferuntur, non puto hæc feuda, licet à Principe conceſſa, aliquem nobilitare. Nam licet Princeps ſit nobilitatis fons, & nobilitare quem velit poſſit, voluntas tamen & poteſtas in hoc actu concurrant neceſſe eſt. Princeps enim, cùm juſtam exigit locationis mercedem, aut juſtos fructus ex prædiis quæ in feudum dat colligit, non præſumitur velle nobilitare, ſed tantùm adſcriptitios colonos ſibi in perpetuum confirmare. Si tamen hi juſtos etiam fructus ex prædiis percipiant, unde ſine manuario labore, aut mechanico quovis artificio, ſe ſuſtinere poſſunt, Principique debitam mercedem pendere; puto & hos in nobilium numerum poſſe cenſeri, in tertia aut ſaltem quarta ſucceſſione.

Quòd ſi Princeps Burgale feudum, ſive prædium in Burgo in feudum concedat, tale feudum non nobilitat: Burgenſes enim manuario labore victum quæritare præſumuntur, quod vera nobilitas quam maximè abhorret. Dixi quòd Princeps nobilitatis omnis ſit fons: quòd ſi Princeps ipſe ignobilis natus, in Principatum tamen ſuo merito evectus fuerit, an & hic etiam nobilitatis fons dici poteſt? Baſilius enim Macedo, obſcuro & ignobili genere natus, imò venditus, ſaltem verna, ad imperium tamen Byzantinum eſt evectus: quemadmodum & Juſtinus ex bubulco factus eſt Imperator. Nec id rarum erat in imperio Byzantino, ubi ſæpe ignobiles imperio potiti ſunt. Imò & in regno Bohemiæ arator Rex factus; & Franciſcus Sfortia, Dux Mediolani fortiſſimus & feliciſſimus, ſpurius tantùm erat Joannis Sfortiæ, qui ab aratro ad militiam aſcendit. Quid de his, inquam, dicemus? nobiles eſſe cenſebimus? an etiam nobilitatem aliis poſſe concedere? Profectò utilitatis publicæ causâ receptum eſt, ut qui virtute, meritis, & belli gloriâ, ad ſummas dignitates & militares honores aſcendunt, non ſolùm nobiles cenſeri debeant, ſed etiam ut nobilitatem aliis conferre poſſint. Nam nobilitas, quemadmodum imperia & regna, virtutis aliquando erant præmia, & lucem generis, quæ ortu obfuſcabatur, conſenſus populi ſupplet: & hæc eſt omnium qui de nobilitate ſcripſerunt ſententia *(d)*.

17. *Minus nobile* feudum dicitur, quando Dux, Marchio, Baro, (qui Capitanei

(*a*) At è contrà fieri nequit, ut feudum antiquum fiat novum; cum hoc iniquam conditionem agnatis inferret, auferendo ipſis ſpem ſucceſſionis abſque eorum conſenſu, quod non eſt ferendum. Vide 2. F. 39. pr. & 45. (*b*) Vide D. 12. § 23. (*c*) 1. F. 1. pr. & 14. & 2. F. 10. (*d*) L. 3. ff. de officio Prætorum,

regni dicuntur) feudum alicui concedit *(a)*: nam & hic cum feudo nobilitatem nanciſcitur, & propriè *Valvaſſor* dicitur, quaſi ad *valvas* domini *ſtans*, aut qui ſtare debet; licet huic ordini *vaſſalli* nomen conveniat, quaſi *parvi vaſſi*. *Vaſſalli* ſanè nomen obſcurius eſt; & tamen de etymologia vaſſi & vaſſalli aliquid adferamus *(b)*: qui (ſi ſint qui Latinam etymologiam probant,) *vaſſalli* dici poſſunt, quaſi *vaſarii*, paululùm mutato nomine, *vaſa* enim pro omnibus impedimentis militaribus à probatis auctoribus ſæpe ſumuntur: inde *vaſa colligere* in caſtrorum mutationibus, id eſt, arma militaria & impedimenta conſarcinare. Neque enim ſub nomine *armorum* ea tantum intelliguntur, quibus quiſque pugnando utitur, ſed omne etiam inſtrumentum cuilibet artè neceſſarium: Sic Virgil.

Dicendum & quæ ſint duris agreſtibus arma,

pro ligonibus & aratris. Itaque vaſſallus, aut armiger fuit, aut quid ſimile. Sanè vaſſarii nomine Budæus ait omne illud contineri, quod magiſtratibus in provinciam ituris dabatur, ut muli, equi, & reliqua, quæ magiſtratûs inſtrumenta complerent. Imò ipſa pecunia, quæ viatici nomine dabatur, vaſſarii nomine comprehendebatur. Hinc vaſſarii, qui pro mercede militabant, id eſt, mercenarii: & vaſſalli apud nos dicebantur ſcutiferi, ſive armigeri; quorum celebris mentio eſt apud Homerum, Ovidium & Virgilium, & etiam in ſacra Scriptura: & hæc etymologia ſive derivatio nihil incommodi affert. Cujacii verò derivatio à Germanica voce Geſell, quæ *comitem* ſignificat, minus mihi placet: durior enim eſt, & *vaſſalli* nomen diminutivum eſſe à *vaſſa* nemo eſt qui negare cum ratione poteſt. Vaſſorum autem nomen apud ſcriptores rerum à Carolo & ſubſequentibus Imperatoribus geſtarum uſitatum eſt pro Barone, ſed eo qui immediatè à Principe beneficium agnoſcit, & inter regni primores numeratur. Si cui Latina derivatio non placet, is *vaſſi* nomen Gothicum eſſe origine non ſine ratione affirmare poterit. Et hæc de vaſſo, vaſſallo & valvaſſore, militaria enim erant nomina, ut *vaſſalegii* nomen retentum adhuc apud nos indicat. Sed ad nobilitatem feudorum redeundum.

18. *Aliqualiter nobile* feudum eſt, quod habentes à Duce, Marchione, vel Comite, aliis ſubinfeudant: nam & hi etiam aliquam nobilitatem conſequuntur, & *minores valvaſſores* dicuntur. *Ignobile* autem feudum eſt quod à minoribus valvaſſoribus conceditur, vel minimis: nam, ut ibi Baldus ait, certum eſt ruſticos poſſe in feudum concedere, modo ſuarum rerum adminiſtrationem habeant: iniquum tamen eſt ab iis feuda conceſſa nobilitatem aliis adferre, cum ipſi ignobiles ſint. Hanc diſtinctionem feudi in nobile & ignobile adducunt Alvarottus, Rebuffus, & cæteri omnes juris Interpretes; nec à noſtris moribus abhorret.

19. Octava feudorum diviſio eſt in *Ligium* & *non Ligium*, cum qua convenit illa altera diviſio, in feudum *Regale* & *non Regale*. Nam licet omne feudum Regale ſit ligium *(c)*, & contra non Regale non ligium, tamen aliquis diverſus reſpectus diſtinguit Regale à ligio. *Regale* enim feudum eſt *Nobile*, cum dignitate à Rege conceſſum *(d)*, veluti Ducatus, Marchionatus, Comitatus & Baroniæ. Nobiles, qui in his feudis inveſtiuntur, vexillo antiquitus à Rege donabantur: hodie Ducatus coronellâ ſive parvâ coronâ, Marchionatus vexillo, & Comitatus apud nos cingulo (quod vocant dignitatis cingulum) inſigniuntur: & hæ dignitates à Rege tantummodò proficiſcuntur *(e)*. Scio tamen in Germania à ſeptemviris Electoribus Marchiones, Comites & Duces creari. Sed hæc Regalia feuda dici non puto, quòd à Rege immediatè non proficiſcantur: tamen tolerantur, quia à Cæſare habent poteſtatem conferendi tales dignitates *(f)*. Septemviri enim, licet non Regi-

am,

(*a*) 1. F. 1. pr. 2. F. 10. pr. (*b*) Vid. D. 4. § 11. & D. 12. § 19. (*c*) Celeberrimi auctoris veniâ, hîc mihi errare videtur: nam aliquando feudum regale ſit non ligium, e. gr. Si Imperator daret Anglo feudum, Ducatum, ſc. vel Comitatum; hoc feudum certiſſimè eſt regale: attamen non eſt ligium; nam jurat præſtare fidelitatem Imperatori, & eum contra omnes homines defendere, Rege ſuo Anglo excepto. Idem poteſt dici de non regali, & non ligio: nam aliquando ſit non regale feudum, ligium; ut cum Rex ruſtico concedit feudum infra Baroniam. (*d*) 2. F. 10. pr. 1. F. 14. pr. (*e*) Vid. D. 12. § 21. (*f*) Qui pro talibus habentur tantum in ſuo territorio, vid. Vitriarii Inſt. juris pub. Rom. Germ. p. 497.

am, Regi certè proximam poteſtatem ſeu dignitatem ſibi arrogant, ſibique videntur aliquid majus Ducibus cæteris & Marchionibus. Adde quod unus Septemvirorum ſit etiam Rex, licet ſuperiorem, nempe Cæſarem, agnoſcat.

Non Regale feudum eſt quod ab inferioribus Imperatore aut Cæſare conceditur, & tamen annexam ſecum dignitatem habet. Sic *ligium* eſt regale feudum; nam à Rege ſive Principe conceditur. Itaque vaſſallus & jurat fidelitatem contra omnes (ut ajunt) perſonas nullâ exceptâ *(a)*, & talis fidelitas ei tantum debetur, qui ſuperiorem non agnoſcit. Feudum autem *non ligium* eſt in quo ſemper excipitur perſona primi domini: & talia feuda ſunt, quæ de Principe non tenentur. Vulgò *tenendrias* dicimus, in quibus fidelitate præſtitâ, ſemper cenſetur excepta perſona Principis, vel domini ſuperioris, licet non exprimatur. De effectibus hujus feudi ligii multa habet Curtius, nos Diegeſi duodecimâ *(b)* nonnulla perſtringemus.

20. Nona in *Simplex* & *Conditionatum* feudi diviſio eſt; quod cum prima diviſione concurrit, licet à pleriſque ſeparatim ponatur. *Simplex* enim feudum eſt quod proprium & verè feudum antea diximus *(c)*: *Conditionatum* quod annexam habet aliquam conditionem, quâ deficiente feudum cadere neceſſe eſt; veluti, ſi domus data ſit ad habitandum, & feudatarius eam deſerat, feudum extinguitur & domino aperitur. Scio apud nos caſtra & ædes pleraſque in feudum conceſſas, ut habitatio domino cum venire contigerit reſervetur: & tales modi ſive conditiones ſunt ſervandi, niſi feudum interire vaſſallus maluerit. Quærit Baldus, quid ſi feudum curſoris claudo conferatur, aut patroni aut oratoris muto *(d)*? Repugnantia videtur in adjecto, neque enim claudus currere, neque mutus cauſas agere poteſt. Talia etiam exempla apud nos inveniuntur; veluti feudum jaculatoris æneorum tormentorum ſcio ei conceſſum, qui illius artis erat imperitiſſimus. Tale tamen feudum Baldus valere vult, præcipuè ſi ſit hereditarium ſive perpetuum, propter ſpem heredum, qui forte conditioni ſatisfacere poſſunt: interea ex paratis ſive promptioribus feudi fructibus conducendum putat, qui currat, qui cauſas agat, qui machinas jaculetur *(e)*. Vendere tamen feudum hoc ſine conſenſu domini neque claudus neque mutus poteſt, ut vult Baldus. Sed quoniam hæc quæſtio poſtea occurret, quid de ea cenſeam tunc aperiam.

21. Eſt & alia feudi diviſio tam in textu *(f)* quàm apud Doctores, nempe in *Diviſibile* & *Indiviſibile*; cujus diviſionis effectus varii in hoc tractatu occurrent. *Diviſibile* feudum id dicitur, quod in partes dividi poteſt, ut omnia feuda ex ſua natura diviſibilia ſunt, præter feuda dignitatum, quales ſunt Ducatus, Marchionatus, Comitatus *(g)*. Ratio hæc ponitur à Doctoribus, quòd hæc feuda dignitatum regimen & juriſdictionem contineant, & difficiliùs à pluribus quàm ab uno populi regantur. Alii etiam in his diviſionem admittunt, ita tamen ut dignitas non dividatur, ut plures ſint Duces, Marchiones, &c. (cujus tamen contrarium in Germania ſervari novimus) at juriſdictiones poſſint dividi, ut unus frater regat unam civitatem, alius aliam. *Indiviſibile* autem feudum eſt, quod in partes diviſionem non admittit. Ex hac diviſione feudorum jus locale eſſe, facile eſt percipere. In Gallia enim omnia feuda ſunt diviſibilia præter regnum, ſic in Germania: In Britannia verò & Normannia feuda non ſunt diviſibilia, nam in ſolidum in eis ſucceditur, niſi forte fœminæ ſuccedant, inter quas feuda dividuntur: alioqui, niſi ex pacto vel tenore inveſtituræ, vel conſenſu partium, feuda diviſionem apud nos non recipiunt.

22. Plures etiam diviſiones traduntur, quas omnes in arbore libris de uſibus feudorum præfixa, cum earundem explicatione, & commentario Rebuffi, viri doctiſſimi & in uſu forenſi exercitatiſſimi, videre licet: quales ſunt illæ quæ ſunt de *feudo jurabili*, & *non jurabili*; & aliæ quas ego hîc prudens prætereo, quia cum uſu noſtro parum convenire videntur: nam apud nos nulla ferè feuda hodie jurantur, licet enim fidelitas ſemper debeatur, nunquam niſi rariſſimè juratur. Itaque eas diviſiones conſultò prætereo, ut non multum ad forenſem noſtrum uſum accommodas. I-

(a) 2. F. 55. in fine, & 2. F. 99. (b) §. 7. (c) § 2. (d) Vid. D. 14. § 15. (e) 1. F. 6. § 2. argumento. 2. F. 26. § 5. & 24. § 2. ibi: Aliud eſt. (f) 2. F. 26. § omnes, & 2. F. 50. (g) 2. F. 55. § 2. verſ. Præterea. vid D. 12. § 26.

mò nec earum diviſionum, quæ præmiſi, membra, pro dignitate ſatis ſunt explicata; ſed pleniùs & planiùs ex narratione ſequentium capitum intelligere licebit, cum de perſona tam dantis quam accipientis feudum, cum de inveſtitura & ſucceſſione in feudo, deque feudi amiſſione & refutatione, dicemus. Nam in his omnibus diviſiones hæ & earum effectus occurrunt, & pro varietate membrorum variæ naſcuntur deciſiones.

23. Sequitur ut ad uſum noſtrum forenſem accedamus, quæque diviſiones in uſu ſunt apud nos diſcutiamus. In quo negotio hæc duo præmittenda ſunt. Unum, per noſtri fori diviſiones non tolli eas quæ ex jure Feudali colliguntur, ſed noſtras ab eis illuſtrari; neque enim ex iis quas nuper ex jure adduximus diviſionibus ulla eſt, cujus effectus in moribus noſtris non eluceſcat, imò & noſtræ cum illis, & illæ cum noſtris ita immiſtæ ſunt, ut tantùm qualitate, vel qualitatum diversâ ſpecie inter ſe differant. Alterum eſt, feuda apud nos ea tantùm dici, quæ ſunt *perpetua*, & quæ ad heredes tranſeant: neque enim apud nos ſunt feuda *annalia*, nulla *vitalia*, nulla *temporalia*; nihil enim feudi nomine dignamur, niſi id de quo dici poteſt, quod N. obiit ultimo veſtitus & ſaſitus de tali prædio & tenemento, ut de feudo, & quod R. eſt ei proximus heres in dicto feudo, id eſt, in illius prædii dominio utili: dominium enim aliquod apud vaſſallum eſſe niſi fateamur, & non uſumfructum tantùm, in maximas difficultates incurremus, ut antea monui *(a)*. Habet itaque feudum noſtrum duplicem reſpectum: unum ad dominum concedentem, in quo caſu illius feudi dominus ſuperior dicitur: alterum ad vaſſallum, qui ideò *Tenens* apud nos dicitur, ejuſque feudum *tenendria*, ſive, ut ab Interpretibus dicitur, *tenuta*; ita ut dominium directum ad ſuperiorem ſemper pertineat *(b)*, utile verò ſive tenendria ad vaſſallum, quam de domino ſuperiore tenet.

24. Diviſiones itaque feudorum apud nos in uſu ſunt tres. Prima in feudum *Simplex* & *Limitatum*, ſive *Conditionatum*, nos *Talliatum* dicimus. Et hanc diviſionem ex jure antea propoſuimus, *(c)*, ſed forte in alia ſignificatione; *Simplex* enim feudum hîc non eſt quod cum definitione convertitur, ut anteà dixi in prima diviſione *(d)*, ſed quod ad vaſſallum, & ejus heredes quoſcunque indiſtinctè, & ſine aliqua limitatione, pertinet; qualia ſunt ferè feuda apud nos omnia: & ſemper præſumitur feudum *ſimplex*, niſi aliud convenerit. *Limitatum* verò feudum, ſive *talliatum*, quod lineam directam aliqua ex parte in ſucceſſione ſecat, & propinquiorem, qui alioqui ſuccedere debet, excludit, quales ſunt apud nos omnes *Talliæ*, ſive feuda proviſionalia.

25. Unde *Talliæ* nomen deducatur, variæ ſunt doctorum hominum opiniones; alii enim à voce Gallica *(tailler)* deduci putant, quaſi ſit *abſciſſio* ſive *interſectio* rectæ lineæ. Sed profectò hæc etymologia pleriſque non ſatisfacit; cùm *Talliæ* nomen apud pleraſque exteras gentes, quibus Gallica lingua ignota eſt, uſurpetur. Alii ab adjectivo *(talis)* deduci putant; quæ quidem derivatio mihi videtur veriſimilior *(e)*, quippe conceſſio fit, non ut ad quoſcunque heredes indiſtinctè feudum tranſeat, ſed ad *tales*, nempe eos, qui in tenore inveſtituræ continentur: neque ſolùm dicitur feudum limitatum, ſive talliatum, quod ad maſculos tantùm deſcendit, excluſis fœminis, (in qua ſignificatione apud nos frequentatur;) ſed quoties tales heredes, qui proximi alioqui non ſunt, ſuccedunt. Nam *feudi talliati* nomine omne illud feudum comprehenditur, in quo heredes directi & propinquiores non ſuccedunt: veluti, ſi feudum ſit conceſſum alicui & ejus heredibus de corpore ſuo procreatis, feudum limitatum eſt ſive talliatum, quia nulli heredes niſi ex corpore ejus, cui conceditur, procreati ſuccedunt. Neque enim tale feudum ad collaterales extenditur; imò quod majus eſt, ſi Mevio & Semproniæ conjugibus concedatur feudum, & heredibus inter ipſos procreandis, & nulli ex eo matrimonio ſuperſint, & Mevius ex alia conjuge liberos ſuſceperit, hi in feudo non ſuccedunt *(f)*: nam hoc feudum ſtricti juris eſt, & ad eos ſolos extenditur, quibus providetur; & obſervatur

(a) D. 9. § 11. (b) 2. F. 23. in fine. (c) Vid. § 20. & D. 11. § 25. (d) § 2. (e) Vid. lib. 2. D. 16. § 2. (f) Vid. D. 11. § 26 & 29.

ſervatur apud Anglos ſtrictiſſimè *(a)*: apud nos quoniam nihil unquam de hac quæſtione audivi deciſum, dubitare cogor, & licet lex & ratio pro priore parte faciat, nempe quia proviſio ſit tantummodo heredum determinatorum, & feuda ſint ſtricti juris, tamen ſæpe remedium ab æquitate petimus, quaſi ea videatur concedentis voluntas, ut etiam ulteriùs ad Mevii quoſcunque heredes, ex corpore ſuo procreatos, feudum extendere voluiſſe præſumatur. Sed de his feudis talliatis ſive limitatis in titulo *de feudorum ſucceſſione*, cujus ille locus proprius eſt, plura dicemus.

26. Secunda apud nos forenſis feudi diviſio eſt in *Hereditatem & Conquæſtum.* Nam licet etiam conquæſtus, communiter loquendo, ſub hereditatis nomine comprehendatur, & eiſdem privilegiis gaudeat; tamen ubi conquæſtûs & hereditatis ſimul mentio fit, tum conquæſtus ſeparatum facit membrum feudi ab hereditate. Et hæc diviſio cum priore diviſione quam ex jure propoſuimus *(b)* de feudo antiquo & novo, in pleriſque convenit: nam *Hereditas* dicitur feudum *antiquum*, quod à patre, avo, & ſuperioribus deſcendit, imò etiam à collateralibus, modo per ſucceſſionem quis ad illud pervenerit, & in eo mortuus fuerit. *Conquæſtus* autem *feudum novum* eſt, quod in primi acquirentis perſona, cum moreretur conſiſtebat, imò & ſi habeat ex venditione, traditione, donatione, etiam prædeceſſorum, aut eorum quibus alioqui ſuccedere debeat, modò per ſucceſſionem ad illud feudum non pervenit. Hujus diviſionis effectus apud nos hic eſt, ut aliter ſuccedatur in *conquæſtu (c)*, aliter in *hereditate*: de quo effectu poſtea in titulo *de ſucceſſione.*

27. Tertia & celeberrima apud nos feudi diviſio, eſt in feudum *Militare, Blancum, Burgale & Eccleſiaſticum.* Sunt qui & quintum membrum ſeparatim faciunt, nempe *ad manum mortuam*: ſed de his omnibus ſigillatim dicendum eſt. Feudum *Militare* ideò dicitur, quòd ob officia militaria antiquitùs debebatur, & hodie nomen retinet, quia adhuc omnia ſervitia debent eſſe militaria. Vitioſè à noſtris feudum dicitur eſſe per ſervitium wardæ & relevii; neque enim warda & relevium ſunt ſervitia, ſed tantummodo ſervitium militare concomitantur. Itaque melius loqueremur, ſi diceremus tenendriam eſſe per ſervitium, wardam & relevium; aut ſervitium cum warda & relevio. Quid autem ſit warda & relevium ſuo unumquodque titulo explicabimus: & tale feudum cum feudi definitione quam præmiſimus, & cum naturalibus ejus qualitatibus omnibus convenit. Itaque rectè feudi *proprii* nomine cenſeri poteſt: in utroque enim tenens ſeu vaſſallus ad ſervitia tenetur, ſed honeſta. Imò & in hoc convenit maximè, quòd ſemper præſumptio ſit pro hoc feudo, niſi aliud ex tenore inveſtituræ conſtiterit. Omne enim feudum, quod redditionem ſervitiorum continet, ſive onus præſtandarum ſectarum in curiis quas *capitales* ſolemus dicere, (præſtatio enim hæc in curiis ſpecies eſt ſervitii) ſub hoc primo membro continetur. Imò & reliqua omnia feuda eodem jure cenſentur, licet annuam præſtationem habeant: niſi expreſſa mentio fiat *(d)*, feudum conceſſum eſſe pro redditione rei alicujus, nomine blancifirmæ vel feudifirmæ, vel burgali.

28. Dubitari poteſt de iis præſtationibus quæ nomine *Canæ* fiunt, quales apud nos pleræque ſunt, utrum nomine feudifirmæ an feudi blanci cenſeri poſſunt? Cauſam dubitationis præbet nomen *Canæ*, quod *album* ſignificat, ut *canos* capillos dicere ſolemus. Meo quidem judicio melius à *canone* deducetur, cum idem prope ſignificet. *Canon* enim in jure præſtationem annuam, ſive penſitationem innuit: unde canon frumentarius, & canon metallicus, & veſtiarius, qui pro militum veſtimentis præbebatur, & in Codice Theodoſiano hi canones videntur *canicæ* dici, ubi veſtes, equi, ceteræque canicæ ſpecies leguntur. Eſt itaque *Cana* idem quod *canica*, ſive *canon*, ſive certa præſtatio annua, quæ nunquam naturam feudi per ſe, neque ſpeciem tenendriæ immutat, ut nulla alia præſtatio annua, niſi exprimatur tenenda in feudifirma.

29. Sed quæret aliquis, quid de his formis feudorum dicemus, quæ hodie, vel in-

(a) Vid. D. 11. § 25. (b) § 13. (c) Cap. 3. Statutorum Roberti III. cap. 88. quon. attach. (d) Vid. § 5.

curiâ (nam ignorantiam non poſſum dicere) patronorum, vel importunitate poſtulantium introductæ ſunt, in quibus *ſummæ alicujus præſtatio*, vel *ſervitium unius comitis*, vel *militis præſtatio*, cum hac adjectione, *nomine blanci* ſive *feudi franci*; hæcne feuda franca, an verò communia ſeu propria dicemus? Si communia, expreſſus tenor repugnabit, in feudo nempe franco teneri? Si francum dixerimus, non minor erit repugnantia; ſemper enim ſervitia feudum proprium ſive commune inducunt. Itaque in his formis videtur eſſe repugnantia, quam Dialectici vocant repugnantiam in adjecto: nam adjectiones hæ, tam inter ſe, quàm cum natura feudi pugnant, conditionem feudi incertam faciunt, quæ omnino debet eſſe certiſſima, ut tam dominus quàm vaſſallus ſciant quibus nominibus inter ſe obligentur, quidque aut dominus ſperare, aut vaſſallus præſtare poſſit, aut debeat. Sed cùm durum eſſet hanc feudorum formam tollere, in ea ſum opinione, ut hæc feuda, quæ & ſervitium & blancam tenendriam continent, nomine feudorum communium cenſeantur, & relevium cum warda & maritagio heredis domino debeant, ut prima feudi natura, & principalis ejus qualitas, vanam Blanci mentionem prægravet, ut ad ſuam naturam & originem trahat. Hujus autem feudi ſimplicis, cùm ſit militare, dignitas maxima eſt, & omnibus aliis feudorum generibus apud omnes nationes dignitate præfertur.

30. Secundum apud nos hujus diviſionis membrum, *Blancum* feudum dicitur *(a)*; quod ſupra monui in omnibus cum feudo *franco* convenire: nam quæcunque de uno verificantur, de altero etiam verificari poſſunt. Hujus naturam, conditionem, & effectus, ſupra *(b)*, cùm de feudo franco ageremus, deſcripſimus: utrumque enim hoc feudum à ſervitiis immune eſt, fidelitatem tamen utrumque debet, & proinde feloniam in dominum non committere, neque inſidias in ejus bona, vitam, dignitatem ſtructas celare vaſſallus talis debet. Cætera quivis facilè colligere poteſt ex iis quæ nuper de feudo communi diximus *(c)*.

31. Tertium membrum diviſionis eſt feudum *Burgale*, ſive *Plebeium*, quod nunquam nobilitat: nam præſumptio juris eſt, ut antea *(d)* dixi, Burgenſes omnes manuario aliquo quæſtu, ſive arte aliquâ ignobili, vitam producere. Hi autem *Burgi* apud nos inter regalia æſtimantur, neque cum territorio alienantur, niſi expreſſa eorum ſit mentio. Sed Burgi præcipuè ex immunitatibus & privilegiis, quæ à Principe conceduntur, conſiſtunt, & ſua etiam ſervitia apud nos Principi debent. Servitia autem Burgorum hæc ſunt; vigiliæ, cuſtodiæ intra burgum, & ejus territorium (nos *libertatem burgi* dicimus,) collationes, indictæ, tributa, quæque alia ejus generis a Principe imponuntur. Imò & alia ſervitia debent Burgi, quæ fortè eadem cum feudo communi, viz. militaria; ita tamen ut egredi fines libertatis ſuæ (ut loquuntur) Burgenſes non cogantur, niſi majus periculum vel Principi vel reip. immineat. Vidi in inveſtitura, quam Burgus de Innerkething à Roberto III. Scotorum Rege acceperat, clauſulam redditionis continere, non ſervitia Burgi ſeu burgalia, ſed ſervitia ſolita & conſueta; & proinde militaria hæc erant in principio ſervitia: à warda tamen, relevio, maritatione & non introitu ſunt liberi, quoniam nunquam ſunt minoris ætatis, nec maritantur, nec moriuntur. Sed de his ſingulis poſtea *(e)*.

32. Quartum membrum diviſionis feudi eſt *Eccleſiaſticum*, quod cùm triplex eſſe antea *(f)* diximus, de ſingulis nunc dicendum. Et primò, feudum quod Eccleſia, vel à Rege, vel à Principe, vel etiam à privato accepit, verè *Eccleſiaſticum* dici poteſt. In hoc genere feudi non tam conſideratur perſona Epiſcopi aut Prælati, quàm ipſa Eccleſia, ut Eccleſia ipſa vera Regis vaſſalla dicatur. Prælatus verò tantùm Eccleſiæ adminiſtrator *(g)*, durante vitâ ſuâ, & quaſi tutor eſt ipſius Eccleſiæ, per quem Eccleſia, quæ non poteſt per ſe præſtare, (nempe, debita munera & functiones) ſolet exercere *(h)*. Sed neque ex ejus facto Eccleſia tenetur, niſi quatenus locupletior, ad exemplum pupilli, vel minoris, qui lædi ex facto tutoris vel curatoris

(a) 2. F. 104. (b) § 5. (c) § 2. (d) § 16. (e) In fine lib. 2. D. 20 & 21. (f) § 12. (g) Can. ſine exceptione, 52. cauſ. 12. quæſt. 2. & l. 14. C. de Sacroſ. Eccl. (h) L. 4. C. ex quibus cauſ. maj.

oris nequit *(a)*. Imò licet adminiſtrator in dominum deliquerit, Eccleſia ex hoc facto damnum ſentire non debet : ipſe tantùm, qui deliquit, ab adminiſtratione removetur *(b)*. Si autem Prælatus cum Capitulo deliquerit, licet alioqui poteſtatem de rebus Eccleſiæ diſponendis habeat, tamen Eccleſia non punitur : damnum tamen æſtimabitur, cujus dimidiam partem Prælatus, alterum dimidium Capitulum ſolvat *(c)*. Quòd diximus Eccleſiam, quæ per ſe facere non poteſt, per adminiſtratorem ſuum exercere, intelligendum, quatenus Prælatus vel adminiſtrator alius de jure facere poteſt. Nam licet vaſſallus in bello dominum juvare teneatur, cùm tamen Prælatis pugnare interdictum ſit *(d)*, per ſubſtitutum ſervire poſſunt *(e)*. Itaque Prælati ſuos vaſſallos & tenentes domino, tam in pace quàm in bello, in ſubſidium & præſidium, mittere coguntur. Imò in curiis capitalibus, earum terrarum nomine, quas tenendrias dicimus, & in feudo de Principe tenent, comparere per ſubſtitutos cogendi : nos *ſectam & præſentiam* in curia Regis *exhibere* dicimus, & eatenus nomine ſecularis Baronis, Eccleſia vel Prælatus cenſetur. Sed raro Prælati hi ſectam ſeu ſectatorem pro ſe exhibere tenentur ; etſi præſentiam per procuratorem exhibeant, qui pro utroque ſufficit.

33. Aliud feudum *Eccleſiaſticum* eſt, quod ab Eccleſia conceditur, ſive in commune feudum, (ut nomine Canæ ;) & hæc feuda debent Eccleſiæ ſervitia, cum warda, relevio & heredis maritatione, quoties occurrunt : ſive in emphyteoſin, aut ad libellum data ſint, quæ in annuum cenſum ſive canonem tenentur. Nam feudum *ad libellum dare*, nihil aliud eſt quàm in perpetuam emphyteoſin locare.

34. Tertia ſpecies *feudi Eccleſiaſtici* eſt, cùm Prælatus, ſive aliqua Eccleſiaſtica perſona, feudum acquirit, ſed non Eccleſiæ nomine quam adminiſtrat, ſed ſibi tantùm tanquam privato : quod quidem feudum, licet Eccleſiaſticum dici poſſit, ut antea *(f)* monuimus, tamen non tam Eccleſiam quàm perſonam adminiſtrantis reſpicit. Itaque in hoc tanquam communi feudo ſuccedítur. De his autem feudis Eccleſiaſticis & eorum effectibus mox dicemus latiùs : illud tantùm admonentes, illa feuda, quæ ab Eccleſia conceduntur in emphyteoſin, ad nulla ſervitia teneri, niſi aut ſint communia, vel ſervitia illa quæ ſint in tenore emphyteoſeos expreſſa.

35. Quod ad quintum membrum attinet, nempe *feudum ad manum mortuam*, malui membrum feudi Eccleſiaſtici facere, quàm principalis diviſionis : & differt à priore Eccleſiaſtico feudo *(g)*, quòd ad ſervitia nullo modo teneatur, ſed tantùm recognitionis nomine preces & ſupplicationes præſtet. Nos *mortificationem* dicimus, terraſque mortificatas, quia Eccleſia, ut dixi, nunquam moritur. *Manus* enim *mortua* de iis dicitur, quorum poſſeſſio eſt immortalis ; *manus* enim pro poſſeſſione quæ manibus comprehenditur ſumitur : *mortua* tamen in hoc loco pro *immortali*, quòd horum feudorum poſſeſſiones ſint mortuæ mundo, & proinde Eccleſiæ factæ ſunt immortales ; eodem modo, quemadmodum dicere ſolemus, municipium nunquam mori, quia hominibus morientibus, & aliis ſuccedentibus, idem propriè corpus videtur remanere : ut in grege vel navi, cujus cùm tabulæ corruptæ & vitioſæ eximuntur, novæque pro iis ſufficiuntur, materiam diſputandi Philoſophis præbuit, eſſet Argo navis quæ Iaſonem ad Colchicam expeditionem vexerat, an alia.

36. Licet tamen quadrimembrem hanc fecerim diviſionem, accepi à viro magno Davide Magillæo, Advocato poſtea Regio, trimembrem potuiſſe ſufficere, nempe ut omne feudum ſit, vel *commune*, vel *francum*, vel *emphyteuticum*. Cùm urgerem de feudo Burgali & Eccleſiaſtico, reſpondit ſub primo membro contineri poſſe. Nam & hæc duo feuda ſervitia debere, & fortaſſe eadem cum feudo communi, nemo negabit : Eccleſiæ enim adminiſtratorem, ſi non per ſe, ſaltem per ſubſtitutum, in militares operas teneri certum erat. Quòd verò à warda & maritatione erant immunia, hoc ideò fieri dicebat, non ex feudi natura, quæ eadem cum aliis erat communis ; ſed quòd Eccleſia ſive Civitas aut Burgus nunquam moriatur, neque heredem habeat : itaque neque wardam, neque maritationem debere poteſt ; imò neque relevium,

(a) L. 74 & 198. ff. de R. J. (b) 2. F. 40. in fine. Vide lib. 3. D. 6. § 12. (c) Diſtinct. 50. cap. 5. (d) Extr. c. 9. in fine, de voto & voti redemptione. (e) 2. F. 26. § Qui Clericus. 2. F. 30 & 21. (f) § 12. (g) § 32.

levium, quòd feuda hæc ſine vaſſallo nunquam reperiantur. Sanè, quòd ad ſervitia attinet, multum in Eccleſiaſticis feudis Principi præjudicatum eſt ſub umbra Pontificis Romani, cui ſoli fidelitatem Prælati ſe debere putabant, & proinde debita Regibus obſequia denegabant *(a)*.

37. Eſt & alia apud nos feudi diviſio, in feudum *ipſius prædii*, & *annuæ præſtationis ex ipſo prædio (b)*; ut aliud ſit feudum ipſius fundi ſive tenementi, aliud annui reditûs ex tenemento. Et licet hæc diviſio Criticorum ſupercilium declinare vix poterit, cùm non ſit unum genus utriuſque hujus membri, quod feudum ipſius fundi ſit rei nempe corporalis, annuî autem reditûs feudum ſit jus incorporale, & quaſi ſervitus in fundo: non minùs tamen dicitur in feudo obiiſſe, qui annuum reditum hereditarium habet, quàm qui ipſum feudum: &, quod majus eſt, qui annuum reditum hereditarium habens obiit, jure & privilegiis Baronis gaudet, in hoc, quòd omnium bonorum mobilium optimum quidque cujuſque ſpeciei, heredi, & non executori, apud nos relinquat. Itaque, ut ad ſupradictam diviſionem redeamus, feudum *ipſius fundi* eſt, cùm proprietas ſive dominium ad quempiam jure Feudali pertinet, ſive ſit ſuperioritas, quam *dominium directum* dicimus, ſive dominium utile, quod *tenendria* dicitur. Feudum autem *annui reditûs* eſt jus incorporale (quod tamen pro corporali ſumitur) annuam aliquam utilitatem ex fundo percipiendi: ſive ea utilitas ſit in pecunia, frumento, oleo, vino, ſalmonibus, & reliquis rebus, quæ pondere, numero, aut menſurâ conſtant; ſive ſit in aliqua ſervitute, veluti pecoris paſcendi, aquæductûs, operarum, arandi, ſtercorandi, metendi, & ſimilium; ita tamen ut inveſtituram quis de hac ſervitute habeat. Et licet potiùs hæ ſervitutes hereditariæ dici debeant, obtinuerunt tamen, ut etiam hæc feuda dici poſſent.

38. Feudum autem *annui reditûs* triplex apud nos habetur: nam alius apud nos annuus reditus, qui *reditus ſoli* dicitur, alius *emphyteuticus*, tertius *ſuperficiarius*. De his tribus, quidque unuſquiſque propriè ſignificet, doctiſſimus Dominus Skynæus in ſuo *De verborum ſignificatione* commentario declarat; ſed tamen in re valde abſtruſa, neque unquam niſi ſemel, temporibus Mariæ Reginæ ejuſque regni anno 10. 1551. inter acta Ordinum reperta. Puto tamen hanc trimembrem annui reditûs diviſionem ab Anglis, ut & multa alia, in noſtros mores & uſus irrepſiſſe. Nam & illi triplicem annuum reditum faciunt *(c)*, licet non iiſdem quibus nos verbis utantur: ut unus ſit annuus reditus *ſervitii*, ſecundus *oneroſus*, tertius *ſiccus*. Reditus *ſervitii* is dicitur, quando fundus in feudum à domino datur eâ lege, quòd præter ſervitium, quod ſibi dominus retinet, id eſt, præter ſuperioritatem, aliquam etiam utilitatem domino præſtet: veluti, ſi fundum de ſe tenendum quis conceſſerit, & ut, præter ſervitium, etiam decem aut viginti libras vaſſallus domino pendat, qui reditus ſervitii dicitur. *Oneroſus* autem annuus reditus eſt is, cùm dominium fundi eſt in unius, veluti domini, perſona, annuus reditus in alia; aut ſi dominus fundum uni, annuum reditum alteri conceſſerit, utrumque de ſe tenendum cum poteſtate diſtringendi. Si autem hæc poteſtas diſtringendi pro dicto annuo reditu non reſervetur in conceſſione, is annuus reditus dicitur *ſiccus*; ubi neceſſe eſt domino hujus annui reditûs diſtrictum à judice impetrare, & non brevi manu & ſuâ auctoritate ad diſtrictum procedere. Hæc ut ad noſtram diviſionem accommodemus, puto *reditum fundi* eundem eſſe cum reditu qui *ſervitii* dicitur apud Anglos; nam in dictis locis occurrit, ubi Capellanus dominus fundi dicitur, & quòd fundus teneatur de eo pro annuo reditu. Secundus autem annuus reditus, qui *oneroſus* dicitur, eum eſſe puto qui apud nos Top-annuall, non à ſuperficie, ſed à capiendo dicitur; jus enim diſtringendi ei inhæret. Quòd autem alii putent ideò Top-annuall dici, quia non ex ipſo fundo, ſed ex ejus ſuperficie capiatur, parùm cum ratione conve-

(a) Ut D. 3. dictum, & infrà. (b) Vulgare enim antea erat in hujuſmodi feudis annuorum redituum ex ipſo prædio, mortuo vaſſallo in non-introitu exiſtentibus, ut totus annuus reditus domino ſuperiori cederet: quod creditorum heredibus grave admodum erat, niſi ipſi creditores pacto providiſſent, ut mortuo creditore ſubvaſſallo teneretur dominus debitor, creditorum heredes gratis recipere, & obventiones ex non-introitu condonare. Sed huic malo atque pacto obviam itum eſt ſtatuto apud nos 42 Seſſ. 2 Parl. Henici Gul. & Mariæ. (c) Vide D. 11. § 30.

convenire videtur. Nam annuum reditum ex ſuperficie aliqua capi, ita ut liberum ſit ſolum, non memini. Semper enim in his annuis reditibus hæc verba inſunt [*acceſſit ad ſolum dictarum terrarum,*] neque de ſuperficie conceſſum unquam memini. Tertius autem ille annuus reditus qui *ſiccus* dicitur, eſt emphyteuticus, in quo dominus poteſtatem diſtringendi apud Anglos non habet, niſi à judice eam impetraverit. Apud nos pro tribus terminis immediatè præteritis poterit ſuâ auctoritate diſtringere.

Diegeſis undecima.

De diviſionibus feudorum, quæ apud Gallos & Anglos in uſu ſunt.

SUMMARIA.

1. *Rationem adfert auctor, quare omiſerat ſolennem illam feudi diviſionem, quæ habetur in libro* Regiæ Majeſtatis, *in* militare *ſc.* & ſoccagium.
2. *Omiſſâ poſſeſſionis mobilium ſive* Catallorum *conſideratione, ad jus quo vicini noſtri in prædiorum poſſeſſionibus utantur, procedit.*
3. *Prima ſtatuum apud Anglos diviſio eſt in* temporarios & perpetuos. *Temporales rurſus dividunt in eos qui* ad placitum *domini, pro certo annorum numero, vel* pro vita: *eorum conditio quoad tempus migrandi, & ad vaſtum. Cartam à domino habens ante inveſtituram, precarius tantum eſt poſſeſſor.*
4. *Alterum membrum ſubdiviſionis eſt* locatio, *pro certo annorum ſpatio: apud Anglos* [a Leaſe,] *apud nos* aſſedatio *vocatur. Differunt à nobis quoad neceſſitatem migrandi, ſine denunciatione expleto locationis tempore.*
5. *In quibus vicini nobiſcum conveniant in hiſce temporariis locationibus, & in quibus non. Locatio fieri poteſt ad tempus certum, incertum aut indefinitum: & durante locatione dominus poteſt diſtringere, ſed non poſt: & invecta tacitè obligantur. Saſina non eſt neceſſaria, ſed ſi ſcripta ſit, colonus poſſeſſionem ingredi poteſt etiam mortuo locatore: ſecus apud nos: quid jure Civili hac in re. Jus locandi qui locat habeat. Si ſit hæres, ſit ſaſitus. Conditiones in locationibus ſunt obſervandæ. De conditione, ſi merces non ſolvatur. Omnes conducere poſſunt, exceptis Eccleſiaſticis perſonis, niſi in ſuſtentationem familiæ. Locatio ad heredes vel aſſignatos non extenditur, niſi ſpecialis eorum mentio ſit. Si duo prædia pro una locata ſint penſione, uno evicto alterum retinebit.*
6. *Tenentes in vitali ſtatu dupliciter conſiderantur, vel ut habentes ſtatum pro ſua vita, vel pro vita aliena. Qui* libere tenentes *dicuntur apud Anglos? qui apud nos? & in quibus differunt ab iis qui locationem perpetuam habent. Hi vitales ſtatus quomodo acquirantur. In iis non fit ſucceſſio, niſi ex pacto.*
7. *Qui ſint vitales ſtatus qui lege deferuntur.*
8. *Status perpetuus apud Anglos, idem eſt ac feudum apud nos, & ſubdividitur in* Militare & Soccagium. Soccagium & Soccomannus *unde.*
9. *Feudum militare apud Anglos tribus conſtat, viz. homagio ſive hominio, fidelitate & ſcutagio.*
10. *Quid ſit hominium? & in quibus à fidelitate apud Anglos differat?*
11. Fidelitas *dupliciter ſumitur, ſpecialiter & generaliter. Diſcrimen inter hominium & fidelitatem. Feudiſtæ recentiores rejiciunt.*
12. *De* magna Seriendria & Corvagio.
13. *De ſcutagio. Scutiferi apud Anglos iidem ſunt ac armigeri apud nos, qui militaria habent feuda.*
14. *Apud Anglos Scutagium duplex eſt. Quid utrumque ſit? certum ad ſoccagium, incertum ad militare refertur. Sunt*

aliqua feuda militaria quæ scutagium non debent: Castrum nemo potest exstruere, sine Regis licentia; & Rex concedendo castrum, Castelguardiam tantum concedere intelligitur: in qua spectandum utrum quis in sua persona serviat, an pecuniam præstet. Si prius, militare est; sin posterius, soccagium. De jure Francorum. Pro ratione servitii militis integri, dimidii, aut quartæ partis scutagium habens 40, 20, vel 10 dies instructus, cum domino suis impensis in exercitu manere debet: & excusatur si alium æque instructum miserit, quem dominus approbaverit; ut apud nos in aliis casibus.

15. *Quando dies hi incipiunt numerari, & quid si quis ab exercitu abfuerit, & neminem pro se miserit.* Heribannum *sive* Haribannum *quid? Hæc feuda militaria secum trahunt wardam cum relevio & maritatione.*

16. *De Soccagio. Sub quo apud Anglos omne feudum quod non est militare comprehenditur.*

17. *De* parva Seriendria, *quid sit? & an apud nos usitata.*

18. *Differentia inter feudum militare & soccagium.*

19. *De Burgagio. Est species soccagii, & qui tenent in burgagio, soccomanni dicuntur. In burgis omnibus sua quæque consuetudo est observanda, si modo hominum memoriam excesserit.*

20. *Feudum sive tenendria in liberam eleemosynam. Hoc subdividitur in certum & incertum.*

21. *Mortificationes & apud nos & Anglos prohibentur absque superiorum consensu; sed Ecclesia tutâ erit 40 annorum præscriptione.*

22. *Tenentes patrimonii Regii. De eorum privilegiis. De libro cujus titulus est* Domus Dei.

23. *Tenendria per homagium, sive hominium, antecessorum. Si tale feudum evincatur, dominus tenetur de evictione, licet vassallus nullam cartam habuerit; & si dominus non receperit vassallum, potest se liberare ab evictione per disclamationem.*

24. *Tenendria per extractum Rotulamenti Curiæ; quales sunt apud nos tenentes & rentellarii Episcopatus Glasguensis, & monasterii Pasletensis, & hereditarii possessores dicuntur. Sitne hæc possessio hereditaria apud Anglos, dubitatur. Apud nos hujusmodi rentellarii in emphyteuses convertuntur.*

25. *Secunda apud Anglos divisio est in* Simplex & Talliatum. *Simplex idem ac apud nos, nec transit in heredes nisi eorum specialis mentio facta sit, aut in causa favorabili.*

26. *Feudum Talliatum apud Anglos, est vel Talliatum in genere, vel Talliatum in specie.*

27. *Ante Parliamentum Westmonasterienſe ab Edwardo I. habitum, Talliæ hæ non erant in usu: ab iis ad nos Talliæ defluxisse videntur.*

28. *Feudum per* Francum maritagium *quid? Qui succedunt in hoc feudo, tenebunt sine ullo servitio, ad quartam generationem, & hoc transit ad heredes, licet nulla eorum in carta mentio.*

29. *Tenendria possibilitate successionis extinctâ apud Anglos quid sit? Heredibus talliæ deficientibus feudum ad dominum redit, etiamsi de hoc nulla mentio.*

30. *Redituum feudalium alia apud Anglos est divisio in* Reditum servitii, Reditum onerosum, & Reditum siccum, & *quid sint? Statuto generali Henrici VIII. introductæ sunt registrationes contractuum feudalium, quod eorum exemplo ad nos pervenit.*

31. *Inter omnes feudorum divisiones apud Anglos nulla feudi Franci mentio, & quare?*

32. *Tenendria de villenagio, & villanus quis? Apud Anglos quædam sunt adhuc scintillæ servitutis, sed nihil ejus apud nos.*

33. *Quemadmodum feuda apud Gallos dividantur?*

34. *Feudum* Loricæ *quid? & in quot partes dividatur, & quid sit* in capite tenere?

35. *Feudum ex jure* Parili *quid?*

36. *Feudum* Burgagii *apud Gallos multa habet peculiaria.*

37. *Feudum* Eleemosynarium *apud Gallos, idem quod apud nos, nec tale fieri potest, nisi à Principe, vel cum ejus consensu. Id duplex apud nos statuitur. Quid sit* homo vivens, & moriens?

38. *Aliæ feudorum divisiones apud Gallos.*

39. *Præcipua & primaria apud Gallos feudi divisio est in* Nobile & Ignobile, *sive* Plebeium. *In quibusdam Galliæ partibus, qui nobile feudum possidet, nobilis, censetur;*

cenſetur, in aliis partibus non item. Ignobilia feuda tributis & exactionibus ſubjacent, nobilia non. Intra patriam per tres menſes, & ſuis ſumptibus ſervire tenentur; ſi extra patriam ſumptibus domini, &c.

1 OBJICIET mihi hîc non dubitò aliquis, cur in harum diviſionum enumeratione, ſolennem illam (quæ libro *Regiæ Majeſtatis* continetur *(a)*) feudi diviſionem in *militare* & *ſoccagium*, ſilentio præterierim: ſed ſanè, ut inſtituti mei rationes explicem, ego illam diviſionem nullum commodum, nullam utilitatem peperiſſe moribus noſtris exiſtimo, neque jus noſtrum ex eo elucidatius factum, ſed potiùs obſcurius. Malè ſit illi, quicunque is fuit, qui nobis leges Normannicas (nam apud Normannos hæc diviſio enata eſt) pro noſtris obtruſit; quas vixdum ipſi Angli receperant, ſi verum eſt librum illum *Regiæ Majeſtatis* Davidis primi tempore conſcriptum, ut quidam putant. Sed ex eo libro quid *ſoccagium* ſit, quis *ſoccomannus* intelliget nemo, niſi quòd ſoccomannus, militi: ſoccagium, militari feudo opponitur; nec in ulla carta aut feudorum conceſſione apud nos *tenutæ* ſive *tenendriæ* in ſoccagio unquam mentio facta fuit. Itaque inutilem diſputandi materiam, potiùs quàm utilem feudi diviſionem, nobis ille ſcriptor reliquit.

2. Sed ut res tota faciliùs intelligatur, quidque juris in poſſeſſionibus prædiorum vicini noſtri teneant, etiam noſtratibus innoteſcat, præcipuè cum multæ utilitates exinde ad noſtros mores, ſive uſum noſtrum forenſem, derivari poſſunt, pauca de iis ſubjiciam, ut poſſeſſiones rerum mobilium (quæ apud illos & Normannos *Catellorum* nomine deſignantur, ob id, puto, quòd apud gentes ſeptentrionales bona in armentis & pecoribus conſiſtebant, prout de Scythis narratur) ſilentio præteream tanquam ad inſtitutum nihil attinentes.

3. Dividunt Angli omnes prædiorum *ſtatus* (nam poſſeſſiones rerum immobilium *ſtatum* prædiorum propriè vocant) in *temporarios* & *perpetuos*, quos hereditarios, id eſt, feuda, vocant. *Temporales* dividunt in eos, qui ad *placitum domini* fiunt, vel *pro certo annorum ſpatio*, vel *pro vita*. De his tribus membris priùs dicendum eſt. Qui ad *placitum domini*, ſtatum prædii, ſive urbani, ſive ruſtici, nactus eſt, is ex arbitrio domini poſſidet; id eſt, quandocunque dominus voluntatem ſuam declaraverit, migrare cogitur; & nihil à precario poſſeſſore differt, de quo in Diegeſi IV. *(b)*. Si tamen, ante domini denunciationem, araverit, & ſementem fecerit, tantum ei temporis indulgendum eſt, cum libera adeundi & abeundi poteſtate, donec metere poſſit, & meſſem cum omni ſupellectile auferre; quaſi hoc naturaliter omni obligationi & locationi inſit: ſed fructus naturales, id eſt, naturaliter creſcentes, neque à ſolo ſeparatos, relinquere tenetur. Sic in prædiis urbanis, id temporis huic precario poſſeſſori permittendum eſt, ut commodè poſſit ſupellectilem omnem, & inſtrumenta domeſtica, quæ intulit, exportare; ad exemplum executorum, quos teſtator, ſive in ſuis ædibus ſive alienis, teſtamentum faciens conſtituit: nam iis permittendum eſt, quicunque ſit earum ædium poſſeſſor, res teſtatoris omnes, quarum dominium aut adminiſtratio iis competit, tollere: nec liberè ultro citroque commeandi poteſtas iis denegatur; quod ita ſemper temperandum eſt, ut fraus & dolus utrinque abſit. De pauperie, ſive de *vaſto* in re locata dato, niſi culpa ejus factum fuerit, non tenetur. *Vaſtum* autem nihil aliud, quam *vaſtatum*, per Syncopen: & tam ipſi locatori, quàm ejus heredi, ad quem reverſio, id eſt, poſt mortem locatoris ſucceſſio pertinet, competit. Itaque ruinoſas ædes domino non reficiet. Precarius autem poſſeſſor, ſive ad placitum domini, is etiam apud eos dicitur, qui cartam à domino de prædio habet, nec tamen inveſtitus eſt. Nam licet ex interdicto *unde vi* ſit tutus, cum de domini voluntate conſtet: tamen ex voluntate domini migrare quandocunque denunciaverit cogetur; jus enim in re talis poſſeſſor non habet, ſed ſolus dominus, donec ſaſina intervenerit; ſalvâ tamen ei actione contra dominum, ut ſaſinam a domino recuperet. Itaque donec à domino inveſtiatur, poſſidens hic tantum ex placito tenens dicitur.

(*a*) Cap. 27. lib. 2. (*b*) § 4.

4. Secundum membrum hujus ſubdiviſionis, eſt locatio *pro certo annorum ſpatio*, apud Anglos Leaſes, apud nos *aſſedationes* dicuntur: teneturque colonus, expleto locationis tempore, etiam ſine denunciatione, migrare; uſque adeò ut ſi ante locationis exitum ſementem fecerit, quæ locatione finitâ in fruges excreſcat, fruges amittat: donaſſe enim videtur, cùm locationis tempus elapſurum, & ſibi migrandum ſciret, ſementem tamen fecerit, cujus meſſis domino prædium ingrediente relinquenda eſſet: in quo à noſtris moribus aliquo modo diſſident: nam expleto locationis tempore, niſi locator denunciaverit, colonus migrare non tenetur; uterque enim in priore conditione tacitè permanere videtur. Et hæc *tacita locatio* eſt, de qua in jure civili *(a)*. Imo licet alteruter conditionem renunciaverit, id eſt, ſive dominus denunciaverit, ſive colonus domino ſe migraturum declaraverit, colonus, expleto locationis tempore, commodum temporis ſpatium ad colligendam & tollendam meſſem habebit, ædeſque, licet non ad habitandum, tamen pro cura & cuſtodia animalium ruſtico operi neceſſariorum conſequetur: & ſic colonus meſſem, dominus illius anni integram mercedem habebit. In prædiis autem, ſive tenementis, ubi non eſt meſſis, ſed habitatio tantùm, locationis tempus ſervandum eſt, niſi tacitè nova relocatio convenerit.

5. Sed, ut ad ea redeamus in quibus vicini noſtri nobiſcum conveniunt, in *temporariis* hiſce locationibus, coloni, ſive tenentes, ædificia ſarta tecta ſervabunt; ſaltem in eo ſtatu in quo fuerunt tempore receptæ poſſeſſionis. Itaque nec arva deteriorare, nec arbores frugiferas aut alias cædere poſſunt; ſoli enim pars ſunt. Si damnum (quod *vaſtum* illi dicunt) datum fuerit, etiam ab externo, colono ignorante vel invito, in triplum tamen tenetur; & dominus propriâ auctoritate fundum poteſt ingredi, reſervatâ colono actione contra tertium qui damnum dederat; nam ipſe immediatè domino tenetur de vaſto. Utrique autem huic generi locationis hoc tacitè & quaſi naturaliter ſemper ineſt, ut dominus non ſolutâ penſione poſſit pro ea diſtringere, quemadmodum in jure Civili, licet convenerit ne locator colonum removeat: tamen ſi colonus in penſionis ſolutione ceſſaverit, poteſt eum dominus removere, non obſtante priori pacto; quaſi tacitè locationi, & omnibus locationum pactis, hæc conditio inhæreat, ſi penſionem ſolverit, cui derogari non poteſt *(b)*. Si colonus domini conditionem invertat in prædio, ut feudum ſibi vel alteri acquirat, à locatione cadit. Sine mercede locatio non fit *(c)*; ſed merces aliquando in ſola fidelitate, aut aliqua alia re, pro mercede, conſiſtit.

Res immobilis ſine ſcripto locari apud eos non poteſt: apud nos, pro uno anno, etiam ſine ſcripto, poteſt. Archiepiſcopi terras ſuarum Eccleſiarum ultra tempus viginti unius annorum, vel ſaltem trium vitarum, in contractu locationis ſpecialiter comprehendendarum, & ab initio ipſius locationis computandarum, locare non poſſunt: ita tamen ut ſemper conditio Eccleſiæ non reddatur deterior *(d)*. Idem in magiſtris hoſpitalium, & collegiis. Locare autem quis poteſt, aut ad vitam conducentis, aut etiam alterius, aut ad plures vitas, aut ad terminos annorum, aut denique ad vitam, & poſt eam extinctam ad terminum annorum. Quòd ſi quis locaverit ſine mentione annorum, ad vitam conducentis locâſſe videtur. Locator pro mercede ſemper diſtringere poteſt, durantibus annis locationis, non autem poſt eos decurſos. Invecta omnia tacitè pro mercede obligantur. In his locationibus ſaſina non eſt neceſſaria: ſi tamen locatio ſcripto fuerit comprehenſa, colonus vi ſcripti poſſeſſionem ingredi poteſt, etiam mortuo locatore. In quo nobiſcum non conveniunt; nam apud nos nemo rem vel ſuam apprehendere poteſt, niſi tradente poſſeſſore, ne quis auctor ſui juris, aut poſſeſſionis, aut jus ſibi dicere, videatur. At ſecundum jus Civile, derelictam, ſive vacuam poſſeſſionem, colonus ingredi perfectâ locatione poteſt. Si non ſit vacua, dominus ut vacuam faciat, & colono tradat, conveniendus eſt. Quòd ſi terra alicui locata fuerit antea, vel in feudum data, colonus propriâ auctoritate non poteſt ingredi.

In

(*a*) L. 14. ff. locati. (*b*) L. 54. § 1. eod. (*c*) L. 2. ff. eod. (*d*) Vid. cap. 101. Parl. 7. cap. 11. parl. 10. cap. 3. Parl. 18. & cap. 4. Parl. 22. Jac. VI.

In his aſſedationibus neceſſariò qui locat, jus & poteſtatem locandi habere debet; &, ſi ſit heres, ut ſit ſaſitus requiritur. Fieri enim poteſt, ut colonus à vero domino pro penſione rurſus conveniatur; niſi fortè ex contractu ſive ſcripto locatio deſcendat: tum enim colono non eſt permittendum de jure ejus diſputare, quem auctorem ſuæ poſſeſſionis agnoverat, licet à vero domino pro eadem penſione pòſt conveniatur; imputabit enim ſibi quòd cum eo contraxerit, cujus conditionem ignorabat: nam in jure Civili nemo debet eſſe ignarus conditionis ejus cum quo contraxerit; conditiones autem quæ in initio convenerant, in locationibus ſunt ſemper ſervandæ. Si conditio in locatione fuerit appoſita, niſi merces ad certum diem ſolvatur, aut quolibet ſemeſtri ſpatio, licebit locatori poſſeſſionem ingredi, aut ut locatio nulla & irrita ſit. Tamen merces requiri debet, nec in hoc caſu dies pro homine interpellat. Omnes autem perſonæ conducere poſſunt, præter Eccleſiaſticas. Hi tamen poſſunt, ſi pro ſuſtentatione familiæ faciant. Locatio ad heredes vel aſſignatos non extenditur, niſi ſpecialis eorum fuerit mentio; quod & apud nos obſervatur. Si duo prædia pro una locata fuerint penſione, uno evicto colonus alterum toto tempore locationis retinebit, penſioque pro rata minuetur.

6. Tenentes in *vitali ſtatu* duplici ratione conſiderantur, nempe ſi *ſtatum* habeant pro *ſua vita*, quales ſunt uſufructuarii; vel pro *vita aliena*, veluti ſi vel Epiſcopus, vel Abbas, vel uſufructuarius alius aliquis, qui adminiſtrationem tantùm habet durante vitâ ſuâ, alii locet prædium aut tenementum, durante vitâ locantis. Utrique in fidelitate tenentur, & *liberè tenentes* vulgò Freeholders dicuntur; licet poſterioribus ægrè hoc nomen concedatur. Nec tamen hi ſoli *liberè tenentes* dicuntur, cùm & nomen hoc hereditariis poſſeſſoribus aptiùs conveniat, qui veriſſimè liberè tenentes dici poſſunt; ſed quia dignius & præſtantius nomen, & hereditariis poſſeſſoribus aptiùs convenit, prioribus liberè tenentis nomen relinquitur. Hæc ideò, quia ſæpe controverſum vidi inter eos qui publico conſilio præfuerunt, qui nomine liberè-tenentium cenſeri poſſunt, cùm liberè tenentes ad exercitum ſive expeditionem aliquam evocantur; & apud nos hi liberè tenentes, ab iis qui locationem perpetuam habent, diſtinguuntur. Nam coloni perpetui mercedem ſolvere ſolent, alteri omnino à ſolutione immunes ſunt: hi Lyfrenters apud nos, illi Lyfrentenents ſive Tackſmen dicuntur: hi, liberum cùm habeant uſumfructum, tenentes pro arbitrio in ſuo uſufructu poſſunt ſubſtituere, & removere; illi non, niſi id in lege locationis caveatur; veluti ſi locatio fiat colono, & ejus heredibus & aſſignatis, ſive ſubtenentibus. Hos autem vitales ſtatus ſive poſſeſſiones, quis ſibi, vel ſuâ pecuniâ, vel amicorum ope & operâ comparat, vel lex ei defert: ſucceſſio enim in hoc ſtatu acquirendo locum habere non poteſt, niſi id fortè ex pacto aut lege locationis proveniat. Quod autem quis ſibi ſuâ pecuniâ comparat, legem ex contractu ſive ſcripto accipit; nam ſine ſcripto non admittitur, & ſemper apud Anglos ſaſina in his eſt neceſſaria, cùm alioqui talis poſſeſſor apud eos jus in re non habeat.

7. *Vitales* autem *ſtatus*, qui lege deferuntur, ſunt, *uſusfructus*, *Tertia* ex prædiis mariti, quam lex ejus viduæ defert, & *Curteſia*. Sed quoniam de his peculiares tituli ſequuntur, explicationem eò rejiciemus, hoc contenti, quod neque *tenens*, neque *liberè tenens* quiſquam dici poſſit, donec poſſeſſionem apprehenderit. Et hæc de temporariis poſſeſſionibus, ſive ſtatibus, id eſt, de primo membro primariæ illius ſtatuum, ſive poſſeſſionum, diviſionis apud Anglos: de quo fortè prolixiùs, ſed id factum ut ſecundum diviſionis membrum meliùs eluceſcat.

8. Secundum membrum primariæ illius diviſionis eſt *ſtatus perpetuus*, ſive *hereditarius*, quem feudum dicimus; in cujus definitione vicini noſtri nobiſcum omnino conveniunt; quam definitionem ſupra cap. 9. *(a)* require. *Feudum* autem & *ſtatus perpetuus* in hoc etiam conveniuut, quòd niſi expreſsè heredum mentio in inveſtitura fiat, uſusfructus tantùm cenſetur; niſi in teſtamentis, ubi per teſtamenta feuda poſſe diſponi invaluit, ut pòſt *(b)* dicemus. Rurſus ſubdividitur in *Militare* & *Soccagium*, cujus diviſionis membra ut faciliùs intelligantur, res ipſa ab ipſis fon-

(a) § 5. (b) § 25.

tibus videtur repetenda. Dixi in Diegeſi quarta, *(a)* boreales gentes, robuſtiores ſervientium ſecum ad bella ducere ſolitas, & quaſi comitibus in præliis uſas; partâ victoriâ, ejuſdem præmia cum iis partiri etiam conſueviſſe: ita tamen ut fructuoſiora arva ſibi retinerent, ſteriliora ſuis concedere ſoliti; obſequii tantùm nomine retento, & exactionibus ſervitiorum militarium, quoties rurſus belli ſe occaſio obtulerit. Et hæc militaris fuit feudi origo, ut anteà diximus. Alios autem imbecilliores ſervientes, & quibus

Frigidus obſtabat circum præcordia ſanguis,

ad rura excolenda amandabant, ſub præſtatione annua vel cenſûs vel operarum ruſticarum. Itaque hi quaſi adſcriptitii coloni *dominicum* (quo nomine terræ dominicales in feudis ſignificantur) arabant, ſerebant, metebant. Et quia ſinguli ſuis vicibus operas exhibebant, & aratra ſeu vomeres præbebant, hoc genus operarum *ſoccagium* dictum eſt, à *ſocca*, quæ antiquâ Germanicâ linguâ *aratrum* ſeu *vomerem* ſignificat; & *Soccomannus* arare & excolere dominicum fundum tenebatur: qui mos adhuc frequens eſt in Lituania, Livonia, & multis aliis ſeptentrionalibus regionibus. Itaque ab ipſis initiis nihil commune ſoccomannus cum milite habebat; progreſſu temporis factum eſt, cum domini pecuniâ egerent, ut coloni hi (ſi qui rei colligendæ intentiores erant) operas ſuas à domino pecuniâ redimerent, & pro iis annuam penſionem vini, olei & frumenti, aliquando & pecuniæ, & ſimilium, præberent. Manebat tamen veteris *ſoccagii* nomen, licet ſervitia & operæ in annuum cenſum mutarentur; unde natæ ſunt emphyteuſes, & alia omnia feuda, quæ & apud Anglos & nos hodie in uſu ſunt.

9. Sed ut ad hujus diviſionis primum membrum, nempe *Militare* feudum, redeam, licet ex ea diviſione quæ ex jure eſt, quamque ex uſu noſtro antea propoſui, cognitio ejus ſatis eluceſcat, tamen cum ſingularia multa in hoc genere feudi obſerventur, aliqua ex Anglorum ſtatutis ſubjiciemus. Feudum militare hæc tria continet, ſive ex his tribus conſtituitur, nempe ex *homagio*, ſive *hominio*, *fidelitate* & *ſcutagio*: & hæc tria alii tria membra ſeparata militaris feudi conſtituunt. Utrique in re ipſa conveniunt; quod manifeſtum erit, ſi tria hæc membra quid inducant, explicemus.

10. *Hominium* autem, ut antea *(b)* monui, non ſolùm apud Anglos, ſed etiam apud alias gentes, proprie & ſpecialiter ſumptum, à *fidelitate* differt. Nam *hominium* quid majus eſt, nempe cum quis genibus flexis apud dominum ſedentem, inſertis inter domini manus ſuis, ſe *hominem* ejus profitetur, terraſque eo nomine tenere & tenturum, fidelemque pro eiſdem terris ei futurum hominem contra omnes mortales jurat *(c)*, exceptis Regis & aliorum dominorum ſuperiorum perſonis: & in militari feudo tantum locum habet. Si uxor ſit vaſſalla, maritus pro ea jurabit, quia illa nullius hominis mulier honeſtè dici poteſt niſi viri ſui. At fidelitas non ſolùm militari feudo, ſed etiam omnibus feudis, imò uſufructui, communis eſt; nec in eo tantâ opus eſt veneratione, ſtans tantùm ſuper librum (ut moris eſt adhuc) jurat vaſſallus ſe fidelem domino futurum. Et hæc prima eſt inter *hominium* & *fidelitatem* differentia.

Alia eſt, quod *hominium* non niſi præſente domino juratur; *fidelitas* etiam vicario domini, ſive is ſit Seneſcallus, ſive Ballivus. Tertia, quòd qui per *hominium* tenent, corpus, bona & facultates omnes, pro domino & ejus libertate, alienare ſeu hypothecare tenentur; non item qui per ſimplicem fidelitatem. Adde quod Prælati *fidelitatem* jurare tenentur, non *hominium*; neque in *fidelitatis* præſtatione tantâ opus eſt reverentiâ, quantâ in *hominii* præſtatione. Sane *hominium* dignius eſſe *fidelitate* conſtat, ex nobili illa controverſia inter Adrianum Pontificem & Fridericum primum Cæſarem. Ut in cæteris capitibus, ſic inter eos convenit, ut Epiſcopi Itali (quos homines ſuos ſibique hominium debere Imperator contendebat) juramen-

(a) § 3. (b) § 9. (c) 2. F. 99.

juramentum tantum fidelitatis, ſine hominio, in poſterum Imperatori præſtarent. Imò indignissimè ferebat Papa, Epiſcopos, quos deos & filios excelſi vocat, homagium Imperatori præſtare, aut manus ſuas ſacratas laici & profani Cæſaris manibus immittere, ut moris eſt hominium facientis, quod minimè tolerandum erat. Hæc quàm bene cum ſacra pagina conveniant nemo eſt qui neſciat. His tamen Papalis monarchia fundamentis exſtructa eſt, & miſero orbi illuſum. Formam autem *hominii* ſive *fidelitatis* jurandæ Littletonus, & alii Angli Scriptores habent: quomodo autem fidelitas apud exteras gentes jurabatur, habet Duarenus *(a)*.

11. Dixi antea fidelitatis nomen dupliciter ſumi, ſpecialiter & generaliter: ſpecialiter, quando vaſſallus domino fidelitatem jurat; generaliter, quando ſubditi Principi ſuo jurant. De hac duplici fidelitate textum habemus expreſſum in Tit. de Pace Conſt. *(b)* cujus hæc ſunt verba: *Vaſſalli à nobis inveſtituram accipiant, & faciant fidelitatem, ſicut vaſſalli cæteri omnes, & cives à decimo ſexto anno ætatis ad ſeptuageſimum.* At Interpretes recentiores feudorum, hanc diſtinctionem *hominii* & *fidelitatis*, quaſi ab imperitis confictam, impatienter ferunt; unumque eſſe hominium cum fidelitate, & fidelitatem cum hominio, hominiumque tantum eſſe præſtationem fidelitatis volunt; ut hominium ſit actus quo fidelitas juratur, fidelitas autem ipſa fides quæ toto vitæ tempore præſtatur: nam quicunque fidelem alterius ſe profitetur, & hominem illius ſe profitetur; hominium enim ſemel tantum præſtatur, fidelitas ſemper, manente feudo: quod nihil aliud eſt, quàm ſi quis vaſſallus debito tempore inveſtituræ, aut à domino requiſitus, ſe hominem ejus fidelem, contra omnes, niſi dominum ſuperiorem, juret. Sed de fidelitate feudali, deque ejus ab hominio, aliiſque differentiis, poſtea fortaſſe plura.

12. Inter militaria ſervitia numeratur & *magna Seriendria*, quæ nihil aliud eſt, niſi magnum ſervitium militare, quod quis præſens, ſive in propria perſona, Principi debet: qualia ſunt, vexillum Regium in bello geſtare, quod apud nos proprium eſt clariſſimæ Scrimgerorum familiæ; ſic & ejus haſtam ferre, aut eum die prælii armis induere; nam Humius Atonus pro eo ſervitio aliquot latifundia tenet. Alia etiam ſunt ſervitia his ſimilia, exercitum Regium ducere aut inſtruere, aut in die Regiæ coronationis enſem Regis portare, pincernæ aut dapiferi munera ſubire, vel ſi quis ſit Scaccarii Camerarius, & ſi quæ alia apud illos ſunt ſervitia quæ ſub *magna Seriendria* includuntur. Sane ſimilia ſervitia apud nos multa ſunt, licet nomen ſit inſolens. Et licet hæc magna ſeriendria tantummodo in propria perſona Regi præſtanda omnimodo ſit, tamen eſt ſervitium quod *Corvagium* dicitur, quod etiam inter magnas Seriendrias numeratur, nec tamen præſentiam perſonalem requirit. Eſt autem hoc genus ſervitii, caſtri ſive propugnaculi à Rege alicui commiſſi cuſtodia: nam antiquitus nemo turrim ſive propugnaculum in regno exſtruebat, quod non Regis fuerat; & obſervatur tantum in limitibus, qui regnum utrinque diſtinguunt: nempe cum quis pro ſervitio tenetur cornu inflare Scoto irrumpente, (magnitudine credo periculi ſervitium extollente,) ſi buccinator ſive cornicen hic de Rege teneat: alioqui ſi de alio quàm de Rege teneat, ſervitium tantum militare eſt, & non magna Seriendria. Nam hoc peculiare eſt omnibus Seriendriis, etiam parvis, ut de Rege teneant immediatè, alioqui eo nomine digna non ſunt. Et hæc prima militaris ſervitii ſpecies eſt.

13. Secunda ſpecies ſervitii militaris eſt *Scutagium*, quod nihil aliud eſt, niſi ſervitium ſcuti in bello ferendi, domini juvandi cauſâ: nam ſub *ſcuto* reliqua omnia arma militaria comprehendebantur. Hinc *Scutiferi* apud Anglos, qui apud nos *Armigeri* dicuntur, vulgo Eſquires & proinde *ſcutagium* eſt militare ſervitium omnino: ſolebant enim militantes ſcuta geſtare, in quibus propria familiæ cujuſque inſignia erant deſcripta. Sed mirum ſane cuivis videri poteſt, cur Angli militare feudum, nempe *Scutagium*, à ſcuto derivabant; Galli à lorica, unde [*fiefs d'haubert*] id eſt, feudum *Loricæ*. *Scutum* ſane apud Romanos præcipua erat armaturæ pars, quod qui amittebant, niſi juſtam amiſſionis cauſam reddere poterant, loco movebantur;

(a) Cap. 24 diſp. feudal. (b) § 1.

non autem qui gladium. *Scutum* autem non ex ære aut ex ferro antiquitùs, ſed ex conſutis boum tergoribus fiebat. Hinc Ajax *clypei dominus ſemptemplicis* dicitur, Achillem *decem terga boum* in ſcuto geſtaſſe teſtatur Ovidius. Loricæ etiam ex loris conſuto corio apud veteres fiebant, ut teſtatur Varro: pectoralia enim militum ex crudo corio fiebant. Sed & apud Græcos antiquitùs loricam ex conſutis annullis conſtitiſſe teſtatur Virg.

Loricam conſertam hamis auroque trilicem:

Qualis eſt hodie noſtrorum montanorum magna ex parte armatura. Poſtea pro integra armatura lorica cœpit uſurpari, unde apud Gallos feuda *loricæ* dicuntur, quæ Angli *ſcutagia* dicunt. Sigonius Latinè *loricatos* equites appellat, quos Græci *cataphractos*. Utcunque eſt, ſive ſint *ſcutiferi*, ut apud Anglos; ſive *loricati*, ut apud Gallos; ſive *armigeri*, ut apud nos; ſive vaſſalli, aut potiùs valvaſſores, ſive valvaſſini, ut in jure communi, ii ſanè intelliguntur qui ob militares operas feuda ſua peculiariter acceperunt.

14. Sed ut ad Anglorum *ſcutagium* redeamus, eſt quidem *ſcutagium* duplex, *incertum* & *certum*. *Incertum ſcutagium* eſt, quando publicæ expeditiones ad reprimendos hoſtes, ſive rebelles in ordinem redigendos, fiunt; quibus finitis comitia publica ſolebant indici. Quòd ſi quis *ſcutifer* in ea expeditione abfuiſſet, taxabatur ad certam quantitatem domino feudi appendendam. Ea ſumma quia incerta erat, (nam, pro qualitate expeditionis, aliquando major, aliquando minor ſumma imponebatur) incertum erat ſcutagium: & propriè ſcutagium dicebatur, & de eo intelligendum eſt, quoties de ſcutagio generaliter loquimur. Quòd ſi ſumma illa pecuniæ, vel ex tenore feudi, vel ex regionis perpetua conſuetudine, certa ſit, tum dicitur *ſcutagium certum*; & ſub militari ſervitio non includitur, ſed tantum ſub *ſoccagio*. Nam cum variæ de ſcutagio controverſiæ orirentur, ſtatuebatur in comitiis publicis, quantum quiſque, qui per militare ſervitium teneret, domino ſolveret (niſi conſuetudo aut continuus uſus aliud obſervarit:) & hoc *ſcutagium* dicitur *certum*. Et ſic, ut dixi, non omne ſcutagium militare eſt, ſed tantum illud quod incertum eſt. Sic aliqua ſunt feuda militaria quæ *ſcutagium* non debent, quale eſt illud quod *Caſtelguardiam* dicunt, quando vaſſallus tenet feudum pro cuſtodiendo certo loco, vel certa turre caſtri dominici, cum à domino legitimè præmonitus fuerit, & hoſtis in iis partibus expectatur. Caſtrum autem aut propugnaculum nemo in regno poteſt exſtruere, ſine Regis licentia: & hæc omnia caſtra ſive propugnacula ex jure Regis ſunt; & Rex caſtrum concedendo cum terris, tantum cuſtodiam, ſive *Caſtelguardiam*, concedit: alioqui *Caſtelguardia* ad ſubditum pertinere non poteſt. Sed in hac *Caſtelguardia* ſpectandum eſt, utrum quis in ſua, ut aiunt, perſona paratus ſit, & debeat ſervire, an pecuniam tantùm præſtare. Prius ſervitium militare eſt; poſterius tantùm ſoccagium. Ex jure Francorum nullus privatus cuſtodiam caſtri limitanei habere poteſt, niſi ex mandato Regis, *L. quicunque C. de fund. limit. lib.* 11. Illud tamen non eſt prætereundum, quod ſi *ſcutagium* quis, ſive unius militis ſervitium debeat, id eſt, ſi integrum feudum militare habeat, is quadraginta dies in exercitu, ſuis impenſis inſtructus, cum domino manere debet: qui dimidium tantum militis ſervitium debet, viginti ſolum dies: ſi quis quartam partem, decem tantum. Nec tamen omnino ipſe proficiſci tenetur in militiam, aut dominum in bello in perſona propria, ut aiunt, comitari, ſi alium æquè inſtructum armis & equis à domino probatum pro ſe miſerit *(a)*: quod & in religioſo & fœmina apud nos obſervatur; quo caſu ipſi militare in ſua perſona non tenentur, ſi alios idoneos milites ad exercitum pro ſe mittant.

15. Sed quæret aliquis, quando dies hi incipient numerari? Dicendum à die luſtrationis totius exercitus, aut ſaltem ab eo die quo primum in hoſticum exercitus penetraverit. Si de præſentia in exercitu quæſtio oriatur, *Mareſchalli* teſtimonium ſuffici-

(a) 2. F. 53. § firmiter 1.

ſufficiebat. Quòd ſi quis ab exercitu abfuerit, nec quenquam pro ſe miſerit, mulcta ei indicitur, & ex mulctæ quantitate hæc diviſio *ſcutagii* oritur. Nam dies certus ſemper à dominis dicebatur, quo vaſſalli ad militiam evocabantur, à Feudiſtis *Heribannum* ſive *Haribannum* dictus, à voce *heri* ſive domini, alii ab here Germanica voce, quæ domini mulctam ſignificat. Nam qui ad eum diem non venerant, à domino certâ mulctâ puniebantur: quod Ulpianus, *non reſpondere ad edictum* vocat; licet alii malint ibi legere, *ad delectum*. Et quia certa erat illa mulcta ſive pœna pecuniaria, *ſcutagium certum* dictum eſt, & in *ſoccagii* naturam abiit: alioqui trahunt omnia hæc feuda militaria ſecum *wardam* & *Relevium* cum *heredis maritatione*; licet alioqui ab aliis ſervitiis, niſi militaribus, ſint immunia.

16. Sed ut ad noſtram diviſionem revertamur, quæ eſt in feudum *militare*, & de *ſoccagio*, quoniam de militari aliquid diximus, ſupereſt ut de *ſoccagio* non nihil addamus, ſub quo apud Anglos omne feudum quod non eſt militare comprehenditur; qualia ſunt *parva ſeriendria*, *feudifirmæ*, *burgagium*, & feudum quod in *puram eleemoſynam* datur, & ſi quæ ſint his ſimilia, quæ non ſunt militaria: nam negatio unius membri affirmationem alterius inducit.

17. *Parva* autem *Seriendria* nihil aliud eſt niſi parvum ſervitium, quod quis annuatim Regi præſtare debet: neque perſonali hîc præſentiâ opus eſt, veluti, ſi quis Regi annuatim teneatur reddere arcum, lanceam, pharetram plenam aut vacuam, par chirothecarum, ſive calcarium; quales apud nos præſtationes ſunt frequentes. Nomen tamen *parvæ Seriendriæ* apud nos penè inauditum, niſi quod ſemel memini inter Gulielmum Hamiltonum & Alexandrum Stuartum, cum gravis controverſia eſſet de terris quæ de Rege in *parva Seriendria* tenebantur, utrum feudum illud eſſet militare, & proinde *wardam* cum *relevio* & *maritatione heredis* deberet, necne, Senatum quæſtionem integram ad comitia regni publica rejeciſſe, ne in re nova aliquid videretur ſibi arrogare.

18. Et ut ad *ſoccagium* redeamus, hoc etiam peculiare diſcrimen à feudis militaribus habet, quòd mortuo vaſſallo cuſtodia heredis pupilli, & etiam feudi, ad proximum agnatum, qui non eſt ſucceſſurus, pertineat; qui tamen ex fructibus feudi pupillaris ſuum commodum non faciet: nam ad rationes reddendas tenetur, & quod ſupereſt deductis expenſis reſtituet; & idem penè eſt cùm eo tutore, qui & in jure, & apud nos, *legitimus* dicitur, niſi quòd ad immediatè ſucceſſurum non ſemper pertineat, ſed ad proximum ex linea matris, ſi feudum ſit paternum. At in feudo militari, & cuſtodia ipſius feudi, & heredis minoris, donec vigeſimum primum ætatis annum compleverit, ad dominum feudi pertinebit: & interea dominus fructus ſuos omnes faciet; niſi quòd cogatur heredem pro dignitate educare; caſtra, ædificia, ſarta tecta ſervare; hortos, piſcinas, columbaria, & ſi quæ ſint his ſimilia, in eadem conditione heredi tradere, in qua ipſe ea recepit.

Præterea ſi moriatur dominus ejuſmodi feudi, jus illius cuſtodiæ tranſmittet ad ſuos executores, qui etiam fructus omnes ſequentium annorum durante cuſtodiâ percipient, ſi id nominatim teſtamento caverit: alioqui ſi nihil in vita expreſſerit, ad heredem, & non executores, fructus hujus wardæ pertinebunt. Aliter in cuſtodia *ſoccagii*; nam cùm hic cuſtos tantùm ſit, fructus ſuos non facit, & cùm nudam tantùm habeat adminiſtrationem, nihil ad executores tranſmittit, ſed proximus agnatus, modò non ſit pupillo ſucceſſurus, cuſtodiam tenebit (ut in legitima tutela,) & non adminiſtrata, ſive non collecta, colliget. Illud autem valde durum videtur, quod apud eos, mortuo hoc cuſtode *ſoccagii*, perimatur actio rationum reddendarum, & pupillus ab omni repetitione fructuum ab ejus executoribus excludatur. Sed hoc apud eos generale eſt, nullum executorem, niſi proſequente Rege, de rationibus reddendis teneri. Ratio erat, quod mortuorum facultates Epiſcoporum ut plurimùm fidei & adminiſtrationi concedebantur, ſine rationum redditione; quoniam eorum fides ſpectata ſatis videbatur, & ab omnibus quaſi generaliter approbata. Illi rurſus executores ſuos ſubſtituebant, eoſque immunes à rationibus reddendis eſſe volebant exemplo ſuo. In hoc *ſoccagio*, dominus feudi relevium habebit, id eſt,

unius anni reditus ex prædio: quod apud nos non obſervatur, niſi expreſsè convenerit, ut in introitu cujuſque heredis annuus reditus duplicetur.

19. *Burgagium* autem ſpecies eſt *ſoccagii* etiam, & qui tenent in burgagio *ſoccomanni* dicuntur, ſive burgus ille ſit regius, ſive de aliquo privato domino, ſive Eccleſiaſtico, ſive laico, teneatur; quales ſunt apud nos burgi, qui Baroniarum burgi dicuntur, licet apud nos burgi non habeantur, qui de Rege non tenent. In his omnibus burgis conſuetudo, ſi non ſit legi contraria, ſervanda eſt; modò illa conſuetudo ſit præſcripta & ſupra hominum memoriam, quæ ſexaginta annorum ſpatio includitur: exempli causâ, in his burgis aliquando minimus natu, excluſo primogenito & aliis ſe prioribus, ſuccedit, quod eſt mirum. Hoc tamen illi ſe tuentur, quòd minimus natu plerumque ſit indigentior, potiùſque ei ſit conſulendum & ſubveniendum, quàm adultioribus, qui ſibi per ætatem poſſunt providere *(a)*. Aliquando omnes per capita ſuccedunt: alicubi etiam, in burgis, uxor omnium prædiorum mariti uſumfructum habet; alibi niſi tertiam; apud Gallos dimidiam *(b)*: apud alios, quemadmodum apud nos, nihil juris in prædiis mariti urbanis uxor habebit, niſi ſpecialiter inveſtita fuerit. In quibuſdam burgis teſtari licet de prædiis burgalibus, in aliis non: diverſæque aliæ conſuetudines in uſu quotidiano ſunt; quæ omnino ſunt obſervandæ, ſi modò tales ſint, quæ memoriam hominum exceſſerint. Nam, ut monui ſæpius, jus Feudale locale eſt, & pro diverſitate locorum ſæpiſſime variatur.

20. Feudum etiam illud, quod in *libera eleemoſyna* dicitur, nomine *ſoccagii* comprehenditur: & de hoc feudo in ſuperiore Diegeſi diximus *(c)*, niſi quod illi *liberam*, nos *puram* eleemoſynam vocamus; nam cetera omnia quæ ad hoc membrum attinent conveniunt. Subdividunt tamen illi hoc genus feudi; nempe, in illud quod *certum* ſervitium debet, & quod *incertum*. *Certum* nempe, ſi convenerit, aut in fundatione (ut loquimur) inſertum ſit, ut annuatim talia ſervitia, tot miſſæ, tot orationes pro animabus benefactorum ſuorum ſeu fundatorum celebrentur *(d)*, aut certa ſumma pecuniæ pauperibus erogetur: & hæc anniverſaria dicuntur, quia quoque anno vertente fiant; in quo ſi Eccleſia vel Eccleſiaſtica perſona ceſſaverit, dominus feudi diſtringere poteſt, quia *certum* eſt ſervitium. *Incertum* autem eſt, quando quotidianæ ſive continuæ preces indicuntur pro animabus fundatorum, & heredum ſuorum; in quo ſi ceſſatum fuerit, heres fundatoris ſive dominus fundi diſtringere non poteſt, ſed adeundus eſt ordinarius Epiſcopus illius Diœceſis, qui cenſuris Eccleſiaſticis cogat Eccleſiaſticam perſonam ſatisfacere. Notandum & illud in hoc genere ſervitii, quod feudi dominus immediatus Eccleſiam ſuam, ſive Eccleſiaſticam perſonam, ab omni alio ſervitio, quod pro eo fundo dominis ſuperioribus debetur, tenetur liberare, & indemnem præſtare. Nam hi tenentes, ut dixi, ab omni ſervitio liberi ſunt.

21. Sed quoniam ex illis feudis, quæ in *puram eleemoſynam* conceduntur, maximum præjudicium dominis ſuperioribus naſcitur; neque ſolum *wardâ* & *maritatione* heredis privantur, ſed etiam *omnibus ſervitiis* & *eſchetis* terrarum, & Eccleſiarum *patronatu* ſive *advocatione*, carent: itaque tempore Edvardi poſt conquæſtum primi, ſtatutum fuit, ne quis terras ſuas in liberam eleemoſynam concederet in futurum ſine domini ſuperioris conſenſu; quod & nos hodie obſervamus. Nam ſi quis prædium aliquod ſive terras in *puram eleemoſynam* Eccleſiæ alicui conceſſerit (quod *mortificare Eccleſiæ* dicimus) ſine conſenſu Regis, ſi de eo teneantur, vel ſuperioris alicujus, quicunque is ſit, conceſſio illa irrita eſt, etiam ope exceptionis, non obſtante etiam quacunque præſtatione: licet alioqui Eccleſia de jure ſuo, poſt quadraginta annorum poſſeſſionem, non teneatur docere.

22. Sunt & alii tenentes, qui patrimonii regii, ſive antiqui, dicuntur. Nam tempore Edvardi (qui in Divorum numerum relatus eſt) & Gulielmi Conquæſtoris, Regum Angliæ, patrimonium quoddam in regios uſus ſeparatum eſt; quod antiquum dominium, & ejus tenentes antiqui dominii tenentes dicebantur. De hoc dominio, de-

(a) D. 7. § 18. (b) § 36. (c) § 35. (d) Lib. 2. D. 1. § 5. & D. 3. § 35.

deque prædiis quæ in eo continebantur, extat liber ab eodem Divo Edvardo conſcriptus, cui titulus eſt *Domus Dei.* Sed hoc genus tenendriæ ſeparatum diviſionis membrum non facit, privilegiis tantùm diſtinguitur ab aliis: nam hujus patrimonii tenentes, quoties quæſtio de ſuis terris verſatur, vel de re ad ſuas terras pertinente, extra dominium ſuum in judicium extrahi nequibant, aut ſuper aſſiſa aut inquiſitione cogi: ab exactionibus publicis, ſive iis quæ pro venditione rerum mobilium in nundinis publicis imponuntur, immunes ſunt; niſi Regi placuerit etiam expreſsè iis vectigal imponere. Inde emanâſſe puto, quòd proprium Regis patrimonium apud nos ab exactionibus ſit liberum, niſi Rex aliter expreſſerit: pro aliis terris, quas hi tenentes extra hoc dominium poſſident, jure communi relinquuntur. Et ſanè hi tenentes noſtris tenentibus *Seneſcalliæ* non ſunt abſimiles.

23. Neque ego illam tenendriam, quæ vulgò per *homagium anteceſſorum* dicitur, inter membra hujus diviſionis pono, cùm non ſit ſpecies ab aliis ſeparata, ſed privilegio tantùm diſtinguatur. Hæc autem ſpecies feudi talis eſt. Si vaſſallus in judicio probare poterit, anteceſſores ſuos ante hominum memoriam, aut tanto tempore quod præſcriptionem inducet, anteceſſoribus domini ſui perpetuum feciſſe *homagium*, & dominum eum pro vaſſallo agnoviſſe, & inveſtiviſſe; hoc caſu, tenetur hic dominus, vaſſallum ſuum immunem ab omni ſervitio alterius cujuſquam domini pro eo fundo præſtare: & ſi vaſſallus talis controverſiam feudi patiatur, dominus de evictione tenebitur, etiamſi vaſſallus nullam cartam habeat, aut, ſi quam habeat, ea cauſam oneroſam aut clauſulam de evictione non contineat; & evicto fundo, dominus ei fundum ejuſdem bonitatis & quantitatis præſtare tenebitur. Quòd ſi dominus nunquam eum in tenentem receperit, licet ejus anteceſſores à vaſſalli anteceſſoribus perpetuò & ultra hominum memoriam *homagium* ſuſceperint, ab evictione poterit ſe liberare per diſclamationem: & tum vaſſallus per idem ſervitium de domino immediatè ſuperiore tenebit, per quod de priore domino diſclamato antea tenuerat. De hac *diſclamatione*, quæ propria eſt tam domini quàm vaſſalli, in titulo *Quibus modis feudum amittatur*, plura dicemus. Hoc autem feudum, quod per *homagium anteceſſorum* tenetur, in multis cum feudo antiquo (de quo ſupra) convenit; & proinde, ſi novum quoquo modo ſemel fiat, id eſt, ſi vaſſallus alienaverit, licèt poſtea acquiſiverit, feudum illud non ampliùs dicetur feudum per *hominium* ſive *homagium anteceſſorum*, ſed tantùm *novum.*

24. Eſt & alia tenendria, quæ per *extractum rotulamenti Curiæ* apud illos dicitur, vulgò **Copie of ane Court-roll.** Hanc utrum inter temporarias poſſeſſiones an hereditarias reponam planè incertus ſum. Nec minor incertitudo apud ipſos Anglos eſt, ſitne hæc tenendria ad placitum domini temporaria, an verò hereditaria. Hoc autem genus tenendriæ tale eſt; cùm tenens, neque cartam, neque ſaſinam, neque aliquam diſpoſitionem feudalem monſtrare poterit, & ſi quis ab eo rogitet quomodo teneat, non habet quod reſpondeat, niſi ſe ad placitum domini tenere: non quòd hos tenentes dominus pro arbitrio migrare poſſit cogere; ſed quòd nullum aliud ſui feudi inſtrumentum habeant, niſi placitum domini, ſive voluntatem ejus, ex acto curiæ declaratam & teſtatam. Et id ut domeſtico exemplo eluceſcat, *tenentes & rentellarii Epiſcopatûs Glaſcuenſis, & monaſterii Paſletenſis, hereditarii poſſeſſores* dicebantur, & ita ſenatus aliquando cenſuit: & ſi quis ab his *rentellariis* cartam ſive ſaſinam ſuæ poſſeſſionis exegiſſet, extractam tantùm curiæ domini ſui habebant, quod non ſolum iis pro uſufructu prædiorum ſuorum ſufficiebat, ſed etiam heredibus & proximè ſucceſſuris, ut in locum demortuorum ſubſtituerentur. Imò & vidua, quamdiu in cœlibatu permanebat, ejus privilegio fruebatur. Quòd ſi talis poſſeſſio vacaverit, ſive per ſucceſſionem, ſive per reſignationem in favorem alterius, hæc ſucceſſio ſive reſignatio tantummodo in curia admittebatur; & ex placito domini fiebat. Alioqui neque heres, neque ceſſionarius jus ullum in prædio conſtitutum habebant, niſi actis curiæ conſtiterit de jure tam anteceſſoris quàm reſignantis. Itaque *tenentes* hi, ex copia ſive extracto rotulato, dicuntur apud nos *rentellarii*; in quibus tanta ſolennitas non ſemper requirebatur: ſufficiebat enim, ſi ſubſtitutio vel

heredis in demortui locum, vel novi tenentis in locum antiqui, sub solo chirographo domini fieret, etiam extra curiam.

Est & alia causa apud Anglos, cur hi tenentes ad placitum domini dicantur; quòd ex summo jure putent, dominum cogi non posse, ut proximè successurum in locum demortui admittat: alioqui quid compositione aut transactione opus esset, quæ tamen in novi tenentis admissione semper interponitur? Alii tamen, non minoris auctoritatis, *hereditariam hanc possessionem* putant, nec dominum posse causam possessionis invertere, aut aliis quàm heredibus concedere: itaque sitne hæc possessio hereditaria apud Anglos, necne, (ut eorum verbis utar) Causidici certant, & adhuc sub judice lis est. Nec minor apud nos controversia fuisset, nisi dominorum importunitas miseros tenentes hoc genus tenendriæ mutare in emphyteusin invitos & nolentes coëgisset; cùm alioqui in emphyteuses eadem prædia aliis essent concessuri: & proinde apud nos jam omnes qui antea erant *rentellarii*, *emphyteutæ* facti sunt.

Porro in hoc genere tenentium notandum est, quod apud Anglos sua prædia aliis possidenda locare ultra terminum unius anni sine domini voluntate non possunt; neque arbores crescentes cædere, nisi quatenus ad reparandam habitationem sufficiet; alioqui à feudo cadent. Et hæc de divisione possessionum, & de prima feudi apud Anglos divisione, in *militare* sciz. & *soccagium.*

25. Secunda solennis feudi apud Anglos divisio est in *simplex* & *talliatum*, sive *limitatum.* De simplici antea dixi, in Diegesi superiore *(a)*; nam de definitione feudi simplicis & ejus effectibus omnino inter nos convenit, neque alia ab iis quàm à nobis dicuntur. Hoc tamen in feudo simplici annotandum, quod non transit ad heredes, ut dixi *(b)*, nisi eorum specialis mentio facta fuerit; nisi si feudum testamento relictum fuerit *(c)*, aut in liberum matrimonium, aut puram eleemosynam concessum. Nam in his, etiamsi nulla de heredibus sit facta mentio, tamen in primo favor ultimæ voluntatis, in secundo matrimonii, in tertio favor Ecclesiæ, latiùs interpretari faciunt: nam plenissimè defunctorum voluntates, & aliæ causæ favorabiles sunt interpretandæ *(d)*. De hoc feudo simplici hoc tantùm annotandum, nempe feudum esse simplex quod ad aliquem & ejus heredes pertinet indistinctè: neque quis plus juris in feudo habere potest, quàm si is simplex feudum habeat.

26. *Talliatum* autem feudum, sive *limitatum*, subdividunt in *talliatum in genere*, & *talliatum in specie*. *Talliatum* autem *in genere* est, si feudum alicui & ejus heredibus ex corpore procreatis sit concessum; nam nulli alii heredes succedunt, nisi ex ejus corpore procreati; & his deficientibus feudum ad dominum redit. Sic feudum masculinum talliatum in genere dicitur, neque quis in eo succedit, nisi ex continua linea masculina descendat. *Talliatum in specie*, sive specialiter, dicitur, si feudum alicui & heredibus inter ipsum & Corneliam suam conjugem procreatis concedatur *(e)*. Nam licet ex aliis conjugibus liberos suscepерit, non tamen hi in feudum succedunt, quia feudum specialiter ad liberos ex Cornelia conjuge suscipiendos limitatum est. Sed si Mevio & ejus sanguini feudum concessum sit, simplex feudum est, & ad quoscunque heredes pertinet: si Mevio & ejus semini, talliatum dicitur feudum, & ad descendentes ex eo pertinet, & non ad collaterales.

27. Sciendum autem est, quod ante Parliamentum Westmonasterienſe, quod ab Edvardo I. habitum est, anno Domini , talliæ hæ non erant in usu *(f)*; sed semper proximus ex sanguine paterno succedebat. In iis comitiis singulis permissum est, feuda sua quibus vellent providere. Inde plurimæ talliatorum feudorum species & formæ natæ sunt, dum non minùs sibi & quibus vellent heredibus providere licere putaret unusquisque, quàm cui vellet alienare. Ab iis ad nos tallias defluxisse puto, neque ante ea tempora *talliæ* sive *talliati feudi* ullam mentionem reperi. De diversitate sive diversis speciebus talliarum, non est opus quòd immorer, cùm eæ ex tenore dispositionis legem capiant: semper enim inspiciendum quibus heredibus dominus providere voluit, idque perpetuò servandum est. Plura de talliato feudo in proprium de hoc titulum remittimus.

28. Inter

(a) § 24. (b) D. 10. § 7. (c) § 8. & D. 10. § 7. (d) D. 9. § 33. (e) D. 10. § 25. (f) Lib. 1. D. 16. § 4.

28. Inter feuda talliata feudum, quod per *francum maritagium* conceditur, annumeratur, nempe illud feudum quod ad heredes qui ex eo matrimonio deſcendunt, tantùm extenditur, & ad alios non tranſit. Qui autem in hoc feudo ſuccedunt, liberè, id eſt, ſine ullo ſervitio tenebunt in quartam generationem incluſivè: quinta autem generatio, & quæ eam ſequuntur, tenebunt de concedente, eodem modo, & per idem ſervitium, per quod ille de domino ſuo ſuperiore tenet. In hac generationum enumeratione, perſonæ capientium inveſtituram primam generationem efficiunt, eorum liberi ſecundam, & ita deinceps. Et in hoc, ut antea *(a)* monui, à jure feudorum communi in enumeratione graduum differunt. Hujus feudi hoc eſt peculiare, quòd licet heredum in carta non fiat mentio, tamen ad heredes ex eo matrimonio deſcendentes tranſeat; idque ob favorem matrimonii: cujus cauſa in omni jure ſemper fuit favorabilis, quod & in terris in eleemoſynam datis obſervatur, ut dixi *(b)*, & in feudis teſtamento relictis *(c)*.

29. Eſt & alius apud eos hereditarius tenens qui *poſſibilitate ſucceſſionis extinctâ* dicitur, & talis eſt: Si quis feudum talliatum in ſpecie habeat, veluti ſi cui & heredibus inter eum & Corneliam conjugem procreatis feudum conceſſum ſit, & alteruter nullis ſuſceptis liberis moriatur, poſſibilitas ejus ſucceſſionis extinguitur *(d)*: fieri enim non poteſt, ut ex eo matrimonio cujus altera pars occidit, heres aliquis producatur. Itaque præmoriente conjuge, vir dicitur tenens poſſibilitate ſucceſſionis extinctâ, & ejus feudum in nudum uſumfructum convertitur; & proinde neque alienare, neque ſervitutem imponere poteſt: alioqui is cui reverſio competit, id eſt, qui proximè ſucceſſurus eſt, revocandi poteſtatem habet: de pauperie tamen quam in prædio dedit non tenetur, ob prærogativam feudi prioris, id eſt, tempore conjugis conſtituti. In feudo generaliter talliato, veluti ſi feudum ſit alicui conceſſum & heredibus ex corpore ſuo procreatis, locum hoc non habet: nam quamdiu vivit, ſperari poſſunt de eo heredes. Generaliter obſervandum in omni tallia eſt, deficientibus heredibus in tallia contentis, feudum ad dominum redire, etiamſi de hoc nulla fiat mentio.

30. Eſt & alia redituum feudalium apud Anglos diviſio, ſed quam à Normannis aut Gallis in Britanniam venientibus mutuati ſunt: alius enim *reditus ſervitii* dicitur, alius *oneroſus*, alius *ficcus*. Reditus *ſervitii* dicitur is, qui domino feudi præter ſervitium debetur: veluti, ſi quis, præter ſervitium, annuum etiam reditum decem pondo librarum domino annuatim pendere debet; & ſemper cum proprietate feudi conjuncta eſt, dominuſque poteſtatem habet per ſe diſtringendi, ſi ceſſatum in ſolutione fuerit: neque præſtatio hæc à *warda* & *relevio* liberat. Reditus *oneroſus* eſt, quandocunque feudi proprietas à domino alienatur, ſervato ſibi annuo reditu, cum poteſtate pro eo diſtringendi ſi certum fuerit. Et in hac ſpecie annuus hic reditus à proprietate ſeparatur, & dicitur *reditus oneroſus*, quia prædium eo gravatur & oneratur, & poteſt cui reſervatur diſtringere. Quòd ſi reſervatus fuerit hic annuus reditus ſine auctoritate diſtringendi, dicitur *reditus ficcus*, quam qui habet diſtringere per ſe non poteſt, ſed judicio pro eo poſſeſſor conveniendus eſt.

Sunt apud eos pleræque ſubtilitates in his ſingulis ſpeciebus annuorum redituum, quas, quia ad uſum noſtrum nihil faciunt, lubens prætereo. Unum tamen apud eos obſervatu digniſſimum eſt, quod multarum fraudum & machinationum occaſiones tollat, & ad eorum exemplum ad nos ante quinquennium aut ſexennium manavit: nempe generali ſtatuto Henrici VIII. cautum eſt, ut nullus contractus, nulla feudalis conceſſio (extra burgales) apud illos valeat, niſi qui intra ſemeſtre ſpatium in publicis concilii apud Weſtmonaſterium libris inſertus & regiſtratus fuerit; aut in in libris illius Vicecomitatûs, ubi prædium alienatum, ſitum eſt, præſentibus Juſticiariis pacis, aut eorum uno cum illius loci Clerico.

Et hæc de diviſionibus feudorum, quæ apud Anglos in uſu ſunt, paucis perſtrinxi; ut noſtri aliquo modo intelligant, in quibus nobiſcum & cum jure communi feudorum conveniant: quæ qui legerit, pleraque noſtris moribus valde utilia inveniet.

(a) D. 4. § 13. (b) § 25. (c) D. 10. § 7. (d) Vide D. 10. § 25.

31. Miror tamen, cur inter tot divisiones, & divisionum membra, nulla apud Anglos sit *franci feudi* mentio, quale virtutis ergo apud nos solet plerisque concedi. In causa puto, quòd in omni militari feudo, servitium cum *warda, relevio,* & *heredis maritatione,* deberi volunt; ne Rex aut dominus superior suo commodo fraudetur, & nulla feudi utilitas ad dominum redeat. Certè tempore Edvardi, ultimi ex Saxonum linea Regis, nulla unquam de *franco feudo* aut *albafirma* mentio.

32. Tenendriam de *villenagio* omnino præterii, propter ejus apud nos insolentiam: nullus enim est apud nos ejus usus, & inauditum nomen, nisi quod nonnulla in libro *Regiæ Majestatis* de nativis & ad libertatem proclamantibus proponantur; quæ & ab Anglorum moribus sunt recepta, & nunquam in usum nostrum deducta. Nihil enim in hoc genere tenendriæ habent, præter jus vetus servorum, diversosque modos manumissionis. Sunt enim hi *Villani* nihil aliud, nisi adscriptitii fundi coloni, aut servi; de quibus etiam aliqua mentio est in jure Cod. ita ut potius fundi, quam domini servi existimentur, & sic quædam sunt quasi scintillæ servitutis apud Anglos adhuc latentes, quoad bona sive possessiones, quæ dominus pro arbitrio poterit vendicare; nullæ, quoad corpora servorum: cum Rex solus sit dominus vitæ & membrorum servi, seu Villani; nec minus puniatur qui Villanum etiam suum occiderit, quàm si alium subditum regni. Apud nos omnis servitus, etiam quoad bona extincta est; famulis, quos servientes dicimus, sua bona integra manent, & proximus ex sanguine in eis succedit: apud Anglos quæcunque bona *Villanus* acquisiverit, dominus sibi brevi manu vendicare potest. *Villanus* autem is est, qui vel in actis curiæ se professus est Villanum; vel ex Villano patre natus est: in quo à jure Civili differunt, ubi servus dicitur qui ex matre serva nascitur, & partus ventrem semper sequitur: in Anglia tamen aliud observatur. Vide plura in pag. in fine, & de manumissione. Reliqua quæ apud Anglos in feudis usurpantur suis quæque titulis, ut occasio occurrerit, prosequemur.

33. Et ne Gallorum mores in feudis omnino præteriisse videar, aliquid etiam de iis prætereundo subjiciam. Galli, & præcipuè Normanni, suas habent feudorum divisiones; quarum primaria quadripartita est, nempe in *feudum loricæ*, in *feudum* quod *jure parili* dicitur, in *burgagium* & *eleemosynarium*: quam divisionem à Normannis ad Anglos, ab Anglis ad nos perveniisse conjicio, nisi quòd nostri mores propiùs ad jus feudorum cominune accedant.

34. Est itaque feudum *loricæ* idem quod apud Anglos *scutagium*, apud nos *armigeri*, jure communi *militare* dicitur. Quid hoc, & quale sit, poterit quis ex iis quæ priùs diximus facile colligere, nempe quòd feudum *loricæ*, dicatur plenum & integrum feudum, in quo vassallus armatus domino inservire teneatur, loricatus, in equo, scuto & casside munitus, & gladiatus, sive gladio accinctus. Hoc genus feudi in partes dividitur, nempe in duas, tres, quatuor, quinque, sex, septem, & octo; quæ membra feudi loricæ dicuntur, ulterius non: neque enim in plures partes feudum hoc loricæ divisibile est; quarum unaquæque pars est feudum nobile; & in capite teneri dici potest, jurisdictionemque habet annexam pro suo membro, qualem ipsum feudum si integrum esset haberet. Quòd si in plures partes dividatur quàm octo, veluti si plures sint filiæ quàm octo, inter quas necessariò feudum dividatur, & unaquæque suam sortiatur partem, nulla pars suam retinebit jurisdictionem; neque amplius in capite teneri dicitur. Et hæc interpretatio clausulæ illius [*In capite teneri*:] quod nihil aliud est, nisi Comitatum, Baroniam, aut feudum aliquod nobile, veluti loricæ, sic de domino tenere, ut jurisdictionem & usum curiæ habeat. Inde fortasse deductum, quòd ex capite sententiam ferre possunt; aut quòd feudum nobile & capitale invicem se respiciant. Alii capitalia feuda, sive in capite tenere, nihil aliud esse volunt, quàm de primo domino feudum nobile tenere, quod nulli feudo loricæ subjacet. Hæc ideò, quia hujus clausulæ frequens est, & apud Gallos, nostros & Anglos mentio; & ejus interpretatio aliquando me anxium tenuit, dum ab ipso fonte eam inquirerem. Itaque, feudo loricæ in plures partes & membra quàm octo diviso, non solum omnia membra ignobilia fiunt, sed etiam cutia & jurisdictio in iis desinit, & ad dominum redit: ita tamen, ut si vel emptione

ne vel ſucceſſione, aut alio juſto titulo, partes hæ ſive membra rurſus uniantur, & feuda redintegrentur, nobilitas cum juriſdictione reſtituatur. Et hoc genus feudi tenetur per hominium, id eſt, fidem præſtandam domino, ſalvo ſupremi ſive primi domini hominio.

35. Secundum membrum diviſionis vocatur ex *jure parili*, ſive *Parage* Gallicè: quod meo judicio privilegium potiùs dici debeat *feudi loricati*, quàm ut ſeparatum per ſe membrum diviſionis efficiat. Nam hoc, ſive feudum, ſive privilegium, tantum inter filios & nepotes ejuſdem patris aut avi, in feudo loricæ diviſibili iis ſuccedentes, locum habet; cum juniores liberorum ſuam quiſque partem ſortiti, eam tamen non de priore domino, ſed de primogenito teneant, eundem pro domino agnoſcentes, etiam quoad ſervitia & præſtationes quæ priori domino debentur: neque enim per ſe, ſed per primogenitum, ei ſerviunt, & ſolvunt; dominuſque in ſuis præſtationibus & ſervitiis ſolum primogenitum pro vaſſallo agnoſcit, & hoc uſque ad ſextum gradum. In ſexto gradu juniorum liberorum heredes, primogeniti heredi fidelitatem jurabunt; in ſeptimo etiam homagium, & exinde de eo tanquam domino tenebunt. Ratio eſt, quia in eo gradu cognatio extinguitur. Simile huic eſt, quod ex Anglorum moribus antea recitavimus in feudo ob *liberum maritagium* dato: & ita gradus hic numerantur, ut antea de Anglis diximus. Quòd ſi feudum hoc à cognatione tranſeat, id eſt, ſi vel juniores liberi, vel eorum heredes intra ſextum gradum, feudum extraneo alienaverint, qui recipit feudum immediate hominium primogenito & ejus heredibus præſtabit, ceſſante ſciz. cognationis vinculo, quæ ſola cauſa erat prioris privilegii. Cæterùm hoc feudum, ſive privilegium, quod jure *parili* datur, in feudis nobilibus tantum locum habet.

36. Tertium membrum diviſionis eſt feudum *Burgagii*, quod antea à nobis ſatis dilucidè, ut opinor, explicatum eſt. Habet tamen hoc genus feudi apud Gallos multa peculiaria; nam ſuis moribus & conſuetudinibus reguntur, licet à jure communi diverſis: ſuperiorem non agnoſcunt niſi Principem, eumque tantùm quod ad juriſdictionem ſive protectionem, & in illis Rex proprium nihil habet, nihil quod ſuum vere dicere poſſit: neque in ſervitia tenentur; vectigalia tamen ex uſu pendunt; dimidium bonorum immobilium, quæ maritus ſtante matrimonio comparavit, eo mortuo vidua ejus accipit *(a)*; filiæ in æquas partes cum maſculis ſuccedunt. Galli has hereditates burgales *Allodia* vocant, quia de nullo alio tenentur in feudo: ab omni ſervitio & præſtatione ſunt immunes, vendique, hypothecari, aut quovis modo alienari, pro arbitrio nemine conſulto poſſunt.

37. Quartum membrum diviſionis eſt feudum quod in *liberam eleemoſynam* conceſſum eſt, de quo ſupra: & in hoc cum iis quæ diximus *(b)* Galli conveniunt. Hoc genus feudi apud eos concedere nemo poteſt niſi ſolus Princeps. Inferiores ſi concedant, conſenſus Principis accedat neceſſe eſt. Itaque duplex hoc feudum apud eos ſtatuitur: primum *ſimplex* & *purum*, quando Princeps, ſive dominus, nihil apud ſe terrenæ juriſdictionis, dignitatis aut utilitatis retinet; ſed omnia in *Eccleſiam* tranſeunt. Hujus generis ſunt loca in quibus Eccleſia ædificatur, cœmeteria, & quæcunque alia Eccleſiaſtica loca; quæ ab omni dominio & præſtatione ſunt immunia. Secundum etiam *ſimplex* dicitur, in quo tamen Princeps & alii domini juriſdictionem retinent, quemadmodum & apud nos fieri videmus, cum Epiſcopi, Abbates, & aliæ Eccleſiaſticæ perſonæ, in Regis & dominorum curiis ſectas & præſentiam debeant præſtare: terræque hæ juriſdictioni Regiæ ſubjacent, & *mortificatæ*, ſive ad manum mortuam conceſſæ, dicuntur. *Mortificatio* autem hæc, aut per chartam Regiam ſub magno ſigillo oſtendenda eſt, aut prior dominus feudi Eccleſiaſticam perſonam à feudo excludet, niſi poſſeſſor *hominem viventem & morientem*, in quo jura dominica ſervari poſſunt, monſtrare poſſit. *Homo* autem *vivens & moriens* dicitur, qui poteſt vivere & mori, ut aliquid utilitatis ex ejus vita & morte ad dominum feudi pertineat, ad differentiam Eccleſiæ, Conventûs, Capituli, quæ non moriuntur. Hæc autem feuda apud Gallos nonnullis in locis triginta, aliis quadragin-

(a) Ut § 19. dictum. (b) § 20.

ta annis præſcribuntur; licet præſcriptio in feudis rarò admittatur. Si inferior Principe feudum in eleemoſynam conceſſerit, ſuo domino non præjudicat, quin integra ei jura reſerventur. Notandum autem apud Gallos *Patronum*, Eccleſiæ patronatæ eſſe quaſi dominum, & intrantem debere ei fidelitatem præſtare, quod à noſtris moribus diverſum eſt.

38. Sunt & aliæ diviſiones feudorum apud Gallos: nam alia ſunt feuda *dignitatum*, veluti Ducatûs, Marchionatûs, Comitatûs, quæ à ſolo Principe conceduntur. Alia ſunt feuda quæ à Principe *ſine dignitate* dantur; qualia ſunt, quæ Barones, Vicecomites, Banneriti, Caſtellani, tenent; nam apud Gallos, tam à Rege conceduntur, quam à Ducibus, Marchionibus, & Comitibus. Alia ſunt feuda quæ de his Baronibus, Vicecomitibus, Banneritis & Caſtellanis tenentur: & hæc feuda habent dignitatem annexam, & Valvaſſini dicuntur. At feuda quæ de his poſtremis tenentur, omnino ſunt ignobilia, & poſſeſſores minimi Valvaſſini dicuntur.

39. Præcipua enim & primaria apud Gallos feudi diviſio eſt, in *Nobile*, & *Ignobile* ſive *plebeium*. Nobile autem feudum diverſas in diverſis Galliæ partibus recipit limitationes: nam in Britannia Armorica quicunque feudum nobile poſſidet, nobilis cenſetur; in reliqua Gallia non item: nam plebeius poteſt nobile feudum acquirere, nec tamen nobilis efficitur, niſi literas de nobilitate à Rege impetraverit, aut ſaltem literas diſpenſatorias, quæ vim priorum literarum habere cenſentur. Feudum tamen dignitatum, ut Ducatûs, Comitatûs, etiam ſine literis nobilitat. Ex his quid apud Gallos ſit feudum *nobile*, quid *ignobile*, ſatis ſciri poteſt: cujus effectus maximus eſt, quòd ignobilia exactionibus & tributis ſubjacent, nobilia non item. Sed horum nobilium feudorum vaſſalli per tres menſes ſuis ſumptibus ſervire intra patriam debent; ſed extra patriam non niſi ſumptibus domini *(a)*: pugnare enim hi pro domino tenentur, & prædia ſua tanquam pro ſtipendio habent; itaque ſtipendia prædialia cenſentur.

In omnibus Galliæ partibus, feuda ad formam bonorum patrimonialium immobilium rediguntur, eodemque modo alienantur, etiam ſine conſenſu domini ſuperioris: in reliquis, non minus dura eſt vaſſallorum conditio apud Gallos, quàm ullas alias gentes, ubi jus Feudale eſt in uſu, adeò ut in vulgare proverbium abierit, *Dominus butyræus* (id eſt ex butyro) *vaſſallum chalybeum devorabit.* Habent & illi ſuam diviſionem feudalium redituum, in qua cum Anglis penè conveniunt, ut veriſimile ſit eam diviſionem à Gallis ſive Normannis in Britanniam penetraſſe, ut dixi. Supereſt ut de his qui feudum dare poſſunt aliquid dicamus.

Diegeſis duodecima.

Qui feudum dare poſſunt, & primo de Laicis.

SUMMARIA.

1. *Quod omnia imperia & regna ſunt feuda de ſummo Deo tenta.*
2. *Qui feudum concedere poſſunt.*
3. *Generalis regula de iis qui feudum dare poſſunt.*
4. Imperator *unde? & Imperatorum inſignia.*
5. Reges *unde, & eorum inſignia?*
6. *Regna aliquot in orbe Chriſtiano quæ ſuperiorem agnoſcunt.*
7. *Quiſque ſuperiorem non agnoſcens, recte feudare poteſt: & hæc feuda nunc* Regalia, *nunc* Ligia *dicuntur. Feudi Ligii vaſſallus invito domino feudum refutare non poteſt.*
8. *Unde* Principis *nomen.*
9. *Unde* Seneſcalli *nomen & dignitas, quæ inclytiſſimæ Stuartorum familiæ initium dedit.*
10. *Unde*

(a) 2 F. 107.

10. *Unde* Duces.
11. *Unde* Marchiones.
12. *Unde* Comites, *qui ex varietate administrationum, varia sibi assumebant nomina.*
13. Marescalli *Comes quis, & unde. Hanc dignitatem hodie apud nos obtinet clarissima Kethorum familia. Duces, Marchiones & Comites, qui antea erant temporarii, facti sunt perpetui.*
14. Vicecomitis *nomen ab ipsis Comitibus. Abusus jurisdictionum hereditariarum occasionem dedit Vicecomitibus. Jurisdictio non conceditur privativè, quin remaneat tam juris dicendi quàm delegandi potestas, in quibus etiam jurisdictio ut plurimùm facta est hereditaria. Vicecomites nos Sheriffs dicimus & unde. Vicecomitis officium quod.*
15. Baronis *nomen unde: & dupliciter sumitur, ut vel comprehendat Duces, Marchiones, &c. vel ut sit Comite inferius.*
16. *Baro apud nos est qui gladii potestatem habet; quod furcæ & fossæ nomine significatur: jus etiam habet nundinarum, & turris fastigiatæ, & est qui de Rege in capite tenet. Ejus nomen apud nos antiquissimum, qui olim* Thani, *& Baroniæ* Thaindomes *dicebantur.*
17. *Baronibus proximi sunt Banneriti, quæ est dignitas Barone inferior.*
18. *Unde nomen* Lords, *qui Barones tantum erant, & Baronum Commissarii.*
19. *Qui feuda concedere possunt: ubi de capitaneis regni, vassallis, valvassoribus, atque valvassinis.*
20. *Feuda valvassinorum antiquitùs jure feudi non censebantur, quia à domino revocari poterant: quod postea correctum est.*
21. *De feudo ligio, & nonligio, & eorum differentia a se invicem. Unde forisfacturæ oriantur. In feudo ligio fidelitas præstatur domino, nullâ personâ exceptâ; Rex est dominus antiquissimus. Qui feudum cum dignitate & jurisdictione habet, jus etiam curiæ tenendæ habet.*
22. *Feuda quædam ligia sunt, quæ dignitatem annexam non habent; ut Mansus. Quid Mansus sit & quotuplex.*
23. *De feudo nobili & ignobili. Quid utrumque sit. Hic non agitur de nobilitate sanguinis, sed quæ à Rege omnis nobilitatis fonte confertur: hinc Hayus ille, qui labantem nostrorum aciem restituit, censetur nobilis ex voluntate Principis. Quomodo apud Gallos nobilitas concedatur. Ea aliquando præscriptione acquiritur.*
24. *De spuriis nobilium, qui nobiles censentur certâ lege & conditione. Matris nobilitas non continuatur.*
25. *Quomodo amittatur nobilitas: & qui sint ignobiles? Mercatura nobilitati adversatur.*
26. *An Rex filium in Regem adoptare possit? Cum jurisdictio sit indivisibilis, Rex regnum dimittere potest, sed alium sibi socium in regimine asciscere non potest; nec Dux Ducem constituit, nec quis gladii potestatem quam à Principe habet alii delegare potest, nisi simul substituendi potestatem acceperit. Feuda sunt individua. Apud Germanos nomen ipsum dignitatis est inter omnes filios defuncti dividuum.*
27. *Regula generalis perpetuò memoriâ tenenda.*
28. *Qui liberam rei suæ administrationem non habent, ut alienare non possunt, ita nec in feudum dare. Prodigus quis. De Prælato dilapidatore. Quo ordine apud Gallos de prodigis agatur? nec interdictio hæc prodigorum tollitur absque sententia judicis. Curator furiosi, & is qui prodigo datur inter se differunt: sed hæc interdictio apud nos insolens est.*
29. *Ex vitio mentis, sunt vel verè furiosi & dementes, vel prodigi tantum; & utrisque opus est sententiâ declaratoriâ. Apud nos ex Cancellaria Regia Breve impetratur, quo judex ordinarius jubetur in mores & naturam talis inquirere, & à quo tempore delirium cœperit; & talibus furiosis, aut prodigis per sententiam ita declaratis proximus cognatus curator datur.*
30. *Minor absque curatore rectè dat feudum, nisi judicis sententiâ declaretur læsus; secus quam cum curatore, cujus actus est invalidus; & ratio quare. Minor absque curatore potest renovare antiquum feudum. An in alienatione prædii minoris judicis sententia sit necessaria, acerrimè controversum.*
31. *Obærati debitores alienare aut feudare prohibentur à judice per literas inhibitionis. Earum literarum stylus, & effectus in jure; & quæ contra actionem rescissoriam ex capite inhibitionis objiciuntur? Qui alienationem recepit, de evictione agere potest. Apud Anglos omnis alienatio in*

fraudem creditorum facta est nulla.

32. *De interdictione, & differentiis inter eum cui bonis interdictum est, & inhibitum.*

33. *Procurator cum libera potestate in feudum dare non potest, nisi sit ei specialiter datum; ubi de administratoribus Ecclesiæ, & minoribus cum consensu curatorum feuda constituentibus, ex causa necessitatis, aut vetera renovantibus.*

34. *De Muto & Surdo, an in feuda dare possint.*

35. *Cum vassalli feuda expressè in jure prohibeantur alienare, quî fit ut eos feuda dare præsumamus.*

36. *Vassallus in lecto ægritudinis, nec de feudo disponere potest, nec quidquam facere quo heredi præjudicet, nisi consensu heredis, aut ex necessitate, aut si creditoribus gravetur. Uxori tamen usumfructum constituere potest.*

37. *Lecto ægritudinis similis est sententiam passus: à commisso crimine læsæ Majestatis omnes concessiones in feudum factæ cadunt; licet ei solutio rectè fieri potest.*

38. *Lectus ægritudinis censetur etiam si cujas domum aut familiam pestis invasit. Si sit vulneratus, vel se secandum præbuerit ex calculo, vel ulcere hepatico: idem de eo qui se duello subjecit, & multis aliis casibus quibus vita aut libertas periclitatur. Apud Anglos qui investitus non est, alium investire non potest: secus apud nos, ubi subsequens investitura priorem confirmat. Donatione inter virum & uxorem feudum non rectè constituitur.*

39. *Feudum dare possunt omnes qui non prohibentur.*

1. BENEFICIORUM omnium, quæ hodie *feuda* dicimus, Deus ille Opt. Max. solus auctor & largitor est, à quo non solùm inferiora hæc omnia feuda, sive sint Regalia, sive dignitatum, officiorum, patrimoniorum, aut privatorum prædiorum pendent, sed etiam hæc ipsa imperia & regna latè patentissima proficiscuntur, & de eo tanquam domino superiore verè in feudo tenentur *(a)*. Nam, ut ait Psalmista *(b)*, *Cœli cœlorum domino, terram autem* (id est, feuda terrestria) *filiis hominum*, & eorum heredibus perpetuò (dummodo in officio feudali, id est, fidelitate, permanserint) *utenda & fruenda dedit*. Imò, si rem omnem eâ qua decet Christianos reverentiâ, eâque mentis integritate & acumine, id est, nudè & simpliciter, expendere velimus, hæc imperia & regna gravissima pura & recta feuda sunt, & cum definitione feudi quam præmisimus aptissimè conveniunt *(c)*. Nam Deum illum ineffabilem, omnium regnorum dominum superiorem nemo sanus negabit; & ab eo ex sola ejus munificentia & liberalitate hominibus concedi, nullo hominum merito, sine aliquo pretio, sordibus, aut nundinatione interveniente. Quod & Reges omnes in sua literarum epigraphe testantur: *N. Dei gratiâ Rex:* per Dei gratiam, ejus munificentiam gratuitam, tam in regni sui inauguratione, quàm possessione retinendâ, sine suo merito fideliter agnoscentes; juxta illud *(d)*, *Per me reges regnant*. Itaque omnia imperia, omnia regna, rectè feuda dicemus, à Domino illo summo, potentissimo, & omnium regnorum superiore constituta: neque enim alia onera imponit, nisi ut justitiam in domini populo nudè & purè administrent; neque aliud tributum exigit, quàm fidem seu fidelitatem; neque alia servitia, nisi pura & honesta: denique verè militaria; nempe, ut sub signis Filii sui unigeniti, contra humani generis hostes dimicemus; ut armis spiritualibus instructi, ad expeditionem semper parati simus, cùm Dominus denunciaverit; etiam sine denunciatione, quoties de ejus gloria agetur. Neque hi Principes, licet absolutam illam & vinculis & legibus liberam potestatem sibi arrogent, feudo suo abuti, id est, subditos suos vexare, aut, nisi salutis publicæ causâ, plus æquo gravare debent aut possunt, neque feudi conditionem facere deteriorem: denique arctiori sacramenti formulâ initio regni se Deo astringunt, quàm ullus privatus vassallus suo domino, ut manifestè ex collatione juramenti feudalis, cum eo quod Rex sceptrum accepturus præstat, constabit *(e)*. Sola hujus feudi acquirendi causa est fides seu fidelitas; sola amittendi, infidelitas, & in Dominum ingratitudo; quæ protoplastum

(a) D. 14. § 8. (b) Psal. cxv. 16. (c) D. 9. § 5. (d) Prov. viii. 15. (e) Vid. D. 7. § 15. in fin.

ſtum ex illo terreſtri feudo primùm ejecit, & nos, niſi reſipiſcamus, à cœleſti ſeparabit. Neque mirari debemus, ſi aliquando ſeditiones & rebelliones ſubditorum exardeſcere videamus, ſed in earum veras cauſas inquirere, quæ nullæ aliæ ſunt, niſi domini, in ſuos infideles & ingratos vaſſallos excandeſcentis, & pro merito punientis, verbera; cui non ſolum populus omnis, ſed, ut recte Claudianus,

——— Cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti:

Non enim ſolum æther, ſed terra, pontus, aër, & quæcunque in iis ſunt aut continentur, etiam vermes, in domini ſui vindictam ſe armant, ſententiamque ejus, vaſſallos punientis, ob ingratitudinem exſequuntur. Hinc fit ut tot regnorum ſint mutationes: nam propter injuſtitiam Dominus minatur de gente in gentem ſe regna tranſlaturum: quod, præter alia in Belgio & Gallia fieri videmus. Quare monitos omnes Principes velim, ut ſua beneficia feudalia, id eſt, ſua regna, ex animo à ſupremi illius Principis ſola liberalitate conceſſa agnoſcant, cauſamque tam excelſi beneficii apud ſe noctes & dies verſare dignentur; cumque eis etiam omnes inferiores Duces, Marchiones, Comites, vaſſos, valvaſſores, & valvaſſinos, cujuſcunque gradûs, majores, medios, & minimos, ut meminerint quoties ad obſequium Regum aut dominorum fideles ſe præbent, aut jurant, ſemper primi illius domini perſona excipiatur, ut in feudis fieri ſolet, & debet: ut nihil quod eum offenderit faciant, immediato domino quantumvis urgente & inſtante, niſi & hi à ſuis etiam feudis per occultas & arcanas cauſas cadere etiam expectent.

2. Sed ut ad feuda quæ ab hominibus conceduntur veniamus; in textu numerantur qui feudum dare poſſunt, *Archiepiſcopus, Epiſcopus, Abbas, Abbatiſſa, Præpoſitus, ſi antiquitùs eorum fuerat conſuetudo feuda dare; item Marchio, Comes, & qui Regis vel regni* propriè *Capitanei* dicuntur *(a)*. Præteriti ſunt in hac enumeratione multi. Nam in ſuperiori gradu, Imperatores, Reges, Pontifices Max. *(b)*, & alii qui ſuperiorem non agnoſcunt: in inferiori, minores vaſſalli prætermiſſi, fortè quòd antiquo jure feudorum (ſi feuda conceſſiſſent) revocandi jus & poteſtas eſſet *(c)*; ſed neque in omnibus locis, neque in quacunque cauſa, ut ex ipſo textu patet. Ex quo facile eſt cuivis colligere hos libros ex adverſariis Gerardi & Oberti collectos, & non dedito ſtudio ab iis conſcriptos.

3. Sed ut res tota pleniùs intelligatur, hæc generalis regula à nobis ſit propoſita, in hac feudorum diſputatione: quicunque rem aliquam immobilem, ſive in allodio, ſive in feudo habet, eam rectè in feudum dare poteſt, dummodo rei ſuæ liberam adminiſtrationem habeat *(d)*. Itaque Imperator, Rex, Pontifex Max. Duces, Marchiones, Comites, Barones, imò & ruſtici, ſi modò ſint alicujus feudi jure dominii poſſeſſores; ſic & Eccleſiaſticæ perſonæ, quales ſunt Epiſcopi, Abbates, Abbatiſſæ, & ſi qui ſint alii Eccleſiis præpoſiti, ſervatis ſolennibus à jure præſtitutis, feuda dare poſſunt. De his ſingulis jam dicendum eſt, & quid hæc nomina à prima inſtitutione ſignificent, quòque jam decurſu temporis pervenerint; & primó de Laicis & feudis ab iis conceſſis.

4. *Imperatoris* nomen militare eſt, & in exercitibus primo uſurpatum, cum is quem Pop. Rom. ducem exercitui feciſſet, prælio commiſſo victoriam obtinuiſſet, militari acclamatione ab exercitu *Imperator* ſalutabatur. Itaque Pub. Scipio, Quint. Pompeius, Curio, Cicero, & plerique alii inferioris ſtatus Imperatores dicebantur; pluresque uno tempore Imperatores erant, pro numero exercituum. Mutato pòſt reip. ſtatu, cum rerum ſummam ad ſe Oct. Cæſar traxiſſet, Dictatoriſque nomen poſt C. Cæſaris cædem eſſet ſuppreſſum, Pop. Rom. omne imperium in Octavium tranſtulit, Dictatoriſque poteſtas nomine Imperatoris incluſa eſt, nomenque

(a) 1 F. 1. 2 F. 35. (b) Imperatorum, aut Pontificis nulla mentio, quia de illo nullum dubium; de hoc, niſi appellatione Epiſcopi comprehendatur, ut C. In tantum. Diſtinct. 21. quod eo ævo non audebat tantam poteſtatem ſibi arrogare: vid. D. 13. §5. (c) 1 F. 1. § 1. vid. § 20. (d) 2 F. 3. pr. verſ. novi & § 1.

menque illud Imperatoris, quod antea ſequi ſolebat proprium nomen, jam & præponebatur, & ab eo tempore Imperator *Dictator perpetuus* (cujus nomen erat odioſum) eâdem poteſtate conſtitutus eſt. Hinc magnitudo Imperatoris, ſeu Cæſareæ dignitatis, ut omnium rerum quæ ſub imperio erant jus & tutela ad eum pertineret: & ut auguſtius nomen illud eſſet, Cæſares *Imperatores* dici volebant: Regiam autem poteſtatem & nomen faſtidierunt; nam Regibus tanquam beneficiariis Cæſares pro arbitrio regna dabant, & transferebant, donec devictæ nationes ſe armis ab Imperiali hac poteſtate tandem liberarunt, Regeſque ſuos ſibi præfecerunt. Imperatorum autem inſignia erant ſella eburnea, laurea corona, ſceptrum ſive haſta, veſtis purpurea, & ignis prælatio, ut notat Tacitus: tempore Caroli Mag. & ſucceſſorum, chlamys purpurea, corona, ſceptrum ſive haſta, gladius, globus in terræ effigiem compactus, & ſuper eum crux, quæ adhuc in Imperio retinentur.

5. Sed *Regium* nomen longè antiquius, & fortaſſe celſius, quàm Imperatoris erat, ſi tres primas Monarchias conſideremus. Sed quando *Reges* primo cœperint, quibus modis & legibus populus ſibi eos præfecerit, exſequi, unius voluminis eſſet opus; & in prima Diegeſi attigi *(a)*. Unum tantummodo nunc propono, nomen illud *Regis* à *recto* & *regendo* deductum, neque abſolutæ aut dictatoriæ poteſtatis nomen eſſe, ſed meritorum aut virtutis causâ. *Regum* antiqua inſignia erant diadema, ſive alba faſcia, quâ caput ejus circumligabatur. Hinc ſcomma illud in Pompeium, cum faſciam albam circa crus haberet, nihil intereſſe qua parte corporis diadema gereret, immodicas ejus opes & quaſi Regiam poteſtatem ei exprobrando. Pop. Rom. iis quos Reges appellabant, coronam, auream pateram, ſellam eburneam, ſcipionem eburneum, togam pictam, & palmatam tunicam mittere ſolebant. Manſerunt in uſu apud pleraſque gentes corona & ſcipio. Scipio autem nihil aliud erat, niſi baculus, haſta aut ſceptrum ære artificis curâ incluſum, quale erat illud Latini Regis apud Virg.

Ut ſceptrum loc (dextra ſceptrum nam forte gerebat)
Nunquam fronde levi fundet virgulta, nec umbras:
Cum ſemel in ſylvis imò de ſtirpe reciſum
Matre caret, poſuitque comas & brachia ferro;
Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro
Incluſit, patribuſque dedit geſtare Latinis.

Apud alias gentes nudus gladius adhibebatur, quo vitæ & necis poteſtatem tradi vult Tacitus de Vitellio ſcribens. Corona, ſceptrum, gladius, cum unctione Pontificiâ apud nos adhuc retinentur. In uſu noſtro ſub Regis nomine quilibet comprehenditur, qui ſuperiorem non agnoſcit, unde vulgatum illud, *Quilibet Rex in ſuo regno Imperator eſt.*

6. Quæret hîc curioſus aliquis, quæ ſunt ea regna in orbe Chriſtiano quæ ſuperiorem agnoſcunt? Iis ut aliqua in parte ſatisfaciam; Neapolitanus, & Siculus Reges, ſuperiorem Pontificem Roman. agnoſcunt, & regna ab eo in feudo habent. Sic & aliquando Anglorum regnum, ex facto Joannis, qui à monacho intoxicatus eſt, in clientelam ſe Pontificis Rom. etiam in temporalibus dedit. Quod ſi Alberto Argentinenſi credimus, Anglorum Rex, quaſi feudatarius imperii, Imperatorem tanquam dominum ſalutavit, & agnovit. Bohemus adhuc ſuperiorem agnoſcit Cæſarem. Sic & Danorum Reges; ut apud Othonem legitur in epiſtola Imperatoris Friderici, cujus hæc ſunt verba, *Petrus Danorum Rex hominio & fidelitate nobis factâ coronam regni de manu noſtra recepit.* Sic & Arragonenſe ſive Tarraconenſe & Luſitanorum regnum; imò & Caſtilienſe, & hodie Granatæ regnum, & ſi quæ alia ſunt in Hiſpania regna. Sic Corſicæ & Sardiniæ regna, denique & Indiæ orientalis & occidentalis dominum Pont. Max. agnoſcunt; imò, ſi Pontificiis credamus, & ipſe Imperator de eo tenet, hominiumque ei debet: unde vulgares hi duo verſus,

Rex

(a) § 4.

Rex ſtetit ante fores, jurat prius Urbis honores :
Mox homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

Plura de hac materia qui cupit legat Bodinum in ſua repub. *(a)*.

7. Sed, ut unde digreſſi ſumus revertamur, quivis, ſive Imperiali ſive Regali poteſtate muniti, ſive ſuperiorem non agnoſcentes, feuda recte dare poſſunt: & feuda hæc nunc *regalia*, nunc *ligia* dicuntur: *Regalia*, quia à Rege tantum cum dignitate tenentur; *Ligia* verò, quia accipiens fit ligius concedenti, debetque ei hominium. Sic literas, quæ à Rege mittuntur ad omnes ſuos *ligios*, nemo eſt qui neſciat; & hic feudi ligii eſt effectus, ut invito domino vaſſallus feudum refutare non poſſit, (neque enim ferendum eſt ut quis ligiam obedientiam cum velit excutiat) juriſdictionique domini ejus bona omnia ſubjiciuntur. Nam homo ſive vaſſallus non ligius, tantum ratione feudi accepti domino ſubjicitur: nec ejus dicitur ſubditus, licet ſub eo habitet; & cum voluerit poteſt feudum refutare: inde fit, ut nemo duorum uno tempore poſſit eſſe homo ligius *(b)*.

8. *Principis* nomen ſoli Regi aut Imperatori apud nos convenit, (Sic Martialis,

Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos.
Et Ovid. *Nec tamen officium noſtro tibi carmine factum,*
Principe tam juſto poſſe nocere puto.)

niſi filium ſucceſſurum habuerit; nam tum hoc nomen filio ejus primogenito competit. Scio aliquando abuſivè, reliquis liberis, & regni tutori, aut aliis ex ſanguine attribui. Proprie tamen ad ſucceſſorem regni pertinet; vox enim hæc ab initio nihil niſi *primum* ſignificabat, ut nemini in Latina lingua paululum progreſſo ignotum eſſe poteſt. In Romana militia *Principes* dicebantur ſecundæ aciei milites, qui medii inter manipulos haſtatorum & triarios erant, qui pulſis manipulis pugnam in ſe recipiebant. *Principes juventutis* dicebantur, qui in imperio ſucceſſuri erant; ſic enim Auguſti, qui rerum potiebantur, ſuos ſucceſſores, ſive liberos, ſive adoptivos, deſignabant; unde forte & nomen ad nos & alia regna defluxit.

9. *Seneſcalli* nomen Germanicum eſt, de quo Hottomannus in Francogallia; & *Gubernatorem* dici vult, qui convocandi regni ordines, & omnia vice Principis gerendi habet poteſtatem: & hæc dignitas, cum nudum tantum fuiſſet ab initio officium, familiæ inclytiſſimæ Steuartorum dedit initium; & ita in ea continuatum, ut ea dignitas propria jam Principi attribuatur, & in eo permaneat. Separatum adhuc id officium in Anglia eſt.

10. *Duces* autem & *Comites*, ſi quis vetuſtiores ſcriptores conſuluerit, & Ducatus & Comitatus, munerum tantum & adminiſtrationum nomina, & non patrimonii, evidenter agnoſcet, & pro arbitrio Principis revocationi obnoxia. *Duces* autem ab antiquis tantum dicebantur ductores exercitus: poſtea etiam regionibus præficiebantur, temporumque progreſſu factum eſt, ut eas terras, quas tenendas & ſervandas ſuſceperant, nomine feudi etiam acciperent *(c)*.

11. Quod ad *Marchionis* nomen attinet, recentius eſt & obſcurius; certum tamen eſt nomen illud deductum à cuſtodiendis limitibus *(d)*. Nam cum Romanorum Imperatores fines ſive limites aliquos imperii ſtatuiſſent, apud eos præcipuè habebant præſidia, quibus fines ſeu limites tuebantur; unde & fundi limitanei, limitrophi, & limitum præpoſiti, qui limitibus his *(e)* præeſſent. Ex his ſi quis rem recte geſſiſſet, Imperatores ei partem aliquam ejus provinciæ gubernandam, mox etiam in feudum dabant. Nam apud Germanos, & hodie apud nos, limites Marches adhuc dicuntur. Cum hic honos proximus Ducatui eſſet factus, & dum honori potiùs poſteritas inhiaret, quàm rei ipſi: evenit tandem ut etiam *Marchiones* dicerentur, qui mediterraneas regiones poſſiderent.

(a) Lib. 1. C 9 (b) Niſi id ſucceſſione contingat, ut 2 F. 100. (c) 2 F. 10. (d) 2 F. 10. (e) L. 8. C. de diverſ. Offic. & Apparit.

12. Comites autem in Imperialibus conſtitutionibus adminiſtratores dicebantur, & ex varietate adminiſtrationum varia ſibi nomina aſſumebant. Nam alius dicebatur Comes rerum privatarum *(a)*: alii Principis domorum Comites erant: alii largitionum privatarum, ſive ſacrarum: alii Comites ſacri palatii: alii militum: alii ſacræ veſtis: alii ſtabuli ſacri (unde nomen Conſtabularii, nam Conſtabularius nihil aliud eſt niſi præfectus equitum:) & multi alii Comites in jure dicebantur, ſed nemo qui non erat ex Imperatoris aula. De his ſingulis exempla habemus in Codice Juſtinianeo, ſaltem in Theodoſiano, & ſemper pro adminiſtratore alicujus rei Imperatoriæ ſumebantur, non tantùm in his quæ ad militiam ſpectarent, ſed etiam juris dicendi causâ: ſic in libris feudorum *Comitis* nomen pro judice ordinario ſumitur *(b)*. Hujus dignitatis nomen, ſi antiquitatem perſcrutari velimus, à moribus Germanorum fluxiſſe videtur. Nam cùm Cornelius Tacitus in illo libello quem de moribus Germanorum reliquit, unicuique Duci exercituum duodecim Comites aſſignari ſolitos ſcribit, qui ejus lateri adhærerent, & ejus conſiliis præeſſent: inde Comes provinciæ ejus dicebatur, & territorium cui præerat Comitatus *(c)*. Nam in appendice Aymonii de Carolo Mag. hæc habentur: *Ordinavit per totam Aquitaniam Comites, Abbateſque, iiſque commiſit curam regni, prout utile judicavit: & primò Bituricæ civitati Humbertum, paulò poſt Sturminium præfecit Comitem:* & ſic deinceps, cuique regiones ſuos Comites, ejuſque temporibus ſub unoquoque Ducatu duodecim erant Comites. Ex quo loco, & eo quem ſuprà ex Tacito adduximus, imperiti colligunt duodecim Comitatus debere eſſe ſub unoquoque Ducatu. Hugo tamen Capetus, ut notat Conanus *(d)*, cùm deturbatâ Caroli Mag. ſucceſſione nullo jure regnum Franciæ occupâſſet, ut procerum animos ſibi conciliaret, temporarias dignitates fecit perpetuas, & ut ad heredes tranſirent, dum tamen ipſi milites eſſent. Patet ergo ex his Comitis nomen fuiſſe nomen juriſdictionis; ſed poſtea, creſcente hominum importunitate, aut Principis neceſſitate ad id cogente, factum eſt ut ſuas præfecturas in feudum acciperent.

13. Inter alios Comites, *Mareſcalli* Comes etiam numeratur, quem Hottomannus & plerique Feudiſtarum cum *Comite ſtabuli* confundunt, quod March antiqua Germanorum lingua equum ſignificet, & Mareſcallum magiſtrum militiæ ſignificare volunt. Alii cum Marchione confundunt, quaſi Marchiarum Comes. Neutrum mihi placet: puto *Mareſcallum* inde dictum, quod antiquitùs magna pars probationum feudalium, in *duellis* conſiſteret. Horum judex & cognitor *Mareſcallus* pugnaturos audiebat; eorum jura & allegationes ſcripto apud ſe recipiebat, campum inſtruebat, ſacramenta partium accipiebat, contendentes ut æquis conditionibus concurrerent, providebat, quod Mariſchaller adhuc dicimus; victi arma, equus, omnia inſtrumenta ad eum pertinebant. Sunt qui *Comitem ſtabuli* in eo officio cum *Mareſcallo* conjungunt, ſed nulla ratione innixi. Hanc dignitatem hodie apud nos clariſſima Kethorum familia obtinet, multiſque retroactis ſeculis obtinuit. Sic Duces, Marchiones, & Comites, qui antea erant temporarii, beneficio tandem Principis facti ſunt perpetui; quemadmodum & feuda *Guardiæ* & *Caſtaldiæ*, quæ tempore Gerardi & Oberti annalia tantum erant, jam & ipſa facta ſunt perpetua.

14. Ab ipſis *Comitibus* nomen *Vicecomitis* defluxit. Nam cùm Comites poſt acceptas ſuas præfecturas jure hereditario, quidlibet ſibi in ſuos licere putarent, gravique ſervitute & oneribus premerent; Reges clamoribus inferiorum excitati, ſuas juriſdictiones ſibi rurſus vendicârunt, reſervatis provinciarum feudis ipſis Comitibus: neque id ſine cauſa, quia juriſdictiones in feudum concedi privativè non poſſunt, quin ſemper remaneat apud concedentem, tam juris dicendi quàm delegandi poteſtas, ut ex inferioribus patebit. Et ſic Reges juriſdictionem aſſumpſerunt, alioſque ſibi ſubdelegabant. Inde præfecti juri dicendo, *Vicecomites*, & Præfecturæ, *Vicecomitatus* dicebantur: ſed in his etiam, ut plurimum, juriſdictio eſt facta hereditaria, magno cum reip. malo. Vicecomites nos Schireffs dicimus; at unde hæc vox deducta ſit, obſcurum pleriſque eſt: ſed ſi conjecturis locus ſit, puto deductum à Germanica

(a) L. 3. C. de bonis vacantibus. (b) 2 F. 27. § 2. (c) 2 F. 10. (d) Lib. 2. cap. 9.

ca voce Grave, unde Markgrave, Landgrave, Burgrave: Grave enim Germanicè ſignicat *Comitem* aut *Judicem*. Hanc vocem Britanni productiùs efferunt, pro Grave Girave, quaſi cum *Scheva* Hebraico pronunciantes, unde Giraf, ſive Shiraf: nam quod nos per digamma Æolicum efferimus, illi per *V* conſonantem. Sic quos nos *Flandros* dicimus, illi *Vlandros* vocant. Sic veteres *Dafus*, *ſerfus*, pro *Davus* & *ſervus* uſurpabant; neque enim voces ubilibet eodem modo proferuntur. Itaque radix hujus vocis Germanica eſt, licet nos aliter efferamus. *Vicecomitis* nomen Baro vult eſſe Comite inferius, Baroni æquale. Sed qui exactiùs hujus nominis ſignificationem perſcrutati ſunt, *Vicecomitem* eſſe aiunt exactorem redituum ſeu denariorum Regiorum, cujus exempla ſunt hodie manifeſtiſſima. Nam ſi quid Regi ex retornatibus ſeu caſtaldiis debetur, aut ſi quæ ſint exactiones impoſitæ, Vicecomes omnes eos denarios inferre tenetur, quod nos *reſpondere* pro iis dicimus. Et hæc de Judicibus, Marchionibus & Comitibus, qui regni Capitanei in textu *(a)* dicuntur. In hoc notandum regnum hîc cum imperio confundi, ut iidem ſint Capitanei imperii qui regni, & Imperator nihil aliud quàm Rex in ſuo regno, ut antea *(b)* monui. Supereſt ut de Baronibus etiam aliqua dicamus.

15. *Baronis* nomen ne ſemel quidem in toto feudorum textu reperitur, cùm tamen nomine Baronum & Baroniæ nihil ſit apud nos frequentius. Qui vel à Latino vel à Græco fonte hoc deducunt, nihil faciunt: nam licet nomen *Baronis* apud Ciceronem reperiatur, tamen non in hac ſignificatione; apud Ciceronem enim nihil ſignificat niſi *ſtupidum* aut *ſtolidum* ſive *fatuum*: in qua etiam ſignificatione *Varo* apud Perſium *(c)* ſumitur. Nam hæ literæ, *b* & *v*, ut literæ ejuſdem organi, ſæpe inter ſe commutantur: ſic *Fabius* & *Libius*, & *Favius* & *Livius*; & in Florentina editione Pandectarum nihil frequentius quàm harum literarum, *b* & *v*, commutationes. At qui a Græco fonte deducunt, nempe à βαρὺς, quod *gravem* ſignificat, non minùs peccant: nam licet βαρὺς *gravem* ſignificet, nunquam tamen in bonam partem capitur, ſed pro *gravi*, id eſt, oneroſo & moleſto. Itaque veriſimile eſt vocem hanc Germanicam, ſive Gothicam eſſe, & cum feudis primùm irrepſiſſe *(d)*. Sanè qui res Longobardicas ſcribunt, aut Caroli Mag. ſequentiumque Imperatorum res geſtas, primi Baronum mentionem faciunt, & id quidem frequentiſſimè, cùm viros nobiles, & alios qui dignitate antecellunt, ſignificare volunt. Et ſanè in hac ſignificatione *Baronis* nomen prius eſt, quàm vel *Ducis*, *Marchionis*, vel *Comitis*: imò Duces, Marchiones & Comites ſub illo nomine comprehenduntur, obtinuitque ut omnes ab initio *Barones* dicerentur, ſicut apud nos hodie dicuntur; ſed vileſcente ob multitudinem *Baronis* nomine, cœperunt hæc nomina dignitatum ambiri, ut *Dux*, *Marchio*, *Comes*, ut aliquid ſupra *Baronem* eſſent. Ex quibus liquet *Baronis* nomen à pleriſque dupliciter ſumi; uno modo, ut *Duces*, *Marchiones* & *Comites* comprehendat; alio, ut ſit *Comite* inferius.

16. More noſtro *Baro* dicitur qui gladii poteſtatem habet, id eſt, imperium merum; apud nos *furcæ* & *foſſæ* nomine ſignificamus: nam hæc ſigna erant imperii meri. *Furca* enim eſt quam *crucem* dicimus, & *foſſa*, in qua homines ſubmergi ſolent, quod facillimum & leviſſimum mortis genus eſt: ita ut hæc duo, quaſi extrema, omnes alios gladii effectus intra ſe contineant. Præter gladii poteſtatem ſolet *Baro* habere jus nundinarum, & etiam turris faſtigiatæ, ut ea eſſent ſigna juriſdictionis, ſed quaſi demandatæ ſive delegatæ. Nam ſolis *Baronibus* ea habere licuit, pro cuſtodia reorum, quos in vincula conjicere ſolus is poterit, qui merum imperium habet, in qua etiam ſignificatione apud Gallos uſurpatur. Jure antiquo feudorum, & hodie apud Anglos, (neſcio an & apud nos locum habere debeat) omnes faſtigiatæ turres ad Principem pertinent. Inde fit ut qui turrim faſtigiatam cum pinnis detinet, Principe repoſcente, majeſtatis læſæ ſit reus, cùm rem ſuam à Principe domino ſuo retineat; cùm alioqui res alias immobiles, imò vel mobiles, Regi poſcenti ſine criminis nota poſſimus denegare. *Baro* autem is ſolus eſt, qui de Rege in capite tenet. Sane ſi Boethio credimus, *Baronis* nomen erat apud nos antiquum:

(a) 1 F. 1. pr. (b) § 5. (c) Sat. 5. (d) Vide Struvii Syntag. juris Feudalis, cap. 3. Aph. 7. n. 24.

ſcribit enim Cannedum Regem, cùm, expulſis Pictis, borealem totius Britanniæ partem occupâſſet, regnum in partes, quas *Baronias* vocavit, inter proceres & optimates, meritorum habitâ ratione, diviſiſſe. Sed hi tum *Thani* vocabantur, & baroniæ *thaniæ*, ſive Thaindomes, dicebantur; & adhuc hoc *Baronis* nomen in vulgari Scotorum lingua eſt ignotum. Itaque veriſimile eſt, hoc nomen non tam citò ad nos perveniſſe, ſed, ut *Ducum*, *Marchionum* & *Comitum* nomina, ex potentiorum gentium æmulatione, ad nos ſuccedentibus ſeculis paulatim ſerpſerant, ita & *Baronum*; niſi quod *Baronis* nomen antiquius ſit.

17. *Baronibus* proximi ſunt *Baneriti*, qui & Normannicè *Banneriti* dicuntur. Nam & *Baneritos*, ſive *Banneritos*, diverſam dignitatem à *Baronibus* habuiſſe, & ex ſtatutis Richardi Anglorum Regis, & ex conſtitutionibus Normanniæ, manifeſtè legenti conſtabit. Sanè quantum conjecturâ aſſequi poſſum, *Baneritus* Baro non erat, ſed qui ritu Baronis, id eſt, privilegiis Baronis gaudebat, quemadmodum plerique apud nos ſunt, qui merum imperium habeant, *Baronis* tamen nomine non gaudent. Ego ſanè, cùm Baneriti nomen apud pleroſque inveniſſem, quantum ex eorum ſcriptis potui colligere, eo nomine dignitatem Barone inferiorem ſignificare voluiſſe putarem; quaſi per diminutionem *Baneritus* nihil aliud eſſet quam *Baronettus*, ſive *parvus Baro*. Solent enim Normanni, apud quos vox hæc frequens eſt, diminutiva per *et* deducere; & in ea ſignificatione tam apud Gallos quàm Anglos uſurpatur.

18. Quæret aliquis unde hæc vox Lords derivata ſit, quemque locum dignitatis in repub. habeat? Sanè hi à principio nihil niſi Barones erant, nec adhuc ſunt. Nomen tamen hinc provenit, quòd cùm jure regni omnes Barones publicis comitiis intereſſe tenerentur, nec tamen cùm intereſſent, propter multitudinem, omnium ſuffragia colligi poſſent, ex ſingulis provinciis unus aut duo eligebantur, qui publica regni negotia cum Rege tractarent; & in initio digniores, & rerum tractandarum peritiores deligebantur, qui etiam *Domini* ſalutabantur. Sed degenerantibus ſeculis, cùm comitia eſſent frequentiora, nempe in quibus magna pars cauſarum decideretur, nec tenuiores in ſumptus ſufficere poſſent, factum eſt ut potentiores pro peritioribus ſubſtituerentur. Quòd ſi comitia prorogabantur, etiam durante totâ vitâ hi potentiores dignitatem retinebant: ſic etiam finitis comitiis (ut pronum ſemper humanum genus in adulationem eſt) Dominorum nomen retinebant, & iis vitâ functis, heredes, cùm eandem potentiam haberent, ægrè etiam à ſe nomen dimittebant. Sic progreſſu temporis factum, ut qui priùs commiſſarii tantùm Baronum eſſent, in Dominorum numerum, quoties publica comitia indicebantur, ſint cooptati. De dignitatum apud nos origine & ſignificatione ſatis dictum: nunc ad inſtitutum redeamus.

19. Feuda concedere poſſunt Imperator, Rex, & quicunque ſuperiorem non agnoſcit, ſive ſit unus aliquis, ſive univerſitas, aut civitas, qualis eſt Venetiarum. Et qui ab iis feuda cum dignitate capiunt, *Vaſſi* ſive regni *Capitanei* in textu *(a)* dicuntur, quaſi Proceres & Capitanei. Sed hi Capitanei in duplici ſunt differentia: alii enim *Capitanei regni* ſunt; alii minùs propriè, *urbium Præfecti*, qui & ipſi *Capitanei* in textu dicuntur. Nec minùs Duces, Marchiones, Comites, Barones, qui regalia hæc feuda habent, eadem aut eorum partem rurſus in feudum concedere, ſeu ſubfeudare poſſunt. Sed hi qui hæc feuda accipiunt, *valvaſſores* dicuntur, barbaro vocabulo, quaſi ad *valvas* dominorum ſtantes, aut ſtare debentes, eorum juſſa expectantes. Nam quòd ad *vaſſos* ſive *vaſſallos* pertinet, licet ſæpe *vaſſalli* nomen omnibus feudum habentibus ſit commune, tamen propriè *vaſſus* ſive *vaſſallus* is dicitur, qui à Rege immediatè tenet, ut de Barone diximus *(b)*: *valvaſſor* autem eum, qui ab inferiore à Rege, nempe de Capitaneo regni tenet, ſignificat. Valvaſſores rurſus duplices ſunt; vel *majores*, vel *minores*: aliqui *minimos* ponunt. *Majores*, qui immediatè à Ducibus, Baronibus, ſeu regni Marchionibus feudum habent: ac qui ab iſtis rurſus ſua prædia accipiunt, *minores* valvaſſores dicuntur. Sed & *minores* valvaſſores alios ſub ſe habent; *valvaſſinos* eos vocant: qui feuda ab his accipiunt *valvaſſini* dicuntur, & in duplici ſunt differentia, nam hi *majores*, illi *minores* vocantur. *Majores val-*

(a) 1 F. 1. pr. (b) § 16.

valvaſſini ſunt, qui à majoribus valvaſſoribus feuda accipiunt, *Minores* qui à minoribus. Et ſic ſæpe fit ut gradatim deſcendendo feuda etiam ad Ruſticos deveniant.

20. Sanè feuda *valvaſſinorum* ſive *majorum*, ſive *minorum* antiquitùs jure feudi non cenſebantur, quia à domino revocari poterant *(a)*, niſi hi valvaſſini cum dominis Romam proficiſcerentur. Sæpe enim dominis eundum erat Romam in comitatu Cæſaris ad extinguendas partes ſeditionum, quæ ex tyrannide Pontificia contra Cæſaream majeſtatem naſcebantur. Sed & hoc poſtea correctum eſt, ut & etiam *minimi valvaſſini* irrevocabiliter in feudum dare poſſent *(b)*; quod & apud nos hodie obſervatur. Itaque quicunque feudum habet, quod de alio tenet, ſubinfeudare poteſt *(c)*: ſed duriores tum ſunt fidelis partes, quo plures ſunt domini *(d)*. Nam ſi ſit feudum quod wardam & relevium debet, plerumque accidere poteſt, ut toto ſeculo vaſſallus, morientibus dominis infra annum vigeſimum primum aut ſecundum, à fructibus ſui feudi excludatur. Itaque maximè illud obſervare ſolemus, ut quam pauciſſimos dominos ſuperiores habeamus; ſed, quoad fieri poteſt, ad dominum ſuperiorem ſemper recurrimus, ut de eo feudum teneamus. Stat igitur hæc generalis regula, ut quicunque rei ſuæ immobilis liberam adminiſtrationem habeat, in feudum etiam concedere eam poſſit *(e)*.

21. Quod tamen à Principe ſuperiorem non agnoſcente confertur, feudum *ligium* dicitur; quod autem de alio quam de Principe tenetur, feudum *non-ligium*, ut antea *(f)* in octava feudorum diviſione monuimus. Variæ autem ſunt inter hæc feuda differentiæ. Fortius enim ligat vaſſallum feudum *ligium*, quam *non-ligium*. Nam licet communiter vaſſallo feudum refutare liceat (quod nos feudum renunciare dicimus) *ligium* tamen feudum refutari non poteſt: neque enim ferendum eſt, ſi quis ab ea fide quam Principi ſuo debet, recedere velit. Præterea in hoc feudo cum controverſia inter vaſſallum *ligium* & *dominum* oritur, dominus judex eſt. Itaque non mirum ſi in quæſtione *feudi ligii* Rex judex ſedeat; cum alioqui in feudo *non-ligio*, pares Curiæ tantummodo judicent. Sed de hac quæſtione poſtea, cum de judiciis feudalibus agemus. In feudo autem *ligio* non ſolum feudum quod vaſſallus de domino tenet, ſed etiam omnia alia bona etiam non feudalia veniunt, id eſt, domini cognitioni ſubjiciuntur. Rationem tradunt Doctores, quia vaſſallus in hoc feudo perſonam ſuam domino ſubjicit, & cum perſona omnia bona veniunt: itaque eo in dominum delinquente, non ſolum ipſum feudum ad dominum revertitur, ſed quæcunque alia bona mobilia habet, etiam vendicantur. Hinc noſtras *foriſfacturas* originem habuiſſe manifeſtum eſt: nam ob feloniam in ſe commiſſam Princeps, qui ſuperiorem non agnoſcit, non ſolum ipſum feudum, quod de jure feudali communiter domino debetur, ſed bona etiam quæcunque mobilia ſibi arrogat. In hoc feudo *ligio* præſtatur fidelitas domino nullâ perſonâ excepta *(g)*: in *non-ligio* ſemper excipitur perſona Principis *(h)*, etiam ſi non exprimatur. Ratio eſt, quoniam qui mediatè de aliquo tenet, non ſolum fidelitatem ſervare debet domino à quo feudum habet, ſed etiam domino ſui domini, id eſt, domino ſuperiori; quotque gradus ſuperioritatis ſunt, tot dominorum perſonæ cenſentur exceptæ. Itaque ſi de fidelitate, auxilio in bello, aut militiâ præſtandâ agatur, rejectis propinquioribus ad primum dominum vaſſallus recurrere debet. Rex autem ſemper eſt dominus antiquiſſimus. Notandum eſt eos qui cum dignitate & juriſdictione feudum acceperunt, jus etiam *Curiæ* ſive *Curtis tenendæ* habere, & pares curiæ eligendi, ex quorum ſententia tam in Civilibus quàm Criminalibus inter ſuos fideles, & etiam inter alios, ſi quis in vaſſallum intra territorium domini deliquerit, jus dicere poſſunt *(i)*. Et hæc de feudis ligiis cum dignitate.

22. Alia autem feuda *ligia* ſunt, quæ dignitatem annexam non habent; veluti ſi Rex manſum aut terræ aliquam portionem in feudum dederit. Quid autem *manſus* ſit, non inutile erit fortaſſe legentibus intelligere, quoniam ea vox tam in jure quàm praxi

(a) Ut § 2. dict. (b) 1 F. 7. in fine, notandum eſt. (c) 1 F. 1. in pr. & § ult. ibi, notandum eſt. 1 F. 7 & 2 F. 10. (d) 2 F. 34. § 2. (e) 2 F. 3. in fine pr. (f) D. 10. § 19. (g) 2 F. 99. (h) 2 F. 7. & 55. in fine. (i) 1 F. 10. pr. & 18. pr.

frequens est. *Mansus* itaque est agri portio modo vel mensurâ designata; fortasse à *mensoribus* vox deducta. Nam in agrorum divisione mensores adhibitos fuisse ex jure nostro constat, qui & *finitores* à Cicerone in oratione pro lege Agraria dicuntur. Alvarotus, maximus Feudista, *mansum* putat, si duobus bobus ad arandum sufficiat: alii duo jugera mansum efficere putant. *Mansus* autem duplex est; nam alius est in Ecclesiæ, alius in privati hominis patrimonio. In Ecclesiæ patrimonio semper debet esse *Mansus*, qui Clerico in cultum & victum sufficeret, liber ab omni tributo & servitio, nisi Ecclesiastico; imò liber à decimis. Rationem reddit glossa, quod mansus tantum assignabatur, unde frumentum & vinum ad εὐχαριστίαν possit suppeditari *(a)*. Aliter tamen decisum vidi, nempe mansum aut glebam Ecclesiasticam, etiam decimas debere; sed puto illud negligentia vel oscitantiâ advocatorum evenisse, donec tandem in publicis regni ordinibus statutum fuit, ut ab omni decimarum præstatione Ecclesiastici *Mansi* (nos *glebas* dicimus) essent immunes *(b)*. Alius est *mansus* privati hominis, & in nomen terrarum dominicalium transiit. Sic veteres mansum indominicatum dicere solebant, id est, ita in domini potestate assignatum, ut solus illum colat; neque in feudum antiquitùs neque precariò concedi poterat. Sunt certè apud nos quædam terræ dominicales, quæ à solis dominis coluntur, quæ *Mansus* apud nos dicuntur; qui ad tempus si locetur, aut in feudum detur, id fieri à parum prudentibus dominis, & in ruinam properantibus colligimus. Nos mansum Ecclesiasticum pro habitatione sumimus, Mans vulgò: & etiam portionem terræ quæ ab illis colitur, *Glebam* dicimus. Terras verò dominicas paulo productiore voce Manes vocamus. Sed, ut ad feuda redeamus, ex illa divisione feudi in *ligium* & *non-ligium*, illa altera feudi divisio in feudum *cum dignitate* & *sine dignitate* resultat.

23. Tertia autem feudi divisio in feudum *nobile* & *ignobile* est, ut antea monuimus *(c)*. *Nobile* autem feudum est, quod possessorem sive vasallum nobilitat & inter nobiles sistit: *ignobile* autem, quod vassallum plebeium, sive in plebe relinquit. Quæ autem feuda nobilitent, licet antea in divisione feudorum attigimus *(d)*, pauca nunc addenda, ita tamen, ut de ea sola nobilitate hic loqui intelligamur, quæ ex natura feudi provenit. De nobilitate verò sanguinis, aut quæ ex literis, seu doctrinæ, sive morum ingenuitate, aut militaribus moribus proveniat, alii sunt qui accuratè eam rem tractant. Sed sanè cum Princeps sit fons & origo omnis nobilitatis, sic & inter alios distributor est, & quoties terras cum dignitate confert, licet nobilitatem non exprimat, nobilem tamen facit. Et apud nos primum illum *Hayum*, qui à Rege virtutis ergò multis latifundiis donatus est, quod labantem Scotorum aciem, cum adversus Danos pugnaretur, restituisset, non minus nobilem verus rerum æstimator censebit, quam eos, qui in hunc diem ab eo descenderunt; licet familia illa inter Scotos sit primaria. Sed sunt, qui in quocunque feudo à Principe concesso nobilitatem putant includi, ut non amplius is qui feudum nudum à Principe accipit, in plebe numeretur: quod tamen apud nos non recipitur, nisi in secunda aut tertia generatione, ut loqui solemus; nec nisi voluntatem suam, ut nobilitet, Princeps declaret, nobilitatem per tale feudum concedere videtur. Nam licet in eo sit potestas nobilitandi, tamen ut voluntas concurrat necesse est: voluntas autem non præsumitur, nisi declaretur. Sed de feudo *nobili*, *minus nobili*, & *aliqualiter nobili*, in priori Diegesi fusius *(e)*. Apud Gallos nobilitas tamen à Rege conceditur, ut dixi, quod sub magni sui sigilli testimonio declarat. Non negarem tamen nobilitatem aliquando concedi ex usu & possessione tanti temporis cujus memoria non extat, & sufficere scientiam magistratuum Regis, contra quos hæc nobilitas præscribi potest *(f)*.

24. Quod ad spurios nobilium attinet, licet ex jure, matris & non patris conditionem sequantur *(g)*; tamen jure regni Galliæ, & nostro quo utimur, nobiles censeri possunt, eâ lege & conditione, si pro liberis publicè à parentibus nobilibus, dum

(a) C. 1. Extr. de censibus & exactionibus, in Glossa. (b) Cap. 62. Parl. 5. Ja. VI. (c) D. 10. § 16. (d) D. 10. § 16. (e) D. 10. § 16, 17, 18. (f) Tiraquellus cap. 14. de nobilitate. (g) L. 19. ff. de statu hom.

dum viverent, agniti fuerint, & filiorum nomine ab iisdem honestati : ut jus Civile videatur de iis tantum intelligere, qui patrem demonstrare non possint. Hi etiam insignibus suæ familiæ paternæ utuntur, transversâ lineâ rubrâ à sinistro latere incipiente versus dextram. Matris nobilitas in filio non continuatur, si pater sit homo ignobilis aut plebeius : licet Plutarchus *(a)* nonnullis concessum dicat ut nobiles censeri possint, etiam ex materna origine, quemadmodum Ilienſibus & Delphicis. Apud Xanthos, qui Lyciorum populi sunt, lege cautum fuit, ut filii non à patribus, sed à matribus, nomen generis assumerent ; & si quis omnium percontaretur quisnam esset, quali fœminâ natus, à matre, avia, & proavia, non à patre, aut avo paterno, genus suum repetebat. Et hæc de nobilitate obtinenda.

25. *Amittitur* autem in jure *nobilitas* amisso feudo, (nihil enim in jure tam naturale est quàm unumquodque eodem modo dissolvi, quo colligatum est *(b)*) & præcipuè si ob feloniam amittatur. Sed frustra de nobilitate gloriantur, qui in aliorum familia serviunt ; licet apud nos alia vulgi sit opinio : omne enim servitium, omnis quæstus manuarius, sive mechanicus, imò & conductio prædii pro annuo censu seu feudi firma, nobilitatem extinguit. Itaque omnia artificia ignobilia & illiberalia nobilitatem perimunt. Lacedæmonii opificia tanquam artes illiberales aversabantur, & per Helotas, quos servorum loco habebant, ea tantùm exercebant. Aristoteles manuarias operationes à sua repub. exclusit ; meliùs tamen Solon, qui eas artes in Athenienſium rep. tanquam rem utilem & necessariam perdiscendas & exercendas instituit. Quòd si incuriâ sive negligentiâ parentum, liberi nullas artes edocti fuissent, suos parentes in senectute inopes alere non tenebantur : artes enim hæ sunt portus inopiæ fugiendæ mortalibus, &, ut in Græcorum proverbio est, *Omnes artes terra alit.*

De *Mercatura* potest dubitari, quæ licet apud Ciceronem & multos alios bonos auctores sit laudatissima, tamen cum sordidos quæstus faciat, *nobilitati* adversatur. Aristoteles in Politicis legem apud Thebanos fuisse commemorat, ut *nulli aditus ad honores reip. capiendos daretur, nisi à mercatura per decem annos destitisset (c).* Et hæc de nobilitate feudi : in quo hoc notandum, quod *quo antiquius sit feudum, eo nobilius, nobilioresque faciat vassallos.* Sic quæ in divisionibus feudorum de feudo *Regali*, sive *ligio* & *non-ligio*, de feudo *cum dignitate*, vel *sine dignitate*, & demum de feudo *nobili* & *ignobili*, obiter & transeundo percurrimus, pleniùs hîc sunt explicata.

26. Quæstiones tamen graves & utiles multæ hîc moventur. Prima, an Rex filium in Regem adoptare possit, & an Dux Ducem, Marchio Marchionem, & sic de cæteris ? Sanè in Regibus multa sunt exempla : nam Henricus secundus Rex Angliæ post conquæstum, Henricum (qui tamen patri præmortuus est) Regem secum constituit. In Imperatoribus priscis hoc frequens erat, ut Otho primus filium Othonem in imperium secum assumpsit ; duo, tres, aliquando & quatuor Cæsares sive Augusti erant ; & post divisionem Imperii in occidentale & orientale, utrumque sæpe contigit. At omnes Doctores concludunt Regem filium suum in dignitatem Regiam secum attollere cum jurisdictione non posse. Sed hujus quæstionis solutio ex natura feudorum, dividuorum, & individuorum pendet *(d)*, ut Hottomannus vult : nam cum omnes dignitates habeant annexam secum jurisdictionem, jurisdictio autem sit indivisibilis, putat neque regna, neque dignitates Regias, quales sunt Ducatus, Marchionatus, Comitatus, dividi posse *(e)*. Ratio hæc in regno non videtur militare, quia neque sunt regna feuda, quoniam de nullo tenent, neque hominium debent : non minus tamen jurisdictionem regnorum dividi non posse certum est, quàm si essent feuda, saltem non sine certissimo reip. malo. Nam regna divisa fuisse antiquitùs sæpissimè legimus : Sic & Anglo-saxonum regnum in septem regna divisum ; Franciæ aliquando in tria vel quatuor. Omitto Hispaniam, quæ octo aut plura distincta regna aliquando habuit : nec unquam cessatum est à civi-

(a) De claris mulieribus. (b) L. 35. de reg. jur. (c) Polit. cap. 9. (d) De quibus vid. D. 10 § 21. (e) 2 F. 55. § 1. ibi : Præterea.

libus contentionibus, donec in unitatem, id eſt, in unum regnum & imperium coirent. Itaque dimittere regnum Rex poteſt, alium ſibi ſocium in regimine adſciſcere non poteſt : multum enim intereſt ſubditorum, ne in duorum dominorum ſervitia, ſæpe diverſa, aliquando contraria, diſtrahantur.

Quod ad Ducatus ſive Marchionatus attinet, quæ propriè dignitates feudales dicuntur; cum Dux, Marchio, Comes, & ex uſu noſtro Baro, regni Capitanei dici ſolent, profectò neque Dux Ducem, Marchio Marchionem, Comes Comitem, Baro Baronem conſtituit, ut ex ipſo textu *(a)* colligitur. Præterea aliæ rationes adduci poſſunt ex jure Civili : nemo enim gladii poteſtatem quam à Rege vel Principe accepit, alii delegare poteſt *(b)*, niſi ſimul ſubſtituendi & delegandi poteſtatem acceperit. Itaque feuda hæc vocantur individua, in quibus primogenitus ſuccedit, & hanc individuitatem (ut ita loquar) *ipſa utilitas, juſti prope mater & æqui,* introduxit. Nam virtus in ſe unita ad omnia pericula ſuſtinenda validior eſt quàm dimidiata. Imperator Fridericus prævidens hæc incommoda, ſancivit ne in futurum dignitates hæ eſſent dividuæ *(c)* : ſed tamen in Germania Barones non ſolum à Comitibus creari, verùm etiam id fieri Brabantiæ certum eſt; & apud Ligures, ſive Lombardos, multiſque aliis in locis, Comites à Ducibus creantur : ſed in his uſus pro lege eſt. Imò & nomen ipſum dignitatis apud Germanos dividuum inter omnes filios defuncti eſt, ut juriſdictio individua.

27. Jam, ut ad inſtitutum revertamur, Imperator, Rex, & quicunque ſuperiorem non agnoſcunt, rectè feudum conſtituunt. Hic regula illa generalis perpetuò memoriâ tenenda : omnes qui rei ſuæ liberam adminiſtrationem habent in feudum concedere poſſe *(d)*, etiamſi ſint ruſtici, muti, ſurdi, ſi modò conſtet quòd intelligant, & quid intelligant exprimere poſſint. Imò & fœmina in feudum concedere poteſt, ſi ſoluta *(e)* ; alioqui cum viri conſenſu. Unde Baldus, Præpoſitus, & Alvarotus colligunt fœminam non ſolum juriſdictionem habere, ſed etiam aliis concedere poſſe : & ſic facilè confutatur nonnullorum error, qui fœmineum imperium, & Regiam ſucceſſionem averſantur.

28. At qui liberam rei ſuæ adminiſtrationem non habent, ut nec alienare, ita nec in feudum dare poſſunt *(f)*. Nam ubi alienatio rei ſuæ aliquibus interdicta eſt, ſivè à lege, ſive à judice, hi nec feuda poſſunt concedere *(g)*. Itaque nupta ſine viri conſenſu non poteſt, neque pupillus omnino, neque prodigus, neque furioſus, neque ullus alius qui verè conſenſum non habet *(h)*. Prodigus autem nemo reputatur, neque feudorum jure, neque noſtro, niſi ſententia præcedat, &, ut Baldus ait, niſi accuſatus & damnatus fuerit. In Prælato tamen, dilapidatore fructuum & redituum ſuæ Eccleſiæ, hoc obſervari ait Baldus, ut in feudum dare poſſit, niſi ob dilapidationem inſtituta fuerit contra eum accuſatio. Ex uſu noſtro non habetur pro prodigo, qui ſua prodigit, niſi vitio mentis id fecerit. Itaque, donec ei adminiſtratione interdicatur, poteſt uti vel abuti pro arbitrio ſuis rebus. In prodigis apud Gallos hic ordo ſervatur : ad inſtantiam amicorum literæ impetrantur, quibus prodigus hic ante ordinarium loci citatur : ſi compareat, cognitio de ejus prodigalitate ſumitur per inquiſitionem, præcipuè ex amicorum & cognatorum teſtimonio, & ſecundum eam fit ſententia interdictionis, curatorque bonis datur. Si contumaciter abſit, non minus ab inquiſitione proceditur ad ſententiam, quâ latâ prodigo bonorum adminiſtratione interdicitur, curatorque ei datur, ſententiaque undique publicatur ; eâ publicatâ, is cui interdicitur, alienare non poteſt : imò neque bona in alio territorio conſtituta, in quo ipſe non habitat. Pendente verò proceſſu, ſunt quidam qui putant alienationes factas irritas, quippe eludendi judicii causa factas ; quod ſine controverſia eſſet, ſi modò proceſsûs notitiam habuiſſe eum in quem alienatio facta eſt, conſtet : & licet in jure caveatur, ut ſi furioſus ſanitatem, prodigus ſanos mores receperint, ipſi deſinant eſſe in curatorum poteſtate *(i)*, tamen

(*a*) 1 F. 1. in fine. 1 F. 14. pr. (*b*) L. 1. pr. ff. de officio ejus cui mand. eſt juriſd (*c*) 2 F. 55. § 1. in fine. (*d*) 2 F. 3. in fine pr. (*e*) 2 F. 3. in fine, & 91. (*f*) 2 F. 3. pr. (*g*) L. 6. & 7. C. de rebus alienis non alienandis. (*h*) L. 12. § 2. in fine, ff. de tut. & curat. & l. 1. & 10. ff de curat. furioſ. dat. (*i*) L. 1. ff. de curat. furioſ. dat.

tamen consuetudo invaluit, ut hæc interdictio per causæ cognitionem judicis sententiâ tollatur. Sed in curatore furiosi, & eo qui prodigo datur, magna est differentia. Nam ex legibus duodecim tabularum *(a)*, si quis furiosus existat, cognatorum gentiliumque in eo & ejus pecunia potestas esto: sed prodigo judex sive prætor curatorem cum causæ cognitione dabit. Forma sententiæ contra prodigum latæ apud Paulum jurisconsultum *(b)* habetur, in hæc verba: *Quando tu bona paterna avitaque nequitiâ tuâ deperdis, liberosque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem tibi omni commercio interdico.* At hæc interdictio prodigorum apud nos insolens est, nisi ipsi in Senatu compareant, & interdici cupiant; quod admittitur, nisi dolus subsit. Et hæc de prodigis.

29. At cum vitium mentis accedit, tunc apud nos in duplici sunt differentia: aut enim *verè* sunt *furiosi* aut *dementes*, aut tantummodo *mente* aut *judicio* capti, id est, ita mente depravati, ut neque modum neque finem expensarum habeant, qui ferè prodigi sunt: & utrisque opus est sententiâ declaratoriâ, quæ ex jure communi, & probatione per testes idoneos & juratos dabatur. Apud nos ex *Cancellaria Regia* Breve impetratur, quo Vicecomes, id est, judex ordinarius illius loci, jubetur Titii aut Sempronii naturam & qualitatem exquirere: nempe si sit furiosus, aut demens, aut alioqui ita mente captus & præditus, ut qui neque modum neque finem impensarum habeat; quodque inquirendo invenerit retornari curare: Vicecomes verò mandatum executurus, aliquot notæ famæ homines ex vicinia (nostri ex *viceneto*, nonnunquam ex *visneto* vocant) ad comparendum in judicio citari faciet, ex quorum numero quindecim seliget, qui non solum de furore & delirio inquirant, sed etiam a quo tempore delirium cœperit. Ex hac quindecimvirali sententia damnato non solum a tempore sententiæ rerum suarum alienatione interdicitur, sed etiam quæcunque gesta sunt in rerum hereditariarum dispositione, postquam furere aut delirare cœperit, fiunt irrita, quasi ex defectu consensus ab initio: unde & illud sequitur, contra juris communis regulas, ut multa quæ ab initio rectè constituta sunt, ex post facto cadant, nempe cùm devenerint ad eum casum à quo incipere non poterant; &, quod magis mirum est, etiam ope exceptionis cadunt sine judicio rescissorio; nisi quis dicat ab initio hæc non recte facta fuisse, licet declaratoria sit longo post tempore sequuta, quæ tamen ex jure & usu retrotrahitur ad ipsius actui initium. His autem furiosis, & mente vel judicio captis, & per sententiam declaratis, proximus cognatus in tutorem vel curatorem datur *(c)*.

30. A minore, aut aliis quibus non est, neque à judice, neque à lege bonis interdictum, feuda data omnino non sunt per exceptionem irrita; sed opus est actione rescissoriâ, & judicis sententiâ declaratoriâ, nisi minor ille curatorem habeat *(d)*, & sine ejus consensu feudum concesserit: nam non solùm hoc feudum (cùm in feudum datio sit species alienationis) sed & omnis locatio & assedatio à tali minore, sine curatoris consensu concessa, nulla est; quod & in usu nostro observatur. Ratio est, quod & ipse minor petendo, & judex concedendo curatores, videtur minorem ab administratione excludere, (nisi curatoris consensus accedat) & eam curatori permittere. Itaque talis minor ei comparatur, cui bonis interdictum est; cùm interim minor qui curatorem non habet, liberè res suas administret: ita tamen, ut si ex sua facilitate aut circumventione lædatur, restitui possit. Quod ad minorem attinet, generaliter contrahere non potest, nisi de rebus ad victum, vestitum & institutionem pertinentibus, sine curatoris consensu: feudum ritè & legitime concedere non potest. At si quæstio sit de renovando antiquo feudo, potest illud minor *(e)*; cùm ad id cogi possit ex jure, nempe ut vassallum in clientelam recipiat, cùm ejus conditio hoc facto non reddatur deterior. An autem prædii aut rei alicujus immobilis alienatio à minore facta sine decreto judicis usu nostro nulla sit, quemadmodum à jure Civili cavetur, quæri potest? & vidi acerrimè controversum inter Lynd-

(a) Ex Cicerone, lib. 2. de inventione, l. 28. C. de Episcop. aud. & l. 25. C. de nuptiis. Vide etiam Cujacii notas ad Ulpianum, tit. 12. de curat. (b) Lib. sententiarum 5. (c) Per cap. 18. Parl. 10. Jac. VI. nisi sit religionis Romanæ, per cap 8. Parl. 1. Car. II. Vide lib. 2. D. 29. § 9. (d) L. 3. C. de in integr. restit. (e) Vide § 33.

ſay de Barchloy, & Jacobum Borthuick de Lochill: ſed obtinuit ut etiam in tali alienatione læſio allegetur, & probetur; alioqui niſi minor læſus videatur, alienatio prædii non reſcinditur.

31. Sunt & alii qui ab alienatione bonorum prohibentur à *judice*, nempe *obærati debitores*, qui in fraudem creditorum ſolent prædia vel alia immobilia alienare, locare & diſtrahere. Huic malo ut occurrant creditores, ſolent impetrare literas *(a)*, quibus omnis alienatio bonorum iis interdicitur, quaſi in fraudem creditorum talis alienatio fiat. Itaque concurrit cum illo edicto Prætoris quod habetur in jure Civili, nempe, *Quæ in fraudem creditorum*, &c. *(b)*. Sed cum illo edicto Prætoris, fraus & conſilium, ſaltem ſcientia ex utraque parte requiratur, neque conſilium aut ſcientia inter eos qui in fraudem aliorum machinantur facilè probari poſſit; itaque per eas literas omnes ſubditi prohibentur per publicam denunciationem, ſeu *proclamam* (ut Doctores loquuntur, nos *proclamationem* dicimus) cum talibus obæratis debitoribus, pro alienatione bonorum mobilium aut immobilium contrahere. Hanc publicam denunciationem noſtri pro ſcientia putant ſufficere, cùm omnes ſcire eam teneantur. Hæ literæ licet etiam ad bonorum mobilium alienationem, quæ poſt publicam denunciationem fit, in verbis extendantur, (nec prætextus ignorantiæ in hoc caſu admittitur, ſcire enim & ſcire debere in jure *(c)* ſunt paria) neque minùs mobilia diſtrahere quàm immobilia interdicatur; tamen alienatio bonorum mobilium hoc prætextu, & per talem denunciationem, irrita non fit: obſtat enim publica utilitas, cùm nemo non ſolùm cum iis contraheret, ſed neque alimenta aut veſtitum præberet, ſi putarent ſolutionem pro iis prohiberi.

Itaque in his caſibus publica utilitas adverſus creditores ſemper prævaluit, ne ad mobilia hæc prohibitio extendatur, niſi fortè mobilia ſpeciali arreſto ſubjiciantur. Sed nec in immobilibus hæc alienatio eſt ipſo jure nulla, ut ope exceptionis tollatur, ſed tantùm per actionem reſciſſoriam *ex capite* (ut ſolemus loqui) *inhibitionis*: ad quam excludendam ſolent rei, ſive hi quibus res eſt alienata, hæc præcipuè objicere, viz. ſi debitæ ſolennitates in inhibitione publicanda non ſint adhibitæ, veluti ſi publicatio ritè facta non fuerit apud *cruces forales* (ita ſolemus vocare loca publica) cujuſque primariæ civitatis, aut oppidi in provincia aut Vicecomitatu ubi bona ſita ſunt, & ubi publicæ nundinæ exercentur; nam ibi frequentia populi magna ſolet eſſe: ſi publicatio executoris ſive apparitoris ſigno non ſit munita: ſi non regiſtrata in libris Vicecomitatûs ejuſdem regionis intra quadrageſimum diem à publicatione; hoc enim tempus per publica regni comitia regiſtrationibus limitatum eſt *(d)*: quod ſi prætermittatur, ſimul omnis publicatio cadit, & omnis inhibitionis & interdictionis effectus.

Solent & alia à reis objici, ut vim inhibitionis evertant, veluti ſi non fuit verus creditor, qui eam impetravit; ſi ex poſt facto ei fuit ſatisfactum; ſi adhuc reus paratus eſt ſatisfacere, & quod intereſt ſolvere; ſi in reo cauſa debiti fuit prior, quàm in actore; ſi ſententia nondum pro debito ſit lata. Multæ aliæ exceptiones poſſunt in re tali contra judicium reſciſſorium objici. De una exceptione poteſt dubitari: nam cùm ex jure quæ in fraudem creditorum ſunt alienata non reſcindantur, niſi fraus habuerit effectum, id eſt, ſi debitor aliàs ſolvendo non ſit *(e)*, an & hæc exceptio apud nos valeat; veluti ſi reus dicat nihil in fraudem creditorum factum à debitore, cùm debitor ſit adhuc idoneus facultatibus, & aliunde poſſit ſatisfacere. Et licet ratio pro eo faciat, cùm creditor jus integrum, & rem ſalvam in bonis debitoris habeat, & iniquum videatur alienationem legitimè factam reſcindere, cùm creditori adhuc plenè poſſit ſatisfieri, lexque ipſa excuti facultates debitoris priùs ſtatuat; contrarium tamen vidi deciſum inter viduam Comitis de Crauford, & Dominum

(a) Inhibitionis. (b) Id eſt, actione Pauliana, cui aſſimilatur, quod apud nos à temporibus Auctoris introductum eſt, optimo SCto facto, menſe Julio, anno 1620, poſtea ratificatione Parliamenti, anno 1621, cap. 18. in legem publicam tranſlato, quo ulteriùs creditoribus contra fraudes obæratorum providetur, & tandem ſpeciali opuſculo Domini Georgii Mackenzii enucleato. Et cùm debitores obærati apud nos *Banciruptores* vocentur, qui iſtud nomen mereantur explicatur cap. 5. ſeſſ. 6. Parl. 1. Gul. & Mariæ, 25 Septembris, A. D. 1696. (c) L. 5. ff. de R. cred. (d) Cap. 119. Parl. 7. & cap. 264. Parl. 15. Jac. VI. (e) L. 10. ff. Quæ in fraud. credit.

num de Garthland. Nam licet aliunde debitor erat idoneus facultatibus & ſolvendo ; alienationem tamen in dictum Dominum factam, reſcindendam cenſuit Senatus: æquiùs enim putavit, ut qui contra prohibitionem judicis alienationem in ſe recepit, de evictione contra alienantem ageret, quàm ut creditor, quem judex ſuâ auctoritate munivit, dubias lites ſequi cogeretur, & in credito moram patiatur. Ex jure etiam noſtro hoc annotandum eſt ; qui publicatâ inhibitione feudi alienationem acceperit, de evictione agere poteſt ; ſed non is qui accepit feudum ab eo cui bonis interdictum eſt. Apud Anglos, quæcunque alienatio in fraudem creditorum facta ſit, etiamſi hæ literæ prohibitoriæ (ut ignotæ ſunt illis) nullæ fuerint, infeofamentum vitiatur.

32. Solent apud nos multi, quemadmodum jure veteri Romanorum, ſi quorum adminiſtratio ſibi ipſis ſuſpecta eſt, coram judice comparere, ibique ſe omni adminiſtratione exuere, vel ſimpliciter, vel ad tempus, ut non ſine conſenſu cognatorum aut amicorum eis liceat res immobiles diſponere : quod ut plurimum fit per obligationem judici exhibitam, eaque obligatio in acta refertur, judiciſque auctoritas eis bonorum adminiſtrationem interdicentis interponitur; quod tamen per ſe non ſufficit, niſi hujus interdictionis publicatio ſequatur *(a)*. Ratio itaque, cur is qui contra inhibitionem alienationem in ſe recepit, de evictione poſſit agere contra concedentem, eſt, quoniam interdictio hæc tantùm introducta eſt in favorem creditoris, ejuſque ſolius commodum reſpicit, & non alienantis : itaque omnes aliæ actiones ſalvæ & integræ permanent inter alienantem, & eum cui alienatio fit. At in interdictione ſemper judex reſpicit commodum ejus, cui bonis interdicitur, nihilque in ejus præjudicium factum, aut quod prædium ab eo evincere poſſit, admittit : fruſtra enim alienationes prohiberentur, ſi de evictione actio competere poſſit. Vidi tamen etiam in inhibitione actionem de evictione negatam inter Humium de Prendergheſt & Humium de Lotullo, in qua Senatus contra reum, licet heredem, actionem de evictione negaverat. Sed cauſa illius deciſionis hæc erat, quòd proavus, qui à judice inhibitus erat, debitor etiam heredis pronepotis fuerat matrimoniali nomine : nam ex contractu cum nepote ſuo inito (qui nepos pater erat pronepotis) avus ſe antea obligaverat, omnium terrarum inveſtituram, & aſſedationum poſſeſſionem nepoti traditurum, & ex contractu in favorem nepotis inhibitio publicata eſt : itaque pronepos actionem hanc de evictione excludebat, quod pater ejus, viz. nepos defuncti debitoris, creditor erat avi ſui ex priori contractu, ſuper quo inhibitio publicata erat.

Sunt & aliæ differentiæ inter eum cui ſimpliciter interdictum eſt, & eum qui ob fraudem creditorum prohibetur ab alienatione. Nam is cui ſimpliciter bonis interdictum eſt, poteſt in favorem matrimonii contrahere donationem propter nuptias, & conjugem ſuam in vitali reditu ſive uſufructu omnium ſuarum, aut majoris partis terrarum conſtituere : neque enim videtur ex eo facto conditio ejus facta deterior, ſiquidem vel dotem correſpondentem accepit (& ita fit locupletior,) vel ſaltem id quod habet, intactum in ſua familia permanet. Hæc enim erat cauſa interdictionis, ne à ſe aut ſuis heredibus alienet. At in eo cui in fraudem creditorum alienatio prohibetur, aliud obſervatur ; nam conjugi ſuæ uſumfructum non poteſt cum effectu concedere, cùm ex hoc jus creditoris, cui judex proſpectum voluit, minuatur. Sic enim reus creditorem eludet, bonorum ſuorum immobilium uſumfructum uxori concedendo, quâ vivente executionem creditor in eis bonis non habebit, & ſic alteri iniqua conditio inferetur, quod eſt contra juris communis regulas.

33. Sed, ut ad eos qui feuda dare poſſunt redeamus, *Procurator*, licet liberam poteſtatem adminiſtrandi res alienas habeat, in feudum tamen dare non poteſt ; ſola enim ei adminiſtratio conceſſa eſt, non alienatio. Itaque cùm alienare non poteſt, non mirum, ſi neque in feudum concedere, niſi ſpecialiter ei hoc à domino datum fuerit, ut alienare, vel in feudum concedere poſſit *(b)*. Et hæc eſt ratio quare neque Epiſcopus, neque Abbas, neque ulla alia Eccleſiaſtica perſona, cùm ſint nudi tantummodo adminiſtratores, in feudum dare poſſunt, niſi ſolennibus adhibitis, ut

(a) Cap. 119. Parl. 7. & cap. 264. Parl. 15. Jac. VI. (b) L. 63. ff. de procur. 2 F. 58. § 2. in medio.

poſtea dicam. Hi tamen adminiſtratores, & etiam minor, & cui bonorum alienatio interdicitur, licet novum feudum conſtituere non poſſunt, feudum tamen antiquum ſeu inveſtituram feudi renovare poſſunt *(a)*. Puto ex jure Civili hoc emanâſſe, ubi minor peculium per ſe conſtituere non poteſt *(b)*. In hac tamen renovatione hoc cavendum eſt, ut vult Zaſius, ne minor per renovationem hanc poſſeſſionem, quæ priùs apud vaſſallum non erat, conferat. Et licet minor cum conſenſu curatoris feudum novum conſtituere non poſſit, ex cauſa tamen neceſſitatis licet, veluti ſi alioqui non ſit ſolvendo : ſed tum cauſæ cognitione, & judicis decreto opus eſt *(c)*; ita tamen, ut ſi neceſſitas non tam urgeat, aut aliunde creditoribus ſolvi poſſit, imò ſi vel læſus fuerit, reſtitutio ei competat.

34. De *muto* & *ſurdo*, an in feudum dare poſſint, major eſt quæſtio. Nam eos rei ſuæ liberam adminiſtrationem habere nemo ex jure negabit, quia donare poſſunt *(d)* : tamen cùm neque militiæ munus ſuſtinere poſſunt, neque ad civiles honores admittantur *(e)*, Hottomannus tenet eos in feudum dare non poſſe, probabili ſanè ratione, cùm infiniti ſint doli & fraudes quibus mutus & ſurdus capi poſſint; ut ſæpe videantur in id conſenſiſſe, quod nunquam ab iis fuit cogitatum. Et hæc eſt communis opinio, ut omnino *ſurdus* concedere in feudum non poſſit, *ſurdaſter* poſſit. Sed de *muto* & *ſurdo* plura in ſequenti titulo.

35. Aliud etiam dubium poteſt occurrere, nempe cùm feuda in jure alienare expreſsè prohibeantur vaſſalli, ut ex conſtitutionibus, tam Lotharii *(f)*, quàm Friderici *(g)*, conſtat, qui fit ut eos feudum dare præſumamus; cùm non ſolùm qui alienatione interdicantur, ſed etiam emptores amittant feudum, feudo ad dominum revertente ? Sed licet alienatio feudi generaliter prohibeatur, in quibuſdam tamen caſibus admittitur; nempe ſi vel domini conſenſus acceſſerit *(h)*, vel ſi ejus ſervitio præjudicium factum non fuerit : quod tamen generaliter non eſt intelligendum, ut pro ſuo arbitratu faciant, ſed ut etiam ſolennia, quæ in jure requiruntur, accedant. Sed de hac quæſtione plura in titulo, *Quibus modis feudum amittatur*, poſtea dicemus.

36. Sunt etiam qui ratione temporis in feudum concedere non poſſunt : veluti ſi quis in *lecto ægritudinis* ſit conſtitutus, quo tempore neque alienare res hereditarias, neque immobiles, neque obligare ſe, aut contrahendo aut debitum agnoſcendo poteſt, unde hereditas aut ejus pars ſucceſſori decedat *(i)* : & proinde jure Feudali teſtamento feuda diſponi non poſſunt *(k)*; nam eo tempore nemo poteſt heredi ſuo præjudicare. *Lectus* autem *ægritudinis* is dicitur, ſi mors ſequatur : quod ſi ab exceſſu morbi, in forum aut in Eccleſiam, aut alia loca publica progreſſus poſt alienationem fuerit, in *lecto ægritudinis* fuiſſe non dicitur *(l)*. Sunt qui putant, etiamſi infirmus fuit inhabilis ad egrediendum, modò ſanæ mentis, & judicio ſatis firmo fuerat, feudum valere : ſed variatum ſententiis de ea re ſæpe in Senatu eſt. Cur autem alienatio hæc prohibeatur, ratio eſt, quòd fervore animi aut morbi impatientiâ id feciſſe præſumitur, quod in ſanitate nunquam fuiſſet facturus : & præterea quod in ægritudine conſtitutos facillimè à pleriſque nimium officiosè ſe offerentibus falli, & in fraudem pellici putant : & quod ſæpe cum organo mens & judicium labantur, ſæpeque potiores ſint, qui propinquiores; niſi conſenſus heredis acceſſerit *(m)*; cùm volenti & conſentienti non fiat injuria *(n)*. Idem, ſi inopia urgeat, & heres requiſitus ei ſuccurrere nollet, nec aliunde ex bonis mobilibus ſuppleri poſſit, eo caſu hereditatis partem, quatenus ſufficiat ad ſublevandam inopiam, poterit alienare, & in feudum dare : nam neceſſitati jus cedit *(o)*. Idem, ſi creditoribus gravetur : eadem enim utriuſque ratio, nempe neceſſitas ſatisfaciendi, aut ſi alienatio inita eſt ex contractu præcedente ægritudinem : nam & hîc neceſſitatis cauſa eadem eſt, ut quod

(a) 2 F. 3. pr. & ibi gloſſa. (b) L. 7. § 1. ff. de peculio. (c) L. 1. ff. de rebus eorum qui ſub tut. vel cur. Vide etiam D 15. § 19. (d) L. 33. § 2. ff. de donat. (e) L. 7. § 1. ff. de decurionibus. (f) 2 F. 52. (g) 2 F. 55. (h) 1 F. 5. in p. & circa finem. & 2 F. 44. (i) Cap. 18. § 7, 8, 9 & 10. Lib. 2. Reg. Majeſt. ſtat. 13. Gul. I. apud nos. (k) 1 F. 8. in pr. (l) Sed hoc in melius mutatum eſt ſtat. 4. ſeſſ. 6. Parl. unici Gul. & Mariæ, quo ſi diſpoſitioni 60 dies decumbens ſupervixerit, licet nuſquam prodeat, valebit quod actum erat. Vide etiam huc referendum ſtatutum Dominorum apud nos Concilii & Seſſionis in judicio ſedentium, 29. Feb. 1692. (m) Cap. 18. § 10. lib. 2. Reg. Majeſt. (n) Argumento, l. 29. C. de pactis. (o) Cap. 13. § 2 & 3. ſtat. Gul. I. apud nos.

quod quis ante ægritudinem contractam debuit, ſolvat. In lecto tamen ægritudinis quis poteſt uxori uſumfructum concedere in quocunque feudo. Non autem dicitur quis in lecto ægritudinis, ſi habilis fuerit ad proficiſcendum in forum, in templum, & ad campos.

37. Huic ſimilis eſt qui jam capitis ſententiam acceperit, qui licet bona mobilia in fiſcum transferat, immobilia tamen retinet, neque ea diſponere poteſt, aut in præjudicium heredis in alium transferre. Sunt qui poſt judicium cœptum idem putent. Quod tamen verum non exiſtimo, niſi fortè judicium tum cœptum dicant, cùm reus ad tribunal productus eſt, poſt quod tempus alienationem permiſſam non credo: nam ſunt ſervi pœnæ futuri, licet interea libertatem habere præſumantur *(a)*. Si quis læſæ majeſtatis damnatus fuerit, omnes conceſſiones in feudum factæ à tempore criminis commiſſi cadunt. Nam poſt crimen aut in Principem aut remp. commiſſum (cujus perſonam Princeps jam gerit) ſi ſententia ſequatur, nulla alienatio feudorum aut rerum immobilium valet *(b)*: tamen ſolutionem rectè fieri reo læſæ majeſtatis ante ſententiam putant aliqui.

38. Quid de eo, cujus familiam aut domum *peſtis* invaſit, licet ipſe intactus ſit, an quod ab eo fit, ſi ipſe ex eadem infectione poſtea moriatur, in lecto ægritudinis factum dicetur? Et hanc quæſtionem de facto incidiſſe vidi, de quo conſultus, reſpondi, à tempore infectionis familiæ, licet quo tempore ipſe tactus fuerit, incertum eſt, tamen quia ex eadem contagione intra duos aut tres dies obiit, nihil de rebus hereditariis alienare potuiſſe: præſumptio enim juris eſt, eum tum ægritudinem contraxiſſe. Idem de eo qui *vulneratus*, ſi ex vulnere moriatur, & qui ſe ſecandum præbet ex *calculo*, vel ex ulcere hepatico, quod *Scirrhum* dicimus: nam poſtquam ſemel vi morbi victus eſt, diſponere de rebus hereditariis non poteſt. Idem puto de eo qui monomachiæ ſeu *duello* ſe ſubjecit, poſtquam in locum pugnæ deſtinatum deſcenderit: licet hæ quæſtiones rariùs occurrant, ex eo, quod quilibet cùm ſciat ſe vitæ periculum aditurum, ſoleat rebus ſuis & ſucceſſioni providere. Qui ab hoſtibus captus eſt, quamdiu in eorum eſt poteſtate, inveſtituram facere non poteſt, cùm ipſe ab aliis poſſideatur. Nam omnis inveſtitura debet eſſe libera, nec extorta; & debet fieri rei certæ: nam incerta res in feudum concedi non poteſt, niſi ad certitudinem alioqui reduci poſſit. Sic neque *leproſus*, cùm à communione hominum arceatur. Apud Anglos qui ipſe inveſtitus nondum eſt, is alium inveſtire non poteſt: at apud nos, ſi poſtea inveſtitus fuerit, ex poſt facto confirmatur prior inveſtitura. Sic neque vir uxori, neque uxor viro dat, niſi in ea voluntate ad mortem perſeveraverit. Ratio ex jure Civili petenda eſt, ne mutuo amore ſe ſpolient *(c)*. Apud nos, ſi quis feudum uxori conceſſerit de ſe tenendum, revocandi, dum vivit, habet poteſtatem; ſed per renunciationem in manibus domini poteſt ei, ut cuilibet vel extraneo, concedere inveſtituram.

39. Denique, ut Diegeſim hanc concludamus, omnes feudum dare poſſunt, qui non prohibentur in jure, ſi modò ſint domini, & rerum ſuarum liberam habeant adminiſtrationem: nam habet vim edicti prohibitorii, quo omnes permittuntur, qui non prohibentur *(d)*. Sic in procurationibus & matrimoniis omnes poſſunt eſſe procuratores, omnes matrimonia contrahere, qui jure non prohibentur.

Diegeſis decima tertia.

De feudis Eccleſiaſticis ſive Clericalibus.

SUMMARIA.

1. *Prioribus ſeculis Eccleſia ſolis eleemoſynis alebatur, nec Chriſtum aut Apoſtolos quicquam proprium habuerunt; licet Eccleſia Romana, ut dicitur, ad immenſam opum*

(a) L. 19. ff. de pœnis. (b) L. 5. § 4. & l. 8. C. ad leg. Jul. Majeſt. l. 31. § 4. ff. de donat. Vide apud nos cap. 36 & 39. Parl. 2. ratificata cap. 65. Parl. 5. & cap. 202. Parl. 14. Jac. VI. (c) L. 1. ff. de donat. inter vir. & uxor. (d) L. 12. pr. ff. de judiciis.

opum magnitudinem ſuis artibus pervenerit.

2. *Eccleſiaſtici, & Clerici qui ſunt.* Papæ *nomen unde.*

3. Pontificis Maximi *nomen unde.*

4. *De Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque inferioribus Eccleſiæ officiariis, quorum nomina Eccleſiæ primitivæ erant incognita, quæ communi Presbyterorum conſenſu gubernabatur; quod nobis vitio vertitur.*

5. *Pontifex hic Maximus quin feudare poſſit non eſt dubitandum, cum non ſolum prædiola, ſed regna, & provincias, non modò intra Patrimonium Sancti Petri, ſed extra concedat.*

6. *In rebus magni momenti, ut in feudatione regni adhibet Cardinalium conſenſum.* Cardinalis *etymologia, eorumque munus olim & nunc, & de* Legatis à latere.

7. Epiſcopi *nomen unde. Epiſcopi feuda dant conſenſu Capituli, vel patroni, ſi Eccleſia ſit patronata.*

8. *Idem de* Abbate, *ſeu* Priore, *cum conſenſu ſui Conventûs: Abbas olim inter Proceres Laicos numeratur.*

9. *De origine* Monachorum, *& de* Abbatiſſis *quæ; non erant vitales, ſed tantum triennales.*

10. *Pontifex Maximus ambitiosè contendit cum Regibus Gallorum, & noſtris de nominatione ad dignitates electivas Eccleſiæ; ſed res hæc tranſactione finita eſt.*

11. *Eccleſiaſticæ perſonæ minores in feudum dare non poſſunt, niſi conſenſu patroni, ſi quem habeant, aut ſui ſuperioris vel provincialis. Poſt inſtauratam religionem in beneficiis nullum ſuperiorem aut patronum agnoſcimus præter Regem.*

12. *Minores fratres, ut profitentes ſimulatam paupertatem, nihil habent feudandum, ſed eorum maximâ perfidiâ, in præliis apud Floudon & Pinquinum facti ſunt ditiſſimi.*

13. *Major pars Capituli, præter concedentem, pro toto ſufficit, & qui duo beneficia habet, duo ſuffragia habere debet.*

14. *Forma conſenſus Capituli ante inſtauratam religionem: a qua uſu noſtro receſſum, qui cum jure communi convenit. Poſt mortem Prælati ſubſcribentes nihil agunt: ſecundus præferetur ſi plenum numerum ſubſcriptionum primus comparaverit.*

15. *Si non ſit Capitulum, uſu noſtro, ſigilli appenſio cum confirmatione Principis defectum Capituli ſupplet: tandem ad evitandas multas fraudes cautum eſt, ut & ſubſcriptiones capituli adhiberentur, ut in aliis etiam caſibus ſtatuto publico eſt proviſum.*

16. *An capitulum ſede vacante in feudum dare poſſit? Decanus in ſpiritualibus, ſed non in temporalibus, Epiſcopi perſonam ſuſtinet, ac in his quæ ſunt nudæ tantum adminiſtrationis: at aliud in locationibus apud Anglos.*

17. *An inferiores Prælatis feudare poſſunt dubitatur per textum* 1 F. 1. pr. *& variæ ſunt opiniones: ſed apud nos indiſtinctè permittitur, niſi de Eccleſia cathedrali dependeant, aut feudum illud fuerit de menſa Epiſcopi. De uſu apud nos. Continuatio expoſitionis dicti textus.*

18. *In feudis Eccleſiaſticis, & feudis terrarum hoſpitalium hoc ſemper obſervandum, ut Eccleſiæ conditio reddatur melior, per cenſus ſive rentalis augmentationem. Quæ ſub cenſu comprehendantur. Eccleſia ſemper pro minore habetur.*

19. *An ſine conſenſu Prælati, vel Capituli, Eccleſiaſtica quævis perſona, tanquam minor ſine curatore, conditionem ſuam meliorem facere poſſit?*

20. *Omnes emphyteuſes terrarum Eccleſiaſticarum debent à Rege ratificari, ſed non feuda. Monaſteria ſpeciali acto prohibita ſunt in emphyteuſin dare; ſed per erectiones dominicas permittuntur. Monachi in feudum non dant, cum nihil habent. Nec ullæ terræ mortificari poſſunt abſque conſenſu Principis, vel earum ſuperioris.*

1. SUPEREST ut de *Eccleſiaſticis* & clericalibus *feudis* dicamus: nam & Eccleſiaſticas perſonas feuda concedere poſſe ex textu *(a)* patet. Sanè prioribus ſeculis Eccleſia feuda non recipiebat, ſed ex ſolis eleemoſynis alebantur: primuſque fuit Urbanus ſecundus, qui vixit circa annum Domini 1088, & Papatum ad duodenos annos tenuit, qui conſtituit, ut Eccleſia fundos & prædia à fidelibus oblata reciperet; ut Platina in ejus vita teſtatur. Sed cùm hoc inſtitutum pleriſque diſpliceret, nec cum Eccleſiæ ſinceritate convenire crederetur, variæque diſputationes orirentur,

(a) 1 F. 1.

orirentur, licerétne *Ecclesiasticis personis* dominia rerum, fundos, & alia bona temporalia acquirere, & possidere. Papa Joannes XXII. acerrimâ & Papali vehementiâ digniſſimâ conſtitutione declaravit, omnes eos Hæreticos, qui affirmarent Dominum Jeſum, aut ejus Apoſtolos nihil proprium habuiſſe, in eoſque omnes qui hæc aſſererent anathema Papale fulminavit *(a)*. Sed videamus ſi Papæ omnia ſint credenda, & utrum Chriſtus, Dominus & caput Eccleſiæ, & cum Domino ſuo Petrus, Paulus, & reliqui Apoſtoli, Matthæus & Lucas Evangeliſtæ in hanc Papalem excommunicationem incurrant, & Hæreticorum numero debeant comprehendi. Nam Chriſtus ipſe teſtatur *(b)*, ſe nihil proprium habuiſſe : *vulpes* (ait ille) *ſuas foveas, volucres cœli nidos habent, ſed filius hominis non habet ubi caput reclinet :* quod & etiam Apoſtolos ſuos docuit *(c)*; *Nolite* (ait) *poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam, neque peram, neque duas tunicas.* Et Petrus planè in actis Apoſtolorum *(d)* ait, *ſe aurum & argentum non habere.* Lucaſque evidenter declarat, *omnia apud Apoſtolos in initio fuiſſe communia (e).* Hæc itaque apud omnes ſanos confirmari poſſunt, Chriſtum & Apoſtolos nihil proprium habuiſſe, quod & ipſi de ſe profeſſi ſunt, cum *in ore Domini non ſit inventus dolus*, ut ait Propheta *(f)*, & Scriptura à Spiritu Sancto auctoritatem habeat. Sequitur ergo ex hoc ſyllogiſmo, ſaltem ex propoſitione hac Papali, neminem eos ab hac excommunicatione aut nomine Hæreticorum poſſe liberare, præter ipſum Papam. Sed operæ pretium eſt videre, quibus rationibus adductus Joannes XXII. eos Hæreticos affirmet, qui contrarium aſſerunt. *Manifeſtè* (inquit ille) *oppugnant ſacram Scripturam quæ Dominum Jeſum aliqua propria habuiſſe teſtatur* : at locum non notat, credi ſibi vult. Gloſſator tamen in eo loco multum ſe torquet, ut aliqua Scripturæ loca adducat, in quibus Chriſtum dominium rerum acquiſiviſſe, & proprium aliquod habuiſſe poterit probare. Primò enim Magi Chriſto obtulerunt aurum, thus & myrrham, & cum in oblationibus rerum, dominia tranſeant ab offerentibus in Eccleſiam, Chriſtus autem erat Eccleſia, itaque Chriſtus habuit rerum oblatarum dominium. Pulchrè profectò ! At Chriſtus habuit veſtimenta dealbata, tunicam inconſutilem, Petrus domum, Apoſtoli panes, imò Dominum juſſiſſe Petrum ſolvere didrachma pro eo : ex quo loco acutiſſimus Gloſſator Chriſtum, ait, voluiſſe transferre dominium illius didrachmatis, quod apud illum prius erat, in alium, neque illum voluiſſe aut debuiſſe ſolvere ex alieno. Hæccine ludibria juris contra apertiſſima Scripturæ verba à viris ſanitatem morum profeſſis adduci debent ? Nam licet hæc & plura videamus hodie à mendaciſſimis Fratricellis & Hieronomytanis poſſideri, viz. domos & regalia palatia ad uſum habitationis, veſtem contra injurias cœli, victum ad ſuſtinendam vitam, imò quod ex jure licitè hereditatis & legatorum ſunt capaces, nemo tamen dubitat quin altiſſimam paupertatem profiteantur, propriumque nihil habeant. At Chriſtum cum longè minora poſſideret, non dubitant Papa & Gloſſator impudentiſſimè affirmare, eum in proprietate multa habuiſſe. Sed fatale erat poſt milleſimum annum Antichriſtum venturum, & miſero orbi Chriſtiano illuſurum *(g)*. Dabitur mihi à viris doctis, ut opinor, venia, ſi paululum explanatiùs expoſuerim, quibus artibus Romana Eccleſia in hanc, quam nunc videmus, opum & dignitatis magnitudinem pervenerit : cum nihil mihi minus in animo ſit, quàm ut à propoſito divertam. Ut ergo ad illud redeam, & primo de Eccleſiaſticis perſonis, & Clero ;

2. *Eccleſiaſtici* dicuntur, quoniam Eccleſiis præſunt ; *Clerici* autem dici volunt, ad imitationem tribûs Levi, quòd eorum portio & hereditas ſit Dominus, quaſi reliqui Chriſtiani indigni eſſent qui membra Chriſti dicantur. Apud hos Pontificis Romani auctoritas omnibus præeminet. Is *Papa* ſive *Pontifex Max.* dicebatur. Papæ nomen unde originem habeat plerique dubitant. Sunt qui à *Papæo* dictum putant, quo nomine Scythæ Regii (ut ait Herodotus *(h)*) Jovem deorum maximum ſignificabant. Alii *Papam* quaſi *patrem* dici volunt ; & ſane in hâc ſignificatione a-

(a) Tit. 14. cap. 4. & 5. inter extravagantes. (b) Lucæ ix. 58. (c) Matth. x. 9. (d) Ib. xiii. 6. (e) Actorum ii. 44. (f) Iſæ liii. 9. (g) Vid. D. 3. § 1. (h) In Melpomene.

pud Juvenalem reperitur (a), *Timidus prægustat pocula Pappas.* In qua etiam ſignificatione avi, proavi, & progenitores *Pappi* dicuntur. Sic Auſonius,

——— Pappos, aviaſque trementes
Anteferunt patribus ſeri nova cura nepotes.

Forte ab Hebræo (*Abba*) metatheſi literarum. Nam in naſcente, ſive primitiva Eccleſia, *Papæ* nomen pro *venerabili patre* ſumebatur. Auguſtinus, ex imitatione infantium & lactentium, Hyeronymum *Papam* in epigraphe quarundam Epiſtolarum vocat. Sic & Chryſoſtomus eâdem voce utitur: tandem Patriarchis ſolis convenire videbatur, & reliquis Patriarchis deficientibus, ſoli Romano hoc nomen relictum eſt. Hodie duplicatâ literâ *P. P.* notatur, qua antiquitùs *Pater patriæ* notabatur. Sane temporibus Juſtiniani Imperatoris non erat nomen illud proprium Romani Pontificis: nam Juſtinianus, qui anno Domini 525. imperare cœpit, ad Joannem Romanum Epiſcopum ſcribens, eum tantum nomine Epiſcopi & Patriarchæ ſalutat quàm officioſiſſimè, in qua *Patrem* eum vocat, forte in Græco *Pappam*, urbiſque Conſtantinopolitanæ Epiſcopum fratrem ejus. Circa ea tempora nomen *Papæ* cœpit ei attribui, quod ad ſucceſſores eſt etiam prorogatum (b).

3. *Pontifici* autem *Max.* nomen Chriſtianis omnibus erat ignotum, niſi poſt corruptam pietatem & ſtabilitam Romanam tyrannidem, cum undique omnes conquirerent, quæ ad adulationem ejus poterant pertinere. Nam in primitiva Eccleſia nomen *Pontificis Max.* ne fando quidem auditum; ſed quæ tum erat ejus origo quæret aliquis? dicam: primò *Pontificis* nomen non à *ponte faciendo*, ut putat Varro, ſed à *poſſe* & *facere* indubiè dictum eſt. Antiquitùs enim *facere* pro *ſacrificare* uſurpabant. Apud Virg.

Cum faciam vitulâ pro frugibus, ipſe venito.

Soli enim *Pontifices* ſacra faciebant, id eſt, diis immortalibus ſacrificabant. *Maximus* autem is dicebatur, qui maximarum rerum ad ſacra pertinentium judex erat, &, ut ex Livio ab urbe condita libro primo conſtat, Numa Pompilius hunc ab initio inſtituit, eique ſacra omnia attribuit, ejuſque ſcitis omnia ſacra publica & privata ſubjecit, ut idem Pontifex non cæleſtes modo ceremonias, ſed etiam juſta quoque funebria, placandoſque manes edoceret. Hoc nomen ſibi Tyrannus Romanenſis palponum & adulatorum aſſentatione ſequentibus ſeculis vendicavit, nec mirum. Nam

——— Animas ille evocat orco
Pallentes, alias ſub triſtia tartara mittit.

Neque enim hoc nomen ſolum, ſed longè ante ſalutem humano generi partam, poteſtatem hanc, à Numa Pompilio, una cum nomine deduxit.

4. Et ſicut ex Numæ inſtituto, Pontifices erant ſub eo majores & minores: ſic etiam ſub noſtro hoc *Pontifice Max.* Nam erant qui pluribus provinciis præerant, quales antiquitùs erant Patriarchæ, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus, & Romanus: alii uni tantùm regioni ſive provinciæ præficiebantur, & hi *Archiepiſcopi* dicebantur: alii civitati, qui *Epiſcopi*, ſeu ſpeculatores, aut cenſores morum, Latinè dici poſſunt. Inferiores ſunt Præpoſiti, Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi, Lectores, Cantores, Subcantores, & qui in aliqua dignitate in Eccleſia metropolitana conſtituti fuerunt, & plerique alii quos tædet recenſere: hi enim eis ſubſunt. Sed & horum inferiorum nomina temporibus primitivæ Eccleſiæ incognita erant: & ne quis me ludere putet, verba Hieronymi ſuper epiſtola ad Titum ſubjiciam. *Idem*, ait ille, *Presbyter, qui Epiſcopus: & antequam diaboli inſtinctu diſſidia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego ſum Pauli, ego Apollo,*

(a) Sat. 6. (b) L. Inter claras C. de ſumma Trinitate.

Apollo, ego ſum Cephæ, communi Presbyterorum conſenſu Eccleſiæ gubernabantur. Hæc ideò libentiùs interpoſui, ut ſciant omnes Eccleſiam primitivam ex Presbyteris conſtitiſſe, & ex eorum conventibus & conſenſu gubernatam: quod nobis hodie vitio vertitur.

5. Itaque, ut ad propoſitum redeam, quod *Pontifex Max.* poteſt in feudum concedere nemini dubium eſt: eſt enim dominus Eccleſiarum & bonorum Eccleſiaſticorum. Itaque de ejus poteſtate dubitare, ſacrilegii crimen eſt, etiamſi innumerabiles animas ſecum in gehennam traxerit *(a)*: ſcitum enim eſt, neminem debere ei dicere, *Domine, quid facis (b)? Ipſe enim omnes judicaturus à nemine judicandus (c).* Et mihi videtur canon ille aptiſſimè declarare dictum illud Apoſtoli ad Theſſalonicenſes *(d)*, *quòd Antichriſtus ſedebit in eccleſia Dei, & elevabit ſe ſupra omne illud quod dicitur Deus*: quid enim aliud eſt, omnes ſe judicaturum profiteri, & à nemine ſe judicandum? nam in eo, quòd omnes ſit judicaturus, parem ſe Deo facit; quòd autem à nemine ſit judicandus, quiddam majus innuere videtur. Nam Deus ſæpe judicium cum populo ſuo poſtulat, ut ingratitudinis cauſa eluceſcat, &, ut ait Pſalmiſta *(e)*, *ut vincat cùm judicetur*; non autem ut omnino non judicetur, aut ut nemo ei dicat, *Domine, quid facis?* ut Prophetas & alios in ſacra pagina feciſſe legimus. Papæ autem poteſtas quatenus extendatur, his verſibus continetur in gloſſa *(f)*:

Reſtituit Papa, ſolus deponit, & ipſe
Dividit, atque unit, eximit, atque probat,
Articulos ſolvit; Synodumque facit generalem,
Transfert, & mutat, appellat nullus ab ipſo.

Ubi & ſingula hæc verba interpretationem habent ſuam, nolui tamen interpretationem particulæ illius *articulos ſolvit* prætermittere, quòd de articulis fidei intelligit gloſſa: quaſi Papa habeat poteſtatem, ut veteres *articulos* fidei *ſolvat*, & novos conſtituere poſſit, textumque adducit *(g)*. Itaque cùm Papa poſſit quod vult, quin etiam feuda poſſit concedere nemo dubitare debet *(h)*. Hinc itaque non ſolùm prædia & latifundia, ſed etiam integræ provinciæ in feudum conceſſæ: unde non ſolùm Ducatus, Marchionatus, Comitatus celeberrimi, quales ſunt Ferrarienſis, Parmenſis, multique alii Principatus, quos familiæ Urſinorum & Columnenſium hodie poſſident, à Pontifice Max. in feudum conceſſæ, ſed etiam regna altiſſima, qualia ſunt Neapolitanum, Cyprium, Hyeroſolomitanum, Arragonium, iniò & ipſum regnum Angliæ, feuda Romani Pontificis fuerunt. Neque ſolum patrimonium ſancti Petri & fundos ejuſdem Papa poteſt in feudum concedere *(i)*; ſed, quod majus eſt, res cujuſcunque Eccleſiæ, non ſolùm ſuæ, in feudum rectè dat. Ratio eſt, quoniam Papa eſt *Ordinarius Ordinariorum*, ut loqui ſolent, & cum omni Prælato in ſua juriſdictione & poteſtate concurrit. Itaque & terras aliarum Eccleſiarum in alieno territorio ſitas in feudum concedere poteſt *(k)*: denique eis uti vel abuti pro arbitrio poteſt.

6. In rebus tamen magnis, veluti in infeodatione regionis aut civitatis magnæ, quas in feudum concedit, Cardinalium conſenſus etiam adhiberi poteſt & ſolet. Nam *Cardinales* ſunt veluti *Capitulum univerſalis Eccleſiæ*, ut ipſi loquuntur, quod adhibetur frequentiſſimè. An autem ex neceſſitate requiratur neſcio, ſaltem affirmare non audeo, cùm Papa ſit dominus, & plenitudinem omnis poteſtatis habeat *(l)*, neque quicquam eſt quod non poteſt, niſi quòd non poſſit juri Divino omnino derogare *(m)*. Sanè ſunt qui ſine conſenſu Cardinalium res Eccleſiæ alienare putant

(*a*) Hoc non obſtante, quæri poteſt, cùm alienare, & in feudum concedere, ſint idem; quomodo Papa in feudum concedere poſſit, cui alienatio interdicitur; per Cauſ. 12. quæſt. 2. cap. 20. (*b*) Jobi ix. 12. (*c*) Cap. ſi Papa 6. diſt. 40. (*d*) 2 Theſſ. ii. 4. (*e*) Pſal. li. 4. (*f*) Gloſſ. in cap. ſicut. de exceſſibus Prælatorum, extr. (*g*) Cap. Quoties cauſ. 24. quæſt. 1. (*h*) Ut quilibet alius clericus per 2 F. 35. licet juri ſuo contrarium, per cauſ. 12. quæſt. 2. cap. 20. (*i*) Baldus, S. cap. 1. Qui feuda dare poſſunt. (*k*) Ioannes ab Imola, cap. Si eo tempore 45. de elect. in 6. (*l*) Cap. propoſ. 4. extr. de conceſſione præbendæ, &c. (*m*) Card. Zabarella in C. 1. de ſententia excom.

eum poſſe, licet meliùs facturum ſi eorum conſenſus requiratur *(a)*. Cardinalium poteſtas, niſi in feudis ſuarum Eccleſiarum, nulla eſt. Nominis *Cardinalis* etymologiam duplicem adducunt. Prima eſt, quòd ſicut Eccleſia univerſalis apud dominum Papam ſit, qui eſt oſtium Dei vel Eccleſiæ; ſic *Cardinales* ſunt quaſi *cardo* ſuper quem tale oſtium verſatur. Secunda eſt, ut dicantur *Cardinales*, quia ſicut oſtium præeſt, & *cardo* ſubeſt, ſic Papa præeſt, & *Cardinales* ſubſunt *(b)*. Cardinalium dignitatem non eſſe ex jure divino, ſed ex poſitivo Pontificis Romani, ipſi fatentur, neque multis annis poſt primitivam Eccleſiam notam fuiſſe, tantummodo à Pontifice Romano in concilio Lugdunenſi, quod circa annum Domini 1245. celebratnm eſt, inventam, & ad id tantum, ut mortuos ſepelirent, & infantes baptizarent. Itaque *Cardinales* dicti, quantùm conjecturâ aſſequi poſſum, quòd in *cardinibus* Eccleſiarum ſemper ſtare deberent, ſi quis mortuus interretur, aut puer baptizandus rogaretur, quemadmodum de *Valvaſſoribus* diximus *(c)*, qui ad *valvas* domini ſtare debebant, ad ejus mandata parati. Hanc etymologiam cum eorum inſtituto meliùs convenire puto, quàm priorem. An autem qui hodie *Cardinales* dicuntur circa id propter quod inſtituti ſunt verſentur, cuilibet judicandum relinquo: utcunque eſt, hodie conciliis Romani tyranni interſunt, atque in omnibus aſſiſtunt: neque licet iis à curia ſine venia diſcedere: quòd ſi diſcedant, *Legati à latere* munere funguntur. Itaque in feudis conſtituendis cum *Legati à latere* poteſtate & officio concurrunt; Legatus autem à latere, licet in provincia ei decreta idem poſſit quod Pontifex Romanus, tamen feuda Eccleſiarum inferiorum in ſua provincia, ex ſua ſola auctoritate, non poteſt concedere, imò etiamſi ſit ordinarius.

7. De *Epiſcoporum* autem origine & etymo ſunt qui dubitant. *Epiſcopi* dicebantur antiquitùs, qui in municipiis præerant pani & cæteris rebus venalibus, quæ civitatum populis ad victum quotidianum ſunt uſui; in qua ſignificatione uſus eſt Cicero in Epiſt. ad Attic. lib. 7. *Vult enim*, inquit Pompeius, *me eſſe quem tota Campania hæc & maritima ora habent Epiſcopum, ad quem delectus & negotia ſumma referantur.* Tranſlatione ad Antiſtites Eccleſiaſticos nomen hoc accommodatum eſt, quorum munus præcipuè eſt gregis ſibi commiſſi mores & vitam explorare, eleemoſynas in alimentum pauperum colligere, & pro ſalute gregis omnino providere. Itaque Epiſcopi in feudum dare per ſe non poſſunt, cùm ſint tantummodo nudi adminiſtratores, neque liberam diſpoſitionem rerum Eccleſiaſticarum habeant. Quòd ſi Prælatus aliquis terras Eccleſiaſticas in feudum dare voluerit, opus eſt conſenſu Capituli: ſic in omnibus aliis actibus, ubi verti poſſit præjudicium Eccleſiæ, conſenſus Capituli requiritur *(d)*. Prælatus verò cum conſenſu Capituli, ſi non liberam & omnimodam, ſaltem aliquam rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem habet, dummodo Eccleſiæ commodo & utilitate exactè ponderatis id fiat, ut infra dicemus *(e)*. Quòd ſi Eccleſia hæc ſit *patronata*, id eſt, habeat Patronum, ſive is ſit clericus ſive laicus, ſine conſenſu Patroni feuda dare non poteſt. Neque enim ferendum eſt, Patronum, qui ex ſuo patrimonio Eccleſiam dotavit, ita negligi, ut ad dotandas ſive quam ipſe dederat, alienanda, ejus conſenſus non requiratur: nam in parte dotis, fundandas Eccleſias reliqui redderentur ſegniores.

8. Quod de *Epiſcopis* & eorum Capitulo dixi, eadem repetenda ſunt de *Abbate (f)* ſive *Priori*, & ſuo Conventu; cujus tamen pars, id eſt, primus, eſt *Abbas* ſive *Prior*. Sed prætereundum non putavi, quod *Abbatis* nomen etiam inter proceres laicos numeratur: nam de *Abbatis* & *Abbatiſſæ* nominibus, primaque origine, multa ſunt quæ dici poſſunt. Hugo Capetus, qui ejectâ Caroli Mag. poſteritate, regnum Francorum ad ſe ſuoſque traduxit, *Abbas Hugo* dicebatur; & apud plurimos rerum Francicarum ſcriptores Abbates pro ſecularibus proceribus frequenter uſurpati. Cujus rei confirmationem qui requirit, legat Hottomannum in verbis feudalibus, de verbo *Abbas*, & Cujacium. Sane hodie nomen *Abbatis* pro eo qui monachali Conventui præeſt ſumitur, ut ille *Abbas* ſive *pater*, Monachi *fratres* inter ſe dicantur.

9. *Mona-*

(a) Doctores in C. ad audientiam de præſcript. (c) Archidiaconus S. diſtinct. 20. (c) D. 10. § 17. (d) Cap. Novit 4. extr. de his quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu capituli. (e) § 11. (f) 1 F. 1. & ibi D. D.

9. *Monachorum* origo antiquiſſima eſt, & in primitivæ Eccleſiæ tempora incidit: cùm viri contemplationi & ſacrarum literarum lectioni dediti, ut commodiùs ſtudiis & orationi vacarent, hominum cœtus fugiebant, & in vaſtiſſimas ſolitudines ſe conferebant. Extat epiſtola Gregorii ad Baſilium de vita in ſolitudine agenda: in qua quis erat priſcorum monachorum ſtatus, quæ vitæ conditio, in ſpeculo quaſi eluceſcit. Sed paulatim deſerveſcente verâ illâ animi pietate, plerique ſolitudine illâ abuti cœperunt, & ſe à publicis functionibus ſubducere. Extat Valentiniani & Valentis Imperatorum in hos Monachos reſcriptum *(a)*, cujus verba, ne quis me fingere putet, ſubjiciam: *Quïdam ignaviæ ſectatores, deſertis civitatum muneribus, captant ſolitudines ac ſecreta, & ſub ſpecie religionis, cùm cœtibus monazonton congregantur. Hos igitur atque in hujuſmodi deprehenſos erui latebris conſulta præceptione mandamus: atque ad municipia patriarum ſubeunda revocari, & pro tenore noſtræ ſanctionis familiarium rerum carere illecebris: quas per eos cenſuimus vindicandas, qui publicarum eſſent ſubituri munera functionum.* Hæc eorum temporum fuit de Monachis æſtimatio: unde & apud Juſtinianum *(b) Monachium* pro ſodalitate & conventu Monachorum ſumitur. Hæ autem *ſodalitates* poſtea à ſolitudinibus in frequentiſſimas urbes demigrârunt, & relicto priſtinæ conſuetudinis inſtituto, paulatim ad illecebras, & in deteriora vergentes omnia corraſerunt, quæ ad magnificentiam, luxum, & opes ampliſſimas facere poterant: neque ulla regio, præcipuè in hoc noſtro regno, frumenti aut rerum aliarum ad uſum humanum neceſſariarum ferax, in qua locus præcipuus ad hæc Monachia deſtinatus & extructus non erat. *Abbatiſſæ* autem nomen recentius eſt: nam præter vanam nominis derivationem, vix etiam corruptis Eccleſiæ moribus, ſocietates Sanctimonialium introductæ ſunt, circa annum Domini , quo anno Sanctimonialium religionem prima inſtituit licet mentionem Sanctimonialium, aut virginum Deo ſacratarum antiquiùs fuiſſe non negem *(c)*. Sed in prima inſtitutione Abbatiſſæ non erant vitales, id eſt, pro vita tota inſtituebantur; ſed tantummodo erant triennales, id eſt, ad triennium: finito triennio nova Abbatiſſa eligebatur.

10. Et hæ omnes dignitates, nempe *Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatiæ*, & in jure, & in foro, electivæ dignitates ſeu beneficia electiva dicebantur, ex eo quòd nullis in eam dignitatem niſi per electionem acceſſus pateret. Itaque *Archiepiſcopi* ab Epiſcopis, *Epiſcopi* verò à ſuo Capitulo *(d)*, accedente tamen procerum illius regionis conſenſu, *Abbates* verò & *Priores* ex conſenſu ſui Conventûs eligebantur. Poſtea ambitiosè contendentibus inter ſe Pontifice Romano, Gallorum & Scotorum Regibus, qui ſibi nominationem ad has præfecturas vendicare voluerunt, factum tandem eſt ut electio hæc, quæ antea omnino libera erat, in ordinem cogeretur, nempe ut à Capitulo ſive Conventu, tres præſentarentur: ex his tribus Rex unum nominabat, quem Pontifex confirmabat, cùm antea *(e)* Pontificis ſolius eſſet optio, quem ex præſentatorum numero confirmare vellet. Hujus tranſactionis inter Pontificem Romanum & Reges Gallorum & Scotorum monumenta extant, in pragmatica Sanctione *(f)*, & nonnullis noſtrorum ordinum conſtitutionibus *(g)*. Sed ſeneſcentibus moribus, & electio & nominatio ad Reges devoluta eſt: ita ut dicis cauſâ electio tantummodo à Capitulo poſtea fieret, & Rex quem vellet Pontifici præſentaret. Et hæc de dignitatibus electivis.

11. Minores autem Eccleſiaſticæ perſonæ, veluti *Rectores, Vicarii, Curati, Capellani*, & ſimiles, de jure communi in feudum dare non poſſunt: ſolus enim *Prælatus* in jure communi feudum dat. Hodie tamen, ſi patronum habeant, cum conſenſu ejus, & ſui ſuperioris, rectè in feudum dant. Monaſterium autem alicujus loci ſuperiorem habere poteſt, qui in eos juriſdictionem ſive correctionem Eccleſiaſticam habeat; & quando id contingit, præter Abbatis & Conventûs conſenſum,

(a) l. 26. C. de Decurionibus & filiis eorum. (b) l. 13. C. de ſacroſanct. Eccleſ. (c) d. l. 13. (d) Cap. Quia propter, 42 Extr. de Electione & electi poteſtate. (e) Vide D. 3. § 15. (f) De qua vide Hiſtoriam Gilberti Burneti, Of the Rights of Princes in the diſpoſing of Eccleſiaſtical Beneſices, &c. cap. 7. & tranſactio illa veriſimiliùs habenda eſt in concordata illa quæ inter Leonem X. Papam Ludovicum XII. Galliæ interceſſerat, de qua etiam dicto loco. (g) Cap. 53. Parl. 5. Jac. IV. & cap. 125. Parl. 7. Jac. V.

etiam illius ſuperioris, cui dictum monaſterium ſubeſt, conſenſus requiritur. Si cathedralis Eccleſia ſit, & laicum patronum habuerit, ejus etiam conſenſus cum Capitulo accedere debet: quod etiam in omnibus inferioribus Eccleſiis patronatis obſervatur, ubi conſenſus non ſolùm Eccleſiaſticæ perſonæ, aut illius Eccleſiæ in cujus corpore eſt, ſed etiam patroni ipſius requiritur. Sic Fratres prædicatores, licet Prior illius ordinis conſenſerit, tamen in feudum dare non ſolent res ſuæ Eccleſiæ, ſine conſenſu Provincialis totius ordinis in regno, qui eorum quaſi ſuperior eſt: nam in quolibet regno Provincialis unus eſt, qui reliquos in ordine contineat, & ad Synodum convocandi poteſtatem habeat. In uſu noſtro poſt reſtauratam religionem ſuperiorem in beneficiis, aut patronum Eccleſiaſticum, niſi Principem, non agnoſcimus *(a)*.

12. De minoribus Fratribus nulla eſt quæſtio, profeſſi ſiquidem ſimulatam paupertatem, nulla prædia, nullos fundos habent; ſed ſub prætextu pietatis ex interceptis teſtamentis, & ſtultæ pietatis zelo ditiſſimi facti ſunt: quod ex eventu poſt infelicem pugnam de Floudoun compertum eſt: nam qui eò pugnaturi proficiſcebantur, niſi confeſſione factâ remiſſionem à Fratribus minoribus impetraſſent, omnia mala ominabantur. Interea omnem pecuniam, monumenta, & ſi quid pretioſum alioqui habebant, eorum fidei committebant, ſperantes, ſe mortuis, illos ea quæ credebantur omnia fide integrâ poſteris ſuos reſtituturos: at illi, eorum qui in prælio occubuerant, nec fidem repoſcere poterant, bona in fundi comparatione, & Eccleſiæ, & Monaſterii exſtructione ad ſui ordinis homines convertebant: nec aliter accidit in acie Pinquini.

13. Quod autem de Capitulo & Conventu diximus, intelligendum eſt de majore parte eorum qui ſuffragia habent. Nam, ut vulgò dici ſolet, *ubi major pars, ibi totum*, quemadmodum hodie in Senatu, quod major pars facit, totus Senatus facere dicitur. Sed dubitari poteſt, an ipſe concedens numerum faciet, veluti cùm Prælatus cum media parte Conventûs in feudum det; aut ſi aliquis ex Capitulo, rem ſuæ Eccleſiæ cum conſenſu ſuperioris, aut dimidia parte Capituli in feudum det, an feudum rectè conſtituatur: ſed profectò præter concedentem, major pars Capituli debet conſentire, alioqui non rectè dicetur quòd Prælatus cum conſenſu Capituli fecerit, niſi majoris partis conſenſus accedat. Rurſus ſi quis duo beneficia in eodem tecto ſeu Capitulo ſuſtineat, an & hic duorum ſuffragia habeat & pro duobus numeretur quæri poteſt. Et ſanè ex jure cùm nemini duo beneficia ſub eodem tecto habere permittatur, hæc quæſtio, quaſi nunquam eventura, intacta fere relinquitur. Sed cùm & hoc ex diſpenſatione aliquando evenire videmus, & apud nos hodie nihil fere eſt, quod fieri non poteſt: puto etiam in tali ſpecie & hunc duorum numerum facere, & duo ſuffragia pro numero beneficiorum ei competere.

14. Forma autem conſensûs Capituli ante reſtauratam religionem apud nos hæc erat, ut Conventus ſive Capitulum in uno loco, poſt pulſatam campanam congregatum, in ipſo actu concurreret, ut in jure Civili conſenſus curatoris cum minore in ipſo actu concurrere debet, & hoc eſt quod vulgò dicitur, *capitulariter congregari*: nam alioqui niſi capitulariter congregati fuiſſent, emendicata ſeparatim ſuffragia, aut emendicatæ ſubſcriptiones non inducebant conſenſum, ut revera conſenſiſſe dici non poſſunt, qui non ſimul conſenſerunt: ſed, ut ait Poeta,

Quicquid multis peccatur, inultum eſt,

factum eſt in uſu noſtro hodie, ne tot emphyteoſes tollantur, ut majoris partis conſenſus etiam ambiendo vel mendicando impetratus, ſufficiat etiam ſine capitulari Conventu. Unum tamen hoc obſervandum, in quo uſus noſter cum jure communi convenit, ut ſi ſimul omnium conſenſus qui conſentire debent, in ipſo actu non interceſſerit, ſaltem vivente Prælato concedente eorum conſenſus obtineatur. Nam qui poſt mortem concedentis conſenſerit aut ſubſcripſerit, pro non conſentiente & non ſubſcribente habebitur: quoties enim in jure plurium conſenſus requiritur, ultimi conſenſus ad priorem retrahitur, ſi modò eo tempore quo ultimus conſenſerit prior

(a) Cap. 2. Parl. 1. Jac. VI.

prior vivat & in eadem voluntate permanſerit, ut adhuc conſentire poſſit. Quod ſi priores mortui fuerint, aut officio ſeu beneficio moti, aut voluntatem mutaverint, aut aliquid ſimile intervenerit, qualia multa ſolent tam de facto quàm de jure quotidie impedimenta occurrere, ultimus non poterit dici cum prioribus conſenſiſſe. Hinc fit, ut poſt mortem Prælati ſubſcribentes nihil agant, & proinde fit ut Prælatus, ſi in pleno & ſufficienti numero non conſenſerit, & poſtea mutatâ voluntate feudum alteri conceſſerit, cui ſecundo major pars priùs ſubſcripſerit, ſecundus hic primo præferetur, licet poſtea primus plenum numerum ſubſcriptionum comparaverit: ſecundus autem erat qui prior feudum perfectum habuerat. Perfectum enim in jure dicitur, quod ex omnibus ſuis partibus eſt abſolutum *(a)*, & Imperator *(b)* cum poeta, *nil actum credit quam diu ſupereſt aliquid agendum.*

15. Sed, dicet aliquis, quid ſi non fuerit Capitulum, ſive Conventus? an in hoc caſu Prælatus feudum per ſe conſtituere poteſt? Et profectò cùm Prælatus & Capitulum inter ſe ſint relata, uno interempto alterum per ſe ſtare non poteſt de jure; proinde in hoc caſu, & ſine Capitulo Prælatus in jure non rectè concedit feudum. Uſus tamen noſter, cui aliquando nihil non licet, defectum Capituli aut Conventûs (ſi omnino nullus ſit) ſigilli communis appenſione, cum Principis confirmatione ſupplet. Nam antiquitùs *(c)* ſigillum commune pro totius Conventûs conſenſu habebatur, quod adhuc in emphyteoſibus, ſeu locationibus Archiepiſcopatûs Sancti Andreæ obſervatur *(d)*, in quibus præſumitur Conventum & Capitulum conſenſiſſe, ex ſigilli illius communis appenſione. Et ſanè antiquitùs ſigilli communis appenſio cum Prælati ſubſcriptione, pro totius Capituli ſeu Conventûs conſenſu ſufficiebat, quod in pleriſque obſervari ſolet: neque enim apponebatur ſigillum, niſi in Capitulo ſolemni, &, ut illi loquuntur, in Capitulo capitulariter congregato, omnibus præſentibus & majori parte conſentiente. Sed cum fraude & dolo cuſtodis, vel ſordibus obnoxii, vel alioqui facilis & incauti, multa incommoda accidiſſent, factum eſt tandem ut etiam ſubſcriptiones Capituli adhiberentur. Sic & temporibus Jacobi IV. & V. Regum, cum fraudibus ſervorum & viduarum poſt mortem mariti, aut dominorum ſigilla falſis inveſtituris aut cautionibus appenderentur, publico regni ſtatuto cautum eſt, ne ſola & ſine ſubſcriptione concedentis & caventis ſigilla ſufficerent, aut ſi quis neſcire ſe ſcribere profiteretur, pro ſic profitente tabellarius publicus ſive notarius ſubſcriberet *(e)*. Itaque ſtat generalis regula, quòd Prælatus ſine conſenſu ſui Capituli aut Conventûs, neque inveſtire neque deveſtire, neque in feudum concedere quid poteſt *(f)*.

16. An autem Capitulum mortuo Prælato, & prælaturâ vacante in feudum dare poſſit, major fuit quæſtio. Nam ex jure Capitulum ſede vacante habet adminiſtrationem tam in temporalibus quàm in ſpiritualibus *(g)*: & Papali ſede vacante, omnis jurisdictio eſt penes collegium Cardinalium *(h)*: & proinde, ut vult Cujacius, poteſt etiam in feudum ſede vacante dare, etſi in collegio; adhibet tamen diſtinctionem, ut illud procedat in omnibus aliis Eccleſiis præter eas quæ *Cathedrales* dicuntur, id eſt, matrices Eccleſiæ, nos Epiſcopales dicimus: nam tum conſenſus Prælati omnino requiritur. Cenſuit idem Senatus in cauſa mota inter Dominum Davidem Chalmer Senatorem, & Joannem Johnſton civem Edinburgenſem, in reſcindenda emphyteoſi ædium, quæ in patrimonio Præbendariorum collegii de Crichton erant, & à collegio vacante Præpoſito in emphyteoſi dicto Joanni locatæ, licet ea non eſſet matrix Eccleſia: reſciſſa enim eſt illa emphyteoſis, quod Præpoſiti conſenſum non haberet, licet tum Eccleſia Præpoſito deſtitueretur. Itaque licet ſede vacante omnes utilitates quæ ex ſpiritualibus proveniunt ad Decanum ſive Vicarium generalem pertineant; in temporalibus tamen non adminiſtrat, neque Epiſcopi perſonam ſuſtinet. Itaque in feudum non concedit, nec cum ejus conſenſu factum,

(a) L. 1. pr. ff. de orig. juris. (b) Juſtinianus, l. 11. C. de his quibus ut indignis: vide Lib. 3. D. 1. § 17. in medio. (c) Cap. 8. § 3 & 4 lib. 3. Reg. Majeſt. (d) Cap. 3. Parl. 18. & cap. 8. Parl. 19. Jac. VI. (e) Cap. 117. Parl. 7. Jac. V. (f) Cap. novi 4. Extr. de his quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu Capituli. (g) Cap. 3. de ſupplenda negl. præl. in ſexto. (h) Cap. His quæ 11. Extr. de majorit. & obed.

cum eo quod factum cum conſenſu Epiſcopi eſt, parem habet auctoritatem. Inde fit, ut fructus, ſede vacante, ad Principem hodie apud nos pertineant, aut alium patronum quemcunque : ita ut licet rationes reddere antiquitùs tenebantur, hodie tamen ſunt ἀλογιστοι. At in controverſia inter Arthurum Areſquinum & Davidem Pitcarnium, de feudo & emphyteoſi fundi, quod in patrimonio Brechinenſis Eccleſiæ erat, acerrimè hæc quæſtio agitata eſt, cùm Pitcarnius defectum Prælati prælaturâ vacante à Decano & Capitulo conſentiente ſuppleri diceret, & quod Decanus, vacante prælaturâ, vices Prælati obeat ; Areſquinus contrà, Decanum vices Epiſcopi non ſupplere, niſi in ſpiritualibus, aſſereret. Res tamen, cùm acerrimè eſſet agitata, tranſactione tandem finita eſt. Sanè licet Capitulum, ſede vacante, liberam habeat adminiſtrationem, tam in temporalibus quàm in ſpiritualibus, ut antea dixi ; hoc tamen intelligendum eſt in his quæ ſunt nudæ tantummodo adminiſtrationis, & quæ differri non poſſunt. At aliud in locationibus apud Anglos. Nam Decanus & Capitulum poſſunt conſentire locationi factæ per aliquem ex præbendariis etiam ſine conſenſu Epiſcopi, licet ſit illius præbendariæ vel Ordinarius vel Patronus.

17. An autem inferiores à Prælatis, viz. *Presbyteri*, *Diaconi*, *Hypodiaconi*, *Lectores*, *Cantores*, *Rectores*, *Exorciſtæ*, Eccleſiaſticos fundos, ſive Eccleſiaſticum patrimonium in feudum concedere poſſint, multi ſunt qui ambigunt. Cauſam dubitationis ex verbis textûs colligunt *(a)* : *Si antiquitùs conſuetudo eorum fuit feudum dare*, quaſi interdiceretur omnibus Eccleſiaſticis perſonis, niſi Prælatis, feudorum conceſſio, niſi antiquitùs illi id jus in feudum concedendi habuerint, quod recentiores ad illud trahunt, quod feuda quæ ab Imperatore habent, non poſſunt aliis diſponere, niſi antea eadem ritè & legitimè fuerint diſpoſita ; quo quidem caſu non videntur nova feuda concedi, ſed vetera jure & legitimè ſemel conſtituta renovari. Proinde Silemanus ita verba illa intelligenda putat, ſi feudum antiquum ad Eccleſiam rediret, vel per mortem vaſſalli, vel per ejus illicitam alienationem : aut ſi Eccleſia fundum facile recuperare non poſſit, in his caſibus poſſe & licitè in feudum concedere putat : alioqui feuda nova conſtituere prohiberi per ſynodum Placentinam, quæ ſub Urbano Papa congregata eſt, ut Hoſtienſis narrat *(b)*. Sanè ex ipſo textu licere etiam inferioribus Eccleſiaſticis perſonis feuda concedere patet *(c)*, licet multi reſtringant ad res antea infeudari ſolitas tantùm, inter quos etiam eſt Cujacius.

Sed hæc quæſtio ad mores noſtros non pertinet, ubi indiſtinctè quibuſcunque Eccleſiaſticis perſonis, cum conſenſu patroni, ſi quem Eccleſia habet, in feudum concedere permittitur terras ad Eccleſias ſuas pertinentes ; adeò ut Rectores Eccleſiarum, & qui dicuntur Vicarii, ſi de Eccleſia cathedrali non dependent, cum conſenſu ſui patroni poſſunt in feudum concedere, modò legitimæ ſolemnitates obſerventur. Feudum autem ad Eccleſiam reverſum, ſive ex delicto vaſſalli, ſive alio quocunque modo redeat, Prælatum ſine conſenſu Capituli de novo in feudum dare poſſe omnes Feudiſtæ putant, & hanc rationem adducunt : priùs feudum valuit, inſtitutæque ex jure ſolemnitates omnes in eo obſervatæ fuerunt, & melior Eccleſiæ condito reddita, ergo & ſecundum valebit, cùm videatur tantummodo primæ repetitio in eodem ſtatu, non minùs quàm ſi feudum reſignatum fuerit in favorem alterius. Unum tamen caſum excipiunt, ſi feudum illud quod ad Eccleſiam revertitur fuerit de *menſa Prælati*, id eſt, ſi ad ejus victum & veſtitum fuerit ſeparatum, aut ſi decem annis in cenſu aut libris cenſualibus Eccleſiæ permanſerit. Nam tum dicitur eſſe de menſa Prælati ; quibus caſibus Prælatus ſine conſenſu Capituli, aut Conventûs, de novo infeudare non poteſt : ſed hoc ex jure. Ex uſu tamen noſtro, ſi feudum ad Eccleſiam plenè reverſum fuerit, de novo in feudum dari ſine conſenſu Capituli non poteſt, nec niſi iiſdem ſolemnitatibus obſervatis quæ in novo feudo conſtituendo ſolent obſervari.

Sed ut redeam ad interpretationem ſive expoſitionem illius clauſulæ quæ in textu habetur *(d)*, [*feudum dare poſſunt Archiepiſcopus*, *Epiſcopus*, *Abbas*, *Abbatiſſa*, *Præ-*

(*a*) 1 F. 1. pr. (*b*) In ſumma tit. de feudis. (*c*) 1 F. 1. 2 F. 35. (*d*) 1 F. 1. pr.

Præpositus, si antiquitùs feuda dare consuetudo erat] quæ verba haud dubiè ad Ecclesiasticas tantùm personas pertinent, cùm laicos & seculares indistinctè, & sine conditione in feudum concedere posse nemo sit qui ambigat. Imò, quod magis mirandum, in lib. 2. tit. 35. dilucidè declaratur, omnes Episcopos & Clericos in feudum concedere posse ea, quæ in dominico habent tempore introitûs, solo Mediolanensi excepto, quem, quod tempore introitûs sui in dominico invenerit, in feudum dare non posse certum est. Hujus difficillimi nodi solutio aperta erit, si personas distinxerimus. Neque enim Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, aut Præpositus, ea quæ in dominico invenerunt tempore introitûs sui, per se in feudum concedere possunt, sed ea sola quæ antiquitùs concessa erant, id est, si feuda antiqua & antiquitùs concessa eis de novo aperiantur. Nam videtur hujus textûs explicatio ex tit. 6. primi libri petenda, ubi Episcopos, Abbates seu Abbatissas, vel dominos plebis (quem *Plebanum* sive *Præpositum* dici putat Alvarotus & Zasius) ut quoscunque alios titulum perpetuum in sacerdotiis habentes, nullam potestatem in feudum de novo conferendi post synodum Placentinam, quæ, ut dixi, ab Urbano II. celebrata est anno Domini 1095. habere putat, ita ut quod ante datum fuerat, firmiter permaneat. Sic decimas in feudum dare ante concilium Latronense sive Lateranense Ecclesiasticis personis licuit; postea verò non, nec adhuc licet. Itaque glossa hunc locum intelligit de Ecclesiasticis personis, quòd per se in feudum concedere non possint ea quæ tempore introitûs in dominico invenerint (*dominicum, patrimonium* esse declaravimus;) quæ antiquitùs concessa erant, rata permanerent. Cum consensu tamen sui Capituli seu Conventûs, quodcunque erat patrimonii, sedis sive loci, poterant disponere de novo: & ita locum hunc intelligit glossa, Baldus, Cujacius, Silemanus, Zasius, reliquique Feudistæ omnes, feuda quæ ritè ab initio constituta ad Ecclesiam, vel ex facto vassalli, vel ex alia occasione redierant, posse eos in feudum concedere: nihil enim tum videbatur periculi, cùm renovatio tum sola eis permitteretur; ut & hodie fieri videmus, si quis feudum in domini superioris manibus resignaverit, pro nova concessione aliis danda: cogetur enim dominus hoc facto renovationem feudi ei præstare in cujus favorem facta fuerit resignatio. Zasius hoc addit, quòd tum videtur res infeudari solùm, si conditio illa sit rationabilis, & non damnosa, & res per quadraginta annos in feudo stetit, & ut non immutetur tenor antiquæ investituræ. Hæc opinio pro expositione illius nodi meliùs convenire videtur, quàm ea quam Hottomannus adducit, solitos nempe Imperatores Ecclesias seu Monasteria onere alendorum equorum gravare: id quia per se qui præerant, præstare non poterant, aliis feuda, ut id facerent, dare consueviſſe; quem abusum Urbanus Papa ex Ecclesia sustulit, & in synodo Placentina, ne equorum alendorum onera aut gravamina in posterum sub quacunque specie aut prætextu in se recipirent, perpetuo edicto sive decreto sancivit.

18. Semper autem in feudis Ecclesiasticis, quæ emphyteoses dicuntur, & in feudis terrarum hospitalium (nam hospitalia privilegio Ecclesiæ gaudent) hoc est observandum, ut per talia feuda melior Ecclesiæ conditio reddatur, vulgò censûs sive rentalis augmentationem dicimus. Neque sufficit ut ejus conditio non fiat deterior, aut nihil ei ex fructibus & reditibus sit diminutum: lædi enim censetur Ecclesia per talis emphyteosis concessionem, licet pro solito canone emphyteosis sit constituta, cùm liberè non possit tenentes aut colonos substituere, etiam licet ex fructibus nihil ei auferatur. Itaque pro libertate aliquatenus ei diminuta, melior & locupletior aliunde ejus conditio facienda est, & utilitas aliqua reponenda. Sub censu firmas, fructus, pecunias, sive pecoris pascendi, canas, custumas, servitia personalia, areagia, careagia, pastinationes agrorum, operasque alias quæ arando, serendo, stercorando, & similibus ex pacto & usu solent præstari, comprehendi censemus. Itaque si horum aliquid minuatur, non valet emphyteosis. Nam supra communem mercedem, aut præstationem, aliquid additamenti addendum est, in grati animi indicium; licet illud imaginarium aliquando sit, veluti cùm viginti aut quadraginta nummi aut solidi pro augmentatione censûs supponuntur. Ecclesia autem semper pro minore habetur, quoties de ejus commodis agitur: itaque regulariter

nec donare, nec investire, aut investituram facere potest: laici autem indistinctè in feudum concedere possunt, licet census minuatur. Licet autem valor canonis excedat mercedem emphyteosis, tamen si antiquitùs pro ea summa locatæ fuerint, emphyteosis valebit, etiamsi vel minimum quiddam in augmentationem datum fuerit; nec relevat si dicatur infra valorem dimidii pretii.

19. An autem sine consensu vel Prælati vel Capituli Ecclesiastica quævis persona possit meliorem conditionem facere, vel non, à pleriisque in dubium adducitur; nam sunt qui putant contractum hunc Feudalem nullum esse ipso jure, quia Ecclesiastica hæc persona sine consensu debito non contrahit, non minùs quam si minor curatorem habens sine ejus consensu contraxerit; nam ex jure nihil factum censetur, nec inquiritur læsúsne sit minor néene, & contractus ex parte unius claudicans in jure nullus censetur, nec valere nisi utraque pars obligetur. Alii contrarium tenent, & quòd Ecclesia privilegiis minorum gaudeat, qui sine consensu curatorum conditionem suam possunt efficere meliorem: & sanè hoc jure utimur, ut minor & Ecclesia æquiparentur. In re tam dubia, donec exemplum viderim, hæreo ipse, quanquam ad posteriores malo accedere.

20. Omnes autem emphyteoses terrarum Ecclesiasticarum, specialibus trium Ordinum statutis, debent à Rege ratificari seu confirmari (a): quod ad emphyteoses tantùm pertinet, & non ad alia feuda quæ non sunt emphyteutica. Monasteriorum, sive loci principalis alicujus Ecclesiæ, emphyteosis etiam speciali acto prohibita (b): sed hodie per has novas erectiones in dominicis omnium Monasteriorum alienationes & feuda permissa. Monachi, cùm nihil in bonis ratione suæ professionis habeant, in feudum non concedunt. Sciendum tamen est neminem terras ad manum mortuam concedere posse, nisi sit ipse Princeps, aut Principis consensus aut confirmatio accesserit. Ratio est, quia terræ ad manum mortuam concessæ, nullum servitium, nullam recognitionem domino debent. Itaque evenire potuit, prout sæpius evenit, ut multi stultæ pietatis zelo inducti, terras quas in feudo à Rege vel Principe, aut alio domino tenent, pro quibus operas militares & servitia debent, easdem terras ad manum mortuam Ecclesiæ concedant, & ita servitia superiorum eludant.

Diegesis decima quarta.

De his qui feudum possunt accipere.

SUMMARIA.

1. *In feudorum primordiis omnia feuda erant militaria; sed, moribus in mollitiem mutatis, huic generali regulæ derogatum est.*
2. *Si dominus principalis feudum det, cui libet potest, exceptis Judæis, apostatis, hæreticis aut excommunicatis: at aliter usu nostro. Fœminæ etiam feuda capiunt.*
3. *Pupillus etiam, furiosus & mente captus, non per se tamen, sed per tutores aut curatores. Sed juramentum fidelitatis differtur ad perfectam ætatem. Pupilli & furiosi in acquirendo æquiparantur.*
4. *Alienigenæ omnium gentium jure acquirere nequeunt, ex pervetusto discrimine civium & peregrinorum, quod multis exemplis ostenditur, ut & apud Anglos.*
5. *Nec Anglus in Scotia, nec Scotus in Anglia est feudi capax, per eorum statutum* 25. *Edwardi* III. de ultra mare natis, *ex ratione etiam juris Feudalis.*
6. *Suas etiam rationes & exceptiones habent Galli; & quæ acquirere permittuntur, ea etiam*

(a) Per cap. 7. Parl. 9. Jac. VI. (b) Per cap. 72. Parl. 9. Reg. Mariæ, & cap. 48. Parl. 3. & cap. 116. Parl. 12. & cap. 161. Parl. 13. Jac. VI.

etiam disponere possunt inter vivos: sed de iis testari nequeant, aut heredes habere. Sed ut hoc malum avertatur, naturalizatio excogitata est.

7. *Apud nos non ita agitur cum peregrinis, nisi ut pares vices Anglis rependamus: ex statuto Roberti Brussii, Scotus in Gallia, & Gallus in Scotia sunt tanquam nativi; idque ex veteri fœdere, nuper renovato.*

8. *Objectionibus respondet Auctor ab Edwardi III. statuto desumptis, idemque explicat.*

9. *An Banniti seu forisfacti, feuda acquirere possint? Si privatus concedat, nihil agit; sed Rex concedendo scienter, cum inhabilitate dispensare videtur, licet sint qui prius restituendum putent.*

10. *Si feudum ab inferiori concedatur, multa alia sunt observanda, ne domini sui conditionem faciat deteriorem, quod variis exemplis ostenditur.*

11. *An Clericus feudum accipere possit, & per substitutum servire. An Monachus, qui servo æquiparatur; de quibus diversæ opiniones sunt: qui feudum tali concedit, revocationem habet. Idem in alio ad servitia inepto.*

12. *Filius prohibetur feudum acquirere à patre; nisi per resignationem in manus domini superioris.*

13. *Tutores aut curatores feuda minorum acquirere non possunt.*

14. *An ex incestu aut damnatis nuptiis procreati sint feudi capaces, & quid juris de iisdem apud nos, & de jure civili hac in re.*

15. *Claudus cursoris, mutus patroni, & cæcus scribæ feudi antiqui capaces sunt, non autem novi.*

16. *Bastardi apud nos aliquando sunt feudi capaces: secus apud Gallos.*

17. *Ob vim & metum, provinciarum administratores, Judices, aut milites sunt feudorum incapaces; secus apud nos: tantum Senatoribus, aut aliud officium in Senatu gerentibus, speciali statuto injungitur, ut à re litigiosa abstineant.*

18. *Vassallus in prædio, quod de domino tenet, dominum rursus infeudare potest. Feudo, ratione forisfacturæ, aut Bastardiæ, ad Principem devoluto, vassallum novum veteri domino Princeps præsentat, in locum deficientis, quem prior dominus recipere cogitur.*

19. *Ad quem feudum incapaci concessum accrescat.*

1. IN feudorum primordiis, ut in virili ætate, ut antea diximus *(a)*, feuda nulla erant nisi militaria, feudumque nihil aliud nisi clientela militaris, neque quisquam erat ejus capax, qui non & militiæ: progressu tamen temporis, & degenerante paulatim militari feudorum virtute, etiam huic generali regulæ derogatum est, adeo ut etiam fœminis *(b)* & impuberibus; & aliis ad militiam minimè idoneis, feuda ex indulgentia Principum & dominorum concederentur. Sed ab initio hoc parce & sub speciosо prætextu, nempe pro bene meritis parentum & propinquorum, quos subita mors dominorum munificentiæ subtraxerit, &, *ut in prolem transcurrat gratia patrum*, ut ait Poeta.

2. Itaque, ut qui feudum accipere possunt plenius intelligatur, primò considerandum est, quis dat feudum, utrum dominus principalis & primus; id est, qui à Rege primus habet beneficium, an verò valvassor, aut eo inferior, quales sunt valvassini. Nam si dominus principalis in feudum dat, potest cui vult concedere, sive libero, sive servo, sive masculo, sive fœminæ, diviti, vel pauperi, laico, vel clerico; nec ulla in his distinctio accipientium est *(c)*. Nihil est enim tam naturale, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferri ratam haberi. Ita tamen hoc intelligendum est, ut neque *Judæis*, neque *Hæreticis (d)*, neque *Apostatis*, neque similibus personis feuda concedantur: neque enim hi feudorum sunt capaces; nihil enim commune cum cæteris Christianis ex jure habent, aut saltem habere debent *(e)*. An autem *excommunicatus* feudum accipere possit, major est dubitatio; nam ut Canones *(f)* loquuntur, *conversatio cum excommunicato sine periculo conscientiæ esse non potest, & crimini datur.* Sed ex usu nostro, nihil impedit quo minus hic feudum recipere possit: neque enim *excommunicatus* acquirere

(a) D. 9. § 19. (b) 1 F. 8. & 24. & 2 F. 30. (c) 2 F. 3. § 1. Vers. personam. (d) L. 4. & 10. C. de Hæreticis & Manicheis. (e) Præcipue post Statutum 3. Sess. 9. Parl. unici Gul. apud nos II. (f) Can. 16 & 17. Causæ 11. Quæst 3.

rem ex justo titulo prohibetur *(a)*: idem de rebelli simplice, quem nos *denunciatum ad cornu* dicimus. Fœminæ antiquitùs feuda capere non poterant *(b)*; cum neque servire in militia ob sexûs decorum, neque consilium domino dare ob sexûs infirmitatem, neque domini consilia arcana servare posse: hodie tamen sine discrimine ad feuda admittuntur *(c)*.

3. Pupillus *(d)*, furiosus, & mente captus, feuda accipere possunt: sed neque infans, neque furiosus, aut mente captus, feuda per se rectè acquirunt, quia pro absentibus habentur, consensumque non habent; per tutores tamen, & curatores rectè feuda capiunt; solique curatores investituram accipiunt, & domino serviunt. Quod si pupillus fari possit, aut aliquis in eo rationis sit usus, quem discursum vocamus, vel solus per se, vel per curatorem, vel tutorem, rectè investitur *(e)*. Juramentum tamen non præstabit, sed ad perfectam ætatem differetur *(f)*; & breviter eadem in pupillis qui consensum non habent, & furiosis, in acquirendo feudo sunt observanda, quæ in rerum temporalium traditione præscribuntur; nempe ut vacua possessio infanti, si fari possit, alioqui ejus tutori aut curatori tradatur *(g)*. Sed, ut ait ibi Imperator, *quamvis auctorum sententiæ sint dissentientes in infante, consultius tamen videtur, licet plenus animi affectus in infante non fuisset, possessionem tamen per traditionem acquirere, alioquin* (ut ait ille) *sicuti consultissimi viri Papiniani responso continetur, nec per tutorem infanti possessio posset acquiri*, quia in illa acquisitione pupillus animi plenum affectum non habet.

4. Præterea extra regnum domini principalis nati, sive *Alienigenæ*, ex usu omnium regnorum Christiani ferè orbis feudum acquirere non possunt *(h)*: quod ut clarius & evidentius sit, certum est, discrimen inter civem & peregrinum pervetustum esse, multaque civium privilegia fuisse, multaque eis licuisse, quæ peregrinis non licebant. Nam apud Romanos peregrinis testamenti factio non erat, sed eorum bona fiscus vendicabat *(i)*, (nisi quod aliquando clientum bona patroni usurpabant) neque cuiquam permittebatur legatum peregrino concedere, ut ex multis Ciceronis locis constat. Apud Athenienses sexta pars bonorum, peregrinis decedentibus, & servi omnes publico fisco vendicabantur. Hodie in multis Germaniæ locis, & in totâ Bohemia, Italia, & præcipuè Ferraria, ne glebam agri peregrinis hereditariè acquirere licet; imò ne usumfructum Mediolani. Et, quod magis mirum est, nec debitorum civium bona peregrini creditores hastæ subjicere possunt apud Anglos, nisi ea statim creditores civibus velint vendere (unde innumeræ fraudes quotidie emergunt) aut jus civis Principis rescripto impetrârint, pro quo pecuniam pendere necesse est. Apud Moschos, Lituanos, Tartaros, & in universo Turcarum Imperio, si feudum aut jus hereditarium peregrinus acquisiverit, statim fit caducum.

5. Et ut ad mores nostrarum regionum veniamus, neque Scotus in Anglia, neque Anglus in Scotia feudi capax est. Nam qui in fide Regis non est, nec beneficii sive feudi sub eo capax. Quod ad Anglos attinet, expressè id cavetur statuto (quod *de natis ultra mare* dicitur, quod 25. anno Edwardi III. factum est) in quo *Alienigenæ*, id est, extra regnum nati, & ex iis parentibus, qui Principem illius regni in quo feudum situm est, pro domino non agnoscunt, ab omni acquisitione feudi & successione in feudo prohibentur. Ratio hæc traditur, quòd non sit æquum beneficium ab eo accipere, qui Principem concedentem non agnoscit pro domino. Itaque aut ille est agnoscendus, aut quodcunque ab eo beneficium conceditur, sive mediatè, sive immediatè refutandum. Alia ratio ex ipso jure feudorum desumitur. Nam dominus naturaliter in vassallum jurisdictionem habet, quam tamen *alienigena* facile ad suos se recipiendo eludet: & cum jure feudali, si quæ controversia inter dominum & vassallum inciderit, sive de jure feudi, sive de servitio, vassallus domini

(a) Vid. lib. 2 D. 18. § 31. (b) 2 F. 36. ibi, servire, &c. vid. lib. 2. D. 14. §. 2. (c) 2 F. §. 1. Vers. personam. (d) Pr. Instit. de auct. tut. & § 9. Instit. de inutil. stip. & l. 101. ff. de V. O. (e) L. 5. ff. de reg. jur. (f) 2 F. 26. § 4. ibi: Si minori. Vel eorum tutores, aut curatores absque speciali mandato, pro iis juramentum fidelitatis præstant, cum eorum officium sit pro mandato, Vulteius de feudis, lib. 1. cap. 7. n. 41. 2 F. 26. § 5. (g) L. 3. C. de acquir. vel retin. possess. (h) Vid. lib. 2. D. 18. § 24. (i) L. 1. C. de hæred instit. & l. 1. § 2. ff. de leg. 3.

ni forum & territoria ſequi tenetur, & ejuſdem fit diſtrictûs: ſi peregrinus aut *Alienigena* feudum acquiſiverit, turbatâ totâ ſuâ juriſdictione, dominus vaſſalli ſui forum ſequi cogetur, & alienæ juriſdictioni ex facto vaſſalli ſe ſubmittere, quod eſſet iniquiſſimum *(a)*.

6. Aliæ etiam rationes in Gallorum conſtitutionibus traduntur: iniquum enim putant ut regni ſui opes & commoda, præcipuè quæ in regno ab aliis parta ſunt, per alienationem ſive venditionem à peregrinis extra regnum evehantur, quorum operâ in bello, ſi neceſſitas exigat, Princeps uti non poſſit. Itaque apud Gallos bona extraneorum (quos illi *Aubenis*, id eſt, *alibi natos* vocant) fiſcus vendicat, etiam excluſis veris & legitimis heredibus. Unus caſus excipitur, nempe ſi bona illa ſecum extraneus in regnum attulerit: nam tunc ejus heredes efferre permittuntur, quia nulla ſui parte reſp. ſive regnum læditur. Apud Gallos tamen, ut feuda acquirere, ſic & de iis dum vivunt diſponere poſſunt: ſed neque de eis teſtantur, neque heredes eis in hoc feudo ſuccedunt. Hoc malum ut avertant qui in alieno regno feudum acquirunt, ſolent, vero ſuo Principe ejurato, fidem novo Principi, in cujus terra feudum acquirere cupiunt, obſtringere: Galli *Naturalizationem* Angli *Denizationem* vocant. Mirum certè, cur hæc tam ſeverè hodie obſerventur, cum antiquitùs Angli non ſolum extranei, ſed, quod magis eſt, Gallorum hoſtes, multos Galliæ principatus tenuerint in feudo.

7. Apud nos hæc non tam ſeverè obſervari puto; neque unquam prædia, aut bona immobilia alicui ablata, ex eo quòd extraneus eſſet, memini, niſi nemo eſſet qui peteret: tunc Rex quaſi ultimus heres ſuccedit *(b)*. Serò tamen, & ut pares vices Anglis noſtri redderent, publicâ conſtitutione cautum, ne Angli in Scotia ſecularia aut religioſa beneficia capere poſſent, idque ex Roberti Bruſii conſtitutionibus derivatum *(c)*. Certum tamen eſt multas nobiles & primæ dignitatis familias apud nos, originem ab Anglis cepiſſe, qui feuda Principum beneficio acceperunt, & ea ſuis poſteris ampliora reliquerunt. Scotus tamen in Gallia, & Gallus in Scotia, tanquam nativi & naturales, & Scoti communiter eiſdem privilegiis, muneribus, officiis, beneficiis, dignitatibus, quibus Galli, fruuntur, viz. ac ſi Scotus in Gallia nativus & naturalis eſſet Gallus, & ſic Gallus in Scotia. Hoc ex vetere illo fœdere, ſive conſœderatione, quæ primo interceſſerat inter Carolum Magnum Galliæ Regem & Imperatorem, & Achaium Scotorum: quod licet inviolabiliter & quaſi adamantino vinculo ab utraque gente confirmatum *(d)*, tandem in nuptiis Franciſci Delphini, & Mariæ Scotorum Reginæ, quæ menſe Aprili anni 1558. celebratæ ſunt, renovatum eſt, & inter acta publicorum Comitiorum utriuſque regni relatum *(e)*, quo & Galli & Scoti adhuc inconcuſsâ utrinque fide fruuntur. Hæc ideo, ut, ſi poſtea controverſia de tali quæſtione inciderit, ſciant poſteri unde hujus privilegii extractum exemplum poſſint petere.

8. Erant ex Anglis, qui omnia turbare cupientes, regnique noſtri cum Anglia conjunctionem, tot ſeculorum votis & precibus (ſed fruſtra) exoptatam, ut averterent, ac Regem noſtrum, Principem omnibus naturæ & ingenii dotibus inſtructiſſimum, à debita ſibi ſucceſſione in regno Angliæ excluderent, neſcio quid comminiſcebantur de conſtitutione illa Edwardi III. quæ extraneos omnes (inter quos & nos numerant) à ſucceſſione feudorum in Anglia prohibere videtur. Quibus hoc unum reſpondeo *(f)*, non ſemper eſſe eaſdem leges ſucceſſionum in regnis, quæ in privatorum hereditatibus: has à privatis regni ſtatutis ſive legibus pendere; illas privatorum legibus non eſſe obnoxias, ſed naturalem æquitatem, & jus univerſale gentium & rerumpublicarum, quæ benè conſtitutæ ſunt, reſpicere Nam certum eſt, aliud jus eſſe in regno, aliud in feudo. In feudo æquum eſt, ut eæ leges quas dominus præſcribit in ſucceſſione ſerventur: at regnum feudum quoad homines dici non poteſt; neque enim de ullo tenetur, aut ulli fidem aut hominium debet *(g)*: itaque naturalis ratio & jus commune in regni ſucceſſione obſervantur. Adde

(*a*) Argumento l. unic. C. de alienatione judicii mut. causâ fact. (*b*) Cap. 55. lib. 2. Reg. Majeſt. (*c*) Cap. 7. Parl. 1. Jac. III. (*d*) Cap. 23. Parl. 3. Jac. IV. (*e*) Cap. 65 & 66. Parl. 8. Reginæ Mariæ. (*f*) Vid. lib. 2. D. 1. § 16 & 18. (*g*) Vid. D. 12. § 1.

quòd & constitutio illa Edwardi III. de natis *ultra mare* disertis & expressis verbis loquatur; inter quos ille enumerari non potest, quippe qui inter quatuor maria sit natus, altus & educatus. Quatuor autem maria ea dicuntur, Oceanus Gallicus, Hibernicus, Deucaledonius, & Germanicus, quæ quatuor insulæ Britanniæ latera alluunt. Præterea apertè in ipsa constitutione, *liberi Principis* excipiuntur: liberorum autem nomine pronepotes, adnepotes, & trinepotes comprehenduntur; prout latiùs prosequemur in Tit. *de Successione in feudo (a)*, in quem cætera quæ ad hanc quæstionem pertinent remittimus.

9. An autem *Bannito* (nos *Forisfactum* dicimus) *(b)*, Princeps feudum concedere possit, quæstio moveri potest. Ratio dubitationis hæc est, quoniam hic per bannum, sive forisfacturam, ab omni jure divino, & humano, & ab omnibus commodis & participatione quæ inde proveniunt, excludi videtur. Et sanè si quis Principe inferior tale feudum concedat, nihil facit: quoniam qui recipit, omnis beneficii est incapax: Princeps tamen si feudum concesserit sciens incapaci, videtur cum ejus incapacitate dispensare, & eum natalibus restituere *(c)*. Et hoc ex argumento juris Canonici, ubi Pontifex Rom. si prudens & sciens excommunicato beneficium concesserit, aut eum ad osculum pacis admiserit, videtur cum excommunicatione dispensare. Certum enim est ex jure Canonico, quòd si Papa sciens promoveat ad Episcopatum spurium, homicidam, apostatam, furem, perjurum, & si quid gravius sit, videtur cum eo dispensare *(d)*: in qua opinione & ego sum, quoad remissionem criminis, & capacitatem futurorum commodorum in regno *(e)*. Nihil enim interesse puto in abolitione criminis, sive quis verbis sive literis voluntatem suam demonstret: licet plerique sint viri magni, qui bannitum seu forisfactum priùs restituendum putant, quàm ullius beneficii sit capax; saltem crimen ei expresè ex indulgentia Principis remittendum. In quo casu, licet ad præterita bona restitui non videatur, saltem nova acquirendi & possidendi jus ei fit: & hæc opinio à veritate non multum abhorret, cum quæstio in utramque partem possit agitari, decisionem tamen adhuc non vidi. Hæc de feudis quæ à primo domino conceduntur.

10. Quod si ab inferiore concedantur, multa alia observanda sunt; nam valvassor, aut eo inferior, non potest feudum alteri subvalvassori minus apto ad servitium illius, ad quod concedens domino suo tenetur, concedere *(f)*. Itaque si militare sit feudum, neque fœminæ concedere potest: cum ea vices vassalli apud dominum supplere non possit; neque muto, neque surdo, neque cæco, neque manco seu mutilato, aut aliquo singulari vitio corporis affecto, quod, si non militares operas omnino tollere, saltem remorari potest *(g)*. Nam hoc facto domini sui conditionem facit deteriorem, quod non licet, neque servo alieno, qui non habet liberum arbitrium vivendi ut velit, & proinde neque ex suo arbitrio domino serviendi *(h)*. Neque Judæo, neque hæretico, neque apostatæ, ut diximus *(i)*, neque iis qui in Banno domini Regis sunt, aut illius Principis cui dominus principalis subest, nec deportato, potest valvassor feudum concedere. Nam omnes hi inhabiles sunt ad serviendum: imò, ut tenent Feudistæ, neque inimico domini sui capitali potest feudum concedere *(k)*, cum feudum sit res domini sui, & in patrimonio ejus censeatur. Itaque ejus rei aut possessionem, aut dominium utile, in inimicum capitalem domini transferre religio est *(l)*. Item, nec potentiorem domino suo potest in feudum substituere, veluti Comitem vel Baronem, qui neque ad servitia tam facile cogi possunt, neque tam habiles sunt ad serviendum, conveniendi facilitate *(m)*: imò neque ulli alii qui dominum vexare potest, aut ei molestias exhibere. In his enim omnibus domini conditio *(n)* fit deterior. De simplici banno, quod nos *ad cornu*

(a) Lib. 2. D. 18. § 24--28. (b) Vid. lib. 2. D. 18. § 23. (c) L. 3. ff. de officio Præt. & l. 57. ff. de re judicata. (d) Cap. cum nostris 7. Extra. de concessione præbendæ, & d l. 3 & 57. (e) Ex ratione omnium optima, scil. exemplo Christi erga Petrum lapsum; Apostolum postea factum, Joannis xxi. 15. ---- 18. (f) 2 F. 34. § 2. (g) 2 F. 36. (h) L. 4. ff. de reg. jur. (i) § 2. (k) Vid. § 19. (l) L. 1. § 10. ff. de officio Præfecti urbi. (m) Argumento l. 2. ff. qui satisd. cog. (n) § 9.

cornu dicimus, antea dixi. Quæ de Bannito diximus, de relegato ad tempus non intelligenda : nam is utriuſque gentis jure, & etiam civili, omnia ſua retinet.

11. Quod ad *Clericum* attinet, multi ſunt qui eum feudum accipere & per ſubſtitutos ſervire putant. Sed hæc ſententia, quoniam cum conſcientia & ratione pugnat, eleganter à Zaſio deridetur : *Perinde enim*, ait, *eſſe ac ſi quis furem ex uſet, quod non ipſe, ſed ejus ſubſtitutus ex ejus mandato, conſilio & ope, furtum fecerit.* Et ſanè in jure, qui per ſe facere non poteſt, per alium poſſe non videtur, & quod principali prohibitum eſt, & ejus ſubſtituto *(a)* : &, ut aiunt Canoniſtæ, nemo Deo militans ſecularibus negotiis ſe implicare debet: arma enim paſtorum Eccleſiæ ſpiritualia ſunt, &, ut Canoniſtæ volunt, preces & lachrymæ eſſe debent, non tela. Nam, ut ait Hieronymus, *Clericus* eſt de ſorte domini, qui divinis officiis & contemplationi deditus, ab omni ſecularium ſtrepitu ſubmotus eſſe debet, victu & veſtitu contentus, ut ipſe dominum poſſideat, & ab ipſo poſſideatur, alioqui quomodo erit portio domini ? Hæc ſententia plus æquitatis præ ſe fert ; prior tamen in uſu eſt : nempè *Clericum* poſſe feudum accipere, & per ſubſtitutum ſervire *(b)*, quod & cum jure convenit *(c)*, ubi diſertè ſcribitur Epiſcopos, Abbates, ceteroſque clericos feuda Regum ſeu Principum accipere poſſe. In Monacho dubium eſt, quoniam in jure ſervo æquiparatur : quicquid enim acquirit, Monaſterio acquirit, & omnino ad ſerviendum eſt ineptus, & ſic domini voluntas inverteretur, ſi feudum conceſſerit, & vaſſallo careat *(d)*. Sunt qui putant Monachos feudum accipere poſſe, & Monaſterio acquirere, & ſic concedentis voluntatem interpretandam eſſe, veluti ſi pater ſciens filio, qui Monachiſmum induit, prædium in feudum conceſſerit, videtur Monaſterio per eum conceſſiſſe, & ſic ab initio voluiſſe. At ſanè in hoc libro ſecundo expreſsè narrat Obertus, ſi vaſſallus Monachiſmum induat, ſi novum ſit feudum, acquirere ſibi vel Monaſterio poſſe ; ſi paternum aut hereditarium, proximo agnato reſtituet. Itaque pro ſolutione hujus dubii, qui Monachum feudi incapacem eſſe volunt, de ſucceſſione in feudo intelligendi ſunt, nempe Monachum in feudo ſuccedere non poſſe : ſed novum feudum accipere poſſe ; nam id domino imputatur, qui ei, quem ſciebat ſervire non poſſe, feudum conceſſerit. Unde multi colligunt, ſi quis Monacho aut Clerico, quem Monachum aut Clericum neſciebat, feudum conceſſerit *(e)*, feudi revocationem habere. Idem in ſurdo, cæco, muto, & alio ad ſervitia inepto, quem dominus ſurdum, cæcum, aut mutum non noverat *(f)*. Sed ſanè non ſolum Doctores interpretes horum feudorum, ſed etiam auctores ipſi inter ſe in hac materia variant : nobis ſatis eſt monuiſſe, quid in uſu noſtro obſervetur. Monachus enim apud nos cum non ſolum ſervo æquiparetur, ſed etiam mortuus mundo dicatur, neque novi feudi neque paterni eſt capax : Clericus tamen ſecularis utriuſque ; nam tam novum acquirere poteſt, quàm in vetus ſuccedere.

12. Inter eos qui feudum accipere prohibentur, *filius* etiam numeratur, qui à patre feudum accipere non poteſt, etiamſi ſit adoptivus tantum, quia in jure inter *patrem* & *filium* nulla conſiſtit obligato ; imò nulla contrahitur emptio *(g)*. Sanè inter nos contractus initi inter patrem & filium ſimulati præſumuntur. Quod ad feuda attinet, niſi per reſignationem in manus domini ſuperioris fiant, alia feuda à patre filio conceſſa vix admittuntur, ob præſumptas ſimulationes & fraudes inter conjunctas perſonas. Itaque neque executionem debiti paterni impediunt, neque ſi pater poſt feudum filio conceſſum, de ſe tamen tentum, alii poſtea alienaverit, feudum hoc poſterius minus valebit, licet filius in feudo antea fuerat : quod & principali apud nos conſtitutione cautum eſt *(h)*. Imò, non obſtante hoc feudo, filius patri in idem feudum ſuccedere neceſſe habet, ſi tranquillè poſſidere feudum velit.

13. Sunt & alii qui feudi omnino ſunt incapaces. Nam tametſi licuit antiquitùs tutoribus vel curatoribus res pupilli emere, jure tamen Authenticorum & novo, non

(a) L. 2. § 1. ff. de adminiſtratione rerum ad civit. pertin. (b) 2 F. 30. & ibi, Gloſſ. & 36. in fine. (c) 2 F. 40. (d) L. 4. ff. de reg. jur. (e) Vid. § 19. (f) Lib. 1. diſput. feudal 2. theſ. 62. quod adoptivus & arrogatus à parentibus ſuis feuda accipere non poſſunt. (g) l. 2. ff. de contrahenda empt. (h) Cap. 105. Parl. 7. Jac. V.

ſolum feuda, ſed neque poſſeſſiones, neque res ullas immobiles comparare poſſunt: imò ut diverſis machinationibus tutorum in pupillos occurratur, prohibuit Imperator, ut ne etiam tutelæ vel curationis tempore finito, adhuc tamen emere poſſint. Fieri enim poteſt, ut eas comparationes, quas tempore adminiſtrationis ſuæ contraxerant, in tempus finitæ adminiſtrationis ſuæ callidè diſtulerint. Neque enim rarè, aut apud nos ignotæ ſunt tutorum in pupillos fraudes, & quæ incommoda inde evenerint, cum vel ſubtrahendo literas, feuda pupillaria in non introitum conjiciunt *(a)*, ut ipſi eis potiantur, aut omnium jurium pupillarium conſcii, ſi quæ ſit in eis ruptura, per eam ruinam prædii pupillaris moliuntur, jacto priùs fundamento, aut jure conſtituto, per quod illud ad ſe poſſunt pertrahere. Nobiliſſima eſt illa nova conſtitutio, ſive Authentica Juſtiniani Imperatoris *(b)*, *Ut hi qui obligatas res minorum*, &c. quam ut quis legat, & relegat, qui fraudes tutorum vel curatorum agnoſcere velit, vehementer rogo.

14. In jure etiam numerantur, neque feudi, neque beneficii capaces, qui ex illicitis & damnatis nuptiis procreati ſunt. Inceſtæ nuptiæ ſive damnati dicuntur coitus, qui inter eos fiunt, inter quos matrimonium ſtare non poteſt, eo tempore quo infantes naſcuntur, quibus pater neque per ſe, neque per mediatam perſonam, ut fieri ſolet, poteſt beneficium aliquod concedere, imò ne naturales quidem filii numerandi ſunt, & indigni qui à parentibus alantur *(c)*; multo minus alter parentum feudum concedere poteſt, aut quivis alius. Et ſanè de hac ipſa quæſtione extat conſtitutio apud nos in publicis regni comitiis *(d)*, quo expreſsè cavetur, ſi mulier aliquorum feudorum aut prædiorum heres, à marito adulterii nomine ſeparata fuerit, & ex eo matrimonio liberos habuerit, & poſtea adultero ſe in matrimonio ſecundo conjunxerit, ejuſque liberis ex eo ſuſceptis feudum concedere velit, omnino hoc ei noſtris moribus prohibetur, ne liberis ex priore matrimonio natis immeritis præjudicium naſcatur, aut ullis aliis heredibus aliunde ſucceſſuris in debita ſibi ſucceſſione. Itaque talis feudi nemo eſt capax in præjudicium verorum heredum. Ex jure civili, neque mœchus ſuæ adulteræ, neque illa ſuo mœcho quicquam concedere poteſt, & proinde neque feudum; & ab alterutra parte alteri datum fiſco vendicatur *(e)*: licet mœchus hic adulteram ſuam in uxorem priùs duxerit, & alter ab altero ſit heres inſtitutus; neque qui ex hac adulterina conjunctione eſt natus, feudorum alterutrius parentum eſt capax *(f)*.

15. De *claudo*, an ſit capax feudi curſoris; & *Muto*, an feudi patroni; & *cæco*, an feudi tabellionis aut ſcribæ, qualia ante *(g)* nonnulla attigi, dubitatum ſcio. Videtur enim in his quædam eſſe repugnantia in adjecto. Quid enim magis ridiculum eſſe poteſt, quam *claudo* feudum curſoris (quod nihil aliud eſt niſi merces ut currat) concedere, id eſt, ei qui planè ad currendum ineptus eſt, aut *muto* ut cauſam peroret? Sed ſunt qui putant hos paterni feudi eſſe capaces, non autem novi.

16. Statueram hic *Baſtardos* ſive Spurios ſilentio præterire, quod apud nos certè novi feudi ſint aliquando capaces, niſi in Gallicis conſtitutionibus inveniſſem eos aliquorum feudorum eſſe incapaces *(h)*. Neque enim pater in præjudicium filiorum legitimorum ſpurio aliquam feudi partem concedere poteſt, in qua aliquis ex legitimis ſucceſſurus erat: quod ſanè non tam in odium Baſtardorum, quàm in favorem legitimorum introductum eſt; ne fortaſsè, extinctâ conjunge, quis filialem amorem à legitimis in Baſtardos transferat, quod non eſt ferendum. Reliqua quæ ad *Baſtardos* pertinent, qui ſunt Baſtardi, quomodo, & quibus ſuccedant, quomodo legitimentur, in titulum de ſucceſſione rejiciemus *(i)*.

17. An autem provinciarum *adminiſtratores* in ſuis provinciis, aut *Judices* in ſua diœceſi, aut *milites* in ea regione in qua militant, feudum comparare poſſint, dubitari poteſt, cum ne emere in illis provinciis poſſint. De *milite* narrationem in prima diegeſi adduxi, ne rei habendæ ſtudio à militaribus muneribus diſtrahatur: ſed omnium

(*a*) Vid. lib. 2. D. 19. § 30. (*b*) Nov. 72. (*c*) l. 6. C. de inceſt. nupt. Nov. 89. cap. 6. l. 13. ff. de his quibus ut indignis. (*d*) Cap. 117. Parl. 12. & cap. 20. Parl. 16. Jac. VI. (*e*) l. 13. ff. de his quibus ut indignis, & l. 14. ff. de public. & vectigalibus. (*f*) D. l. 13. (*g*) D. 10. § 20. (*h*) Lib. 2. D. 18. § 4 & 14. (*i*) Lb. 2. D. 18. § 2.

omnium communis ratio hæc eſt, quod vi & metu poſſint provinciales ſuos, aut eos qui ſubſunt poteſtati ſuæ, ad quævis facienda vel concedenda adigere : & hæc ratio à Jureconſultis traditur, cur emere aut contrahere non poſſint *(a)*. Neque enim minor vis aut metus ab eo qui in poteſtate conſtitutus eſt inferri poteſt, quàm à milite armato. Notum eſt illud Horatii,

Servius iratus leges minitatur & urnam ;
Canidia Albutî, quibus eſt inimica, venenum ;
Grande malum Turius, ſi quis ſe judice certet :
Ut, quo quiſque valet, ſuſpectos terreat. ——

Et ſanè cùm in feudum concedere hi non poſſint, qui nec alienare ; certè qui emere aut permutare prohibentur, eâdem ratione feudi non ſunt capaces. Apud nos tamen non prohibentur à cujuſcunque feudi receptione : tantùm Senatoribus, aut quodcunque officium in Senatu, aut aliunde juriſdictionem exercentibus, injungitur ut à re litigioſa abſtineant, ne in ſe litem transferendo, duriores adverſarii partes reddant ; quod & ſpeciali conſtitutione prohibetur *(b)*.

18. Supereſt quæſtio, An vaſſallus in prædio quod de domino tenet, rurſus dominum infeudare poſſit. Ratio dubitationis hæc eſt, quòd ſic dominus in fidelitatem & ſervitia vaſſallo tenebitur, in quæ vaſſallus ei adſtringebatur, & ſic utriuſque eſſet quaſi confuſio, cùm uterque alteri vaſſallus, uterque alteri dominus fieret. Communis tamen opinio eſt poſſe, & rem ſuam ab alio recognoſcere : ſed vaſſallo fidelitatem & ſervitia per ſubſtitutos præſtabit. Sanè cùm feudum ad Principem devolvitur, ſive ratione forisfacturæ, aut baſtardiæ, cùm illud Princeps apud ſe retinere non poſſit (nam ſic alii fidelitatem aut ſervitium præſtare cogeretur, quod eſſet Principe indignum,) vaſſallum novum veteri domino præſentat in locum ejus qui à feudo cecidit, quem prior dominus recipere cogitur : & ſic cùm Princeps feudum ipſum apud ſe retinere non poſſit, quod proximum eſt tamen facit, nempe, cùm jus præſentandi in locum ejus qui defecerat, aut indignus fuerat, ad eum pertineat, tranſactione priùs habitâ, in qua aliquid pro valore datur, nos compoſitionem dicimus, novum vaſſallum domino præſentat ; quem ſi is recuſet, de ſuperiore ejus domini præſentatus ſuum feudum tenebit, & recuſans directo dominio dum vivit privabitur. Inter privatos quid dicam neſcio : nam licet ratio & ſenſus communis vix patiatur ut idem ſit dominus qui vaſſallus reſpectu ejuſdem feudi, tamen vidi Dominum de Doun, qui priùs, tanquam Commendatarius Monaſterii Sancti Columbæ, ejus Monaſterii prædia omnia Eccleſiaſtica in feudum Domino de Ochiltrie conceſſerat, ea rurſus ab eodem Domino recepiſſe, de ſe ipſo tanquam Cænobiarcha tenenda, & ſic dominus & vaſſallus erant iidem ratione ejuſdem feudi. Sed hoc fortaſſe in eo ferendum erat, qui tanquam Commendatarius perſonam non privatam tantùm, ſed Monaſterii etiam ſuſtinuit, ut diversâ ratione dominus eſſet qui Cænobiarcha, & vaſſallus qui emphyteuta : quod tamen mihi nullâ ratione factum videtur ; cùm in hoc caſu potiùs confuſionem Juriſconſulti inductam putent, quàm duo diverſa jura in una aut eadem perſona, veluti domini & emphyteutæ, conſiſtere. In aliis privatis quomodo hæc commodè fieri poſſint non video : neque tamen omnino improbare audeo, cùm nihil ſit apud nos hodie quod fieri non poſſit.

19. Supereſt cui hoc feudum quod incapaci conceſſum eſt accreſcat, id eſt, cùm feudi illius diſpoſitio ex parte accipientis non teneat, ad quem revertatur. Et ſanè ſi perſonæ militaribus officiis ineptæ feudum conceſſum fuerit, aut defectus ſit tantummodo in perſona, ſine culpa concedentis, feudum ad dominum revertitur. Sic in feudo, quod ſervo datur & Monacho, niſi per eas perſonas, fortaſſe dominus, aut ſervi domino, aut Monaſterio, concedere velit. Quòd ſi culpa aliqua concedentis intervenerit, veluti ſi feudum capitali inimico domini conceſſerit, aut alicui qui ei

 mole-

(a) l. 46 & 62. ff. de contrah. empt. l. 33. ff. ſi certum petatur, & l. unic. C. de contract. judicum.
(b) Cap. 216. Parl. 14. Jac. VI.

moleſtiam afferre poſſit, feudum non ad concedentem, ſed ad dominum ejus quem offendere voluit, devolvitur, ob ingratitudinem vaſſalli, & ut dominus injuriæ ſuæ ultionem habeat. Quòd ſi qui concedit, manifeſtè contra leges peccaverit, ei concedendo qui à jure aut ob ſuum aut parentum maleficium capere prohibetur, veluti ſi damnato, aut ex illicitis nuptiis genito, feudum conceſſum fuerit, cùm ſciret legibus tales à feudis accipiendis prohiberi; fiſcus eo nomine feudum vindicabit ex titulo, *De his quibus ut indignis*; niſi aliter cautum fuerit ſpeciali privilegio, quemadmodum de ea quæ propter adulterium ſeparata, ut antea *(a)* dixi: nam eo caſu feudum ad prioris conjugii liberos reverteretur. Denique, ut hanc etiam Diegeſim cum priore concludamus, omnes perſonæ feudum capere poſſunt qui non prohibentur *(b)*.

Diegeſis decima quinta.

Quæ res in feudum dari poſſint.

SUMMARIA.

1. *Rerum diviſio.*
2. *Res ſacræ.*
3. *Res religioſæ.*
4. *Res ſanctæ.*
5. *Res ſacræ in feudum dari non poſſunt: poſſeſſiones tamen Eccleſiæ, & res immobiles alienari poſſunt, niſi conceſſæ fuerint hâc conditione ne alienarentur. Fundi enim Eccleſiaſtici, licet res Eccleſiæ ſint, & privilegiis iiſdem gaudeant, commercio tamen non eximuntur; & ſic in feudum dari poſſunt, ſi non ſit ad læſionem domûs divinæ. Jure Canonico tantùm in ordinandis rebus Eccleſiæ utimur.*
6. *Quædam res Eccleſiæ in feudum dari non poſſunt, ſedes ſciz. Prælati vel Monaſterium. Quid juris de iis apud nos & Anglos?*
7. *An quæ ſunt de menſa Prælati in feudum dari poſſint? Quæ dicantur de menſa Prælati? Prædia quæ pertinent ad collegia religioſa alienari, aut in feudum dari nequeunt, abſque conſenſu Regis.*
8. *Decimæ, quæ (ut Canoniſtæ loquuntur) ſunt in patrimonio Chriſti, poſt concilium Lateranenſe in feudum dari nequeunt. Ubi de Berengarii Diaconi Andegavenſis abrenunciatione veritatis.*
9. *Apud nos nullum decimarum feudum ante iſtud Concilium. Non longè ante ea tempora jus ipſum decimarum in Scotiam introductum; & paulò antè in Gallias à Bonifacio VIII. Eorum jus non eſt ex jure Divino.*
10. *Decimæ garbales rectè cum ipſo fundo in feudum dantur. Garbales unde dictæ? Aliæ à garbalibus dari non poſſunt, ſed locari ad 19 annos & ulteriùs. Decimæ, licet non ſint juris Divini, ſed ex Pontificia tyrannide, ex iis tamen alimentum, iis qui curam animarum habent, debetur.*
11. *An religioſæ res in feudum concedantur?*
12. *An res ſanctæ in feudum dari poſſint?*
13. *Res humani juris, quæ ſint? De rebus publicis. Maris uſus, licet ſit publicus, tamen certo modo appropriatur: in eo juriſdictio exercetur, præſcriptioni locus eſt, & jus piſcandi competit, & præſcribitur.*
14. *De inſulis in genere, & noſtris Orcadum & Shetlandiæ: & cui juriſdictioni ſubjiciantur piratæ?*
15. *De littoribus maris, & portubus, cujus ſint, & quid ſint? Piſcationes, inſulæ & portus, ut locari, ſic in feudum dari poſſunt. De ædificiis in mari, fluminibus, via & itinere, quæ ſunt inter regalia.*
16. *Ut res Univerſitatis infeudentur, univerſali conſenſu opus eſt: Angli adhibent commune ſigillum. Non licet infeudare Univerſitati aut Collegio abſque conſenſu Regis aut domini; aut ſi fecerit, fit caducum.*

(a) § 14. (b) 2 F. 3. §. 1. verſ. Perſonam verò.

ducum. Apud nos res burgorum, ne cum consensu civium, in feudum dari possunt absque consensu Regis, imò ne locari ultra triennium.

17. *Quæ sunt nullius, feudari possunt. Res ad coronam Regis, vel utilitatem publicam pertinentes, non rectè in feudum dantur.*

18. *Res privatorum omnes, viz. immobiles, aut quæ iis annumerantur, rectè infeudantur, nisi quæ vel à lege, judice, vel testatore prohibentur.*

19. *Prædia minorum, absque causæ cognitione & necessitate urgente, in feudum dari non possunt. De Cantianis apud Anglos. Idem de prædiis furiosorum, ut de minorum dictum.*

20. *Fundus dotalis, ne vel cum consensu uxoris, per maritum alienari aut in feudum dari potest apud Anglos, nisi ex causa necessaria : secus apud nos. Obligationes quibus cum marito uxor se obligaverat, Senatus apud nos rejicere solet. Quomodo uxoris consensus interponatur alienationi usufructûs per maritum factæ ? Apud Anglos relicta habet jus revocandi factum mariti. Filius prædium, in quo pater habet usumfructum lege constitutum, non rectè in feudum dat : at patriâ tali potestate apud nos cessante, filius eorum quæ acquirit plenum dominium nanciscitur.*

21. *A testatore alienari prohibita, nec in feudum dari possunt, nisi ex necessitate : alioqui, qui sunt de familia revocant. Alienatio impediri potest à testatore, sed non pacto inter vivos : at apud Anglos tale pactum pro non adjecto habetur. Licet testamentaria dispositio feudi de jure & apud nos non valeat, apud alios tamen contrarium invaluit. Sic prohibita à testatore alienari, ex causa necessitatis, vel vendi, aut in feudum dari, aut propter debitum testatoris, vel propter nuptias possunt.*

22. *Res fideicommissariæ restitutioni obnoxiæ, ut nec alienari, sic nec in feudum dari possunt ; sin contra factum fuerit, fideicommissarius vendicare potest.*

23. *Res redemptioni obnoxiæ, communes, & hereditatis jacentis, ut nec alienari, sic nec in feudum dari possunt : ubi de rebus à judice, vel ex consensu partium, alienari prohibitis.*

24. *Qui consentit sibi interdici à libera rei suæ administratione, res nullas in feudum concedere potest. Si non simpliciter, sed ea tantùm alienatio interdicatur, quæ fit sine consensu quorundam amicorum, nec iis ipsis facta valebit. Si cui bonis interdicatur nisi cum consensu quorundam conjunctim, uno præmoriente vel renunciante, tota interdictio cadit. Inhibitio omnem alienationem irritam facit, nisi res creditori sit salva.*

25. *Rei litigiosæ alienatio, impigneratio, & sic in feudum concessio prohibetur. Quid sit res litigiosa ? & an quis actione reali, an personali agat ? Ubi pœna vendentis aut ementis rem litigiosam ; & ratio quare ? Donatio etiam & omnis alius contractus prohibetur, quo jus in alium transfertur, & qui inde patitur, actionem in factum habet, ad id quod interest.*

26. *Casus excepti, quibus rei litigiosæ alienatio permittatur. An quis cogi possit actionem suam persequi.*

27. *Prohibetur etiam alienari, aut in feudum dari capitale messuagium, aut inde uxorem dotare, nisi certis in casibus. Antiquitùs pater primogenito præjudicare non poterat infeudando secundo genitum : aliud tamen in conquestu. Patris potestas apud nos.*

28. *Rex non potest res regni alienare in præjudicium regni, aut in feudum dare. Absoluta potestas quid ? Nec donare Rex potest, & damnatur Constantini donatio.*

29. *Alienatio rerum Ecclesiæ perpetua prohibetur de jure Civili : sed emphyteusis permittitur, certis conditionibus. De jure Pontificio quomodo permittatur, superiori Diegesi declaratum. Jure nostro antiquo requirebatur Regis consensus, & confirmatio : sed hoc exolevit, invalescente Romanorum versutiâ, ut postea nullum feudum daretur absque Pontificis consensu. At instauratâ religione verâ, & Pontificiâ tyrannide suppressâ, jus confirmandi ad Principem rediit : sed limitatum ut aliâ constitutione postea corroboratum, &c.*

30. *An feudum rei alienæ valeat ?*

31. *Jus superveniens auctori, etiam & successori prodest. Nulla actionum cessio apud Anglos, nisi inter Regem & subditos : sed apud nos licitæ sunt, & cum effectu, si tales assignationes insinuatæ fuerint, nisi cedens in possessione remanserit.*

1. UT faciliùs omnium oculis & animis ſubjiciatur quæ res in feudum dari poſſint, & quæ non, repetenda eſt illa rerum diviſio quæ in initio ſecundi libri Juſtinianearum Inſtitutionum proponitur; nempe quaſdem *res in patrimonio noſtro* eſſe, quaſdam *extra patrimonium*. Et hæc diviſio illuſtratur poſteriore ſubſequente, qua quaſdam *res* naturali jure *communes* eſſe omnium, quaſdam *publicas*, quaſdam *univerſitatis*, quaſdam *nullius*, pleraſque *ſingulorum* affirmatur. Sed ut utramque diviſionem unicâ comprehendam, ita *res* dividendas puto, ut quædam ſint *divini juris*, quædam *humani*. Divini juris cenſentur *res ſacræ*, *religioſæ*, *ſanctæ*. Humani juris res quædam ſunt *publicæ*, quædam *univerſitatis*, quædam *nullius*, quædam *privatæ*, ſive ſingulorum. De his ſingulis dicendum.

2. *Sacræ res* dicuntur quæ ex veteri Romanorum inſtituto (à quo præſentes noſtri mores non abhorrent) ritè & verbis ſolennibus per Pontifices Deo conſecrantur, veluti *ædes*, *aræ*, *templa*, & *donaria*, quæ ad miniſterium Dei dicata ſunt: quæ & obligari & alienari per expreſſam conſtitutionem prohibuit Juſtinianus, niſi redimendorum captivorum causâ *(a)*. Et ne quis putet, æde ſacrâ dirutâ, aream ſive locum in quo ædes ſteterat profanum fieri, reſcripſit Papinianus *(b)*, ut etiam ſi fulmine ſit tacta, area tamen pura, id eſt, ſacra remaneat; cum ſacro tamen vaſe deſtructo nihil ſacrum remaneat, ſed perinde materia vendi & æſtimari poteſt, atque profana *(c)*: ſibi autem privatus nemo rem ſacram efficere poteſt, ut ait Imperator.

3. *Religioſa loca* proprie ea dicuntur, in quæ mortui inferuntur. Nam religio erat ea loca vel arare vel excolere; & in hoc à *ſacris* differunt, quod *religioſum locum* quiſque ſibi pro arbitrio faciebat, dum mortuum eò inferret. In locum alienum, aut communem, aut alii obligatum, mortuum inferre, aut eum religioſum facere nemo poterat, ſine illius, cui præjudicium fit, conſenſu *(d)*. Sic *religioſi dies*, teſte Gellio, dicuntur triſti omine infames, impeditique, in quibus res divinas facere, aut rem quampiam ordiri veteres abſtinebant. Sic Cic. ad Atticum *diem* pugnæ Allienſis *religioſum* vocat.

4. *Sanctæ* autem *res* eæ ſunt dictæ, quæ ne violentur publicâ propoſitâ pœnâ cavebatur, id eſt, ſanciebatur, quales ſunt *muri*, ſive *portæ* civitatum & urbium: neque enim in ea delinquere licebat; & ſi quis contra fecerit, pœna capitis in delinquentem ſtatuta erat & ſancita. Sic *ſanctiones* dicuntur ſive ſtatuta, quibus pœna conſtituitur, ſi quis adverſus eas deliquerit. Sic *ſanctio* fœderis qualis apud Livium *(e)*. Sic Cic. in oratione pro Cornelio Balbo, *ſanctiones* ſacratæ ſunt, aut genere ipſo, aut obteſtatione, & conſecratione legis, aut pœnâ, cum caput ejus qui contra fecerit conſecratur. De his, quoniam faciliùs expedientur, priùs dicemus; & poſtea de eis rebus quæ ſunt juris humani, quæ potius ex uſu noſtro ſunt, pauca adjiciemus.

5. Et ut ad feuda revertamur, *Res ſacræ* nullo modo in feudum dari poſſunt, ſpeciali conſtitutione (ut diximus *(f)*) prohibitæ vel alienari vel obligari. Nam cum ipſa loca nullius in bonis aut patrimonio ſint, neque in ſtipulationem deduci poſſunt, neque præſcribi, neque legari, imò neque pro tempore pignerari. Nam res hæ ſacræ, cum extra commercium hominum ſint, ut nec alienari, nec ſubjici pignori etiam ad tempus poſſint; ſic neque in feudum dari, aut accipi: poſſeſſiones tamen Eccleſiæ, & etiam res immobiles, pro redemptione captivorum alienari poſſunt; niſi ſub hac conditione, ne alienentur, conceſſa fuerint. In locis ſacris aliquid immittere, deformitatis aut incommodi causâ, nunquam licuit. Fundi autem Eccleſiaſtici, an inter res ſacras connumerentur, quæri poteſt: ſatis enim conſtat eos Eccleſiaſticis perſonis in alimenta conceſſos, ut faciliùs precibus, literarum ſtudiis, & lectionibus vacarent, & certi eſſent unde alerentur. Itaque jure Eccleſiæ cenſeri, & res Eccleſiæ dici, eiſdem privilegiis gaudere, nemo dubitat.

At

(a) l. 21. C. de ſacroſanct. Eccleſ. (b) l. 73. ff. de contrah. empt. (c) Auth. præterea. C. de ſacroſanct. Eccleſ. (d) l. 8. ff. de religioſ. & ſumpt. fun. (e) Lib. 10. Dec. 3. (f) § 2.

At antea *(a)* eos fundos rectè in feudum dari diximus. Facilis est hujus nodi solutio; neque enim, propriè loquendo, fundi, qui ad onera Ecclesiæ sustinenda conceduntur, commercio hominum eximuntur; neque fiunt res sacræ, cum res sacras à Pontifice præeunte, solennibus & conceptis verbis fieri antiquitas credidit; quod in templis, cœmeteriis, & eis locis qui consecrantur, locum habet: nam soli hi ferè sacri dicuntur. At fundi Ecclesiis concessi neque sacri neque religiosi sunt: nam omnino commercio non eximuntur; cum & locare, & serere, & arare, prata condere, agros stercorare, eis liceat: alioqui non liceret, si sacri omnino essent; quòd res sacras ligone aut aratro tractare, aut omnino violare prohibemur, & sic in commercio hominum permanent, licet fructus inde provenientes ad sustinendos eos, qui Divino cultui inserviunt, colligantur: sic & permutari ex utilitate Ecclesiæ possunt. Denique, ut vult idem Imperator, qui alienationem rerum Ecclesiasticarum severissimè prohibuit, licet in perpetuum nequeant alienari, tamen in perpetuam emphyteosin dari possunt *(b)*, si res in eorum geratur præsentia, quibus assignatur, jurantibus his quorum interest, id ad Divinæ domûs læsionem non fieri, sed quòd solidus reditus ipsius rei, qui fuit, cum juri Divino dedicaretur, permaneret imminutus, nisi forte in sextam partem: & ita omnia moderanda, ut ab œconomo & reliquis moderatoribus Ecclesiæ æstimabitur, ut in sua Authentica Justinianus reliquit *(c)*. In qua multa singularia de rerum Ecclesiæ alienatione quis inveniet: licet quoad res Ecclesiæ aut alienandas aut gubernandas tantùm jure Canonico hodie utamur, omnibus omnium Imperatorum constitutionibus obductis & antiquatis: quo quidem jure Canonico res Ecclesiæ prædictæ licitè in feudum dantur, servatis tamen solennitatibus, quæ priori Diegesi præmissæ sunt.

6. Quædam autem res Ecclesiæ in feudum dari non possunt, veluti ipsi 13 Prælati, sive Ecclesiastici Rectoris, sedes, aut Monasterium ipsum, in qua sede aut Monasterio, non solùm ipsius Ecclesiæ navis, sed omnes ædes, omnia domicilia, & quicquid ambitu murorum inclusum est, comprehenditur. Hæc enim omnia Monachis & Deo servientibus (ut illi putarunt) habitationis loco sunt, & ad habitandum concessa, ne cuiquam exteriùs vagandi occasio præberetur: habitatio etiam alii habitanda ex jure Civili dari non potest *(d)*. Sane apud nos constat pleraque Monasteria in usum privatorum translata, in Anglia verò omnia. Cumque etiam priorum exemplum plerique nostrûm sequi niterentur, tandem à tribus Ordinibus hoc statutum emanavit, ne in posterum sedes Episcoporum aut Abbatum in feudum concedi possit: quod tamen ad præterita non extenditur *(e)*, cum ex jure Civili omnes alienationes Monasteriorum, aut translationes, in privatorum usum prohibeantur *(f)*. Reliquæ res Ecclesiæ, sive fundi patrimoniales, licitè in feudum, sive emphyteosin, conceduntur *(g)*.

7. Et tamen ex jure Canonico, & etiam apud Doctores, magna quæstio est de eis fundis & prædiis quæ ad mensam Episcopi, sive Monasterii, id est, ad alimentum destinata sunt, an licitè in feudum concedi possint? Nam alimenta vix videntur in commercio; neque enim de eis transigere, neque ea vendere licet *(h)*. Sed ut res tota planior fiat, priùs investigandum est, quæ res dicantur esse de *mensa Prælati*, quæ non: nam de hujus vocis significatione acerrimè inter Doctores controvertitur. Ea prædia dicuntur propriè esse de *mensa Prælati*, ex quibus Prælatus cum Conventu pascitur, & sine quibus ali non potest; & alimentorum nomine non solum cibaria, sed etiam vestitus & habitatio comprehenduntur, quia sine his corpus humanum ali non potest *(i)*. Alii de *mensa Prælati* esse volunt, quæ Prælatus expressè, vel tacitè, de mensa esse destinavit. Expressè, quando sciente Prælato descripta sunt in regiſtris, in quibus bona quæ ad mensam Prælati pertinent continentur, & quasi ad eum finem à Prælato destinata & separata; vel si expressè Prælatus declaraverit, ea se velle de sua mensa esse. Tacitè verò, quando sciente, vel patiente Prælato, per annum, vel, ut alii volunt, per decennium, ab Officialibus suis eo-

(a) D. 13. § 5. (b) Vid. § 29. (c) Nov. 120. (d) l. 8. ff. de usu & habit. (e) Cap. 72. Parl. 9. Reg. Mariæ, & cap. 48. Parl. 3. Jac. VI. (f) l. 14. C. de sacrosanct. Eccles. & Auth. sequent. (g) Nov. 120. cap. 7. § 1. (h) l. 8. pr. ff. de transact. (i) l. 6. & 23. ff. de alimentis, vel cib. leg.

dem jure quo bona mensalia tractata sunt, & fructus in libros rationum de mensa Prælati referuntur. Si verò neque tacitè neque expresse quicquam appareat, alii, si per triginta annos nunquam infeudata apud Prælatum permanserint, de mensa Prælati dici posse putant.

Hæc ideò tam anxiè inquiruntur, quia hæc prædia, quæ *de mensa* dicuntur, à quibusdam nullo modo in feudum concedi posse, quòd pro alimentis sunt, creduntur: alii posse concedi putant, sed majore cum difficultate, & exactiore inquisitione gravioribusque solennitatibus observatis. Ego sane his non putavi inhærendum, præcipuè cum ex usu nostro res quæ sunt *de mensa*, non minus in feudum concedi possunt, quàm quæ sunt extra mensam. Nam, si ab ipsis primordiis Ecclesiarum & fundatione rem exactiùs inquiramus, quæcunque prædia Ecclesiæ à quibusvis fuerint concessa, ad finem illum concessa sunt, ut habeant unde alantur, vestiantur & habitare possint. Itaque si quæ de mensa sint, in feudum concedi non possunt, verendum ne ullius prædii Ecclesiastici feudum rectè sit constitutum. Sed quoniam de jure Civili etiam transactio de alimentis futuris permittitur, modò in meliorem conditionem eorum quibus debeantur, & Prætor adhibeatur, qui, causâ cognitâ, rationem causæ, modi, & personarum commoda & incommoda examinabit *(a)*. Profectò & eâdem ratione prædia Ecclesiastica in meliorem conditionem Ecclesiæ, sive sint de mensa, vel extra mensam, in feudum dari possunt, & initium ex hac transactione alimentorum cœpisse puto. Hæc de prædiis Ecclesiasticis, inter quæ numerantur & collegia religiosa & ritè instituta, quorum res sine consensu Regis alienari aut in feudum dari non possunt, ut hodie nullæ res Ecclesiasticæ sine Regis consensu; & hoc novâ constitutione *(b)*.

8. Sunt & alia quæ ad Ecclesiam pertinent, de quibus quæstio sæpè oritur, an in feudum concedi possint. Nam quod ad prædia pertinet, ea sunt in patrimonio Ecclesiæ, *Decimæ* tamen in nullius sunt patrimonio, sed tantùm, ut Canonistæ loquuntur, in patrimonio Christi, & ex jure Divino, non ex concessione hominum, deberi creduntur. Itaque expresse cavetur ne hæ post concilium Lateranense in feudum dari possint: ita enim sacrosanctum illud concilium (si diis placet) statuit. Celebratum autem fuit hoc concilium anno domini 1059. sub Alexandro Pontifice maximo (licet Canones ferant Nicolaum Pontificem maximum tum fuisse,) ad confutandam hæresin, ut sancti illi patres voluerunt, *Berengarii* Diaconi Andegavensis, quæ tum de Eucharistia, plus quàm sibi conducere putabant, invaluerat, ipseque *Berengarius* in ea Synodo ad palinodiam coactus, cum antea de hoc sacramento sinceriſsimè & sensisset & prædicasset. Operæ pretium tamen erit, si vacat, abjurationem illam Berengarii legere *(c)*. In hac non solum verum & naturale corpus Christi, sensualiter (id est) ipsis sensibus objici & tractari affirmat (quo nihil potest dici magis profanum,) sed etiam frangi & fidelium dentibus atteri: sic sacerrima illa Synodus, sic Nicolaus Pontifex max. qui præsidebat, senserat. At glossator non paulò totâ Synodo & Pont. max. sapientior, blasphemiam vidit & admonuit: *Nam* (ait ille) *nisi hæc verba sanè intelligantur de speciebus, ad quas ea sunt referenda, & non ad naturale corpus Christi* (ut profana illa & impia Synodus cum suo Præside intelligebat) *in majorem hæresin incides, quam fuit illa Berengarii.* Sed hæc hactenus.

9. Illâ Synodo cautum, ne *Decimæ* in futurum in feudum dari possint, ratis manentibus feudis decimarum quæ ante eam Synodum concessa erant *(d)*. Apud nos inutilem hanc disputationem sive distinctionem puto; cum certò sciam nullum esse ante concilium Lateranense decimarum apud nos feudum. Sunt qui putant (cum probare non possint, quòd ante hoc sacerrimum concilium decimæ in feudo sunt locatæ) sufficere, si laicus eas tempore ultra hominum memoriam possederit. At sine exceptione regula apud nos manet, nullum esse decimarum feudum, etiamsi quis tempore supra hominum memoriam eas possidendo præscripserit, ut decisum vidi

(*a*) d. l. 8. ff. de transf. (*b*) Cap. 23. lib. 2. Reg. Majest. cap. 77. Parl. 9. & cap. 88. Parl. 10. Reg. Mariæ, cap. 7. Parl. 9. Jac. VI. (*c*) Cap. Ego Berengarius 42. Distinct. 2. de consecratione. (*d*) Panormit. cap. cum Apostolica 7. Extra. de his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capit.

vidi inter Commendatarium de Cambuskenneth & Dominum de Fleming. Imò, quod magis miretur quis, constanter affirmo non longè ante ea tempora decimarum jus Pontificum tyrannide in Scotiam introductum, Episcopumque Cathaniæ, quod decimas à populo severissimè exegerat, ferventi aquæ injectum, & à populo furente laceratum. Paulò antè hæc tempora à Bonifacio VIII. jus decimarum in Gallias introductum, vocato in partem prædæ ipso Rege *(a)*: alioqui nunquam id Pontificii obtinuissent. Nam quòd jus decimarum ex jure Divino defluere putant Canonistæ, & ad Ecclesiam pertinere, toto cælo errant: notum enim est illud Hieronymi ad *Sacerdos novi testamenti petens decimas, ait Christum in carne non venisse:* & rectè ille, quia hoc est revocare jus Leviticum, cujus magna pars ex decimis pendebat.

10. Sed ut ad earum feudum revertamur, in feudum non posse concedi extra controversiam est, si in genere loquamur: nec tamen est ulla tam generalis regula quin exceptionem patiatur aliquam. Sunt enim quædam *decimæ*, quæ *garbales* apud nos dicuntur, quæ cum ipso fundo in feudum rectè conceduntur. Ratio est, quoniam & ipsum prædium feudale, & ejus *decimæ* ad unum & eundem Prælatum, sive Ecclesiasticam personam, pertinebant. Itaque cum eorum quæ in solo nascebantur jus omne ad unum pertineret, unus araret, sereret, meteret, & colligeret, supervacaneum videbatur decimas in colligendo à cæteris fructibus separari; successuque temporis factum est, ut quemadmodum Prælatus ipse fructus & decimas simul & uno cumulo colligeret, sic & fundum cum iisdem decimis in feudum aliis concederet. *Garbales* autem, sive verius *gerbales*, à *Gerba* voce Italica, quæ *herbam* significat, dicuntur, quia cum aliis herbis aut fructibus fundi colliguntur. Sed nunquam locum habet hoc feudum decimarum *garbalium* nisi in fundo Ecclesiastico: nam necesse est ut in genere hoc feudi prædium & ejus *decimæ* ad unum & eundem pertineant, quod in nullo laico unquam poterit inveniri: nam laicus ad decimas jus prætendere his multis annis, sive aliquot seculis, non potest. Aliæ *decimæ* à *garbalibus* in feudum sive emphyteosin concedi non possunt; sed locari tamen pro spatio 19. annorum, & etiam durante vel concedentis vel accipientis vitâ, possunt. Et hæc de *decimis*, quæ licet non ex jure Divino, sed ex Pontificia tyrannide introductæ sint, fatemur tamen ex iis alimentum, vestitum, & habitationem eis qui curam animarum gerunt honestè deberi, sed ita ut his contenti sint.

11. Supereſt de *religiosis rebus* dicere, quæ & illæ nullo modo in feudum concedi possunt: neque enim hodie jura cœmeteriorum & sepulchrorum, quæ publicè instituta sunt, in commercio hominum esse, aut alienari, locari, aut in feudum dari possunt. Dixi *publicè instituta:* nam privatus sibi locum religiosum mortuum inferendo facere non potest; licet antiquitùs, ut quis sibi privatum religiosum locum facere posset mortuum inferendo permittebatur, sed eatenus tantum quatenus corpus humatum est *(b)*. Itaque ut publicè dicetur locus & ad sepulchra destinetur, ut religiosus fiat, oportet. Non ignoro tamen, multos esse qui pretio sibi locum sepulchri redemerunt, exemplo Abraham, qui locum, in quo conjunx Sara sepeliretur, ab incolis redemit: sed illud tantum affirmo, jus privati sepulchri, nisi intra septa communis cœmeterii comprehendatur, nullum esse, neque religiosum locum fieri.

12. Tertium membrum rerum, quæ sunt Divini juris, *res sanctæ* efficiunt, quales portæ, muri civitatis, quos violare impune nemini licet: neque hæ in feudum conceduntur, cum nullius in bonis sint, nec commercium patiantur. Non negarem tamen de iis restituendis & reficiendis contrahi posse, & quatenus sine publico dispendio fieri possit, si quæ in usum eum, cui instituta sunt, deficiant, quin etiam ut eorum pars aliqua in feudum dari possit, ita ut publicus usus & utilitas inde non minuatur. Antiquitùs in portis aut muris, sine permissu Principis, habitare non licebat *(c)*. Et hæc de iis rebus quæ sunt vel habentur Divini juris.

(a) Annales Franciæ in Philip. Vales. (b) l. 2. § 5. ff. de relig. & sumpt. funer. (c) l. 2. & 3. ff. ne quid in loco sacro fiat.

13. *Juris* autem *humani res* rursus subdividuntur, ut quædam sint *publicæ res*, quædam *universales*, quædam *nullius*, quædam *privatæ*, sive singulorum. De his singulis dicendum. *Publicæ*, quæ vel omnium hominum vel gentium communes sunt, ut aër, mare, littus, flumen, viæ, itenera publica. Quod ad *aërem* pertinet, is ita omnium communis est, ut nemo ab ejus usu prohiberi possit, neque enim alteri vendi potest, denique omnino in commercio non est. Quod ad *mare* attinet, licet adhuc ita omnium commune sit, ut in eo navigari possit, proprietas tamen ejus ad eos pertinere hodie creditur, ad quos proximus continens *(a)*: adeò ut mare Gallicum id dicatur, quod littus Galliæ alluit, aut ei propius est quam ulli alii continenti. Sic Anglicum, Scoticum, & Hibernicum, quod propius Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ est. Ita ut Reges inter se quasi maria omnia divisérint, & quasi ex mutua partitione alterius id mare censeatur, quod alteri propinquius & commodius est: in quo si delictum aliquod commissum fuerit, ejus sit jurisdictio qui proximum continentem possideat, iique suum illud mare vocat. Non negabo tamen quædam maria præscribi posse, ut totum illud mare Adriaticum, licet terras distinctas aliorum ex utraque parte habeat, tamen præscriptione Veneti sibi totum illud vendicarunt *(b)*. Piscationes verò, quæ in proximo mari fiunt, procul dubio eorum sunt qui proximum continentem possident. Itaque non sine summa injuria nostra Belgæ circa nostras insulas piscantur. Nam licet piscationes in mari non prohibeantur, tamen & hæ præscribuntur *(c)*, & traduntur permissæ aut prohibitæ secundum consuetudinem.

14. Eodem modo & insulæ in mari natæ ejus in patrimonio censentur, qui proximum continentem habet *(d)*. Itaque omnes insulæ quæ nostris littoribus adjacent nostræ ditionis sunt. Quid ergo de Orcadibus & Schetlandia, dicet aliquis? quarum certum jus ad Regem Danorum sive Norvegorum pertinebat; nec nisi ex pacto (ut illi volunt) sive reversione, quam pactum de retrovendendo dicimus, ad nos pervenerunt. Respondeo, si res ex jure agatur, profectò & Orcadas & Schetlandiam ad Scotiam pertinere indubium est; sed invalescentibus Danorum armis, cum ferè omnia maria classibus occuparent, silvis materiam abundè sufficientibus, Dani & Norvegi vi & armis earum insularum imperium sibi vendicarunt, & Norvegi Occidentales insulas. Hi tamen eodem modo eas restituerunt, quo acquisiverant: illi verò Orcadas & Schetlandiam pòst cum Margarita Jacobi III. conjuge, & Christiani I. filia in dotem dederunt, sub pacto de retrovendendo, ut nostri loquuntur; cui etiam reversioni postea renunciarunt, ex vi & tenore fœderis illius, quod inter sereniſſimum Principem Jacobum IV. & Christianum II. Danorum Regem interceſſit, Alexandrique VI. Romani Pontif. autoritate confirmatum, & in acta regiſtri Romanæ curiæ relatum. Hoc tam de nostris insulis quàm de insulis in genere; eas nempe eorum esse quorum proximus continens est, quod ad districtum sive jurisdictionem, alioqui occupantium sunt: tamen si ultra centum milliaria à continenti separentur, quidam putant occupantis esse. Sanè piratas qui insulas per se occupant, in urbe proximi continentis posse convenire putat Bartolus *(e)*. Disputationem de Moluccis prætereo, quas tamen, licet mille milliaribus ab omni continente Hispanico disjunctas, Carolus V. Imperator Regi Lusitano ter centum aureorum millibus oppigneravit.

15. Maris littora publici juris sunt; *Littus* autem dicitur, *quatenus maximus hybernus fluctus excurrit (f)*. Portus autem publici juris sunt *(g)*, & inter regalia numerantur: tamen & privatorum, saltem universitatum proprii aliquando fiunt, ita tamen ut cuilibet appellere, onerare naves & exonerare in eis liceat, dummodo *portoria* solvat. Nam si aut ab initio publici mansissent, ita ut nemo plus juris in eis quam alius haberet, neglecti penitùs jacerent: *Naturale enim vitium est* (ut aiunt Imperatores Theodosius & Valentinianus) *negligi quod commune possidetur, ut quis*

(*a*) Bartolus, & D.D. in l. 9. ff. de judiciis. (*b*) Bartol. ad l. 14. ff. de injuriis. (*c*) Bartol. & Bald. in l. 3. ff. ne quid in loco publico fiat. (*d*) D. l. 9. ff. de judiciis. Vid. etiam specialem tractatum Bartolide insulis, Vol. 5. pag. 375. (*e*) D. l. 9. (*f*) § 3. Instit. de rerum divis. (*g*) § 2. Instit. de rerum divis.

quis se nihil habere, qui non totum habeat, arbitretur; denique suam quoque corrumpi partem patiatur, dum invidet alienæ (a). Huic malo ut occurrerent Principes, qui jam reip. personam sustinent, & qui publicarum rerum curam gerunt, portus non privatis (neque enim unius alicujus opes sufficerent) sed civitatibus & universitatibus attribuerunt; ut eos ornarent, instruerent, purgarent, munirent, & necessaria ad naves recipiendas pararent; relicto tamen usu appellendi, exeundi, merces exponendi & imponendi cuilibet, pro suo arbitrio, non tantùm ejusdem provinciæ, & districtûs, sed etiam toti humano generi, cum quibus amicitia stat non interrupta. *Portus* autem dicitur is, quatenus maximus hibernus fluctus excurrit; littusque ei adjacens etiam ad portum pertinet, ut locus sit ubi onera imponantur, & efferantur, & ad tempus serventur.

Et hæc de mari, piscationibus maris, insulis in mari natis, & maris portubus: in quibus hoc servandum, quod licet maria indubie sint publica, neque quis privatus servitutem eis possit imponere; tamen piscationes & insulas ad eos qui proximum continentem possident pertinere; sic & maris portus ad civitates & universitatem, ut quæ ad usum navigantium maximè sint commoda ibi ædificentur. Itaque piscationes maris proximi, & insulæ, & portus, ut locari, sic in feudum dari possunt: ædificia verò quæ in mari ædificantur, licet opus omnino non sit perfectum, ex quo pilæ jactæ sunt, occupantium, id est, eorum qui ædificant, fiunt. Sic Veneti in mari ædificantes privata ædificia, sua fecerunt *(b)*. Sequitur de fluminibus, quæ licet publici juris sint, tamen hodie inter Regalia referuntur: itaque in proximam Diegesim de Regalibus rejiciemus: sic & quæ de *via* & *itinere* dici solent, quæ licet ipsa sint publici juris, tamen hodie inter Regalia etiam numerantur, & ad Principem pertinere cententur, ut ibi dicemus.

16. Sequuntur *Res Universitatis*, quæ eodem modo in feudum conceduntur, quo privatorum. Nam universitas unum corpus, unum hominem, tam in feudo dando, quam accipiendo repræsentat; & civitatis, vel corporis sive collegii, universali consensu opus est, ut res quæ ad collegium aut civitatem pertinent in feudum locari possint. In Anglia res ad collegium sive corpus universitatum quarundam pertinentes in feudum non conceduntur, nisi sub sigilli communis, ut vocant, testimonio. At in feudum dare rem immobilem, collegio, aut alicui corpori universitatis non licet, sine consensu Regis aut domini: & si fecerit, res ea in feudum data fit caduca, & ad Regem vel dominum redit: Angli forisfieri rem hanc dicunt. Apud nostrates *res Burgorum*, ne cum consensu civium, alienari, aut in feudum locari possunt, ut speciali statuto cavetur (res hæ vulgò dicuntur *publica bona Burgorum*;) quia cum Rex aliquam territorii portionem eis largiatur, ut necessitates publicas ex ejus fructibus levent: itaque sine ejus consensu in feudum non possunt dari; imò ne locari ultra triennium (Jac. IV. Act. 36. Anno 1491.)

17. Quædam *Res*, ait Imperator, *nullius* in bonis sunt, an & harum feudum constitui possit, quæret aliquis. Ratio dubitandi, quòd quæ nullius in bonis sunt, ea ut in alicujus bonis sint, fieri non potest. At si diligentiùs rem totam examinemus, & earum rerum, quæ nullius in bonis sunt, feudum etiam esse potest *(c)*. Nam pisces in mari aut in flumine publico licet nullius in bonis sint, piscationum tamen feudum recte fit: sic collectio gemmarum, lapillorum & similium, quæ in littora de mari ejiciuntur, licet nullius in bonis sint, quippe quæ occupantis fiunt, tamen vendi possunt, & proinde in feudum dari. Idem in aucupationibus avium, & venationibus ferarum, dicere possumus *(d)*. Nam licet aves & feræ in nullius bonis sint, & apprehendenti concedantur, at feudum aucupationis & venationis, quemadmodum & piscationis, rectè fieri potest. Res ad coronam Regis, vel utilitatem publicam pertinentes inter sacras numerantur; neque rectè in feudum dantur, & quasi sacræ dicuntur.

18. Sequuntur *Res privatorum*, quarum hæc propria disputatio est, in qua hanc generalem propositionem appono, nempe omnes res privatorum (de immobilibus tantum, & iis quæ inter immobilia censentur, aut eis annumerantur, loquor) posse

(a) l. 2. C. quando & quibus quarta pars bon. deb. ex bonis decur. (b) l. 30. § 4. ff. de adquir. rer. dom. (c) l. 8. § 1. ff. de contrah. empt. (d) Lib. 2. Dieg. 8. § 13.

in feudum concedi, niſi quæ vel à lege, judice, vel teſtatore in ultima voluntate, in feudum dari prohibentur : à lege patrimonium Cæſaris vel Regis, & quæ patrimonio ita annexa ſunt ut partem ejus faciant *(a)*. Sed quoniam hoc patrimonium ſpecialem tractatum de ſe meretur, in ſequenti Diegeſi de eo diſſeremus.

19. Lege prohibentur alienari aut in feudum dari prædia minorum, niſi urgente ære alieno, & in cauſa neceſſitatis *(b)*; idque ex decreto Prætoris cauſæ cognitione præcedente : adeò ut ſi quicquam ex his deficiat, in feudum conceſſio non valeat. Nam ſi vel æs alienum ita urgeat, ut pupillus ſine conceſſione in feudum ſe expedire non poſſit, aut aliqua ſimilis neceſſitas (quæ tamen rara eſſe poteſt, ſaltem in jure non exprimitur,) & non ſuperſint mobilia, unde creditoribus ſatisfieri poſſit, Prætorque qui id cognoſcat adhibitus fuerit, cauſæque cognitio plenè peragatur; his ſolennitatibus obſervatis prædia minorum in feudum concedi poſſunt: quòd ſi aliqua harum ſolennitatum defecerit, non poſſunt *(c)*. Apud Anglos Cantiani, & quicunque tenentes in *Gavelkynd*, licitè decimo quarto ætatis anno de prædiis ſuis diſponunt, & alios inveſtiunt. In eadem cauſa ſunt furioſorum prædia, quæ & ipſa ſine judicis decreto, & cauſa neceſſitatis, alienari non poſſint : apud nos nullo modo nec alienantur, nec in feudum dantur. Sed ſi neceſſitas æris alieni à parente, aut eo cui furioſus ſucceſſerit, contracta ingruat, creditor furioſum ejus debitorem judicio convenit, causâ cognitâ ſententia fertur, ut prædia ſub haſtam mittantur, aut in feudum dentur. Idem, ſi neceſſitas alimentorum urgeat : nam causâ apud judicem examinatâ, ſi ex reditibus non ſufficiat unde ali poſſit, ordinarius partem vendi aut in feudum dari decernet.

20. Sunt & aliæ res à lege prohibitæ alienari, quæ neque in feudum dari poſſunt, nempe fundus dotalis, qui ad maritum cum uxore pervenit. Nam & hic alienari per maritum, neque cum conſenſu uxoris, poteſt *(d)*, nec ex ejus jure quicquam diminui, niſi ex cauſa neceſſaria : quod tamen apud nos non obſervatur. Nam licet favor matrimonii multum nos moveat, ne uxores fraude virorum ſpolientur, tamen illa conſentiente marito alienat; & proinde feudum, quod ad eam jure hereditatis pertinet, in feudum dat. Cum tamen ſæpe viderim in Senatu non admitti poſt mortem maritorum eas obligationes, quibus mulier ſe cum viro obligaverit, ad ſolutionem pro eo aut cum eo faciendam. Et hoc ex jure Authenticorum, quo, licet uxor crediti inſtrumento conſentiat viro ſuo in ſuum damnum, vel propriam ſubſtantiam vel ſe ipſam pro eo obliget, ipſo jure non tenet, niſi appareat idem in ejus utilitatem factum *(e)*.

Quomodo autem in alienatione per maritum facta illius prædii, cujus uſumfructum mulier habet, uxoris conſenſus interponi debeat, multi quæſtionem movent. Antiquitùs coram judice tantùm, & extra præſentiam mariti, interponebatur : hodie ſi ſubſcripſerit inſtrumento alienationis coram teſtibus, ſufficit, niſi poſt, ſe ad ſubſcribendum coactam vi & metu probare poterit : tutiùs tamen fecerit, qui in judicio ejus conſenſum extra mariti præſentiam obtinuerit. Jure Anglorum maritus neque prædium hereditarium uxoris, neque in quo uſumfructum aut jus uxor habet, etiam cum ejus conſenſu, alienat. Nam eo fato functo jus revocandi uxor habet, cum eo vivente & ſtante matrimonio jus contradicendi non haberet. Filius prædium, in quo pater ex jure Cæſareo uſumfructum habet (habet autem ex conſtitutione pater uſumfructum omnium bonorum, quæ filius in poteſtate patris exiſtens acquirit, *(f)*) in feudum non rectè dat : ratio eſt, quoniam uſusfructus hic à lege tantùm conſtituitur; itaque ut non tolli, ita nec lædi, ut difficilior patris poſſeſſio fiat, poteſt. Apud nos patria poteſtas penè exolevit, & filius in eis quæ acquirit plenum dominium nanciſcitur. Hæc de eis quæ à lege prohibentur alienari.

21. A teſtatore verò gentilitia prædia, extra familiam alienari prohibita, ne in feudum quidem dari poſſunt. Poſſunt tamen prohibita à teſtatore alienari, ex cauſa neceſſitatis vendi aut in feudum dari *(g)* : alioqui, quamvis alienentur aut in feudum dentur,

(a) D. 16. § 1. (b) l. 1. ff. de rebus eorum qui ſub tut. vel curat. vid. D. 12. § 30 & 33. (c) d. l. 1. de rebus eorum qui ſub tut. & curat. (d) Pr. inſtit. quibus alien. licet vel non. (e) Nov. 134. cap. 8. (f) l. 6. C. de bonis quæ liberis. (g) l. 38. ff. de leg. 3.

dentur, poſſunt per eos qui ſunt ex familia revocari quaſi genti uni deſtinata. Neque mirari quis debet teſtatorem alienationem rei teſtatæ heredi vel legatario interdicere poſſe: nam cùm dominus ſit rei legatæ vel hereditariæ, poteſt in ejus legato quaſcunque velit conditiones annectere, & prohibere, ne extra familiam in feudum detur: cùm tamen inter vivos pactionibus prohiberi non poſſit, ne quis invito vicino rem ſuam aut prædium alienet *(a)*; imò & hæc conditio, ne quis feudum alienet, rejiciatur prorſus, & pro non adjecto apud Anglos habeatur, ut pòſt dicemus Et licet, tam in jure noſtro quàm in jure feudorum, teſtamento diſponere feuda quis prohibetur *(b)*, tamen apud multos conſuetudo invaluit, ut teſtamento feuda diſponi poſſint. Sic apud Anglos Burgalia feuda, apud Normannos & fere Gallos omnes, conquæſtus omnis, ſive novum feudum, in teſtamento diſponitur: ſic prohibita à teſtatore alienari, ex cauſa neceſſitatis alienari, vendi, aut in feudum dari poſſunt *(c)*; ſic propter dotem aut donationem propter nuptias, & propter debitum teſtatoris.

22. *Res* etiam *fideicommiſſariæ reſtitutioni obnoxiæ*, ut nec alienari, ſic nec in feudum concedi poſſunt. Fideicommiſſaria reſtitutio dicitur, cùm teſtator directe alicui, cui favet, ſive prædium particulare, ſive univerſam hereditatem, aliquâ ratione ſeu circumſtantiâ vacantem, relinquere prohibetur; alteri tamen illam relinquat, ejuſque fidei committat, ut poſtquam res ad eum pervenerit, is primo, cui directe teſtator favebat, & cui conſultum voluit, eam rem reſtituat *(d)*. Et quoniam res hæc proprie in dominio ejus cui teſtamento relinquitur dici non poteſt, cùm is alteri eam reſtituere cogatur; itaque neque eam alienare, neque eam in feudum dare poteſt, nec ejus eſt propria, ſed fideicommiſſariæ reſtitutioni ſubjecta: quod ſi vel alienetur vel in feudum detur, fideicommiſſarius vendicare poteſt.

23. Eadem videtur ratio in his prædiis quæ *redemptioni ſunt obnoxia*, quod priùs attigi; neque feudum in *rebus communibus (e)*, quarum diviſio poſtulata priùs fuit, conſiſtit, ut nec alienatio *(f)*. Ratio redditur, quòd ex mutatione dominorum diviſio pendens interrumpi poteſt, ſic quæ tantiſper in hereditate ſunt, dum de hereditate adeunda deliberatur *(g)*. Neque enim hæ res, donec hereditas adeatur, in alicujus dominio ſunt; itaque neque alienari, neque in feudum dari poſſunt. An autem inter has res à lege & à teſtatore prohibitas alienari, connumerari poſſint eæ res, quæ à judice, vel ex partium conventione & conſenſu prohibentur alienari, & in feudum dari, dubitari poteſt? Et ſanè quoad conventionem partium, puto, ut antea *(h)* dixi, nullo modo privatim inter eos conveniri poſſe ne res in feudum dari poſſit, ut neque alienari *(i)*. Sed quid ſi in prima conceſſione feudi diſertè dominus caverit, ne vaſſallus poſſit in feudum dare? In hoc caſu vaſſallum ſi alienet à feudo cadere puto, feudumque ad dominum devolvi. Nam & ea cauſa eſt amiſſionis feudi, ut latiùs infra dicetur, in titulo, *Quibus modis feudum amittatur*: neque qui cum vaſſallo contrahit, inique ſecum actum quæri poteſt; nemo enim ignarus eſſe debet conditionis ejus cum quo contrahit *(k)*. Itaque explorare debuit diligenter quibus legibus, quâ conditione feudum vaſſallo, a quo emere conſtituit, ſit in initio à domino conceſſum *(l)*: neque enim ferendus eſt qui oſcitanter ad talia progreditur. Nec tamen certus ſum ſi talia pacta apud nos admittantur. Sed in his idem puto obſervandum, quod in reverſionibus, ſive pactis de retrovendendo, ut ſi talia pacta in corpore inveſtituræ contineantur, locum habeant *(m)*: alioqui ſi ex ſpeciali cautione, obligatione, aut contractu, non credam valere; facile enim ſic imprudentes in errorem inducentur.

24. De *rebus* judicis auctoritate *alienari prohibitis*, ſive judicis auctoritas per *inhibitionem* interceſſerit, ſive voluntas per *interdictionem* fuit interpoſita, licet antea in Diegeſi duodecima *(n)* rem totam plenius explicavi, tamen quia hic locus aliquid etiam requirit, hoc puto ſequendum. Qui ſe à libera rei ſuæ adminiſtratione, ob

(a) l. 61. ff. de pactis. (b) 1 F. 8. pr. vide § 23. (c) d. l. 38. ff. de leg. 3. (d) § 1. Inſt. de fideicomm. heredit. (e) 2 F. 58. § 2. (f) l. 1. C. communi. divid. (g) l. 7. ff. de jure deliberandi. vide § 30. (h) § 21. (i) Per l. 61. ff. de pactis. (k) l. 19. de R. J. (l) Arg. 1 F. 14. § 2. ibi: Niſi pactum fuerit inveſtitura. & 2 F. 18 §. ibi: Propter tenorem inveſtituræ. (m) Vide cap. 28. Parl. 5. Jac. III. (n) § 32.

justam aliquam debiti causam judici exhibitam, *interdici* consentit, res nullas in feudum concedere potest : nam ita judicis auctoritas eludetur. Sed si non simpliciter omnis alienatio interdicatur, sed tantùm ea quæ sine consensu selectorum amicorum fiet, & is eis ipsis amicis, quibus uti debuit, & quorum operâ ejus bona salva futura putabat, sua prædia alienaverit, quid dicendum est ? Nam si verba interdictionis spectemus, ea salva & illibata manent. Nihil enim, sine eorum consensu facit, cui interdicitur, neque negari potest eos consensisse in eam alienationem cujus sunt participes, & quam in se receperunt & subscripserunt. Sed hoc planè est in fraudem legis facere, id est, salvis ejus verbis sententiam circumvenire *(a)*. Nam aliò spectabant legum auctores, nempe, ut per hos, salva ejus cui interdicitur prædia sibi & suis posteris essent, nec interim egeret : & tutorum sive curatorum loco adhibiti sunt hi, quorum consilio uti debet is cui interdicitur, in rebus suis sive alienandis sive administrandis. Itaque hi in se res pupilli transferre non minùs in jure & ex æquo & bono prohibentur, quàm tutores & curatores *(b)*. Præterea cùm tutores & curatores sibi in rem suam auctores esse non possunt, ut egregiè Justinianus *(c)*, quî magis ii, ad quorum instantiam, ut loqui solemus, alicui bonorum administratio interdicitur, ita ut omnino sine eorum auctoritate alienare non possit, sibi ipsi auctores esse aut auctoritatem præbere possint, non video. Regula enim in jure est generalis, Nemo sibi jus dicere *(d)*, nemo sui juris auctor esse potest *(e)*. Itaque licet sciam tales alienationes apud nos tolerari, quid dicam tolerari ? imò in Senatu approbatas esse : tamen dicam quod sentio, hoc genus alienationis cum honesto, cum bono & æquo, imò cum ipso jure, si strictè accipiamus, pugnare ; feneſtramque & ingentem hiatum multis machinationibus patefacere, vel lippienti patet. Sed non est hîc querelarum locus. Obiter tamen illud admonendum putavi, quòd si cui bonis interdicatur, nisi cum consensu trium aut quatuor conjunctim, aut saltem duorum sive plurium conjunctorum, præmoriente uno, interdictionem cadere : idem, uno renunciante in favorem illius, qui eum elegerat, & sic in Senatu observatum vidi.

Quod ad *inhibitiones* attinet, ne quid in fraudem creditorum fiat, omnium rerum quæ sub inhibitione continentur irritam alienationem sive infeudationem facit, nisi qui rem in feudum acceperit, aut rem salvam creditori esse demonstrare poterit, aut ipse solvat, quo casu convalescit feudum. Et hæc de rebus à lege, à testatore, à judice, aut partibus prohibitis ; neque enim in feudum magis dari possunt quàm alienari.

25. De *re litigiosa* quæstio etiam est : nam & ea alienari in jure prohibetur *(f)*, imò ne pignori dari potest *(g)* : nam in jure ejus alienatio tam odiosa est, ut non solùm qui vendit, sed qui emit in pœnam incurrat. *Litigiosa* res fit super qua lis est contestata, id est, quando semel in judicium res deducta est *(h)* : per protestationes autem, comminationes, aut denunciationes, res non fit *litigiosa (i)*. Itaque ut res fiat *litigiosa*, quæstio in jure moveri debet, inter petitorem & possessorem *(k)*. Si tamen agatur personali actione, res non fit *litigiosa* ; cùm litigiosi vitium sit reale. Accursius tamen & in hac actione personali vitium litigiosi contingere posse putat ; neque enim minùs incommodum ex actione personali in re litigiosa, quàm ex reali aliquando contingere potest : idemque est utriusque partis interesse. Itaque hanc ille solam adhibet differentiam, quod in actione reali, statim oblato libello, res fit *litigiosa* ; in personali, non nisi per *litis contestationem (l)* : fit etiam res litigiosa per oblationem libelli Principi *(m)*. Quæ autem sit pœna vendentis aut alienantis rem litigiosam, per dictam Authenticam apparebit : aliter enim punitur emptor sciens, aliter ignorans : nam venditor semper scire præsumitur. Quæ pœnæ, quoniam in dicta Authentica plenius continentur, nec in usu nostro locum habent, quod dolendum est, (nunquam enim mihi placuit *rei litigiosæ* emptio aut comparatio) hîc consultò prætereuntur. Ratio, quare *rei litigiosæ* alienatio in jure tam odiosa, est quòd per

(*a*) l. 29. ff. de LL. (*b*) Authent. ut qui res minorum. (*c*) § 3. Instit. de auct. tutorum. (*d*) l. 10. ff. de jurisdict. (*e*) d. § 3. Instit. de auctor. tutorum. (*f*) l. 2. C. de litigiosis. (*g*) l. 1. § ult. ff. quæ res pignori oblig. possunt. (*h*) l. 1. C. communi dividundo. (*i*) l. 1. & ibi Baldus C. de re litigiosa. (*k*) Nov. 112. cap. 1. (*l*) Vide Accursium in dict. Nov. 112. (*m*) dict. Nov. 112

per eam plerumque adversarii conditio fit deterior. Nam hæc alienatio plerumque in potentiorem fit, quibus pares aliquando esse non possumus *(a)*: & plerumque aliud incommodum accidit, ut qui se judicio pulsari videt, vel rei vendicatione, vel aliâ reali actione, rem ipsam in alium sæpe transferat, ille rursus in alium, tertius in quartum, & sic judicia eluduntur. Itaque rei *litigiosæ* non solùm venditio, sed & donatio, & omnis contractus, per quem ut in alium transferatur agitur, in jure prohibetur; & proinde in feudum concessio: & is qui præjudicium patitur, actionem in factum habet ad id quod ejus interest alienationem non esse factam.

26. Sunt tamen casus in jure excepti, in quibus *rei litigiosæ* alienatio, & proinde feudum permittatur: nempe, tam in causa *dotis*, quàm *donationis propter nuptias (b)*, (in utraque favore matrimonii prægravante odium litigiosi;) & etiam in *causa transactionis*, non solùm ut liceat de feudo transigere cum eo cum quo controversia est, sed etiam si in tertium alienaverit. Nam per *transactionem* videtur litem fortasse graviorem redemisse, & sic neque dolus neque culpa præsumitur. Sic etiam in *causa divisionis*, veluti in hereditate dividenda, vel actione familiæ herciscundæ, res litigiosæ uni possunt assignari, & fortasse viliori pretio, sive ea divisio fuerit voluntaria, & ex consensu partium, sive auctoritate. Sic & res litigiosa legari potest, & hypothecæ subjici. Apud nostros, neque alienatio in feudum prohibetur, nisi quatenus antea monui ex speciali constitutione contra eos qui ex Senatu sunt, quibus rei litigiosæ alienatio interdicitur *(c)*. Sanè Justinianus quemque suam litem persequi voluit, adeò ut si actor destiterit ab actione, tribus edictis unoquoque triginta dierum ad agendum cogatur: si adhuc non venerit, annus ei indulgetur, quo peracto judex sententiam proferet *(d)*. Inde puto emanâsse apud nos, ut quis in lite mota insistere cogatur.

27. Prohibentur etiam alienari, aut in feudum dari, res communes, quarum divisio postulatur *l. 1. ff. communi dividundo (e)*. Sic & *res* quæ sunt *in hereditate*, tantisper dum de ratione adeundæ deliberatur. Sunt & aliæ res in jure nostro in feudum dari prohibitæ. Nam *capitale messuagium* (ut vulgò loqui solemus,) sive principalem habitationis locum, vassallus antiquitùs alienare ab herede non poterat; imò nec inde uxorem dotare, sive per donationem propter nuptias infeudare, (in hac enim significatione verbo *dotare* utor, quia in jure nostro ita multis in locis, & etiam apud Anglos usurpari video, ne interim juniores eo offendantur;) nisi vel necessitas urgeat, vel alias terras non habuerit *(f)*. Antiquitùs pater primogenito in hereditate præjudicare non poterat, infeudando secundo genitum, aut alium inferiorem: aliud tamen in conquestu; nam feuda acquisita à se, etiam in extraneum transferre potest. Utrumque hodie apud nos æquè licet, quamvis communiter id fiat sub titulo venditionis. Nam licet feudum concedere, id est, gratuitò conferre, pater non solet, alienare tamen potest. Sic in fraudem liberorum ex primo matrimonio susceptorum, feuda tum acquisita liberis ex secundo matrimonio genitis non poterat alienare *(g)*; nunc potest.

28. Quærit Baldus, an *res regni*, sive ejus *latifundia*, à Principe in feudum dari possint? (loquor hic de non annexo patrimonio:) & certum esse eum alienare non posse concludit hac similitudine *(h)*: *Regnum enim*, inquit, *sive imperium, est quasi corpus quoddam integrum & perfectum, omnibusque sui partibus contabulatum & absolutum, à quo si nunc unum, mox aliud membrum amputaveris, non solùm perfecti regni nomen amittit, sed etiam collabitur*: præsumptio enim hæc est in Principe, quòd nihil ex plenitudine potestatis, aut (ut nos loquimur) ex absoluta potestate faciat; sed tantùm secundum juris communis regulas. Sic etiam apud Canonistas, Pontifex Max. nihil ex absoluta potestate se facere ait, licet omnia faciat *(i)*: si tamen ex plenitudine potestatis, vel hic vel ille facere dicat, cessat præsumptio. Sed, ut ad Bal-

(a) Dict. tit. ff. & C. de litigiosis. (b) Auth. res C. communia de legatis. (c) Vide D. 14. § 18. (d) Dict. Nov. 112. cap. 3. (e) Ut § 23. dictum. 2 F. 58. § 2. (f) Cap. 110. de leg. Burg. cap. 16. § 62. lib. 2. Reg. Majest. & ibid. cap. 27. § 4. (g) Lib. 2. Reg. Majest. cap. 21 & 22 (h) In procœmio feud. numb. 31. vide D. 16. §. 3. (i) Cap. propositum 4. Extr. de concessione præbendæ, &c. ubi plenitudo potestatis abrogatur.

dum revertar, licet in feudum concedere posse non neget, si non in magnum regni seu imperii præjudicium & detrimentum vergat; donare tamen posse negat. Itaque ψευδογράφον illam Constantini donationem omnino damnat, non tantùm quòd stultæ pietatis zelo seipsum & imperium enormiter læserit, sed etiam quòd sedem imperii à se & futuris Imperatoribus alienaverit. Nescierat Baldus illam dispositionem suppositiam & confictam esse, ut evidenter hodie à multis confirmatum est.

29. De *rebus Ecclesiæ* antea *(a)* diximus, quarum alienatio perpetua licet prohibebatur, tamen emphyteosis de jure Civili permittebatur, si res in eorum geratur præsentia, quibus hoc lege assignabatur, jurantibus his, quorum interest, nihil ex eo contractu ad læsionem Divinæ domûs effici, solido reditu ipsius rei, quæ fuit, cum Divino juri dedicaretur, non minuendo, nisi in sextam partem, & cætera omnia ita moderanda, ut ab œconomo & reliquis gubernatoribus Ecclesiæ æstimabuntur *(b)*. Hoc inquam de jure Civili: de jure verò Pontificio, quomodo fundorum Ecclesiasticorum emphyteoses permittantur, Diegesi duodecimâ declaravimus; & tanc jure nostro antiquo in feudum concedi prohibebantur, nisi Regis confirmatio sive consensus feudo accesserit *(c)*. Quod quomodo exoleverit, Rom. Pont. omnia ad se trahentibus, nescio. Postea sine consensu Pontif. nullum prædium Ecclesiasticum in feudum dari potuit; neque ille consentire videri voluit, nisi diligenti inquisitione priùs facta compertum fuisset in commodum & utilitatem Ecclesiæ emphyteosin fieri *(d)*. Itaque hoc modo procedebat: libellus supplex porrigebatur Pontifici Max. à Prælato qui in feudum jam locaverat, sive locaturus erat; in quo illud præcipuè demonstrare contendebat, emphyteosin illam Ecclesiæ profuturam, & ejus utilitati & incremento fructuum inservire. At Pontifex, cùm commodis Ecclesiæ se non velle obstare rescribat; neque tamen, quia emphyteosis in longinquis & remotis regionibus erat, cognitioni superesse posset, an ea sit utilis Ecclesiæ an non, judices delegare solebat, qui de hoc negotio cognoscerent. Ac delegati, acceptâ commissione, & curiâ virtute commissionis ab eis indictâ, testes super hoc articulo, (an emphyteosis illa ex utilitate Ecclesiæ esset) examinabant: qui affirmative si deponerent, ad Pont. referebant; ille rursus confirmabat emphyteosin illam, tanquam in Ecclesiæ incrementum & commodum non modicum factam *(e)*. At restaurata vera religione, quæ circa annum Domini 1558. cœperat, & publicorum comitiorum auctoritate Pontificiâ tyrannide suppressâ, jus confirmandi ad Principem redi t: sed a principio ita limitatum, ut ad emphyteoses, quæ post diem octavam Martii prædicti anni factæ fuerant tantùm extenderetur. Postea aliâ constitutione in comitiis, quæ habita sunt anno 1584. *(f)*, specialiter cautum est, ne ulla emphyteosis valeat, a Pontifice olim vel Rege non confirmata, nisi Regis confirmatio accederet: quam constitutionem augendi ærarii causâ factam nemo est qui nesciat. Sed videtur jus illud antiquum, quo confirmatio Regis in omni emphyteosi requirebatur, tantum de eis prædiis intelligi, quæ ex censu Regio & ejus patrimonio dotabantur, & quibus Rex erat patronus. Nam & Barones idem juris habere antiquitùs videntur in Ecclesiis ab iis dotatis, quod & Reges *(g)*. Sed neque id apud eos hodie observatum: nam ubique Regis consensus seu confirmatio requiritur: consensum autem ab initio & confirmationem ex post facto æquiparare, constitutio nova voluit *(h)*, & etiam ratio suadet.

30. Hæc de confirmatione rerum Ecclesiasticarum in feudum sive emphyteosin locatarum. Supereſt quæstio; Cùm alienationem & concessionem in feudum ita sibi mutuò correspondere proposuimus, ut qui non alienare, nec in feudum dare; qui non emere, neque in feudum recipere possint; resque omnes, quæ alienationi non sunt obnoxiæ, neque in feudum collocari possint: cur rei alienæ venditio, sive alienatio, in jure valeat *(i)*, cùm res aliena in feudum dari non possit *(k)*? imò, quod

(a) § 5. (b) Nov. 120. (c) Cap. 23. lib. 2. Reg. Majest. & cap. 7. Parl. 9. Jac VI. (d) Extrav. lib. 3 tit. 3. cap. susceptî regiminis unicum. (e) Vide cap. 44. Parl. 6. Jac. III. & Skenæum de verb. signif. verbo *Bagimount*. (f) Cap. 7. Parl. 9. Jac. VI. (g) Vide Mackenzii Observ. in cap. 29. Parl. 11. Jac. VI. (h) Cap. 66. Parl. 5. Jac. VI. (i) l. 28. ff. de contrah. empt. (k) Vide lib. 2. D. 3. § 21.

quod majus eſt, neque heres apparens, tantiſper dum in deliberatione eſt, res hereditarias in feudum dare poteſt *(a)*, nec ullus alius qui jus in re non habet, licet habere ſperetur. Sed facilè hæc differentia tollitur: nam venditio rei alienæ, licet non ſit irrita, quippe ex qua actio competat ex jure ad rei traditionem, & etiamſi res evincatur, ad æſtimationem; non tamen ita valet, ut aliquod rei dominium ad emptorem transferatur. Nam emptor ex hoc contractu nunquam dominus efficietur, cum verum dominum vindicantem exceptione non excludat, tantùm de evictione remanet ei actio adverſus venditorem. Eodem modo in feudo, res enim aliena in feudum dari prohibetur. Neque enim dominium directum penes concedentem, neque utile penes recipientem conſiſtit; poteſt tamen actio ad intereſſe, vel de evictione, ei qui accipit competere *(b)*. Et ſic etiam in hoc venditio & feudum conveniunt. Sic & noſtrorum hominum ſordes hodie effecerunt, ut cum pecuniæ feudum contendunt facere, contra naturæ regulas (cum pecunia pecunias non gignat) etiam de feudo nonnunquam contrahant, quod eſt in alterius dominio, ut qui pecuniam ſub favore mutuantur, ut feudum conſiſtere videatur, non pecuniam ſed feudum etiam eo nomine promittant. Ego ſanè in his feudum eſſe conſtanter pernegarem, niſi quòd debiti naturam immutatam cernerem, cum in his quod debetur, mortuo creditore, non ad ejus executores (qui tamen in mobilia omnia debent ſuccedere) ſed ad heredem bonorum immobilium pertineat & adjudicetur, & ita Senatus cenſuit. Actionem tamen ad feudi æſtimationem vel recuperationem ſufficere ex contractu tali puto. Imperatorem bona ſubditorum immediatè illi ſubjecta in feudum aliis concedere poſſe, ſunt qui putant; ſed tantùm ſi juſta cauſa, & utilitas aliqua publica illud poſtulet, & juſtum & conveniens pretium numeraverit, non verò mediatè ſubjecta.

31. Quod autem diximus *(c)* feudum *rei alienæ* non conſiſtere, imò ſi ab herede apparente domini fiat, id aliquam patitur exceptionem: nempe, niſi is qui conceſſit in feudum, ut apparens heres, poſtea verus dominus, verus heres exiſtat: nam ſic jus ſuperveniens auctori, etiamſi & ſucceſſori prodeſt. Anglorum enim jure, nemo poteſt jus quod habet ad rem quam alius poſſidet, aut actionem quam habet, tertio homini, nec actiones cedere. Itaque ceſſiones, quas nos *Aſſignationes* dicimus, ibi ceſſant: ratio eſt, ne nimium faciles reddantur ad litigandum. Cedere tamen poteſt Rex ſuas actiones, quemadmodum & ceſſio in Regem à quolibet poteſt fieri. Aliàs aſſignationes apud nos licitæ ſunt: ſed niſi aſſignatus jus ſuum inſinuaverit (quod nos *intimare* dicimus) tuto cedenti ſolutio fieri poteſt: forma autem hujus intimationis aſſignationum, eſt ejus coram debitore lectura præſente Notario, & teſtibus rogatis & requiſitis; neque verbalis intimatio ſufficit: quod ſi cedens remanſerit in poſſeſſione rei aſſignatæ, ſicut priùs, & eodem modo quo priùs poſſederat, aſſignatio non valet.

Diegeſis decima ſexta.

De jure Regis in feudis & de Regalibus.

SUMMARIA.

1. *Regis patrimonium, nec alienari nec in feudum dari publicâ lege cautum eſt: nec præſcriptioni ſubjectum.*
2. *Patrimonium Regis, publicum eſt vel privatum. Publicum quid? Patrimonii vox eſt homonyma. Quid ſit tam publicum quam privatum?*
3. *Publicum etiam, aliud eſt proprium Regis patrimonium, aliud fiſcale: quid hoc ſit?*

(a) Vid. § 23 & 31. (b) 2 F. 8. pr. & 2 F. 25. (c) § præced.

4. *Publicum patrimonium, annexum vocatur, quod coronæ est: quod non solum alienari prohibetur, sed Rex in sua inauguratione jurat se intactum servaturum, respectu cujus Rex tanquam curator est.*
5. *Non annexum quid? Escheta quid? In talibus feudum à Rege concessum rectè consistit. In Gallia Rex earum rerum non habet alienationem. Origo patrimonii annexi non alienandi. Dissolutiones inventæ sunt, sub prætextu Regii rentalis augendi, sed maximo Principis & reipublicæ malo. In emphyteosibus merces, non in numerata pecunia, sed vel in frumento, vel aliis rebus, ut moris est apud alias gentes, esse debet.*
6. *An annexum patrimonium feudari possit? & quomodo? Certis casibus Rex patrimonium suum tam annexum quam non annexum infeudare potest; sed si Regi fraus fiat, brevi manu rem vindicare potest, & in Anglia revocare tenetur.*
7. *Totum regnum est quodammodo Regis patrimonium, cujus corona est pro sasina. Rex, ut superior, non potest in præjudicium sui vassalli superioritatem nec civitatem, aut cives invitos alienare; & est in alienatione tanquam curator.*
8. *Quæ dicantur Regalia.*
9. *De Armandiis.*
10. *De Viis publicis, sive Regiis, quorum solum est publicum. Purprestura quid? Magistratûs officium circa has vias.*
11. *De Fluminibus publicis, seu navigabilibus.*
12. *De Portubus & Portoriis.*
13. *De Ripaticis.*
14. *De Teloniis.*
15. *De Vectigalibus. Ea collectis opponuntur: si in portubus solvantur, Portoria; si in ripa, Ripatica; si in terra, Telonia dicuntur.*
16. *A quibus vectigalia imponantur, & ex qua causa? Auctoribus quibusdam vectilium, fatalia contigerunt.*
17. *Civitatibus vix permittitur onera civibus imponere. Hæc onera alii Assisas vocant. De vectigali ad Elsinurum. De Thalassiarchi officio.*
18. *Vectigal est solvendum sub duplici pœna, in foro & divino & humano. A delicto immunes agunt contra delinquentes ad damnum resarciendum; & quod publicanus plus æquo exegerat, cum triplo est restituendum. Forensis ignorans excusatur. Forensis quis?*
19. *Qui à solutione vectigalium sint immunes? quæ res sint immunes? Princeps vectigal rescripto remittere non potest in prejudicium ejus qui certa mercede conductum habet. Qui falsum nomen domini, ad fraudanda vectigalia, supposuerit, publicatione rei punitur.*
20. *De Collectis. A solis Principibus imponuntur, aliquando ab inferioribus. In collectis tria sunt consideranda; 1. An in collectis æstimandæ sint facultates extra illud territorium. 2. An privilegio territorii renunciare quis potest, ut collectam effugiat. 3. Emphyteuta an collectam solvere teneatur, an dominus proprietatis? Immunitas à collectis quibusdam conceditur. Princeps pro filia elocanda collectam imponere potest. Immunitas à collectis est probanda, & est stricti juris. Qui à collectis sint immunes?*
21. *Monetæ feriendæ jus Regis est. Unde expensæ in moneta facienda? Extensione, & diminutione valoris pecuniæ, gravissimè in rempublicam peccatur: quod indulgendum non est sine consensu populi.*
22. *In qua pecunia creditor debitum recipere teneatur crescente monetæ æstimatione? Primò observandum quid inter partes conventum sit.*
23. *Si nihil inter partes convenerit, videndum quis sit in mora: si nulla mora quis sit dominus. In ultimis voluntatibus & aliis, tempus solutionis inspicitur, & consilium creditoribus datur.*
24. *De Monetæ feriendæ æstimatione. Moneta æstimatur, vel ex materia, vel forma. Quid utraque sit, & quid sit argentum purum?*
25. *Quid aurum purum?*
26. *Verus valor auri, & argenti, ad se invicem. Res monetaria hæc ad Principis curam spectat, & non alii committendum. Falsarii Monetæ pœna est ut flammis consumatur. Impuberes excusantur.*
27. *De Mulctis, & Pœnis: quarum aliæ ad Regalia spectant; aliæ, speciali jure, aliis conceduntur, vel relinquuntur.*
28. *Speciale indultum civitati Edinensi.*
29. *Minimæ aut maximæ mulctæ apud Romanos valor: unde apud nos tot ovium aut vaccarum mulctæ pro gravitate delicti æstimabantur.*
30. *De bonis vacantibus mobilibus, sciz. quorum Rex est ultimus heres. Immobilia non sunt vacantia, si de sanguine constet.*

31. *De*

31. *De bonis, quæ legibus tanquam ab indignis auferuntur.*
32. *De bonis damnatorum & hæreticorum apud nos, & de bonis eorum qui ſibi manus intulerunt.*
33. *Angariarum, & parangariarum præſtationes quid ſint?*
34. *De collatione ad tranſitum exercitûs; & de fodro.*
35. *Magiſtratuum creatio, etiam inter Regalia refertur.*
36. *Argentariæ quæ ſint?*
37. *De palatiis ſive prætoriis.*
38. *De piſcationibus, & earum reditibus.*
39. *De ſalinis.*
40. *De theſauro, quid; & cujus ſit?*
41. *De reſtitutione regalium Imperatori, inter quæ etiam ſunt molæ, licet aliter apud nos. Dignitates omnes non erant hereditariæ, ſed tantum vitales. Molæ non tranſeunt cum pertinentiis, ſed cum Baronia. Alia etiam ſunt Regalia.*
24. *Bona quæ dicuntur* WRACK & WAITH. *De harum vocum ſignificatione, & unde ad nos defluxerint? Quæ res in mari inventæ, ut* WRACK, *ſive ex naufragio ejectæ, ad Principem pertineant. Quæ bona dicantur* WRACK *apud Anglos.*
43. *Bona quæ* WAITH *dicuntur: quid juris circa ea. Continuatio auctoris à Regalibus minoribus ad majora.*
44. *Regalia majora à ſolo Principe conceduntur, non à Pontifice. Prævaluit tamen Pontifex ut omnia beneficia Eccleſiaſtica, licet feuda complecterentur temporalia, à Pontifice concederentur. Alia Regalia majora enumerantur.*
45. *De Regalibus in ſpecie conceſſis cum clauſula generali; & quid ea comprehenſum.*
46. *De fiſco, quid ſit? & unde nomen? Differt ab ærario, quæ poſtea confunduntur. Edinburgi, Thalaſſiarchi, & Comitis Orcadum ſpeciale privilegium.*
47. *Quæ ad fiſcum pertineant, & quomodo ei acquiratur proprietas & poſſeſſio? Cum fiſcus loco heredis ſit, creditoribus ſatisfacere tenetur.*
48. *Bona confiſcata non fiunt patrimonialia. Rectè à Rege alienari poſſunt, niſi expreſsè per ſtatutum in patrimonio incorporentur, vel præſcriptione: licet præſcriptio in Principem non currat. Ad exemplum Regis villani contra dominum non præſcribunt.*

1. INTER ea quæ à lege in feudum dari prohibentur, moribus hodie receptum eſt, ut *Regis patrimonium* numeretur *(a)*; licet ex jure Feudali, Rex aliquam ſui patrimonii partem in feudo concedere poſſit, modò ſucceſſori non magnum fiat præjudicium, aut magna fiat Regii patrimonii diminutio. Sed cum temporis proceſſu hæ quantumvis parvæ diminutiones ſingulis Principibus ex jure permiſſæ, in maximum patrimonii Regii præjudicium evaderent, nec aliàs importunis hominum ſollicitationibus Principes poſſent obſtare *(b)*: factum tandem eſt, ut publicâ lege, publiciſque ſanctionibus, omnes hæ patrimonii Regii, ſive alienationes, ſive in feudum conceſſiones interdicerentur *(c)*. Sic Hottomannus juris conſultiſſimus tenet, *patrimonium Regis* nulli alienationi, imò nec præſcriptioni ſubjacere.

2. Duplex autem fuiſſe antiquitùs *Regium patrimonium* teſtatur Dionyſius Halicarnaſſeus *(d)*. Nam cum Tullus Hoſtilius in regno Romanorum Numæ ſucceſſiſſet, agrum illum publicum, quæ ſors & poſſeſſio Regum antea dicebatur, quoque Romulus & Numa antea utebantur, tam ad victum, quàm exhibenda Diis ſacrificia, inter egenos dividi viritim mandavit, ſuum ipſius & familiare patrimonium, & ad neceſſaria victui paranda, & ad Deorum ſacrificia ſuffecturum affirmans. Magnum illud frugalitatis & continentiæ exemplum. Sed longè aliter hodie ſe res habet: nam *publicum* illud *patrimonium* (quod quaſi dos à repub. Principi ad onera reip. ſuſtinenda conceditur) nullo modo poteſt alienari; aliud patrimonium poteſt. Sed ut tota res faciliùs intelligatur, præponenda eſt patrimonii definitio, quam mox ſequetur diviſio. *Patrimonii* vox eſt homonyma: nam propriè ea pecunia patrimonium dicitur, quam à patre liberi accipiunt, ut patet ex Cic. *(e)*: ſed hoc nomine tempore Juriſconſultorum cujuſvis generis bona, ſive à patre relicta, ſive adventitia,

(a) D. 15. § 18 & 28. (b) Vid. § 5. (c) Cap. 2. Parl. 16. Jac. VI. (d) Lib. 3. (e) Lib. offic. & orat. pro Poſthumio.

ventitia, ſive cujuſvis liberi opera parta intelliguntur. Itaque in bonis eſſe, & in patrimonio eſſe, æquiparantur. Sed tandem ad *Principum* bona patrimonii nomen derivatum eſt, ut propriè illud *patrimonium* dicatur, quod in bonis Principis eſt. Privati eo nomine abſtinent apud nos. Sic patrimoniales fundi *(a)* in jure dicuntur, qui ad Principem pertinent, & ab eo ad tempus vel in perpetuum locantur. Hos fundos qui colunt, *Coloni patrimoniales* vocantur. In hac ſignificatione hic *patrimonium* definio, ut ſit fundus ad Principem jure dominii ſive hereditario pertinens. Illud duplex eſt: nam aliud patrimonium *publicum* dicitur, aliud *privatum*. *Privatum* eſt, quod ad eum non jure Coronæ, ſed per ſucceſſionem alicui privato, aut alio jure pervenit; veluti ſi ab aliquo fuerit heres inſtitutus, aut propinquo alicui ſucceſſerit, aut quicquam à privato comparaverit; & breviter quod ad eum, non ut Principem, ſed tanquam Antonium, Arcadium aut Honorium pertinet. *Patrimonium* autem *publicum* eſt, quod ad eum jure coronæ, ſive ut Principem, pertinet, quaſi ex toto regno ad Regiam dignitatem, & regni onera ſuſtinenda ſeparatum & ſepoſitum, & quaſi dos Principi à repub. conceſſa ad ejus dignitatem ſuſtinendam.

3. Publicum rurſus duplex eſt, aliud enim *proprium Regis patrimonium eſt*, aliud *fiſcale*, quod ex delictis ad eum & ejus fiſcum provenit.

4. Nos prius *annexum patrimonium* dicimus, nempe illud quod propriè *coronæ patrimonium*, aut *reditus coronæ* vocatur; quod non ſolum alienari ex jure utriuſque regni prohibetur, ſed etiam Rex in ſua inauguratione ſolenniter jurat ſe illud patrimonium intactum & illibatum ſervaturum, nec in alium tranſlaturum *(b)*. Itaque hujus patrimonii in feudum conceſſio, ex regni conſtitutionibus, omninò eſt prohibita: & in tali patrimonio Rex loco tantùm curatoris, vel tutoris aut alterius adminiſtratoris eſt, qui meliorem conditionem rei ſibi commiſſæ facere poteſt, deteriorem non poteſt. Nam ut coronam, ſic bona coronæ Rex non poteſt alienare: ſi enim hoc permitteretur, ſenſim & non ſentiendo regnum in interitum prolaberetur.

5. *Non annexum* illud habetur, quod, ut dixi, ratione privatâ, aut ſucceſſionis teſtamenti, vel etiam ex eo quod *Rex* eſt, id eſt, ratione *eſchetæ*, ſive accidentaliter, obvenit. *Eſcheta* enim ab *accidendo* deducitur, & in talibus feudum à Rege conceſſum rectè conſiſtit, ut in *Baſtardia (c)* ſive *forisfactura*, & ex iis obvenientibus: & in his liberam adminiſtrationem Rex habet. Neque enim dignitas ei officere debet. Neque tamen vel hoc apud Gallos niſi ex juſta cauſa alienare licet. Sic Ducatus Leviniæ, qui ad Regem per ſucceſſionem devenit, ritè in illuſtriſſimum Ducem Leviniæ Ludovicum Stuartum tranſlatus eſt. Origo autem annexi patrimonii non alienandi a facilitate Principum (quâ nullum in Principe majus vitium aut incommodius eſſe poteſt) proceſſit. Nam cum importunis precibus improbi cujuſque pares eſſe non poſſent, in eas anguſtias ſæpe deducebantur, ut deeſſet unde pro dignitate Regia ſuſtineri poſſent. Huic malo ut occurrerent, publicis regni comitiis ſtatutum eſt, Jacobo II. regnante, ut certi Comitatus & prædia pro dignitate Regia ſuſtinenda unirentur, eâ lege, ne ſub quocunque prætextu aut occaſione Principi ea alienare liceret, niſi causâ alienationis pro publica regni dignitate & commodo examinatâ, & probatâ: alioqui non ſolùm irritam eam alienationem futuram, ſed etiam feudum illud, ſive rem alienatam brevi manu, id eſt, ſine ſtrepitu judicii, & non minus ope exceptionis quàm actionis, Regio fiſco repetendam & vendicandam: ſed ad ipſum ſtatutum lectorem remitto *(d)*. Verum uſque adeò nobis non conſtamus, ut eo ipſo Rege regnante, alia conſtitutio ſit facta, ut omnia prædia in feudum locari poſſint, *Rexque exemplo præiret (e)*. Poſtea *diſſolutiones* inventæ ſunt, quæ ſub prætextu Regii patrimonii annuatim & rentalis augendi, ſpecioſam ejus alienationem permitterent, maximo Principum malo. Nam cum hæc feuda pro annua penſione monetæ conſtituerentur, neque monetæ valor idem ſemper permaneret,

(*a*) Tit. 61. Cod. lib. 11. (*b*) Cap. 8 & 9. Parl. 1. Jac. I. cap. 41. Parl. 11. Jac. II. cap. 72. Parl. 9. & cap. 112. Parl. 14. Jac. III. cap. 8. Parl. 1. Jac. VI. (*c*) Vid. lib. 2. D. 18. § 15. (*d*) Cap. 41. Parl. 11. Jac. II. (*e*) Cap. 71. Parl. 14. Jac. II. Sed recentiori ſtatuto, feudorum militarium, inconſulto domino, interdicta eſt alienatio, cap. 12. Parl. 18. Jac. VI. quod poſtea ad Regis & Seneſcalli prædia vaſſallioſque eorum immediatos eſt extenſum, cap. 16. Car. I.

neret, fraude & perfidiâ peſſimorum hominum, qui Regi adblandientes, invitati alicujus lucelli ſpe, mutarunt monetæ & formam & æſtimationem: & res eò jam devenit, ut quæ olim uncia argenti duobus aut tribus ſolidis æſtimabatur, & ſub eo valore excuſa per manus omnium reciperetur, nunc ad ſexaginta ſolidorum æſtimationem extendatur, creſcente, cum pecuniæ æſtimatione, rerum etiam pecuniâ æſtimatarum, feudi ſolutione interea in eodem ſtatu permanente: adeò ut cujus feudi merces antea in pretium duodecim boum aut quadraginta pecudum ſufficiebat, vix unius bovis aut trium pecudum valoreni exæquet. Tales diſſolutiones factæ ſunt primùm Jacobo IV. *(a)*, mox etiam V. *(b)*, & tandem ſereniſſimo noſtro Principe Jacobo VI. *(c)* regnantibus. Non quòd ego feuda hæc ſive emphyteoſes damnem, aut reſcindi velim; imò potiùs, ex maximo reip. commodo, conſtitui poſſe credam, ſi omnia hujus regni prædia in feudum concedantur: (ſic enim politia regni creſceret, agri meliorarentur, deſerta colerentur, arbores, quarum inopiâ laboramus, plantarentur, ædes elegantiorem formam acciperent:) ſed quòd non putem conducere, ut merces emphyteoſis ſit in pecunia numerata, ſed vel in frumento, hordeo, avenis, lanâ, veſte, & unciis argenti vel auri excuſis; quod in aliis gentibus pleriſque hodie obſervari videmus, & antiquitùs obſervatum fuiſſe legimus, non tantùm in militum ſtipendiis & menſtruâ mercede, quæ plerumque, præter pecuniam, in frumento, farina, tunicis, caligis conſtabant; ſed etiam in locationibus, tam annuis quàm perpetuis. Sed, ut ad annexum patrimonium revertamur:

6. Prædiorum, quæ in hoc *annexo patrimonio* numerantur, feudum prohibetur, niſi meritorum ejus cui conceditur examinatio & approbatio à tribus regni Ordinibus præcedat *(d)*. Neque enim ſufficit, licet in verbis narrativis Principis centies meritorum mentio & confeſſio fiat, ut hoc feudum valeat: (cùm tamen alioqui verba narrativa ejus qui diſponere poteſt, in inveſtitura fidem faciant:) quod nuper in cauſa Alexandri Lyndeſii de Spynie accidiſſe novimus, qui niſi Ordinum regni declarationem de ſuis in Regem reipublicamque meritis obtinuiſſet, fruſtra de virtute ſui infeofamenti, narrationem meritorum continentis, cum Regio procuratore contendiſſet, licet humaniſſimus Princeps ei judicio Lyndeſium promovens, & favorem ei undique concilians adfuiſſet. Exempla eorum, qui ea infeofamenta antea à tribus Ordinibus approbata receperunt, ſunt Dominorum Altriæ & Torphichen; niſi quòd hoc poſterius ante annexationem fuit impetratum. Rex tamen terras ſuas, tam annexas quàm non annexas, in feudifirmam locare, rentali (ut aiunt) & ſervitiis ac greſſumis non diminutis, poteſt: ſed hoc cavebatur temporalibus quibuſdam ſtatutis Jacobi IV. *(e)*, Jacobi V. *(f)*, & tandem hujus ſereniſſimi Principis Jacobi VI. *(g)* temporibus. Eſt tamen aliquis caſus, in quo alienatio aut inveſtitura de re ad Regium patrimonium pertinente valeat, nempe, ſi ejus valor cum patrimonio Regis remaneat, veluti ſi Rex permutaverit terras cum privato: in quo tamen diligenter cavendum eſt, ne fraus Regi eo prætextu fiat, & niſi in his duobus caſibus Rex brevi manu rem ſuam vendicat. In Anglia Rex revocat, & revocare etiam tenetur.

7. Sed & hoc in *patrimonio Regis* intelligendum, quod totum regnum quodammodo dici poteſt ejus patrimonium: nam jure prærogativæ Regis omnium terrarum quæ in ejus ſunt dominio primam habet ſaſinam, quam & capit cum ſua corona, adeò ut illa ſit pro totius regni & omnium in eo terrarum ſaſina *(h)*, & heredes quicunque quaſi ab ejus manibus capiunt. Rex autem ſuperior non poteſt in præjudicium ſui vaſſalli ſuperioritatem alienare, aut alii eum invitum ſubdere, nec civitatem aut cives invitos alienare, aut alteri mancipare. [Vide Balſurium de tota hac re.] *Patrimonium* autem Principis, non poteſt à Rege ut Rege diſponi, ſed tantùm tanquam à tutore Principis. Sunt & alia quæ in *annexo patrimonio* numerantur, quæ *Regalia* dicuntur, eò quòd ad conſervandam regni dignitatem ex conſenſu Ordinum conſtituta ſint, quæ in juribus & rebus incorporalibus conſiſtunt.

8. Quæ autem ſunt *Regalia* ſpeciali titulo videre licet; niſi quis putet titulum illum

(a) Cap. 90. Parl. 6. (b) Cap. 116. Parl. 7. (c) Cap. 6. Parl. 9. (d) Cap. 41. Parl. 11. Jac. II. Cap. 112. Parl. 14. Jac. III. (e) Cap. 90. § 6. (f) Cap. 116. Parl. 7. (g) Cap. 6. Parl. 9. (h) Vide § 47. & D. 17. § 26.

lum esse paragraphum constitutionis Friderici, quod & verisimile est. Regaliæ igitur, sive Regalia (utrumque enim nomen reperio) referuntur in textu *(a)*, *Armandiæ, viæ publicæ, flumina navigabilia, & ex quibus fiunt navigabilia, portus, ripatica, vectigalia, quæ vulgò dicuntur telonia, monetæ, mulctarum pœnarumque compendia, bona vacantia, & quæ ut ab indignis, legibus auferuntur, nisi quæ specialiter quibusdam conceduntur : bona contrahentium incestas nuptias, condemnatorum & proscriptorum, secundum quod in novis constitutionibus cavetur, angariarum, parangariarum, & plaustrorum, & navium præstationes, & extraordinaria collatio ad felicissimam regalis numinis expeditionem, potestas constituendorum magistratuum ad justitiam expediendam : argentariæ & palatia in civitatibus consuetis : piscationum reditus & salinarum, & bona committentium crimen majestatis, dimidium thesauri in loco Cæsaris inventi, non datâ operâ, vel loco religioso : si datâ operâ, totum ad eum pertineat.* Primus auctor hujus tituli in confesso est, nempe Fridericus I. Imperator : nam incuriâ Imperatorum penè apud Ligures neglecta exolevissent, nisi Fridericus, domitâ Lombardiâ, imperii jura in civitatibus & in tota ea regione renovâsset. Licet non omnia in hoc titulo sive paragrapho connumerentur, ad ea tamen quæ commemorantur, quoniam obscuritas quædam in verbis est explicanda, pauca sunt subjicienda.

9. *Armandiæ*, sive *armaniæ*, vox barbara est, neque de significatione satis inter interpretes convenit. Communis sententia est loca publica fuisse, ubi publica arma custodiebantur, id est, armamentaria publica, quæ loca Imperatores semper sibi solis vendicarunt *(b)*, & à quibuslibet civitatibus habebant. *Arsenalia* adhuc in Italia dicuntur : hodie in his fabricis, tormenta & arma quæ publica sunt deponuntur, conflantur & custodiuntur. Alii interpretantur jus armorum fabricandorum & vendendorum intelligi ; quod *Armanniam* vocat hic Obertus : Princeps enim solus hoc potest jure communi *(c)*. Qui plura de hac re cupit, legat Novellam illam Constantini, quæ *de armis* inscribitur; Collatione 6.

10. *Viæ* autem *publicæ*, (nam de privatis hîc non loquimur) sive Regales, sive Regiæ, sive consulares, basilicæ sive militares (nam his vocibus promiscuè scriptores utuntur) inter *Regalia* numerantur. Itaque publicè muniendæ & reficiendæ sunt *(d)* : nam & curatores muniendarum viarum publicarum constituebantur, & impensæ aliquando à vicinis, pro quantitate & qualitate ædium adjacentium, exiguntur. Viæ autem publicæ *solum* est publicum sive Regium, & in eo ædificare non licet ; imò apud nos, *Purpræsturam* censetur committere in Principem, si quis sine ejus venia in scriptis impetrata, aliquam viæ publicæ partem arctet, aut in ea ædificet. In ea tamen certum est viatoribus equos, dum in expeditione sunt, pascere licere ; imò & gramina ex ripis carpere, & ultra ripas, id est, ex altera parte ripæ, quatenus brachio attingere possunt *(e)*. Has autem vias magistratus à prædonibus, furibus, aut latronibus, plagiariis, tutas & securas præstare debent, & suis sumptibus, præcipuè si telonia eo nomine capiant *(f)* : alioqui si quid per vim ablatum fuerit in via publica, resarcire tenentur ; non tamen in litem æstimandum, sed quatenus testibus probari possit *(g)*.

11. Flumina navigabilia quæ dicantur nemo ignorat ; nam flumina navigabilia, & quatenus sunt navigabilia, inter *Regalia* numerantur, & ad Principem pertinent ; licet jus navigandi, imò & piscandi, ad privatos pertineat (nisi in *piscatione salmonum*, ut postea dicemus ;) ita ut nemo ex flumine publico aquam ducere possit ad privatam molam, sine Principis licentia : imò ne cum Principis licentia, si usus publicus impediatur *(h)*. Sequitur in textu etiam, *ex quibus fiunt navigabilia :* per quæ verba intelligitur jus reddendi flumen navigabile, inducendo in ejus alveum alios rivulos vel amnes, vel impedimenta tollendo quæ cursum impediunt. Et sic fluminis coarctandi, sive dilatandi, potestatem esse Regii juris constat *(i)*. Sanè hæc *flumina navigabilia* antea erant publica, & totius populi : hodie in personam Regis sive Principis sunt translata, ut qui patris patriæ, & populi tutoris personam sustinet. Itaque qui naves

(a) 2 F. 56. (b) l. unic. C. ut armorum usus inicio Principe interdictus sit. (c) Nov. 85. de armis. (d) l. 2. § 20. &c. Ne quid in loco publico. (e) 2 F. 27. § 8. in fine. (f) Vide § 17. (g) Schon. disp. Feud. disp. 4. thes. 127. (h) l. 2. ff. de fluminibus. (i) l. 10. § 2. de aqua & aqua pluvia arcenda.

naves in flumine publico exonerant, vectigal Regi præſtant; neque in eis piſcari licet, niſi quis jus à Principe obtineat.

12. *Portus* autem ſunt in quibus naves appellunt *(a)*, & tributum quod inde exigitur *Portorium* dicitur; quod eâ tantùm causâ à Principe introductum eſt, ut portus locis idoneis aut conſtituerentur, aut munirentur, aut réficerentur: nam ea ſola juſta cauſa à principio vectigalis exigendi erat, ut pro ſalute navium portus aptarentur, ut hodie eo nomine tributum *Lethenſi portui* impoſitum vidimus; ſemel impoſitum facillimè continuatur.

13. *Ripatica* autem ea dicuntur tributa, quæ aut ripæ muniendæ, aut pontis in amne cuſtodiendi causâ capiuntur; qualia in Galliis ſunt frequentiſſima, nempe in Sequana, Ligeri, Garumna, & reliquis majoris notæ fluminibus: iſque prætextus ab initio portorii imponendi fuerat. Apud nos exempla ſunt rariora, niſi in ponte Perthenſi, Deenſi, aut Glaſcuenſi.

14. *Telonia* verò ſunt vectigalia, quæ pro *tella* ſive *menſa* capiuntur; & propriè dicuntur *menſæ*, ſive ſtationes, in quibus publicani Regis nomine vectigalia Regia exigunt, à Græco nomine Τέλος, quod inter cætera *tributum* ſignificat: unde *telones*, ſive *telonæ*. Hîc tamen generaliter pro omnibus vectigalibus uſurpatur, quorum jus ad ſolum Imperatorem aut Regem pertinet.

15. Et quoniam in *vectigalium* mentionem incidimus, unde dicantur, quando & quomodo imponi debeant, quos teneant, quos non, & denique quæ ſit pœna vectigalis non ſoluti, aliqua ſubjicienda ſunt. *Vectigal* autem deducitur à *vehendo*, quòd rerum *vectarum*, id eſt, evectarum, aut in urbem invectarum onera ſint. Dixi in rebus invectis aut evectis, quoniam in his propriè vectigalia conſiſtunt. *Vectigalis* autem definitio eſt, ut ſit reditus ſive proventus ex navium plauſtrorúmve oneribus, aliiſque rebus venalibus exſurgens, quæ aut equis, plauſtris, mulis, navibus, cymbis, veniunt in civitatem, aut per civitatem adducuntur. Dixi *per civitatem*: nam ſæpe etiam rerum in civitatibus factarum aut poſitarum vectigalia exiguntur: & hæc onera ſunt onera patrimonialia, ſive Regalia, & ratione rerum venalium, non perſonarum, exiguntur. Nam quæ à perſonis per capita, vel ratione perſonarum colliguntur, *collectæ (b)* dicuntur. Qui non ſolvit vectigal impoſitum, rem amittit, de Leg. Burg. *(c)*, & ſtat. Malc. Regis 14. de judiciis c. 20. & 21. Hæc vectigalia, ſi in portu ſolvantur, *portoria*; ſi in ripa, *ripatica*; ſi in terra, *telonica* dicuntur. De quibus poſtea.

16. A ſolis autem Principibus, qui ſuperiorem non agnoſcunt, vectigalia imponi poſſunt *(d)*: nec ſemper, niſi juſtâ causâ & prægravante, veluti ob utilitatem & neceſſitatem publicam, nec, niſi volentibus & conſentientibus ſubditis, imponi ab initio poſſunt; nec continuari niſi causâ impoſitionis duret *(e)*. Sanè ab initio non imponebantur, niſi quoties publica neceſſitas urgebat; nec niſi qui ſummum imperium tenebat, vectigalia aut tributa imponere poterat, ut dixi: neque ſolus, ſed cum populi & Ordinum conſenſu, ut apud nos conſtitutione cautum eſt *(f)*. Sed ſæpe fit, ut quæ ab initio Principibus vel dono data ſunt, vel ut Principis inſperatam aliquam neceſſitatem, in quam ſine ſuo merito incidiſſet, levarent, aut ut is honeſtiùs & beatiùs familiam ſuam aut dignitatem tueretur, temporum decurſu ad ſolvendi neceſſitatem redacta, & quaſi jure optimo debita exiguntur. Primam tributorum ſive vectigalium mentionem in ſcriptura ſacra legimus, inter ea onera quæ Samuel à Regibus imponenda prædiceret, cùm ſtulte populus gubernationis formam mutari poſtulâſſet. Davidi ſanè, Iſraëlitarum Regi, Ammonitarum & Idumæorum Reges bello fracti annua ſtipendia ſolverunt *(g)*. Perſarum Reges patrimonio ſuo contenti, nihil à ſubditis exigere ſolebant, ſponte ſuâ accipiebant. Darius Hyſtaſpis, qui equi hinnitu regnum conſequutus eſt, primus Perſarum tributa imperavit; Romanis, Regum ſuorum, & præcipuè Servii Tullii imperia & neceſſitates expreſſerunt: victâ à Paulo Æmilio Macedoniâ, à pendendis tributis liberati ſunt. Apud Gallos Ludovicus IX. primus tributa impera-

(a) Vid. D. 15. § 15. & l. 59. de V. S. (b) De quibus vid. § 20. (c) Cap. 141. (d) l. 10. ff. de public. & vectig. (e) Schon. diſp. Feud. diſp. 4. theſ. 92. (f) Cap. 251. Parl. 15. Jac. VI. (g) 2 Sam. cap. 8.

vit, ſed neceſſitate bellorum coactus; confecto bello, ſubſtitit. Extat ejus morientis ad Philippum filium exhortatio, ejus teſtamento inſerta *(a)*: *Religioſus, fili, imprimis eſto in Deum, benignus & liberalis in egentes, legum & morum hujus imperii vindex & cuſtos acerrimus; à vectigalibus & tributis abſtineto, niſi ſumma vis neceſſitatis aut utilitatis publicæ juſtiſſima cauſa ad hoc impellat: ſin minùs tyrannum te potiùs quàm Regem futurum putato.* Sane miſerrimè periiſſe leginus qui novorum tributorum in populo auctores erant. Nam præter multos Reges, ſoliis ſuis ob hoc unum exturbatos, domeſticis exemplis abundamus. Phyliſto, Dionyſii tyranni paraſitus, quòd tributi novi imperandi auctor crederetur, à plebe Syracuſana trucidatus eſt. Idem accidit in Proclero, Theodeberti Francorum Regis conſiliario, qui à Trevirenſi populo lapidibus obrutus eſt. Et non ita pridem Preſcho, Erici Suecorum Regis aſſentator, impetu plebis in ipſum & palatium irrumpentis omnibus tormentorum generibus trucidatus eſt. Nec alia res Belgium ab imperio Hiſpanorum nuper avertit, quàm tributorum graviſſima per Albanum Ducem impoſitio.

17. Sed, ut ad tributorum impoſitionem redeamus, civitates, ſi aliqua onera imponant, quod parcè permittendum eſt, ad neceſſarios tantùm uſus imponere poſſunt, & quod ex oneribus his colligitur, in publicum civitatis & reip. uſum converti debet. Hæc onera alii *Aſſiſas* vocant; nec ſine publico totius civitatis conſenſu, ad evidentem (ut dixi) illius vel utilitatem vel neceſſitatem imponuntur. *Vectigalibus* verò, quæ à Principe imponuntur, conſenſus trium Ordinum requiritur: nam quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. Hæc autem *vectigalia* qui exigunt, & omnia itinera & vias ad ea deferentes tutas & ſecuras reddere debent; alioqui damnum per ea loca facientibus reſarcituri, ut antea *(b)* monui; ſaltem malefactorem exhibere tenentur, quæ ratio pro Rege Daniæ adducitur. Nam licet immenſum illud & iniquiſſimum vectigal ad Elſinurum è ſingulis navibus præternaviganti-bus exigatur, licet ibi portum non faciant (ut loqui ſolemus,) & nullo jure & ratione nitatur; cùm navigare in mari ſit juris publici, à quo nemo ſine injuria prohiberi poteſt: hoc tamen prætextu & hac ſpecie ſe tuetur, quòd onus hoc ei tanquam *maris Admirallo* ſive *Thalaſſiarcho* ſit publicè impoſitum ab omnibus Baltici maris accolis, ut omnia littora ad mare adjacentia à prædonibus & piratis purget & tueatur, ut tutâ navigatione maritimæ civitates inter ſe frui poſſint: ſpecioſus quidem prætextus, & fortaſſe ferendus, niſi quòd vectigal illud, quod ab initio erat tolerabile, nunc nemine opponente in immenſum excreverit. Sic officium Thalaſſiarchi in omnibus regnis inſtitutum, ut maria ſui Principis à piratis purgentur, & propterea quædam privilegia in grave privatorum præjudicium iis à lege ſunt conceſſa. Neque vereor affirmare eos & in Deum, & adverſus Principem ſuum graviter peccare, & etiam remp. qui ſub horum officiorum prætextu utilitates & commoda carpunt, injuncta & innata onera negligunt. Nec dubito, ſi quis privatus damnum in mari à piratis paſſus, ſummo jure urgeat, quin *Thalaſſiarchus*, vel in damni illius quod à piratis quis paſſus eſt æſtimationem, vel ipſorum piratarum in judicium exhibitionem teneatur; cùm commodum & onus ſimul conjungi debeat, & naturaliter qui commoda percipit, oneribus eſt obnoxius.

18. Solvi etiam debet *vectigal* ab eo, qui ratione mercium in id tenetur, adeò ut etiam contra conſcientiam peccet, & furti poterit alligari, qui Principem ſuo jure & commodo fraudat. Apud homines non ſoluti vectigalis pœna eſt, rei vectigal debentis amiſſio, ſive confiſcatio *(c)*: in qua tamen, declaratoria judicis opus eſt. Adeò autem res propter non ſolutum vectigal in commiſſum cadit, ut licet ſit etiam res communis, & ſocius ignorante ſocio rem in urbem invexerit, aut evexerit, fraudemque in vectigalis ſolutione commiſerit, tota tamen res in commiſſum cadit, &, ut loqui ſolemus, confiſcatur *(d)*; & ſic quod meum eſt, ſine facto meo in alium ſæpe tranſit, contra juris communis regulas. Quod in aurigis, naucleris, & famulis rem alienam gerentibus, locum habet: quod introductum eſt, tam in odium eorum

(a) Vid. Bodinum, lib. 6. de rep. cap. 2. (b) § 10. (c) l. 16. § 3. & 12. ff. de public. & vectig. (d) l. 52. § 18. ff. pro ſocio, & l. 8. § 1. ff. de public. & vectig.

rum qui contra remp. & ejus communes utilitates peccant, quàm quòd imputare ſibi quiſquam debet, quia non prævíderit, aut negligenti homini aut fraudulento rei ſuæ adminiſtrationem commiſerit: ita tamen, ut qui à delicto immunes ſunt, ab iis qui rem eorum adminiſtrârunt, omne damnum & cauſam poſſint exigere. Si publicanus tamen plus exegerit quàm debetur, cum pœna tripli reſtituendum eſt in jure *(a)*. Si *forenſis* aliquis ſit qui non ſolvat, excuſatur, ſed cum hac moderatione, & excuſatione, ſi juraverit ſe ignoraſſe vectigal in eo loco conſtitutum eſſe, vel ſolvi debere. *Forenſem* eum dicimus, qui non eſt ex eo territorio, ſive, ut Feudiſtæ loquuntur, ex eo diſtrictu. Porro in vectigalibus, vel eorum quantitate, ſemper inſtitutio vel conſuetudo ſpectanda eſt *(b)*.

19. *A ſolutione vectigalium* ſunt *immunes* Scholaſtici, perſonæ Eccleſiaſticæ *(c)*, nautæ publicæ annonæ causâ ſervientes, Nobiles & Generoſi, quique ex Principum ſunt conſilio ſive camera, Parliamentorum Senatores, Conſiliarii, Aſſeſſores, Referendarii, ſeu Scribæ fiſcales. Quod ad res attinet, bona quæ non diſtrahendi causâ adferuntur, ſed ad uſum proprium, vectigal non ſolvunt: ſic quæ ad fiſcum pertinent *(d)*, & quæ in uſum Legatorum publicorum & exercitûs comparata ſunt: ita tamen, ut qui eas adferet, profiteri res eſſe tales debeat; & niſi profiteatur, res ipſa in commiſſum cadet *(e)*. Harum autem perſonarum, quas dixi immunes, res à vectigalium præſtatione ſunt liberæ, quamdiu eorum ſunt. Nam ſi quovis titulo ab iis qui immunitatem habent alienentur, ſeu in alios transferantur, vectigalibus ſunt obnoxiæ. Princeps vectigal reſcripto remittere non poteſt, in ejus præjudicium qui vectigal certâ mercede conductum habet, niſi Princeps ei aliter paratus ſit ſatisfacere. Qui falſum domini nomen ad fraudulenta vectigalia ſuppoſuerit, veluti ſi res dicatur ad eum pertinere, qui à ſolutione immunis eſt, cum tamen non fuerit, publicatione rei punitur; etiamſi is, qui à ſolutione immunis eſt, illam rem ſuam profiteri velit, ſi tamen revera alterius fuerit. Et hæc de vectigalibus quæ ſunt realia, & ratione rei imponuntur.

20. His affines ſunt *Collectæ (f)*: licet vectigalibus non annumerentur, tamen inter *Regalia* & ea referuntur, & à ſolis Principibus imponi poſſunt, non ſemper, neque quavis de cauſa, ſed propter neceſſitatem ejus regni, vel alicujus provinciæ, vel rei in aliqua provincia fortaſsè conſtitutæ *(g)*, quemadmodum nuper vidimus pro ponte Perthenſi reſtaurando. Imponi aliquando poſſunt ab inferioribus, ſed non niſi ex certa ſcientia, cum reſcripto, ſive licentia Principis; & tum aut propter aliquam civitatis, territorii aut provinciæ neceſſitatem: alioqui reſcriptum Principis eo nomine ſurreptitium præſumitur.

Sunt autem hæ Collectæ onera merè perſonalia, & omnibus perſonis ſine exceptione imponuntur, non æqualiter per capita, ſed ſervatâ æqualitate pro modo facultatum, & patrimonii perſonæ. In qua æſtimatione tria occurrunt, quæ quæſtionem movere poſſunt: Primum, An in his *Collectis*, quas taxationes vulgò dicimus, æſtimandæ ſint facultates extra territorium illius ſitæ qui collectam indixit? Et ſanè communis Feudiſtarum opinio eſt, etiam & eas facultates in collectis æſtimari poſſe, & pro earum ratione collectæ modum imponi.

Secundum, Utrum quis privilegio ſuo, quod in territorio habet, poſſit renunciare domicilium mutando, aut forte bonis in eo territorio ſitis cedendo, ut ab indicta *collecta* immunitatem habeat? Et in hac quæſtione DD. omnium eſt opinio, poſt indictam *collectam* non poſſe, ante verò poſſe: quod in uſu noſtro obſervatum vidi, in cive quodam Edinburgenſi *(h)*, qui, cum ſe taxatum ſupra facultates & vires patrimonii, graviter quereretur & civitatis juri renunciare eamque ejurare ſe paratum diceret; non tamen admiſſus fuit, niſi ſub ea conditione, ut *collectæ* jam indictæ ſatisfaceret, pòſt ab indicendis collectis liberaretur, ſi modo civitatem ejuraſſet *(i)*.

(*a*) l. 9. § 5. ff. de public. & vectig. (*b*) l. 4. § 2. & l. 9. § 6. ff. de public. & vectig. (*c*) Auth. Habita. C. ne filius pro patre. (*d*) l. 9. § 8. ff. de public. & vectig. (*e*) Schon. lib. 1. Diſput. 4. Theſ. 70. (*f*) Vid. § 15. (*g*) l. unic. C. de ſuperindict. & l. unic. C. de mulieribus, & in quo loco, & ibi Bartol. (*h*) Vid. lib. 3. D. 1. § 9. (*i*) Baldus in proœm. feud. & Schon. in diſp. feud. diſput. 4. theſ. 117.

Tertium eſt, An *Emphyteuta collectam* ſolvere teneatur, an verò *dominus proprietatis*, præcipuè cum fructus, aut pro fructibus penſionem aut mercedem accipiat ab Emphyteuta? quod etiam ad conductiones & locationes, quas nos *aſſedationes* vocamus, ſive decimarum ſive aliarum rerum trahitur: & ſanè ſub hujus quæſtionis onere graviſſimè DD. laborant. Ego ſanè, ſi quid ſpecialiter de ea re proviſum fuerit, illud ſequendum cenſeo; ſi nihil cautum ſit, conſuetudinem ſervandam: ſi neque conſuetudo appareat, dominum pendere debere puto, cum pro omni actione & demanda, ut aiunt, quæ de terris exigi quoviſmodo poſſit, liberare Emphyteutam teneatur. Forenſes tamen, qui extra territorium habitant, licet bona in territorio habeant, non ſolvunt collectas *(a)*: cum *collectæ* non ſint onera realia, neque ratione rei imponantur, ſed tantummodo perſonis. Itaque qui extra territorium habitat, collectâ gravari non poteſt *(b)*, niſi conſuetudo obſtiterit. Princeps pro filia elocanda collectam imponere poteſt. Immunitas autem à collectis impetrata ob bene merita, non facit fidem de bene meritis, ſi per ſolam concedentis narrationem conſtet, niſi aliud evidenter probetur *(c)*. Immunitas conceſſa civitati, ad bona ſingulorum non extenditur.

Omnes autem immunitates & privilegia ſolent ſtrictè accipi, ita ut nec rem, nec perſonam, ratione cujus conferuntur, egrediantur. Itaque qui immunitatem habet ratione alicujus ordinis, ſi ad alia munera à ſuo ordine aliena divertat, immunitatem amittit *(d)*. A *collectis* ſunt immunes pauperes, & qui 12. liberos uno tempore vivos habuerit, etiamſi qui poſtea ſunt mortui; ſic Præſidentes, Juriſconſulti, & omnes qui vocantur membra Seſſionis, & Medici. Et hæc de vectigalibus & collectis: jam cum textu procedamus ad reliqua Regalia.

21. *Monetæ feriendæ jus* ad Reges & Imperatores tantùm pertinet *(e)*; licet multis Principibus in Germania, & etiam civitatibus Imperialibus, Cæſarum indulgentiâ id permiſſum ſciamus: quod & à priſcis moribus abhorret, & maximo cum reip. malo fieri videmus. In quo hoc unum tantummodo moneo, ut quotieſcunque *nova moneta* cuditur (quod nunquam ſine privatorum damnis, & rerum ad humanos uſus neceſſariarum auctâ æſtimatione fit) ut regula illa ſemper ſervetur, ut tantùm valeat *moneta* in forma excuſa, quantùm in maſſa & materia valet *(f)*. Aliter regulam hanc alii ponunt, nempe monetæ excuſæ æſtimationem talem debere eſſe, ut ubique idem ſit ejus valor; quod fieri non poteſt, niſi reſpectu materiæ, nullâ ratione habitâ formæ: ſed hoc malè obſervari ait Bartolus *(g)*. Quærunt hîc aliqui, ſi hoc ſequamur, unde expenſæ in moneta facienda fient! Reſpondent multi, aut non cudendam eſſe, & tunc aliarum gentium monetâ pro valore tantùm utemur, (ut in Polonia hodie fieri ſolet, non ſine magno illius regni commodo,) aut ſumptum ex publico fieri debere, ne publica utilitas minuatur *(h)*: quod planiſſimè fiet, ſi pecuniæ æſtimatio creſcat; nam ad ejus incrementum omnium rerum quæ pecuniâ comparantur æſtimatio creſcit.

Alii mitiùs rem tractant, nempe ut *impenſæ* ex ipſa moneta ſumantur: quod fiet, ſi aliquantò plus moneta in forma quàm materia valeat: quæ forma, ſi rurſus in maſſam redigatur, tanti valoris, quanti antea in maſſa fuerat, erit, deducto tantùm modico pro impenſis: & hoc apud omnes ferè gentes hodie obſervatur. Sanè Principes, belli aut neceſſitatis tempore, monetæ valorem extendere ſolent, nempe ut unde militibus, exercitui, & annonæ ſufficiat, habeant: finitò autem bello tenentur Principes ad intereſſe, nempe ut omnem illam pecuniam ad ſe recipiant, & antiquæ bonitatis & valoris nummos pro ea reſtituant. Imò & Principes aliquando monetæ æſtimationem contrahere ſive minuere ſolent, ut receptâ ad ſe omni pecuniâ, eam denique majoris valoris excudi faciant, & in populo diſtribuant: ſed his artibus graviſſimè in remp. peccatur. Itaque apud pleraſque gentes cautum eſt, ne Princeps monetæ novæ æſtimationem ſupra maſſam aut pretium quod in curſu eſt, ſine

(a) l. 20 ff. de juriſdict. (b) d. l. 20. (c) l. unic C. de his qui à Principe vacat. acceperunt. (d) Schon. lib. 1. diſput. 4. theſ. 97. (e) l. 2 & 3. C. de falſa moneta. (f) l. 1. ff. de contrah. empt. (g) Super legem 2. § 1. ff. Si certum petatur. (h) Bartolus in d. l. 1. ff. de contrah. empt.

ſine populi conſenſu extendere poſſit. Paria enim in jure ſunt, novam excudere, & excuſæ valorem extendere. Nam, ut cenſent Doctores *(a)*, omnes Principes ſub periculo animæ ſecum meditari debent, ne vel privati compendii causâ monetam aut augeant aut minuant; neutrum enim fieri poteſt ſine maximo reip. incommodo. Nam quod fiſco accreſcit, populo decreſcit, & ſubtrahitur; & ſi non furtum, certè furto proximum committitur, cum rerum privatarum pars iis mediis ſubtrahatur, & fiſco vendicetur.

Si quis enim præterita in memoriam revocet, quæ à quinquaginta aut circa his annis evenerunt, mirabitur quî fieri poſſit, ut argenti uncia, quæ tempore *Pinquineæ cladis* in maſſa tantummodo marcam valebat, jam verò ad quinque fere ſit extenſa, quorum quatuor progreſſu temporis in fiſcum redierunt. Sed ſenſim & paulatim decremento latente & fallente decipimur. Nam ſi moneta in veteri ſtatu manſiſſet, non tanta omnium rerum, quæ ad victum pertinent, caritas hodie eſſet diffuta. Sanè ex hac corruptione numiſmatum, nemo quantum in bonis habeat conſtituere poteſt: incerta ſunt pacta conventa, quæ verſantur in ſocietatibus, in tutelis, in mandatis, emptione, locatione, & reliquis omnibus contractibus, quibus vitæ ſocietas continetur, incerti reditus, incerta omnia.

22. Sed quoniam inter mercatores graviſſimæ aliquando contentiones ex hac monetæ mutatione oriuntur, nonnulla ſubjiciam, ex quibus, cujus periculo monetæ æſtimatio creſcat, & quid in eo incremento unus alteri præſtare debeat, facillimè intelligetur. Et primò, ſi inter ſubditos diverſorum Principum res agatur, creditor ſuam pecuniam à debitore in illius Principis moneta cui debitor ſubeſt, ſi aliquod damnum aut præjudicium ſit, non cogitur recipere *(b)*: imò, quod magis mirum eſt, inter unius quidem Principis ſubditos, creditor à debitore pecuniam debitam, ſi æſtimatio ejus jam creverit, non cogetur recipere, ſi non fuerit ejuſdem bonitatis, quoad æſtimationem maſſæ, in qua, cùm crederetur, fuit. Itaque in omnibus hiſce redemptionibus, quæ apud nos frequentiſſimæ ſunt, graviter errari puto, quòd creditor, auctâ æſtimatione nummorum, pecuniam creditam recipere cogatur, cum jam non ſit ejuſdem valoris & pretii, cujus, dum crederetur, erat: ſed ſemper in his obſervandum eſt quid inter contrahentes convenit. Nam ſi inter eos conveniat (ut apud nos fieri ſolet) ſolutionem fieri in uſuali regni moneta (ſic enim communiter loquimur) pro tempore curſum habente, conditio hæc ſervanda eſt; iſque valor qui publicus eſt, in privata ſolutione ſufficiet. Sed ſunt qui in aureis numniis (quæ *Scuta* vocamus) ſive *Angelotis* & *Teſtonibus*, ſolutionem ſibi fieri provident & ſtipulantur; & tum eadem genera, aut eorum valor in bonitate & pondere, ſunt reſtituenda, ne creditor ſuâ benevolentiâ, qui fortè gratis pecuniam crediderat, damnum aut diſpendium patiatur *(c)*. Si tamen non convenerit de generibus nummorum, ſed tantummodo ut ejuſdem bonitatis pecunia reddatur, & hæc quoque conditio ſervanda eſt, nempe, ut pecuniæ valor ſecundum maſſam æſtimetur.

23. Si nihil expreſsè inter partes convenerit, & interim monetæ æſtimatio creſcat, videndum quis in mora fuerit. Nam ſi debitor in ſolutionis mora fuerit, & poſt moram contractam pecuniæ æſtimatio creſcat, periculo debitoris id fit, qui non ſuo tempore ſolverat: idem in creditore, ſi mora recipiendi fuerit, & ei debitum offeratur. Si nulla in alterutro mora fuerit, ſed, ut in pignore aut depoſito, creditor dominus remanſerit, eadem pecunia eſt reſtituenda *(d)*. Si creditor dominus haud remanſerit, veluti in mutuo, tunc pecunia ejuſdem valoris eſt ſolvenda: alioqui creditor ſuam pecuniam ex contractu, niſi in ea æſtimatione, quæ tempore contractûs fuerat, recipere non tenetur: credibile enim eſt utrumque contrahentium ſic voluiſſe & conſenſiſſe, ſi talis pecunia in uſu non ſit, ut altera ſolvatur ejuſdem bonitatis qua prior tempore contractûs fuerat. In ultimis voluntatibus tempus ſolutionis inſpicitur: nam hic legatarii commodum vertitur. Sic in decimis, tributis, vectigalibus, tempus ſolutionis ſemper inſpicitur. Si ſolutio permitta-

(a) Innocent. & Joann. Andr. in cap. de jurejur. (b) l. 99. ff. de ſolut. & ibi Bartol. (c) Bartolus in l. 101. ff. de ſolut. & liberat. (d) l. 1. ff. depoſiti.

tur in denariis seu denariatis, debitoris est electio. Itaque creditores rectè fecerint, si in credenda pecunia adjiciant, suam pecuniam reddi in eodem pondere, eadem materia & cursu. Et hæc de solutionibus inter privatos: & quoniam de monetæ æstimatione diximus, quomodo æstimetur, aliquid adjiciendum est.

24. *Moneta* itaque vel ex *materia* vel ex *forma* æstimatur. *Forma* est publicus ille character, quo moneta auctoritate Principis sui publicè imprimitur. *Materia* autem nihil aliud est, nisi massæ bonitas, aut in auro aut argento: bonitas autem secum trahit qualitatem & pondus. Et, ut bonitas monetæ, & ejus corruptela in æris mistione, meliùs intelligatur, *Argentum purum* dicitur, quod est duodecim denariorum, id est, per duodecim gradus diversos distinguitur; ita, ut nullum argentum purius esse potest eo, quod duodecim denariorum dicitur, nec etiam ullum argentum excusum huic bonitati argenti par est, sed necessariò aliquid æris est admiscendum, ut facilius excudi possit. Itaque cùm libra argenti ex duodecim unciis constet, & ex his duodecim unciis dimidium unciæ argenti puri subtrahatur, & ejus loco dimidia uncia æris substituatur, tum dicitur argentum sive nummos argenteos esse puritatis undecim denariorum cum dimidio: in qua bonitate & puritate, purissima hodie moneta quâ utimur excuditur, quales ferè sunt *Regales* argenti Hispanici. Si ex hac libra adimas integram unciam argenti, & æris aliam unciam substituas, tum moneta undecim denariorum puritatis erit, quali monetâ hodie in tota Anglia & majori parte Scotiæ utimur. Si duæ unciæ argenti puri adimantur, duæque æris unciæ earum loco ponantur, decem denariorum puritatis erit moneta, quales pro majori parte *Thaleri*, vulgò Dollers Germanici, sunt hodie. Si tres unciæ ex libra auferantur, & totidem æris pro iis ponantur, novem denariorum puritatis erit moneta, & sic deinceps; in quo genere sunt plerique *Thaleri* Germanici, & omnes ferè Danici.

25. Eadem ratio est in auro. Nam *aurum purum* & putum viginti quatuor charactarum dicitur. Ex hujus puri & puti auri libra si unam charactam detrahas, alteram substituendo aut æris aut argenti, tunc moneta aurea efficietur bonitatis viginti trium charactarum: & aurea moneta hujus bonitatis prima ferè est in tota Europa, qualis *Nobilium*, quæ *Rosæ* dicuntur, & veterum *Angelotorum*, quæ puritatis sunt viginti trium charactarum cum besse. Si charactam cum dimidia auferas, & tantundem argenti aut æris substituas, moneta viginti duarum charactarum efficietur cum dimidia: in qua bonitate sunt aurei Gallici quæ *Scuta* dicuntur. Si duæ integræ characte subtrahantur, & totidem æris aut argenti misceantur, tunc moneta puritatis viginti duarum charactarum fiet; cujus puritatis sunt *Pistoletæ* Hispanicæ. Inferioris puritatis sunt *Ducati* Italici, & alii plerique qui circumferuntur: ita ut quot characte aureæ adimantur, & æris aut argenti totidem earum loco ponantur, totidem bonitatis charactarum moneta aurea æstimetur. Hæc ideo attigi, ut omnes sciant quibus artibus misero populo monetarii illudant.

26. Illud etiam prætereundum non putavi, duodecim uncias argenti, cum una uncia auri, ejusdem penè pretii & æstimationis esse; sic ut una uncia argenti in uno nummo excusa duodecimam partem auri 22. charactarum valeat, & è converso. Adeò autem hæc res monetaria Principi curæ tanquam patri patriæ esse debet, ut nulli alii potestatem monetæ feriendæ rescripto suo aut aliâ quacunque formâ concessionis possit committere: quod si fecerit, surreptitium præsumitur rescriptum, nec ab ullo judice admittendum: nisi potestas hæc alicui civitati aut Proceribus commissa fuerit: nam in iis non tam facilè fraus præsumitur. Qui monetam falsam fabricaverit, etiamsi justi valoris & ponderis, flammis exurendus est *(a)*. Impuberes, licet conscii, excusantur. Sic puniendus qui radit, vel minuit monetam publicam, vel tingit. Atque hæc de moneta: nunc ad mulctam sive pœnam procedamus.

27. *Mulctarum pœnarumque compendia* etiam inter *Regalia* numerantur, nisi si quæ *speciali jure* (ait textus *(b)*) concedantur. Nam, præter eas, quas quis ex speciali privilegio sive Principis beneficio habet, quales in Regalitatibus (ut solemus loqui) & Baroniis, & similibus, mulctæ continentur *(c)*, etiam nonnullæ sunt speciales

(a) l. 1. & 2. C. de falsa moneta. (b) 2 F. 56. (c) Vid. lib. 2. D. 19. § 27.

ciales pœnæ, quæ non fiſco, ſed privatis perſonis conceduntur, ex ſpeciali legis conſtitutione. Sic pœna tutoris ſe excuſantis, cùm excuſari non debeat, pupillo accreſcit *(a)*. Indignus enim videtur aliquo beneficio teſtamenti, qui teſtamentariam tutelam recuſavit: ſed quod legatum ei fuit, non fiſco, ſed pupillo, cujus utilitates minuuntur, accreſcit. Eodem modo, qui teſtamenti tabulas celavit: nam quod ei ex teſtamento relictum, ſive legati, ſive fideicommiſſi causâ fuerit, apud heredem, & non apud fiſcum (licet ſit pœna) remanebit *(b)*. Sic Clerici, ante definitam ſententiam fruſtratoriè appellantis, pœna quinquaginta librarum, non fiſco, ſed pauperibus applicatur. Sunt & alii caſus in jure expreſſi, quibus neque pœnarum neque mulctarum compendia ad Principem pertinent. Primus, in liberalitatis Imperialis ſocio, cùm Princeps communiter ſive conjunctim aliquid duobus aut pluribus dederit. Nam deficientis pars, ſi heredes non habeat, ſocio accreſcit, ne beneficia Principum ex parte ſint irrita *(c)*. Sic ſi quis ex collegio licito ſine liberis aut herede decedat, pars ejus non ad fiſcum, ſed ad collegium pertinebit, niſi quis fortè dicat hoc inter mulctas ſive pœnas non referri judiciales *(d)*. Sic in liberto; nam patrono in ſua portione non præjudicatur *(e)*. Et in Eccleſia, in bonis Clerici etiam patrimonialibus. Idem & in pœnis: uxore enim à marito interfectâ, ſi is puniatur, heredes uxoris in dote fiſco præferentur. Nam, ut vir eo caſu dotem non lucratur, neque, qui in ejus locum ſuccedit, fiſcus. Sic hereditas ejus, quem heredes redimere recuſârunt, non heredibus, ſed fiſco accreſcit *(f)*.

28. Apud nos ſpeciali privilegio indultum eſt civitati Edinenſi, ut eorum qui cædis in burgo damnati ſint, bona civitati accreſcant: quod de bonis intra territorium civitatis ſitis tantùm intelligi debere puto. Sic pœnæ eorum qui annonam & victualia intercipiunt, ut rurſus vendant cariore pretio, burgi magiſtratibus ubi deprehenduntur applicantur: ſic & pœnæ lenonis, & quæ ab mercatoribus exiguntur, ad Gildum illius civitatis ſeu burgi ſpeciali privilegio pertinent (*Gild.* 1. & *c.* 48.)

29. Apud Romanos minima mulcta erat una ovis; maxima, triginta, aut duæ vaccæ: & quoniam difficulter aliquando in urbem agebantur, una ovis decem affibus æſtimabatur, bos centum. Puto hinc effluxiſſe veteres noſtras omnes mulctas, quæ aut numero ovium aut boum, quæ tum ſolùm in bonis erant, pro gravitate pœnæ æſtimabantur.

30. Sequuntur nunc *Bona vacantia*, ſub quibus omnia illa bona, quorum nullus eſt ex ſanguine heres intra decimum gradum, comprehenduntur; quæ etiam bona caduca nominantur *(g)*: decimum autem gradum intelligo numerandum jure Civili vel Feudali, ita ut duo apud eos gradus unum apud nos gradum efficiant, & ſic extra decimum gradum, id eſt, extra noſtrum quintum gradum. Horum Rex apud nos *ultimus* dicitur *heres*, & debita defuncti ſolvere pro patrimonii quantitate tenetur. Vacare autem ea bona ſic dico, quæ ſunt mobilia: nam in immobilibus locum non habet regula. Hæc enim bona ſuum habent heredem, ſi de ſanguine conſtet *(h)*, quotocunque gradu alter ab altero diſtet; ut nuper in comitatu Marriæ vidimus, & in dominio de Seatoun, cùm de redimenda parte de Langnudrie litem moviſſet.

31. *Indignis* autem bona adempta, tam jure veteri Digeſtorum quàm Codicis, fiunt Principis *(i)*. Pœna inceſtarum nuptiarum erat bonorum confiſcatio, niſi deſcendentes in recta linea ad tertium gradum eſſent, vel aſcendentes in recta linea ad ſecundum gradum, vel frater, ſoror, patruus, vel amita: nam hi jure Codicis fiſco præferuntur *(k)*, jure tamen Authenticorum ſoli liberi *(l)*. Apud nos pœna inceſtarum nuptiarum eſt mors, & bonorum omnium confiſcatio: & hæc ex ſpeciali Ordinum conſtitutione *(m)*.

32. *Bona damnatorum*, quæ hîc inter Regalia numerantur, jure Codicis ſic di-

(*a*) l. 5. § 2. ff. de his quæ ut indignis auf. (*b*) l. 25. C. de legatis. (*c*) l. unic. C. Si liberalit. Imper. ſocius. (*d*) l. 1. C. de hered. decur. (*e*) § 3. Inſt. de ſucceſſione libert. (*f*) l. 10. § 1. ff. ſoluto matrim. (*g*) l. 1. C. de bonis vacantibus. (*h*) Si non, Rex aut dominus eſt ultimus heres, cap. 55. lib. 2. Reg Majeſt. (*i*) Titt. ff. & C. de his quæ ut indignis. (*k*) l. 6. C. de inceſtis nuptiis. (*l*) Auth. Inceſtas, C. de inceſtis nuptiis. (*m*) Cap. 14. Parl. 1. Jac. VI.

videbantur, ut dimidia pars penes liberos, altera penes fiscum remaneret: si non sint liberi descendentes, omnia fiscus vendicabit *(a)*. Si quis decurio damnetur, & mares habeat liberos, omnia ad eos pertinebunt; si non habeat, ad fiscum: nisi filias habuerit, quo casu dimidia pars ad eas, altera ad curiam pertinebit *(b)*. Quod tamen jure Authenticorum correctum est, quo bona damnatorum ut ad tertium gradum tam ascendentibus quàm descendentibus debeantur [*sancitum est,*] exclusis aliis omnibus, nisi in crimine læsæ majestatis, ubi indiscriminatim bona omnia, etiamsi existent filii, fisco applicantur, ut suæ vindictæ habeat solatium, uxoribus dote solâ reservatâ *(c)*. Illi tantùm majestatis rei censentur, qui in Principem, ejus vitam & dignitatem offenderint, aut in remp. Principem hîc appello, qui superiorem non agnoscit. In imperio tamen Germaniæ, reus majestatis est, qui in septemviros Electores, licet superiorem Imperatorem agnoscant, tale crimen, in horumque securitates hostili animo quid perpetrant. Hæreticorum etiam bona fisco applicantur, quia est ibi læsio, uti voluerant Pontificii, majestatis Divinæ, & ideò æqualem saltem pœnam cum temporalibus merentur *(d)*. Hodie apud nos omnium damnatorum bona fisco applicantur, nisi aliter de parte earum sola amittenda sit quid constitutum. His accedunt bona eorum qui sibi manus intulerunt. Nam licet jure Civili, qui nullius criminis conscientiâ, sed per furorem vel insaniam, aut tædio, vel fugiendi opprobrii causâ, mortem sibi consciverit, bona ad heredes transmittit *(e)*; tamen, cùm sæpe antea sententiis variatum vidissem, Senatus in causa Thomæ Dobbii, qui sibi manus intulerat, cùm heredes probationem furiosum fuisse in se vellent recipere, bona ad fiscum pertinere censuit, & pro lege postea observandum; neque insaniæ objectio recepta, cùm nemo sanus id faceret.

33. *Angariarum* & *parangariarum* præstationes erant extraordinariæ operæ, & propter repentinum aliquod negotium Provincialibus indicebantur, ut iter Principis expeditius esset: itaque onerum vehendorum & bajulandorum necessitas & celeritas publica imponebatur, veluti jumentorum, trahearum, plaustrorum & similium præstationes *(f)*. Apud nos etiam quædam sunt *Angariæ*, quales sunt boum præstationes, ad deducenda tormenta ænea, si quò opus est: apud Anglos plures. Sic non solùm jumenta, boves, plaustra, sed etiam naves angariariæ dicuntur, cum necessitate ad onera publica transfretanda astringuntur. Puto hanc vocem Latinam ex Græco factam esse, nempe, ἀπὸ τ ἀνάγκης, quæ *necessitatem* significat. In eadem significatione *Parangariæ* sumuntur, nisi quòd gravior hæc videatur impositio, ut quasi superimpositio dici possit, quâ Provinciales supra quàm æquum erat, & consuetudo requirebat, premebantur *(g)*. *Plaustrorum & navium præstationes* exegeticè adjici videntur: nam sub angariis & parangariis possunt comprehendi: tamen ab iis diversas aliquando fuisse ex jure Codicis satis constat *(h)*. Ab his immunes sunt qui priùs dicti sunt.

34. *Collatio* ad transitum exercitûs etiam inter *Regalia* numeratur. Nam cùm Imperatores ad accipiendam Italiam ingrediebantur, (quod rarò sine exercitu fiebat) quosdam ad singulas civitates, per quas erant transituri, præmittebant, ut quæ ad fiscum pertinebant, & annonam militarem militibus exigerent *(i)*, quod jure Feudali *Fodrum* dicitur. *Fodri* vox apud Germanos pro equorum *pabulo* usurpatur, & etiam apud nos. Plura de hac voce vide apud Hottomannum in Dictionario Feudali.

35. *Magistratuum creatio* lege Regiâ in Imperatorem translata est, & meritò inter ea numeratur; ita ut Rex aut omnes magistratus conferat, aut conferendi potestatem aliis mandet *(k)*, veluti in Episcopatibus, Monasteriis, & si qui alii sint, qui jus Regalitatis (ut loqui solemus) habent. Nam hi, ex auctoritate quam à Principe accipiunt, magistratus etiam suos creare possunt. Barones autem, ut & Burgi, &

(*a*) l. 10. C. de bonis proscriptorum seu damnat. (*b*) d. l. 10. (*c*) Nov. 134. in fine. (*d*) Extr. de hæreticis, cap. vergentis 10. (*e*) l. 3. § 1, 2, 3 & 4. ff. de bonis eorum qui ante sententiam, l. 1. & 2. C. de bonis eorum qui mortem sibi consciverunt, & l. 38. § 12. ff. de pœnis. (*f*) l. 10. & 11. ff. de vacat. & excusat. munerum. (*g*) l. 11. C. de sacrosanctis Eccles. & l. 2. § 3. C. de Episc. & Cleric. (*h*) l. 10. & d. l. 11. C. de sacrosanct. Eccles. (*i*) l. 27. § 3. ff. de usufr. (*k*) l. unic. ff. ad legem Juliam ambitus.

& ipsi magistratus suos creant: nam imperium merum, id est, gladii potestatem, & mistum habent sibi commissum.

36. *Argentariæ* potestas publica est, & à solo Principe concedi potest; in qua publicam fidem necesse est aliquando sequi *(a)*. Sunt qui *argentariam* intelligant officium illud argentariam seu nummulariam mensam tenendi, nos BANQUE dicimus *(b)*. Ego tamen per *argentariam* argenti fodinas potius intelligo; & idem maxima pars Feudistarum sentit, quos legerim. Nam metallorum fodinas omnes ad Principem pertinere certum est *(c)*. Sunt tamen qui putant metallorum aliorum ab auro & argento fodinas non ad Regem pertinere, sed ad dominos fundi, præstando canonem pro eis *(d)*: & nisi vox hæc de argenti fodinis intelligatur, nulla earum inter hæc Regalia erit mentio, quæ tamen omissa præsumi non potest. Nam omnium gentium, omniumque ætatum consensu, fodinas omnes auri, argenti, æris, stanni, plumbi & similium publici juris esse, & in patrimonio Principis numerari comprobatur: neque vocis à prima significatione declinatio quempiam movere debet, cùm sciamus neque semper eandem significationem, neque etymologiam, aut formationem, Latinis vocibus post corruptionem Latinæ linguæ mansisse. Quòd si *argentaria* argenti fodinam significet, idem & in reliquis metallicis fodinis intelligi debet: frequens enim est in jure, sub majoribus minora comprehendi.

37. *Palatia*, seu prætoria, inter *Regalia* numerantur; neque enim in iis quis sine Principis licentia habitare potest *(e)*. Et sanè apud nos speciali statuto inter Regalia numerantur, caveturque non tantùm ut non alienari, sed ne etiam in emphyteosin dari possint *(f)*. Hottomannus putat *Platia* legendum, ubi vel curiæ vel nundinationes exercentur: quæ emendatio, si pro vera conjectura accipiatur, id inducit ut jus fori, sive nundinarum imponendarum sive exercendarum, in civitatibus ad solum Principem pertineat; quo jure & nos utimur.

38. De *Piscationibus*, & earum reditibus, quomodo inter Regalia connumerari possint, inter gravissimos auctores controvertitur, cùm jus piscandi tam in mari quàm in fluminibus sit publicum, & à jure gentium introductum *(g)*. Hottomannus partem prædii intelligi voluit, quam dominus quibusdam in locis solet sibi reservare; idque ex auctoritate Speculi Saxonici. Cujacius corruptum locum esse putat, & *Picaria* pro *Piscaria* retinendum, cùm multis in locis *Picis* fodinæ sint, eâdem fortè derivatione qua argentariam pro argenti fodina accipi diximus. Nos non tam hujus quæstionis solutionem, quàm quid apud nos in usu servetur requirentes, per *piscationum reditus*, non quascunque piscium commoditates, sed tantummodo *salmonum*, qui in fluminibus capiuntur, intelligendas putamus. Nam *salmonum piscatio* apud nos inter Regalia numeratur, neque cuiquam hodie concessa videtur, nisi specialis ejus in concessione mentio fiat: antiquitus tamen sub nomine *piscationis* comprehendebatur, etiam apud nos, quoties perpetua & ultra hominum memoriam possessio accesserat.

39. *Salinarum vectigal* etiam inter *Regalia* numeratur, & ad Regis patrimonium pertinet. Omnes tamen, quos legerim, salinas in publico loco constitutas putant esse juris publici, & inter Regalia numerari: in privatis locis tamen constitutæ, privatorum sunt; ita tamen ut decima pars ad Principem pertineat. Et sanè apud nos ipsæ salinæ ad fiscum non pertinent, cùm super privato solo sint constitutæ, licet aliqua portio sive vectigal ex iis debeatur.

40. *Thesauri* non datâ operâ inventi in loco publico aut religioso dimidium ad Regem, dimidium ad inventorem pertinet. Si datâ operâ inventus fuerit, totus Regi debebitur *(h)*. Jure nostro & omnium regnorum utroque casu ad Regem pertinebit *(i)*; & furti reus fit qui celaverit, aut fraudaverit eo fiscum. *Thesaurus* autem dicitur in jure *vetus depositio pecuniæ, cujus non exstat memoria, ut jam domi-*

(a) l. 10. ff. de edendo, & l. 24. § 2. ff. de rebus auct. judicis possid. (b) Baro in tit. quæ. sunt Regalia. (c) l. 2. C. de metallariis. Vid. lib. 2. D. 8. § 21. (d) Cap. 12. Parl. 1. Jac. I. Vid. etiam omnino cap. inter non impressa 12. Parl. 12. Jac. VI. cui titulus, *For the furthering of the King's Commodity by the Mines and Metals.* (e) l. unic. C. de palatiis & domibus dominicis, l. 14. C. de officio rectoris prvoinciæ, & l. 17. C. de operibus publ. (f) Cap. 203. & 204. Parl. 14. Jac. VI. (g) l. 1. § 2. ff. de acquir. rer. dom. (h) § 39. Inst. de rerum divisione. (i) Cap. 48. § 5. Quoniam attach.

num non habeat (a). De jure communi theſaurus inventus in fundo proprio ad fundi dominum pertinet: in alieno, pars una fundi domino, altera inventori datur. In locis publicis, religioſis aut fiſcalibus, dimidia pars ad fiſcum, altera ad inventorem pertinet *(b)*. Quòd ſi certum ſit pecuniam aliquem depoſuiſſe metûs tantùm causâ vel cuſtodiæ, licet deponens moriatur, ad ejus tamen heredes pertinebit *(c)*: quod & apud nos obſervatum vidi. Nam quidam Cor, frater Clementis Cor, civis ſpectati, in publica peſtis calamitate, cùm pecuniam abſcondiſſet, eam executores ejus vendicarunt.

41. Hæc itaque ſunt *Regalia*, quæ in libris feudorum numerantur; quæ cùm ex longa temporis deſuetudine intercidiſſent, Friderico Imperatori, cognomento Barbaroſſæ, ſive Ænobarbo, in Italiam venienti, Epiſcopi, Barones, & reliqui Proceres & civitates Italiæ reſtituerunt. Miror quòd *Molæ* ſive *Molendina* omiſſa fuerint; cùm jus eorum etiam ab Epiſcopis & Proceribus eodem tempore Imperatori conceſſum teſtetur Guntherus, Poëta non ignobilis, & fortaſſe major quàm ea ferebant tempora: ejus verba hæc ſunt,

Ac primùm Ligures ſuper hoc à Rege rogati,
Vectigal, portus, cudendæ jura monetæ,
Cumque molendinis, telonia, flumina, pontes,
Id quoque quod fodrum vulgari nomine dicunt,
Hæc Ligures ſacro tribuerunt omnia fiſco.

Radevicus certè (lib. 4. cap. 5. *de rebus geſtis Friderici*) ſic ſcribit, *Tam Epiſcopi quàm privati, uno ore, uno aſſenſu, in manum Principis Regalia reddidere, primique reſignantium Mediolanenſes exſtitere, requirentique de hoc ipſo jure quid eſſet, adjudicaverunt Ducatus, Marchias, Comitatus, conſulatus, monetas, telonia, fodrum, vectigalia, portus, pedagia, molendina, piſcarias, omnemque utilitatem ex decurſu fluminum provenientem:* ex quo conſtat Ducatus, Marchias, Comitatus ad heredem olim non tranſiſſe, ſed tantùm vitales fuiſſe dignitates. Noſtri inter Regalia *Molendina* numerari putant, quòd non concedi præſumuntur, niſi exprimantur. Sed falſum eſt: nam ſi inter Regalia numerarentur, in Principis patrimonio eſſent, & nulli privato ſine ejus reſcripto molendinum permitteretur. Sanè apud nos *Molendina* ſub nomine pertinentiarum, ut pleraque alia, non veniunt: ſub appellatione tamen *Baroniæ* comprehenduntur; cùm *Baronia* ſit nomen univerſitatis, adeò ut ſi *Baronia* alienata ſit, *Molendina* etiam ſecum trahat. Sed he his poſtea. Sunt & alia quæ inter Regalia numerantur, quæque ſolus Princeps facere ſeu concedere poteſt, qualia ſunt *dare veniam ætati*, & etiam apud nos *turres pinnatæ*, quas privatus habere nequit, niſi vel ſit *Baro*, vel licentiam ſuper eo à Principe obtineat.

42. Sed & ea, quæ WRACK & WAITH dicuntur, à nobis quoque inter *Regalia* numerantur. De harum vocum ſignificatione, & unde ad nos defluxerint, nonnulla dicenda ſunt. Utraque vox Gallica ſive Normannica (ut creditur) eſt, & apud eos VARET & VAYNE dicuntur. VARETH tamen, ſive WRACK, vocem eſſe Danicam potiùs puto, proque eo ſumi quod, vel ex naufragio, vel aliunde, cujus dominus neſciatur, è mari in terram ejicitur, quodque in mari fluctuans ſine certo domino invenitur. Qui invenit, attingere non debet, donec ab ordinario ejus loci inſpiciatur; iſque curabit rem in annum cuſtodiendam, ſi talis ſit quæ ſine incommodo cuſtodiri poſſit: at ſi ſervando ſervari hæc res non poſſit, ſed morâ temporis peritura, tunc publicè quàm maximo pretio diſtrahenda, ſervatis tamen ſignis ſive deſignationibus, ut inde domini quærentes coarguere, & ſi quæ fraus fuerit, coargui poſſint. Si intra annum, qui res illas ad ſe pertinere contenderit, legitimè & ſufficienter probaturum ſe recipiat, ſignaque oſtenderit, quòd res hæ ad ſe vel in toto vel in parte pertinent; res ei ſuæ, ſi probaverit, permittendæ, alioqui Regio fiſco applicandæ. In Gallia ad dominum feudi illius, in quod res illæ ejectæ fuerint, pertinent, ſive ex ſpeciali privilegio, ſive conſuetudine perpetuâ ſic obtinente.

Exci-

(a) l. 31. § 1. ff. de acquir. rer. domin. (b) d. § 39. Inſt. de rer. diviſ. (c) d. l. 31. § 1. & l. 67. ff. de rei vind.

Excipiuntur tamen aurum & argentum excuſum, ſive non excuſum, equi, canes, aves aucupio deſtinatæ, ebur, coralium, gemmæ, ſive lapides pretioſi, murex, pelles Sabellinæ in uſum nondum diſpoſitæ, ſericæ telæ omnes, quæque in faſcibus colligatæ ſunt, eæ, inquam, res ad Principem pertinent. Apud nos Princeps Thalaſſiarcho maximam partem horum bonorum quæ WRACK dicuntur conceſſit, eâ lege, ut tutam ſuis hominibus navigationem præſtet: & ita conſuetudo inolevit, niſi fortè quibuſdam ſpeciali infeofamento aliter indulſit, quemadmodum Comiti Orcadum, quo in numero pleſique Nobiles & Barones maritima poſſidentes ſunt. Certum tamen eſt ea omnia bona Regalia eſſe, neque ad quempiam pertinere, niſi ad eos qui ex beneficio Principis obtinuerunt, non tamen eſſe ex annexo patrimonio. Sed ea ſola bona apud Anglos dicuntur WRACK, cùm ex navigantibus nemo non ſolùm ſalvus eſt, ſed neque canis, neque felis in littus è navi appulerit *(a)*.

43. Quod ad ea bona quæ VAYNE dicuntur, nos WAITH vocamus, hoc tantùm admonendum eſt, ea bona dici quorum dominus non invenitur; non ut propriè pro derelictis habeantur, ſed ea quæ nemo pro ſuis agnoſcit, ſi forte ita aberraverint, ut ad quem pertineant incertum ſit, ut pecora aberrantia. Ea bona qui longius ſeptem diebus detinet, puniri debet. Hæc dominus feudi apud Gallos ſibi vendicat: apud nos ad fiſcum pertinent, quique ea invenerint, ad Vicecomitem deferre debent: is verò tribus diebus Dominicis in publico populi conventu, ad concionem denunciri ea bona errantia faciet; inventa eſſe, neque dominum ſciri; ſi quis ſua eſſe velit probare, ut coram Vicecomite compareat certo die, ſigna oſtendat, & ſua recipiat: poſt autem tertiam denunciationem, ſi nemo eſt qui quæſtionem moveat, fiſco applicantur. Apud Anglos hæc diſtinctio adhibetur, ut ſi res inanimis ſit, ſemper domino ſuo maneat, id eſt, ut ad eum pertineat, qui amiſit: ſecus in rebus animatis; nam in equis & jumentis amiſſis, publicatio trium dierum ſolummodo in Eccleſiis requiritur. Aliqui, ſi proclamatio in vicineto ſive vicinia fiat, ſufficere putant. Ratio differentiæ eſt, quòd res inanimes ſine ſumptu facilè cuſtodiri poſſint, non autem animatæ.

Sed hæc præmiſimus, ut faciliùs intelligatur quæ *Regalia* diſponi poſſint, quæ non; quæ conceſſa præſumantur, quæ non. Itaque diviſionem Regalium facimus, ut alia *majora* dicantur, alia *minora*; vel, ut Zaſius, alia *potiora* Regalia, alia *communia*: hæc faciliùs, illa difficiliùs in feudum conceduntur.

44. *Regalia majora* ſeu *potiora* ſunt, quæ ad ſupremam & Regiam poteſtatem ſpectant, qualia ſunt Prælaturæ, Monaſteria, & Eccleſiaſticæ dignitates, earumque conceſſiones; nam niſi à Principe concedi non poſſunt, neque ſolent. Exſtat adhuc Caroli illius revera Magni edictum, Ne quis dignitates ſive Prælaturas niſi Princeps concedat. Prævaluit tamen Pontificis Romani tyrannis, poſt infinita cum Cæſaribus prælia, eorum cladibus nobilitata, ut omnia beneficia Eccleſiaſtica, licet feuda complecterentur temporalia, debeant à Pontifice concedi: & hujus incendii, quo penè tota Europa deflagravit, pars etiam ad nos pervenit, dum Rex horum beneficiorum collationem ſibi vendicaret *(b)*, Pontifex verò, ut omnia, ad ſe traheret. Plura qui cupit, videat Hottomannum *(c)*.

Alia *Regalia majora* enumerantur, qualia ſunt, *comitia indicere, leges condere, eas interpretari, magiſtratus eligere, honores tribuere, nobilitare, reſtituere famæ, ſpurios legitimare, bellum indicere, collectas & vectigalia imponere, academias, urbes, portus, loca publica privilegiis ornare, monetam cudere*: ex quibus facilè patet, per feudi conceſſionem, nullum eſſe tranſmiſſibile, aut quod delegari aliis poſſit, niſi fortaſſe *magiſtratûs creandi poteſtas*, quam Princeps ſæpe & *Baronibus* & *urbibus* concedit, ut ſuos magiſtratus habeant: quod eò faciliùs conceditur, quoniam nullo cum præjudicio patrimonii Regii poteſt indulgeri.

45. *Minora* autem ſunt *Regalia*, quæ in ſuperiore enumeratione non continentur, quæ & aliis diſponi poſſunt, ſed cum hoc temperamento, ut ea diſpoſitio non ver-

(*a*) Idemque apud nos ſtatuitur, cap. 25. Alex. II. Sed vide recentius ſtatutum, viz. 124. Jac. apud nos I. inque hoc Obſerv. Dom. Georgii Mackenzii. (*b*) Cap. 85. & 86. Parl. 11. Jac. III. cap. 4. Parl. 1. & cap. 53. Parl. 5. Jac. IV. & cap. 19. & 125. Parl. 7. Jac. V. (*c*) Verbo *Regem*, de verbis Feudal.

gat in magnum diſponentis præjudicium *(a)*, vel ſaltem clauſula *motûs proprii* vel ex *certa ſcientia* apponatur, ut omnis ſuſpicio obreptionis tollatur; quæ vel ex his clauſulis, vel ex ſecunda Principis juſſione ceſſat: nam ſecunda juſſio motum proprium inducit. Quod ſi quædam *Regalia* in ſpecie ſint conceſſa, cum clauſula generali, *cum omnibus libertatibus, juribus, privilegiis, immunitatibus, quæ habeo in dictis terris*; hæc, inquam, clauſula generalis *Regalia minora* comprehendit, ſed non *majora*. Sunt tamen qui putant hanc generalem clauſulam *nulla Regalia* comprehendere, niſi in duobus caſibus, viz. ubi Princeps illuſtri perſonæ vel cognato ſuo dignitatem aliquam conceſſerit; nam tum præſumitur pleniſſime conceſſa: aut in eo loco, quem Rex in feudum concedit, nullæ aliæ ſint commoditates quàm Regalia: & utroque modo, hæc tantummodo de minoribus Regalibus ſunt intelligenda. Itaque Princeps Regale feudum concedere poteſt, cum *magiſtratûs creatione*, etiam *eſchetas*, ſive obventiones curiarum, mulctarum & pœnarum compendia, bona vacantia ſive caduca, prout in Regalibus omnibus videmus, etiam piſcariarum & ſalinarum reditus. Majora tamen Regalia, qualia ſunt patrimonium annexum, vectigalia, jus cudendæ monetæ, non niſi debitis omnibus ſolennitatibus obſervatis, quæ in publicorum Comitiorum actis præſcribuntur *(b)*, [*concedi poſſunt.*]

46. *Fiſcum* autem ſolus Princeps qui ſuperiorem non agnoſcit, habere poteſt: fiſcus autem dicitur pecunia Principis. Nam lege Regiâ, conſtituto Principe, ad decorem majeſtatemque ejus conſervandam, à S. P. Q. R. pecunia etiam publica decreta fuit; ideo *fiſcus* dicta, quia *fiſcis*, ſive *fiſcellis* portabatur: *fiſci* enim erant viminea & flexibilia utenſilia, quibus majores pecuniæ ſummæ inferebantur: & differt *fiſcus* ab *ærario*, quia *ærarium* erat in æde Saturni, in qua publica pecunia pop. R. quâ in bellis uti ſolebant, ſervabatur. At fiſcus Principis erat privata ejus pecunia, ad privatos uſus deſtinata. Utrumque tamen poſteriores Principes confuderunt. Factum tamen eſt, ut neque ſolus Princeps fiſcum haberet, ſed etiam quæcunque civitates quæ nullius imperio ſubjacent, pleræque etiam quæ ſuperiorem Cæſarem agnoſcunt. In Germania jus tam monetæ cudendæ, quàm fiſci habendi, uſurpârunt; ſive ex diuturnitate temporis Regalia hæc præſcripſerunt, ſive illud vel patientiâ vel liberâ conceſſione Principis ſibi vendicârunt. Illud tamen affirmare non dubito, quæcunque privatorum fiſco acquiruntur, Principis fiſco deberi, & de rationibus reddendis privatos eo nomine teneri: niſi ſi quod in hunc fiſcum inferri debet, ſpecialiter à Principe indultum ſit; quemadmodum civitati Edini, Thalaſſiarcho & Comiti Orcadum, ſpeciale privilegium fiſcum ſuum habendi & retinendi indultum eſt; quod tamen ad exemplum non eſt trahendum.

47. Rerum autem quæ ſub fiſcum cadunt proprietas, ipſo jure, & ſub ipſo momento cauſæ, propter quam cadit, vel commiſſi delicti, ad fiſcum pertinet *(c)*. Aliquando enim audivi à Dom. Davide Macgillo, Regio Advocato, in Senatu doctè diſputatum, Regem brevi manu rem ad ſe devolutam apprehendere poſſe, ſive jure hereditario ad eum perveniat, ſive jure fiſci: itaque nec inveſtiturâ nec ſaſinâ opus eſt. Neque enim Princeps ſuo nomine præcepta pro ſe in heredem agnoſcendo, aut inveſtiendo, dirigere poteſt; cùm nemo ſibi jus dicere poſſit. Sed defectum illum juris natura coronæ ſupplet; nempe, ut ipſo jure res ejus fiat, quatenus ad proprietatem. Sunt qui addant, etiam quatenus ad poſſeſſionem, & quòd poſſeſſio illius, qui delictum commiſit, aut cauſam dedit, in Regem continuatur; quemadmodum apud Gallos, mortuus ſaſit vivum, id eſt, poſſeſſio defuncti ipſo jure continuatur in ipſum heredem. Alii ſunt qui Principem poſſidere corporaliter non putant, donec poſſeſſionem apprehenderit. Apud nos, ſi vel ex delicto, vel ex obitu, aut alia quacunque cauſa, res immobilis ad fiſcum pertinere incipiat, diem delicti vel obitûs, vel quo jus fiſcus prætendere poteſt, inſpicimus: adeò ut ſi quid diminuatur fraude aut dolo, fiſcus pro eo agere poſſit. In mobilibus tamen uſus non eſt prohibendus, ut inde quis ali aut veſtiri poſſit, donec denunciatio publica intercedat, aut damnatio ſe-

(*a*) Baldus in lib. de pace Conſtantiæ. (*b*) Ut § 5. & 6. jam dictum. (*c*) Vid. Bartol. ad l. 1. ff. de officio proc. Cæſ. n. 7. & infra lib. 3. D. 1. § 30.

ſequatur. Præterea apud nos, ſi quando Princeps ſpurio, aut ut ultimus heres *(a)*, alicui qui heredem non habet, ſuccedit. His caſibus, præcedentibus legitima inquiſitione & publicâ denunciatione, opus eſt declaratoriâ *(b)*; ut in crimine, condemnatoriâ, antequam Princeps ſe bonis caducis immiſceat. Certum tamen eſt, & ante ſententiam inventarium poſſe Principis officiarios conficere, & res arreſto ſubjicere. Sunt qui putant, cùm fiſcus loco heredis habeatur *(c)*, & in pœnis cauſam lucrativam habeat, creditoribus ſatisfacere teneri, licet non ultra vires hereditarias; nec tamen inventarium conficere tenetur, ut facultates ejus qui deliquit, cognoſcantur. Sanè conſtitutione Antonini, licet fiſcus creditor reliquis creditoribus præferatur, tamen ſi ex delicto fuerit creditor, poſtponitur *(d)*: ſed eo jure non utimur.

48. Attendendum tamen eſt, quòd bona confiſcata ſive caduca non fiant patrimonialia, nec in patrimonium aſcribantur; itaque & ea alienare Reges poſſunt, quemadmodum & apud nos, & apud Gallos obſervari videmus, niſi fortè in patrimonio ſive dominio incorporentur expreſsè per ſpeciale ſtatutum, qualia ſunt exempla apud nos plurima, aut præſcriptione temporis longinquâ in patrimonio ſemper ſint æſtimata, & à Rotulario inter eâ recepta & exacta, ut in bonis de menſa Prælatorum antea diximus *(e)*. Par enim ratio in utriuſque regula obſervanda eſt: & ita patrimonia aliorum Princeps præſcribere poteſt, at ipſius patrimonium à nullo præſcribitur: tritum enim eſt illud Catonis Cenſoris, *Nec mortales contra Deum immortalem, nec privatos contra remp. poſſe præſcribere*; in qua multi putant ſcientiam & patientiam Principis requiri: nunquam tamen præſcribunt illa quæ Principi in ſignum ſubjectionis & univerſalis dominii ſunt reſervata: qualia ſunt cenſus, tributa, ſupremæ juriſdictiones; qualia ſunt leges condere, & eas interpretari, creare magiſtratus, Regales concedere dignitates, ut Ducatum, Marchionatum, Comitatum, Baroniam, nobilitare, famæ reſtituere, ſpurios legitimare, veniam ætatis concedere, bellum indicere, Scholas aperire, Academias condere aut confirmare, privilegiis ornare, & ſi quæ ſint ſimilia. Ad Regis ſimilitudinem apud Anglos, Villani contra dominos non præſcribunt, hoc eſt, nullo temporis interſtitio domini prohibentur, id quod Villani acquiſiverant, vendicare, brevi etiam (ut aiunt) manu. Fiſcum autem nemo habere poteſt, niſi qui ſuperiorem non recognoſcit, ut nuper diximus *(f)*.

(*a*) Cap. 55. lib. Reg. Majeſt. (*b*) 1 F. 21. (*c*) l. 2. C. ad leg. Jul. de vi publ. l. unic. C. de pœnis fiſcal. l. 11, 17 & 23. ff. de jure fiſci. (*d*) d. l. un. C. de pœnis fiſcal. (*e*) D. 15. § 7. (*f*) § 46. præced.

FEUDORUM

LIBER SECUNDUS.

Diegesis prima;

Quibus modis Feudum acquiratur.

SUMMARIA.

1. *Recapitulatio præcedentis libri primi, cum continuatione ad secundum.*
2. *Feudum antiquum acquiritur successione, vel investituræ renovatione. Novum ut sit feudum, tria requiruntur, & singula hæc suas habent formas peculiares. Feudum concedere & accipere possunt omnes, qui jure permittuntur alienare, & alienationes in se recipere. Et, ut eæ res omnes, si modò sint immobiles, quæ commercio subsunt, in feudum dari possunt : sic iisdem modis feudum acquiritur, quibus dominium jure gentium & Civili.*
3. *Per quas personas feuda nobis acquirantur : ubi de servis & Villanis apud Anglos, liberis in potestate parentum, & emancipatis; de aliis personis, liberis, & servis alienis.*
4. *Per quas personas jure Feudali, jure Anglorum, & nostro, acquiratur feudum.*
5. *De acquirendo feudo per donationem; unde beneficii nomen meruit.*
6. *De acquirendo feudo per emptionem; unde beneficii nomen amittit. Attendendum semper est, si is qui vendit, jus habeat : si non, sed superveniat, accrescit emptori apud nos; secus apud Anglos.*
7. *De acquirendo feudo per permutationem.*
8. *De acquirendo per præscriptionem; quæ est non solùm modus acquirendi feudi, sed etiam constituendi. Ea apud nos locum non habet, nisi in causis paucissimis. Rationes adfert Auctor quare apud nos non obtineat.*
9. *Rationes cur in feudis præscriptiones debeant admitti. Sententiam suam declarat Auctor pro præscriptione, viz. Laicum feudum 30 annis, Ecclesiasticum verò 40 præscribi : iis completis, possessio auctoris in successorem continuata pro una habetur.*
10. *30 vel 40 annis non completis, quis tandem effectus possessionis ? Bona fides præsumitur ex decursu temporis; nec ulla est distinctio inter feudum Laicum & Ecclesiasticum.*
11. *Apud Anglos nulla præscriptio terrarum, sed tantùm annui reditûs, aut earum utilitatum quæ è terris capiuntur : sed nulla admittitur præscriptio, nisi ab eo tempore cujus non exstat memoria; de qua in sequente Diegesi.*
12. *Successio non tam modus est acquirendi, quàm retinendi feudi; de qua suo loco. In stipulationibus Angli à nobis differunt. De Mutis, Surdis, Furiosis, Infantibus, & carcere oppressis, stipulantibus. Scriptura, sigillatio, & traditio necessaria sunt in omnibus obligationibus apud Anglos. Qui promittit se aliquem investiturum, id suis sumptibus facere debet.*
13. *De Stipulationibus, an ex illis feuda acquirantur ?*
14. *Feudum non potest acquiri ex ultima voluntate, nec investitura impropria : nec Rex secundo genitum, præterito primo, heredem instituere potest, nisi plane sit inhabilis ad imperandum : nec pro animæ suæ salute*

ſalute quis feudum Eccleſiæ teſtamento relinquere poteſt, ne vel cum domini ſui conſenſu.

15. *Vaſſallus non poteſt teſtamento eligere unum ex filiis ad ſervitia domini aptiſſimum; licet, ſi inter vivos, & ex utriuſque conſenſu, cùm agnatis agatur, poſſit.*

16. *An pater regni alicujus Rex poſſit teſtamento heredem ſeu ſucceſſorem alium à vero in regno inſtituere: de quo deinceps in utramque partem arguitur.*

17. *Elizabethæ Reginæ Angliæ ſpecialiter à Parliamento indultum erat, ut ſucceſſorem nominaret. Argumenta proponuntur pro affirmativa parte quæſtionis præcedentis.*

18. *Argumenta quæ pro parte negante adferuntur, ſumuntur à diverſitate morum ab hodiernis, & ſucceſſionis in regnis, & in privatorum hereditatibus, jure Civili, & poſtquam jus Feudale receptum eſt, & experientiâ magiſtrâ.*

19. *Regna neque inter vivos, neque ex teſtamento diſponi: nam cives, licet ſint ſubditi, non ſunt ſervi; & inter ſe maximè differunt Rex & tyrannus, & jure Feudali dominus non minùs prohibetur ab alienatione dominii directi, quàm vaſſallus ab utilis.*

20. *Jus Naturale & gentium continuo uſu ſtabilitum Parliamentorum actis non poteſt inverti aut mutari in præjudicium ejus qui jus jam acquiſitum habet; multòque minùs juri Divino derogatur: quod variis exemplis illuſtratur.*

21. *An Rex aut Imperator jus ſuum alicui auferre poſſit per novam legem?*

22. *Reſpondetur argumentis aliorum; primo à Conquæſtore deſumpto: illum ſuas habuiſſe rationes, nec à jure nec à naturali ratione abhorrentes. Nec Henricus VIII. licentiâ ſibi permiſsâ uti voluit. Idemque de Elizabetha dicendum.*

23. *Quantum iis liceat, qui commiſſionem cum libera poteſtate accipiunt: & quatenus privilegia ſint interpretanda.*

24. *Iſtam libertatem cum naturali æquitate pugnare, variis exemplis oſtenditur.*

25. *Rationes variæ, cur neque feuda teſtamento relinqui, aut heredi vero præjudicari teſtamento poſſit. Vaſſallorum & libertorum conditio in multis comparatur.*

26. *An heres teneatur feudi æſtimationem legatario præſtare?*

27. *An feudum novum ſive conquæſtus teſtamento alienari poſſit?*

28. *Apud nos de re hereditaria nemo teſtamento diſponere poteſt, aut ullo modo moriens quis feudum gravare poteſt, neque eum qui ſucceſſurus eſt obligare in eas ſummas quibus feudum evinci poſſit.*

1. SUPERIORE libro, quæ de feudi origine, & progreſſu juris Feudalis, donec in eam magnitudinem excreverit, ut relicto, longo poſt ſe intervallo, tam jure Civili, quàm Pontificio, principatum juris ſibi arrogaret, quæ ex veterum auctorum ſcriptis, & doctiſſimorum hominum commentariis colligi poterant, expoſuimus; adjectâ inſuper feudi & definitione & diviſione, ut ejus conditio & natura eſſet explicatior: tum ad ejus cauſas, efficientem, inquam, & materialem, aperiendas procedentes, quæ perſonæ feudum efficiant, quæ dent, quæ recipiant, quæ res in feudum poſſint concedi (quæ materia feudorum eſt) licet non pro dignitate, ut potuimus ſaltem, declaravimus. Supereſt ut de cauſa formali feudi jam diſſeramus, & quomodo feudum formetur, & in eſſe (ut in ſcholis dici ſolet) perducatur, ut verè feudum & ſit, & dici poſſit: nam forma dat eſſe rei, & ſine qua res ſubſiſtere non poteſt.

2. Ex diviſionibus feudorum ante propoſitis, una erat, quâ feudum dividebatur in *novum* & *antiquum*. Quod ad feudum antiquum attinet, acquiritur vel ſucceſſione, vel inveſtituræ renovatione, de quibus poſtea. Novum autem feudum quod à principio inſtituitur, ut ſit feudum, in his tribus conſiſtit; in *acquiſitione*, *conſtitutione* & *conſummatione*: in quibus feudi novi forma conſiſtit; nempe, aut acquiritur, aut conſtituitur, aut conſummatur. Singula autem hæc membra ſuas habent peculiares formas à jure inſtitutas; quæ prætereundæ non ſunt. Quod ad novum feudum acquirendum attinet, ut antea monuimus de perſonis feudum conſtituentibus, eis omnibus licere feudum concedere & accipere, quibus alienare & alienationem recipere, ex jure permiſſum (a): &, ut eæ res omnes, ſi modò ſint immobiles, quæ

(a) Lib. 1. D. 12. § 3.

commercio hominum ſubjacent, in feudum dari poſſunt, ſic etiam hic & hoc addendum, iiſdem modis quibus jure gentium, aut Civili, dominia rerum acquiruntur, ex iiſdem (ſi hoc agatur) feudum conſtitui poſſe. Itaque donatione, emptione, permutatione, & præſcriptis verbis, præſcriptione, imò ſtipulationibus, obligationibus, feudum acquiritur. Sed feudum hic pro contractu Feudali ſumo. Nam *Feudum* vocem eſſe homonymam antea monui *(a)*, & aliquando ipſum *contractum*, aliquando *hereditarium jus*, & *prædium* ſignificare. Itaque ut ex contractu acquiritur, ita ex inveſtitura ſine præſcriptione feudum conſtituitur.

3. Sed priuſquam modos novi feudi acquirendi à principio proponamus, expediendum priùs erit, per quas perſonas feudum nobis acquiratur. Quod ad jus Feudale attinet, nihil ferè in hac quæſtione expreſſum eſt, niſi nos feuda poſſe acquirere, vel per eos, qui ſunt in noſtra poteſtate, vel per procuratores, ſive actornatos *(b)*: ſed ſi diligenter verba textûs expendantur, latiùs quàm ad ſervos vel procuratorem perſpiciemus extendi. Nota eſt diviſio perſonarum ex jure Civili, ut alii ſint ſui juris, alii alieni: rurſus ex his qui juris alieni ſunt, quidam ſunt ſervi, quidam in poteſtate parentum. Servi omnia dominis ſuis acquirebant, neque tantùm veri ſervi, quorum plenum dominium aliorum erat, ſed etiam ſi tantum uſusfructus alicujus erat, imò ſi bonâ fide ſerviebant: quodque magis mirum eſt, etiam ſervi alieni, nobis bonâ fide ſervientes, non ſuis dominis, ſed nobis, quibus bonâ fide ſerviunt, acquirebant, quod eis & non veris dominis res acta videbatur: ſed adhibitâ hac diſtinctione, ut ſervi ſuo domino ſervientes omnia ei acquirerent; ſervi verò alieni, imò & liberi bonâ fide alii ſervientes, aut ſi uſusfructus ſervi ad alium pertineret, quodcunque ex opera ſua aut re ejus domini acquirebant, eis quibus bonâ fide ſerviebant, id omne cederet. Quod verò neque ex re ejus cui ſerviebant, neque ſua opera acquiſitum erat; veluti ſi aliquid his fuerat legatum, aut ſi teſtamento heredes ab extraneo inſtituantur, nullo habito reſpectu ad eum cui ſerviebant, id liberi bonâ fide ſervientes ſibi, ſervi autem alii bonâ fide ſervientes, & is cujus uſusfructus ad alium pertinet, ſuis dominis lucrabantur.

Ad ſimilitudinem ſervorum Villani, qui hodie in Anglia ſunt frequentes, dominis ſuis, non ſibi, acquirunt. Liberi verò, qui in parentum ſunt poteſtate, ſive ſuo nomine ſive parentum contraxerant, ſivè è ſuis laboribus quid comparaſſent, id omne parentum lucro cedebat; donec ex poſteriore Juſtiniani conſtitutione uſusfructus tantùm bonorum à liberis acquiſitorum ad patrem pertinebat, ſalvâ eorum proprietate acquirentibus, niſi ex re patris acquiſiviſſent, quo caſu omnia ad patrem redibant. Emancipati ſi quid ante emancipationem acquiſiviſſent, tertia pars à patre retinebatur, quaſi pro pretio emancipationis: donec & hoc novâ Juſtiniani conſtitutione etiam emendatum fuit, ut pro hac tertia, pater uſumfructum dimidii omnium bonorum haberet, ſalvâ eorum proprietate filio emancipato *(c)*. Per alias perſonas, per liberos homines, qui neque noſtro juri ſunt ſubjecti, neque bonâ fide nobis ſerviunt, & per ſervos alienos, in quibus uſumfructum non habemus, neque juſtam poſſeſſionem, nihil nobis acquiri poteſt: unde illud vulgatum in jure, per extraneam perſonam nihil nobis acquiritur, niſi per procuratorem, qui nobis tam ſcientibus, quam ignorantibus, non ſolùm dominium rerum, ſed etiam poſſeſſionem acquirit *(d)*; ſi modò dominus intra annum & diem ratum habuerit: quod facere cenſetur, quum inveſtituram nomine ſuo factam cognovit, & non contradixit. His ſimilia ſunt quæ de ſtipulationibus traduntur in jure Civili, alterum alteri ſtipulari non poſſe; inventas enim hujuſmodi ſtipulationes & obligationes ad hoc, ut quiſque acquirat ſibi quod ſua intereſt. Cæterùm ſi alii detur, nihil intereſt ſtipulatoris. Si tamen ſub pœna quis alteri ſtipuletur, datur ad pœnam actio, non ad promiſſionem implendam, cùm nihil interſit ſtipulantis, quod promiſſum eſt impleatur necne. Evenit tamen ſæpe, ut alteri ſtipulari poſſimus, cui & ſolvi noſtra intereſt; veluti, ſi tutor ſuo pupillo, debitor ſuo creditori, vel quis procuratori ſuo ſolvi ſtipuletur; omnes hæ ſtipulationes ex jure Civili valent *(e)*.

Et

(a) Lib. 1 D. 9. § 4. (b) 2 F. 3. § 1. verſ. Perſonam. (c) l. 6. C. de bonis quæ liberis. (d) Tot. tit. Inſt. per quas perſon. cuique adquir. (e) § 19. Inſt. de inutilibus ſtipul.

Et ſanè cum juvenis cœpi forum frequentare, audivi acerrimè controverſum in Senatu, an inſtrumentum compenſationis alicujus partis uſusfructûs, qui ad Dominam Wauchop de Edmeſtoun antea pertinebat, & ab illa ſub forma inſtrumenti renunciatus fuit ob compenſationem uſusfructûs alterius partis, in favorem Domini de Edmeſtoun, an compenſatio illa teneret, cum notam inſtrumenti rogâſſet extraneus à dicta Domina? Ratio dubitandi erat, quod alteri nemo poſſit aut acquirere aut ſtipulari : & Senatus eo tempore cenſuit inſtrumentum valere, licet qui notam à notario rogâſſet fuiſſet extraneus.

4. Quod ad jus Feudale attinet, per ſervos quidem, ſive noſtros, ſive alienos, ſed bonâ fide nobis ſervientes, quod vel ex re domini, vel ſuâ induſtriâ & operâ acquirunt, & jure Anglorum per liberos noſtros, quamdiu in familia noſtra ſunt & à nobis aluntur, nobis acquiri certum eſt. Et ut uſum noſtrum conjungam, per noſtros ſervientes, qui nobis loco ſervorum ſunt, ſive hi dicantur Factores, Camerarii, Ballivi aut Actornati, feudum rectè acquirimus : nec majus dubium eſt in procuratore, quin ejus operâ in feudo acquirendo uti poſſimus. Sed verba textus latius extenduntur; nam Obertus ait *(a)*, *utrum ipſe, vel alius pro te inveſtituram accipiat, nihil intereſſe putamus*. Itaque ex jure Feudali, feudum nobis acquiri poteſt per liberam perſonam, etiam extraneam, noſtro nomine ſtipulantem vel contrahentem; & in hoc uſus noſter forenſis etiam conſentit, ut per quamcunque perſonam feudum acquiri poſſit nobis, modo res noſtro nomine agatur, & ratum poſtea habeamus : neque enim noſtra ratihabitio ex jure ſufficit, niſi res à principio noſtro nomine agatur. Melior tamen pars Feudiſtarum, non niſi per procuratorem, licet generale mandatum habentem, quem nos Actornatum dicimus, feudum nobis acquiri putant *(b)*. Apud nos & jure noſtro non ſolùm acquirimus per nos, ſed per uxores noſtras, vel per ſervos, vel bonâ fide nobis ſervientes; per procuratores etiam, ſive generale ſive ſpeciale mandatum habentes : pupilli etiam acquirunt per tutores & curatores.

5. Sequitur ut de modis feudi novi acquirendi dicamus. Sane genuinus & naturalis feudi novi acquirendi modus, eſt liberalis *Donatio* à domino in favorem vaſſalli conceſſa; nam ſuâ naturâ feudum debet eſſe gratuitum, & ex liberalitate concedentis, ob militares tantum operas, concedi. Quod enim interveniente pecuniâ vel mercede conceditur, feudum degenerans ſive *Feudaſtrum* dici poteſt *(c)*; licet nonnullis in locis juris & hæc nomine feudorum nuncupentur, habito reſpectu ad id quod in communi erat uſu *(d)*. Sed, ut ad *Donationem* revertamur, qui primus eſt acquirendi feudum modus, unde & beneficii nomen meruit : ea igitur eſt duplex, una *mera* & *directa donatio*, quæ nihil niſi liberalitatem ſapit; alia *negotialis*, quæ negotii quandam geſtionem, & conditionem cum liberalitate conjunctam habet, quæ propria feudorum eſt, nam ſub officii ſive ſervitii conditione contrahuntur. Imò neque illud feudum, quod eleemoſynæ nomine, ſive in perpetuam eleemoſynam datur, ſervitio ſuo mercenario vacat : Clerici enim, tanquam mercenarii, hoc feudum recipiunt, ſub conditione quadam precum, aut pronunciandarum, aut obmurmurandarum *(e)*.

6. Quod ad *Emptionem* attinet, is hodie eſt modus acquirendi feudi vulgatiſſimus : licet Gerardus ſub prætextu pecuniæ feuda comparari debere neget, ſed tantum *honore & amore domini (f)*. Hodie tamen hoc modo, degenerantibus à veteri inſtituto moribus, feuda comparari ſolent, licet revera ſic beneficii nomen amittant : nemo enim ſanus, qui pretio emit, beneficio ſe acquiſiviſſe dicet; niſi forte ad ſimilitudinem manumiſſionis cum Marcello dicamus *(g)*, manumiſſorem, etiamſi pecuniam acceperit, beneficium tamen præſtare ſervo, cum ei libertatem dat; nec minus patronus efficitur, & jura patronatûs in libertum omnia habebit, quæ haberet, ſi ex ſola liberalitate manumiſiſſet. Poteſt etiam dici integrum pretium non ſolutum, ſed moderatum, nempe habito reſpectu ad onus, in quod vaſſallus

(a) 2 F. 3. § verſ. ſed utrum. (b) Schoner. lib. 1. diſput. Feudal. diſp. 5. theſ. 16 & 18. (c) 1 F. 27. § 1. (d) 1 F. 1. in fine 7 & 16. & 2 F. 12. (e) Vid. lib. 1. D. 11. § 20. (f) 1 F. 27. (g) l. 3. ff. de obſequiis parent. & patron. præſtand.

domino tenetur, quod pro parte pretii imputatur, alioqui plus soluturus, si allodium esset. In his alienationibus semper inspiciendum, si is qui vendit ipse jus habeat; alioqui nihil emit. Nostro jure si titulus superveniat venditori, accrescit emptori & retrotrahitur; non autem jure Anglorum.

7. Tertius modus feudi acquirendi est *Permutatio*, quæ vulgariter *Cambium* & *Excambium* dicitur; de quo etiam apud Gerardum & Obertum *(a)*. Eodem modo in acquisitionibus præscriptis verbis, cum feudum datur, ut aliquid fiat vel detur: nam in his omnibus feudalibus contractibus, semper ut aliquid fiat convenit, & feudum meritò dici potest contractus, *Do ut facias*; nihil enim datur, nisi ob causam, ut aliquid fiat; quo non facto sive præstito, dominus feudi revocationem ad se habet. Et hi modi feudum solent præcedere, neque feudum, sed actionem perfectam propter feudum, & ad feudum constituendum, perficiendum, & absolvendum inducunt.

8. Supereſt de *Præscriptione*, quæ non solum modus acquirendi, sed etiam feudi constituendi in jure ponitur: non enim tantùm contrahitur, sed etiam perficitur & absolvitur feudum hac præscriptione *(b)*, cum non solum titulus adsit (præscriptio enim titulum & etiam dominium inducit) sed etiam realis possessio *(c)*. Præscriptio autem in usu nostro non est, nili in causis pauciſſimis: plerique enim dolendum putant, quòd sæpe eveniat, ut viris nobilibus vitâ functis heredes à latifundiis suis cadant, fraude, vel viduæ, vel famulorum, quibus monumentorum sive instrumentorum concredita fuerat cura; & quorum jura ab initio rectè fuerant constituta, interceptis tabulis ex post-facto in periculum adducantur, quod est iniquissimum *(d)*. Et nostri, neque in foro conscientiæ, neque ex ratione juris Civilis & Feudalis, præscriptioni esse locum putant; cum in jure Canonico regula sit, beneficium nullo tempore posse præscribi. Præterea ex jure videtur, vasallum varias ob causas adversus dominum præscriptione nunquam posse defendi. Ita enim Obertus *(e)*. Ratio est, quia non sibi, sed alteri; non pro suo, sed pro alieno possidet; quæ causa præscriptionem omnem impedit *(f)*: & ob eam ipsam causam, Emphyteutæ (qui & ipsi speciem feudi faciunt) nullo tempore præscribunt proprietatem adversus dominum *(g;)* quòd sciz. feudum tantum sit ususfructus, ut neoterici omnes volunt. Habent nostri aliquid majus quod pro eis faciat; nam usufructuarius, cum neque verè possideat proprietatem (neque enim proprietas & ususfructus sunt eadem) saltem cum sciat se rem alienam possidere, nunquam acquirit proprietatem præscriptione. Præterea, si vasallus feudum suum tertio tradiderit, quia res est alienari prohibita, videtur non solùm ex ipso textu juris, & ex constitutionibus specialibus Lotharii *(h)* & Friderici I. *(i)* præscribi non posse, sed etiam ex juris communis dispositione, quâ res contra legem alienatæ, aut acceptæ, nullo tempore præscribi possunt *(k)*. Sic res Principis patrimoniales præscribi non posse nuper diximus *(l)*. Et cum dominus & vasallus in feudis penè æquiparentur, nisi in fidelitatis præstatione & reverentia; in aliis verò non minus dominus vasallo teneatur, quàm ille domino, dominus verò, ob non præstitum servitium, feudum sive feudi libertatem contra vasallum nunquam præscribit, nisi postulatum & requisitum fuerit *(m)*; profecto eisdem rationibus præscriptio in feudis non videtur admittenda: neque nostri in jus hoc Feudale scriptum, aut jus commune peccare se putant, quia præscriptionem non admittunt.

9. His tamen omnibus non obstantibus & ipse textus *(n)* in vasallo præscriptionem admittit: non quòd vasallus directum dominium unquam posset præscribere; nam licet corporaliter possideat, directum tamen dominium, cum sit jus domini superioris, à vasallo nunquam possidetur, neque in bona fide esse potest, si præscribere conetur; suum tamen feudum, quod ex domino recognoscit, pro quo servitia præstitit, præscribere posse putant omnes Feudistæ cum ipso textu, præcipuè si

(a) 1 F. 4. § 2. & 2 F. 25. (b) Vid. D. 2. in pr. (c) 2 F. 26. § 4. & 1 F. 28. (d) Quod correctum est Parliamento tento mense Januarii anno 1617. statut. 12. (e) 2 F. 8. (f) l. 2. C de præscript. 30. vel 40. annorum. (g) l. 7. § 6. C. eod. (h) 2 F. 52. (i) 2. F. 55. (k) l. 9. ff. de usurp. & usucap. (l) l. 8. ff. de lege Julia repetundarum, vid. lib. 1. D. 16. § 48. (m) 2 F. 26. § licet. (n) 2 F. 33.

ſi eo animo poſſederit. Sed ſi non ut feudum, ſed ut rem propriam, aut pignus, aut depoſitum, aut commodatum [*poſſideat*,] poſſeſſio illa ad effectum feudi præſcribendi nunquam extendetur. Et quòd vaſſallum præſcribere leges vetant, de vaſſallo ipſo intelligunt, & non de tertio qui in locum vaſſalli ſucceſſit; nam & uſusfructus legatus poteſt præſcribi à legatario. Alii aliâ diſtinctione utuntur; nam ex jure Civili ager vectigalis, licet nullo tempore præſcribatur, & uſucapi poſſit, ejus tamen dominium longo tempore acquiri poſſe putat Ulpianus *(a)*, ut aliud ab uſucapione ſit dominii acquiſitio: & hæc pro ſe adducunt, quòd licet neque triginta annorum ſpatium, neque ulla diutina poſſeſſio vere obligationem in jure Civili inducat, neque quis in futurum ex tali præſtatione ſolvere cogendus ſit; tamen & præſumi facit obligationem, & obligationem (ſi quæ fuit) in futurum confirmat: ſic in feudo, licet præſcriptionem verum vaſſallum non facere, neque verum feudum, ut is contra dominum agat, ut eum infeudet, præſcribere; ſaltem ad hoc ſufficere putant, ut vaſſallum in poſſeſſione retineat, & confirmet, & ut contra tertium agat. Sed, ut ſententiam noſtram hîc inſeramus, cum de verbis diſceptatio videatur, utrum dominium feudi inducatur longo tempore & præſcribatur; cum textu & Doctoribus concludo, per præſcrptionem non ſolum feudum acquiri, ſed conſtitui, nempe ſi quis per triginta annos, domino ſciente & patiente, feudum Laicum; per quadraginta verò, Eccleſiaſticum, ſed ut feudum, poſſederit, & toto iſto tempore vel ſervitia fecerit, vel ſaltem obtulerit, etiamſi revera non præſtiterit, ſi tamen in mora non fuerit, quo minus iſta præſtaret: caſtigandám enim volunt leges dominorum ſocordiam, qui tanto tempore alium ſe invitis feudum poſſidere patiuntur, cum & res ante oculos verſetur, & cum poſſint minimâ interpellatione impedire, ſilere tamen maluerint. Et hæc eſt communis opinio, quæ ſi apud nos in aliquibus caſibus recepta eſſet, meliùs cum republica ageretur. Quod de triginta annis dixi, intellige completis, neque enim ultimus annus cœptus pro completo habebitur: & poſſeſſio debet eſt continua, & non interrupta, ita tamen ut poſſeſſio auctoris in ſucceſſorem continuata pro una habeatur.

10. Sed dicet aliquis, quis ſaltem erit effectus poſſeſſionis, ſi quis triginta annos, non quidem totos completos poſſederit? Sane magnus, nam licet niſi triginta annis completis præſcriptio non acquiratur, eo caſu vaſſallus à domino conventus, ut inveſtituram domino monſtret, non tenetur *(b)*; ſed jurabit tantum feudum ſibi jure eſſe conſtitutum & conceſſum: & licet regulariter adverſus dominum vaſſallus non præſcribat, ſi tamen prior vaſſallus feudum alienaverit ſine conſenſu domini, & ſecundus vaſſallus, domino præſente, & ſciente, nec contradicente, triginta annos poſſederit, dominum vendicantem poterit exceptione præſcriptionis repellere *(c)*. In hac triginta annorum præſcriptione de bona fide probanda non multum laborandum plerique putant, cum ea ob temporis curſum & domini patientiam præſumatur, inchoata ſemel, ſemper currat *(d)*. Jure Civili præſcriptio triginta annorum, ſaltem quadraginta annorum, niſi contra remp. titulum inducit, & ad feudi præſcriptionem ſufficit *(e)*: quæ ad triginta annos jure Feudali reſtringitur, niſi quòd in feudo Eccleſiaſtico plerique diſſentiunt, feudum Eccleſiaſticum non niſi quadraginta annis præſcribi poſſe aſſerentes, cum in eo Eccleſiæ præjudicium aliquod oriatur *(f)*. Alii contrà & veriùs, cum, ex textu feudorum, nulla ſit diſtinctio inter feudum Laicum & Eccleſiaſticum, & proinde nec nos diſtinguere debere contendunt, ſed contentos eſſe communi triginta annorum præſcriptione. Et hæc de præſcriptione.

11. Apud Anglos præſcriptio terrarum nullum jus inducit, præſcriptio tamen annui reditûs, aut earum utilitatum quæ è terris capiuntur, recepta eſt; ſed nulla admittitur præſcriptio, niſi ab illo tempore cujus memoria non exſtat. Sed quoniam præſcriptio tam modus acquirendi feudi eſt, quam conſtituendi, de ea ſequenti Diegeſi, cum de modis quibus feudum conſtituitur tractabimus, plura dicemus.

(*a*) l. 1. § 1. & l. 2. ff. Si ager vectig. petatur. (*b*) Cap. 25. quon. attach. (*c*) Schon. lib. 1. diſput. Feudal. diſput. 6. theſ. 9. (*d*) Schon. ibid. theſ. 11 & 12. (*e*) l. 3 & 4. C. de præſcrip. 30 vel 40 annorum. (*f*) Per Nov. 111.

12. De ſucceſſione in ſuum titulum rejicienius, neque enim tam mihi videtur modus feudi acquirendi, quàm retinendi & conſervandi. In ſtipulationibus, qui alium quid daturum vel facturum promittit, vel eum qui in ejus poteſtate conſtitutus eſt, jure Anglorum nihil facit; noſtro, ſi appareat ex cauſa factum, & adverſarium in errorem induxerit, ad intereſſe tenetur. At etiam ab illis inutiliter ſtipulamur, qui noſtræ poteſtati ſunt ſubjecti, ut & illis inutiliter promittimus *(a)*. Mutus & ſurdus (quod ad ſurdaſtrum non extenditur) ſtipulari non poſſunt *(b)*, ut nec furioſus *(c)*, nec infans, nec qui duritie carceris oppreſſus *(d)* aliquid promiſerit, ſi pactum rem ipſam, cujus causâ quis in carcerem conjectus eſt, attingat: nec quæ vi aut juſto metu extortæ ſunt ſtipulationes, quicquam operantur. Apud Anglos, in omnibus his obligationibus ſtipulationibuſque, quæ ſcripto comprehenduntur, hæc tria ſemper neceſſaria ſunt, ſcriptura, ſigillatio & traditio: qui autem ſcripto promiſit inveſtiturum ſe, id ſuis ſumptibus facere debet.

13. De ſtipulationibus igitur & obligationibus nemini dubium eſt, quin & ex ſtipulatione & obligatione, quemadmodum ex omnibus contractibus, feuda acquiri poſſint; neque id in controverſia apud quenquam eſt, quin ex tali ſtipulatione ſive obligatione actio quæratur. Exempla frequentiora ſunt, & magis quotidiana, quàm ut eis illuſtrari hæc res poſſit aut debeat.

14. An autem ex teſtamento, vel ex ultima voluntate, feudum acquiratur, quæri poteſt; & an ex legato, ſive inveſtitura impropria, per traditionem annuli vel baculi à teſtatore, heres legatarium in poſſeſſionem feudi legati inducere teneatur? Et ſanè neque feuda antiqua teſtamento aut ultimâ voluntate diſponi, neque vaſſallo teſtamenti factionem eſſe in feudo antiquo, conſentiunt ferè omnes *(e)*: quod & in omnibus, qui hereditariam poſſeſſionem habent, obſervatur. Nam in regnis, quanquam feuda non ſint, Rex ſceptrum ſecundo genito relinquere non poteſt, neque eum heredem conſtituere præterito primogenito; niſi is planè ad imperandum ſit inhabilis. Quòd ſi teſtamento heres non poſſit inſtitui, quanto gravius peccant contra omne jus ſcriptum, contra fas omne, qui in regno hereditario heredem & ſucceſſorem nominare teſtamento cuiquam permittunt; quodque ipſi in rebus privatis facere non poſſunt, alii in re ad omnium ſalutem pertinente faciendum concedunt, ut jure vel hereditate alienâ uti vel abuti liceat. Teſtamento ſanè feudum acquiri, uſque adeo à jure communi abhorret, ut neque vaſſallus, pro animæ ſuæ ſalute, feudum aut feudi partem Eccleſiæ relinquere poſſit *(f)*. Et licet donatio ſolus ſit legitimus modus feudi acquirendi, tamen causâ mortis donare non poteſt feudum ſuum vaſſallus, cum hæc donatio legatum ſapiat, & legato æquiparetur: imò, quod magis mirum eſt, neque cum domini conſenſu, etiamſi dominus liberam teſtamenti factionem conceſſerit *(g)*: itaque neque legare feudum ſuum vaſſallus teſtamento poteſt. Ratio eſt, quòd non poteſt vaſſallus in præjudicium tenoris inveſtituræ, & eorum quæ in ea continentur, feudum quovis modo alienare teſtamento *(h)*.

15. Gravis tamen quæſtio inter Feudiſtas verſatur, an vaſſallus poſſit teſtamento unum ex filiis ad ſervitium domini eligere, eique feudum aſſignare? Ratio dubitationis hæc eſt, quòd feuda pro ſervitio diſponantur, quid ſi unus ex filiis, ad domini ſervitia magis ſit idoneus & aptus quàm alii? videtur nullum præjudicium domino in ſuo ſervitio fieri (cujus ſemper prima ratio ſervanda eſt) ſi unus pro reliquis inſtituatur, qui domino debitum ſervitium præſtet: non enim hæc inſtitutio, aut pro legato aut fideicommiſſo habetur; & in jure pater operas libertorum, in præjudicium filii, poteſt nepoti aſſignare *(i)*. Sed profectò contrariam opinionem tenent omnes, quod legerim, Feudiſtæ, neque vaſſallum per ſe, neque dominum poſſe inveſtituræ tenorem mutare, niſi fortè inter vivos inveſtituræ tenor renovetur, ex

(*a*) § 6. Inſtit. de inutil. ſtipul. (*b*) § 7. Inſtit. de inutil. ſtipul. (*c*) § 8. Inſtit. cod. (*d*) l. 22. ff. quod metûs cauſa, & cap. 29. quon. attach. (*e*) 1 F. 8. pr. (*f*) 2 F. 55. 2 F. 9. § 1. (*g*) l. 16. ff. de militari teſtam. (*h*) Cum diſpoſitio teſtamentaria ſit alienatio, nullius autem jus ſine ipſius facto auferri poteſt, l. 11. ff. de R. J. vid. infra, § 25. (*i*) l. 3. § 1. ff. de aſſig. libert.

ex utriuſque conſenſu, & etiam proximorum *(a)*, quorum intereſt, aut qui ſucceſſuri ſperantur *(b)*.

16. His breviter, & quaſi per tranſennam prætereundo, expoſitis, facilis erit illius dubii ſolutio, an pater, regni alicujus Rex, poſſit teſtamento heredem, ſeu ſucceſſorem, alium à vero, in regno inſtituere: nam quod ad jus Feudale attinet, nihil abſurdius dici, nihil quod cum ratione Feudali magis pugnet, poterit excogitari; cum ne teſtamento ſuis ſucceſſoribus tutores Regem relinquere poſſe magna pars Feudiſtarum putet: nam notum eſt in feudis, tutores teſtamentarios à domino in feudo vaſſalli ſui excludi, ſi militare ſit feudum. Sed inquiet aliquis, regna non ſunt feuda. Rectè ſane, quia Reges de nullo tenent, nec dominum agnoſcunt; niſi quæ ſunt regna quæ clientelarem fiduciam debeant, ut antea docui *(c)*. At neque regna omnino à feudorum nomine excludi poſſunt, quorum omnium Deus Opt. Max. directus eſt dominus, de quo Reges regna ſua tenent, & ad ſervitia eidem domino ſuo ſervanda & præſtanda tenentur, ut in Diegeſi ſeptimi primi libri adnotavi; &, ſi reſpectus habeatur ad vaſſallos, domini feudorum directi ſunt, & in uſibus feudorum conſuetudines regni numerantur *(d)*. Utcunque eſt, eiſdem ſucceſſionis legibus regna ſubjecta, quibus & feuda, tenent omnes qui de jure Feudali ſcripſerunt *(e)*. Utraque enim omnibus legibus ſucceſſionum, quæ per omnes gentes receptæ ſunt, reguntur, niſi forte aliquod ſit privilegium ſpeciale unius regni, ab ejus initiis continuò obſervatum, veluti lex quæ Salica dicitur apud Gallos, quæ à ſucceſſione regni fœminas perpetuò excludit, & pro fundamentali lege in Gallia tenaciſſimè obſervatur. Et quoniam in hanc quæſtionem incidimus, Utrum Rex teſtamento ſucceſſorem nominare, & vero heredi præjudicare poſſit, cum ex hac quæſtione multa mala in Britanniæ meridionalis ſucceſſione metui nuper poterant, & adhuc poſſunt, accuratiùs eam diſcutiemus, & in hypotheſin controverſiam hanc totam ſubducemus.

17. Regina auguſtiſſima Elizabetha, quæ in Angliæ ſolio ſupra quadraginta tres annos feliciſſimè, & ſuis & exteris admiranda, ſedit, ſpeciali ſtatuto trium Ordinum regni, qui Parliamentum efficiunt, hoc habuit ſibi indultum, ut poſſet liberè & ſuo arbitrio ſucceſſorem poſt ſe nominare, quemque illa, etiam in ipſo agone mortis, nominaret, ſe recepturos, & pro Rege agnituros, iidem Ordines ſolenniter promiſerunt. Quæſtio igitur hinc naſcitur, num illa, in articulo mortis conſtituta, alium à verò herede ſucceſſorem potuit relinquere. Ex hoc indulto ſibi ex conſenſu Parliamenti privilegio, pro parte affirmante multa ſunt quæ faciunt; nam ex jure Romano certum eſt, non ſolùm omnium rerum moventium, ſed & non moventium, & proinde feudorum, ſive, ut ea erant tempora, fundorum ſeu prædiorum, legitimam diſpoſitionem teſtamento fieri potuiſſe; quod etiam in regnis antiquitùs locum habebat. Attalus enim, Pergami Rex, heredem regni ſui populum Romanum teſtamento inſtituit, his verbis, *Pop. Romanus bonorum meorum heres eſto (f)*. Hæc verba adjeci, ut ſciant juniores, bonorum appellatione apud veteres tam mobilia quàm immobilia comprehendi: Romani enim ex his teſtatoris verbis, non ſolum bona moventia, ſed etiam ipſum regnum univerſum, & omnia quæ aut erant juris Divini aut humani, publici aut privati, invaſerunt, & pro ſuis occuparunt, nequicquam reclamante vero herede & univerſo populo Pergameno. Eodem modo, cum Nicomedes Bithyniæ Rex Pop. Romanum heredem inſtituiſſet, Romani eo mortuo regnum in provinciam redegerunt. Nec diverſa ſunt quæ de Alexandro Ægypti Rege narrantur, qui moriens Alexandriam & Ægyptum Pop. Romano teſtamento reliquit; & Praſutagus Icenorum in Britannia regnum Cæſari & ejus filiabus legavit *(g)*. Hæc, & his ſimilia, de diſpoſitionibus & tranſlationibus regnorum, tam inter vivos quam mortuos, paſſim apud bonos auctores occurrunt exempla. Denique nec domeſticis exemplis, eiſque recentioribus, Angli deſtituuntur. Conquæſtor enim Rufum ſecundo genitum, præterito Roberto primogenito,

(a) 2 F. 39. pr. (b) l. 29. C. de pactis. (c) lib. 1. D. 12. § 6. (d) 2 F. 28. (e) Schoner. diſput. Feudal. lib. 1. diſp. 6. theſ. 21. vid. ſupra lib. 1. D. 14. § 8. (f) Florus lib. 2. epit. Livii lib. 58. (g) Tacitus lib. 14. Annal.

mogenito, heredem regni inſtituit; & hujus ipſius auguſtiſſimæ Reginæ pater Henricus VIII. idem ſibi à tribus regni Ordinibus privilegium indultum habuerat, ut quem vellet ex pluribus candidatis, & jus prætendentibus, poſſet eligere, & poſtremis tabulis obſignatum relinquere.

18. Sed longè graviora ſunt quæ pro adverſa parte adducuntur, nempe, alios fuiſſe illius priſci ſeculi mores, alios hujus, neque eandem rationem in regnis, quæ in privatorum ſucceſſionibus eſſe *(a)*: nam licet veteribus liberæ erant decumbentium voluntates, ut de rebus ſuis pro arbitrio poſſent diſponere, & eversâ Romanâ rep. Cæſaribus jus omne tam in res, quàm in perſonas permiſſum, ſive eæ res juris Divini eſſent, ſive juris Humani; poſtquam jus Feudale à gentibus Europæis receptum eſt, deſiêrunt omnia eſſe Principum, niſi quoad fiduciam, ſive tuitionem, aut protectionem; & privatorum facultates, non in dominorum, ſed eorum, qui eas acquiſiverunt operâ vel pecuniâ ſuâ, erant poteſtate, tantummodo ut, pro corporibus & facultatibus ſuis, Principis & reip. ſervitia & onera ſuſtinerent, eiſque eſſent obnoxii. Et cùm uſu (qui ſtultorum etiam magiſter eſt) obſervâſſent ægrorum animos ſæpe, vel neceſſariorum abſentiâ, vel præſentium adulatione, aut metu ne deſerantur in tanto periculo, in deteriorem partem flecti, locumque tum facillimum dilationibus, calumniis, obtrectationibus & ſuſpicionibus; primò caverunt, ne in ægrorum poteſtate eſſet de bonis non moventibus quoquo modo teſtari; mox ne omnino libera in teſtamento eſſet etiam bonorum moventium diſpoſitio, ſi quis conjugem & liberos haberet, quin eis beſſem bonorum mobilium, i. e. conjugi unum trientem, liberis alium cogeretur relinquere.

19. Sed quod ad regna attinet, neque inter vivos neque mortuos transferri, aut teſtamento legari voluerunt; meliori ſanè rationi innixi, quàm veteres illi, aut Romani, aut qui Romanorum tempore regnabant. Argumenta, cur ita crediderint & ſtatuerint, hæc erant: Ex regnorum diſpoſitionibus, non ſolùm rerum & prædiorum dominia tranſeunt, ſed etiam incolarum & ſubditorum mutationes, qui licet in Regum ditione, imperio & poteſtate dicantur, in eorum tamen fide & clientela potiùs cenſent eſſe, quàm dominio: itaque liberorum hominum & nobilium dignitatem, & familiam retinent: neque ſervi dici poſſunt, cùm libere, & ex arbitrio ſuo, quidvis faciendi jus & poteſtatem retineant, niſi jure prohibeantur: neque enim ſequitur, ſubditi ſunt, ergo ſervi. Non ita apud Chriſtianos, ſed immaniſſimos Turcas vivitur, qui & nobilitatem, quam ubique jactamus, ludibrio habent, & ſe ſervos ſui domini gloriantur. Ariſtoteles, Regem à tyranno diſtinguens *(b)*, *Ille*, ait, *volentibus & conſentientibus imperat, ut eos ab injuria aut accipienda aut inferenda tueatur; tyrannus verò ita dominatur inter ſuos, ut eos pro pecudibus habeat: ille, ad ſuorum; hic, ad ſuam tantùm utilitatem omnia facit & exſequitur.* Itaque cùm nulla regni, ſive alienatio, ſive diſpoſitio, fieri poſſit, niſi & ſubditorum, etiam in alium, fortaſſe tyrannum, ſaltem in duriorem conditionem, tranſlatio ſit, nec liberorum hominum ullum ex jure ſit commercium *(c)*, generalis propoſitio pro vera retinenda eſt, *Regna neque inter vivos, neque teſtamento diſponi poſſe*, cùm liberi homines in commercio non ſunt: & ex jure Feudali non minùs dominus prohibetur ab alienatione ſui dominii directi, ſine conſenſu ſui vaſſalli, quàm vaſſallus ab alienatione feudi; & utroque caſu, pari pœnâ & hic & ille punitur; ille, amiſſione directi dominii; hic, utilis *(d)*.

20. At occurret aliquis, acta Parliamentorum, quæ ex trium Ordinum regni conſenſu fiunt, pro legibus haberi, juſque facere in rebus omnibus ad regni utilitatem & conſervationem pertinentibus; & ideo etiam in ſucceſſione eorum ſcita pro Delphicis oraculis, & quaſi decreta Medorum Regum & Perſarum obſervanda. Reſpondeo, neque jus naturale, neque jus gentium, continuo uſu ſtabilitum, his actis Parliamentorum inverti poſſe aut mutari, præcipuè in præjudicium ejus, qui & jam jus habet acquiſitum, & eorum actis non eſt obnoxius: jus autem ſucceſſionis

(*a*) Lib. 1. D. 14. § 8. (*b*) Lib. 3. Polit. (*c*) l. 34. § 2. ff. de contrah. empt. & l. 83. § 5. de V. O. (*d*) 2 F. 47. & cap. 4. ſtatut. Rob. III.

nis naturâ introductum eſſe, & jure gentium confirmatum & receptum, poſtea probabimus, cùm de ſucceſſione agetur. De jure Divino taceo, quo tamen expreſſæ leges de ſucceſſione ſtabiliuntur; cui an mortalium ullus poſſit ſe opponere, vehementer dubito. Sæpe in Anglia legimus, quod in uno Parliamento, ſive comitiis trium Statuum, ſancitum eſt, poſteriore antiquatum, præcipuè quoad jus ſucceſſionis in regno. Exempla nota ſunt, in Joanne Rege, qui à nobilitate ejuratus, tamen ejus filius Henricus III. ſucceſſit. Sic in Henrico IV. & Edwardo IV. & Henrico VI. qui omnes ſententiâ Parliamentorum damnati, & à regni ſucceſſione pulſi, regnare tamen poſtea non deſtiterunt. Imò Henricus VIII. Princeps verè magnus, conſenſu trium Ordinum utramque filiam Mariam & Elizabetham illegitimam pronunciavit, & à ſucceſſione in regno excluſit, quâ non obſtante ſententiâ, utraque, prior ſcilicet Maria, poſt Elizabetha, magnis omnium Ordinum acclamationibus in paternum ſolium eſt recepta. Uſque adeò jus gentium, & ingenita ſucceſſionis à natura vis, ſtatuta omnia prægravat, quæ plerumque vel odio, vel inimicitiâ, vel amore aut gratiâ tum prævalente, ſententias ſuas metiuntur. Poſſunt quidem Principes de rebus privatorum diſponere, ſed non niſi numerato pretio, & ex juſta cauſa uni rem adjudicare, alteri abjudicare: ſed longè alia eſt regnorum & ſucceſſionis in eis conditio, quæ non ſolùm jure Naturali & gentium ſtabilitur, ſed etiam jure Divino perpetuoque uſu & conſuetudine tot ſeculorum confirmatur.

21. Præterea quæſtio illa, An Rex aut Imperator poſſit jus ſuum cuivis auferre, per novam legem à ſe eo nomine conditam, ſine controverſia eſt, tam ex Doctoribus juris Civilis, quàm Canonici; & tenent omnes non poſſe, ne inter ſuos ſubditos *(a)*: quanto minùs novæ legis prætextu, & ad hoc ſpecialiter latæ, alii non ſubdito præjudicare, ut apertè Bartolus; neque Imperatori, contra conſcientiam quid imperanti, parendum.

22. Quod de Conquæſtore legimus, illum in Angliæ regno Rufum filium Roberto primogenito prætuliſſe, rationes ille ſuas habebat, nec a jure nec à naturali æquitate abhorrentes: nam prælio decertare cum Roberto filio pater coactus, & ab eo equo dejectus, & graviter vulneratus, ob impietatem primogeniti ſecundo genitum ſubſtituit: nam jus primogenituræ ob impietatem in patrem amitti, hiſtoria ſacra in Reubeno, Levi, & Simeone teſtatur: & Conquæſtor Angliam tanquam conquæſtum ſuum cenſebat, de quo conquæſtu, legibus tam Anglorum, quàm Gallorum, teſtamento poterat diſponere; quod & adhuc in utroque regno obſervatur: & in ſacra hiſtoria, Jacobus Patriarcha agrum, quem ab Amorrhæo arcu & gladio juſto bello acquiſiverat, Joſepho extra ſortem reliquit; unde plerique non obſcurè colligunt, licere in conquæſtu primogenito liberorum præjudicare, & conquæſtum cui velit pro arbitrio relinquere. Itaque nihil pene à jure communi alienum Conquæſtorem feciſſe, plerique poſſunt probabiliter affirmare, licet ejus factum à nemine probari legerim; plus enim facti quàm juris habebat. Henricus autem VIII. cui primò privilegium illud à Parliamento indultum fuerat, ejus permiſsâ licentiâ nunquam uti voluit, nec unquam veris heredibus præjudicium moriens attulit. Scimus ſuppoſititias tabulas fuiſſe de ejus ſuprema voluntate confictas, & ei aſcriptas: ſed hæ meritò ab omnibus exploſæ ſunt, & ex actis publicis, quibus operâ impoſtorum illatæ ſunt, rurſus obliteratæ & deletæ; ſucceſſoreſque ei fuerunt, non quos falſarius ille impoſtor ſuppoſuerat, ſed veri & naturales heredes ei in hunc uſque diem, ut par eſt, ſucceſſerunt: & licet idem privilegium à tribus regni Ordinibus repetitum in ejus filia Elizabetha fuit, eundem tamen eventum hujus privilegii in ejus perſona vidimus, quæ ex nobiliſſimi patris pari privilegii libertate ſucceſſerat: nunquam enim religioſiſſima Regina conſcientiam ſuam gravare voluit, in rejiciendo vero regni herede, & regno alii adjudicando, cùm hæ heredum extraneorum inſtitutiones, etiam inter privatos, contra pietatem & conſcientiæ leges fieri credantur; quanto magis in re, à qua tot populorum vita ſaluſque pendeat.

23. Ex jure Civili, is, cui quid mandatum eſt, aut, ut in foro loqui ſolemus,

(*a*) Argumento l. 2. ff. de his qui ſui vel alieni juris ſunt, & l. 4. C. de emancipat. liber.

qui *commiſſionem* accipit *liberam*, per hæc verba, *ejus arbitrio, voluntati, prudentiæ, religioni permittimus*, non exiſtimabit omnia ſibi licere : ſed ea verba interpretationem hanc recipiunt, ut non omnino libera poteſtas quidvis ex nuda voluntate, & ſine diſcrimine, faciendi ei ſit permiſſa ; ſed ut ea poſſit tantùm, quæ vir prudens & bonus faceret, & ut ex mandantis utilitate & commodo metiatur omnia *(a)* ; ut in legationibus hodie fieri videmus : nam Legati, licet liberam videantur habere à ſuis Principibus poteſtatem & *credentiam*, (ut loqui ſolemus,). tamen nihil, niſi ex utilitate domini à quo mittuntur, facere poſſunt ; & in jure quod unius arbitrio permiſſum eſt, tanquam viri boni arbitrio permiſſum videtur ; neque in generali conceſſione veniunt, quæ quis veriſimiliter non fuiſſet conceſſurus, ſi ſpecialiter expreſſa fuiſſent *(b)* : neque unquam tale privilegium includit caſum publicæ utilitati, aut neceſſitati, imò nec æquitati, contrarium. Præterea generalibus verbis conceptum privilegium, ad æquitatem & naturalem rationem debet referri *(c)*. Neque enim in his privilegiis, quæ contra jus commune conceduntur, ea licentia permittenda eſt, ut quòvis extendi poſſint, aut quòvis pro arbitrio privilegiati progredi, ſed ſtrictiſſimè ſunt interpretanda, adeò ut verba etiam in impropria ſignificatione ſint ſumenda, ut ad jus commune redigantur. Certum eſt etiam ex jure, privilegia hæc contra juris regulas, & contra ipſam naturalem æquitatem conceſſa, in præjudicium tertii non extendi : privilegium enim ad alienam injuriam extendi non poteſt. Nec illud omittendum eſt, quod ad præſentem hypotheſin maximè facit, privilegium patri conceſſum, ut liberè & pro arbitrio poſſit de bonis ſuis teſtari, non eatenus extenditur, ut poſſit liberos, quibus ſucceſſio debetur, exheredare aut præterire. Innocentius ſanè ſpeciale hoc ait eſſe in regno, quod per ſucceſſionem defertur, ne Reges filios ſuos, vel fratres, aut alios conſanguineos, ex ſtirpe paterna deſcendentes, ſucceſſione, ex ſola voluntate, ſive in teſtamento, poſſint privare. Et profectò hæc privilegia, contra jus naturæ conceſſa, non tenent ex jure : nam leges naturæ omnibus privilegiis ſunt præferendæ ; neque Imperatori, contra conſcientiam quid jubenti, parendum *(d)*.

24. Hæc & his ſimilia multa, non ſolùm ex jure, ſed etiam naturali æquitate paſſim occurrunt, quæ libertatem illius privilegii reſtringant, & ad jus commune trahant. Quid enim, ſi regnum illud aut Galliarum Regi, aut Hiſpaniæ, teſtamento diſponat ? quid ſi plures ſucceſſores reliquerit, & regnum, quod diviſionem non patitur, in partes dividat & diſtrahat ? aut indignum aliquem vero ſucceſſori præferat, in eo regno, quod omnino ſuum dicere non poteſt, cum ejus tantùm adminiſtrationem ſibi à Deo commiſſam habeat ? Et ſi verum eſt illud, quod recitat Polydorus, & plerique ſcriptores, Angliæ regnum, Dei regnum eſſe, profectò omnibus modis enitendum, ne in ejus ſucceſſione, quid Deo ejuſque legibus contrarium committamus. Proinde privilegium illud, à tribus Ordinibus indultum, priùs nobiliſſimo patri, poſtea ejus filiæ auguſtiſſimæ Reginæ, civiliter & ex æquo & bono intelligendum ; & teſtamento heredem alium à vero inſtituere, juſtum heredem abdicare, tolerandum non videtur : quod doctè annotavit Albertus Crantzius. Ejus verba ſubjiciam *(e)*, *Unguinus Gothorum Rex erat, quem Haldanus poſt ſe regni moderatorem in Dania deſignavit, Norvegiæ Haſmundam filium impuberem relinquens, novum & antehac incompertum munus teſtamento datum. Equidem ædes, agros, prædia, vineas, & his ſimilia, teſtamento dari putamus ; regnum autem chartæ beneficio præſtari prodigii loco habitum.* Et Oſorius, qui res ab Emanuele Rege Luſitaniæ geſtas deſcripſerat, cautum legibus regni Luſitanici commemorat, *ne Reges, cùm animi aut corporis morbo (qui plerumque animum afficit) laborant, non ſolùm regnum, ſed ne res quidem propriè Regias, veluti gemmas, ſupellectilem Regiam, & ſi quæ alia in Regum antiquitùs fuerant deliciis, alienare eo tempore poſſint, cùm id tempus, ut dixi, calumniis & falſis opinionibus ſit opportuniſſimum.*

25. Sed ut ad feuda revertamur, certi juris eſt, neque feuda teſtamento relinqui, aut

(a) l. 60. § 4. ff. mandati, l. 7. ff. de contrah. empt. (b) l. 6. ff. de pign. & hypothec. (c) l. 10. C. de ſacroſanct. Eccleſ. (d) Baldus in Auth. habita, C. ne filius pro patre. (e) Lib. 1. Daniæ, c. 4.

aut heredi vero, teſtamento præjudicari poſſe *(a)*. Ratio eſt, quòd feudum non tam à vaſſallo teſtante, quàm à domino legem capiat. Itaque ſine utriuſque conſenſu alienari non poteſt; imò quod magis mirum eſt, neque domino conſentiente, vaſſallus in teſtamento feudum poteſt diſponere in præjudicium agnatorum, qui tale teſtamentum, quo ipſi per extraneum inſtitutum excluduntur, infringere poſſunt *(b)*, nec teſtator ſucceſſionis ordinem, quem lex feudi & inveſtituræ ex pacto & providentia domini concedentis introduxit, violare poteſt. Et licet teſtator neque deſcendentes neque agnatos habeat, & extraneum inſtituerit in feudo, rejecto teſtamento, feudum ad dominum redibit; & ex conſtitutione Lotharii *(c)*, & Conradi *(d)*, feuda vaſſallorum liberis poſteriſque relicta videntur: extranei enim heredis inſtitutio, eſt quaſi alienatio. Alia etiam ex jure adfertur ratio, quòd vaſſallorum & libertorum in multis conditio comparatur: libertus vivus, bene merentibus amicis donare poteſt; legare in teſtamento non poteſt, ne patroni partem, quam in bonis libertorum habet, minuat *(e)*. Itaque, neque ad pias cauſas, neque *pro anima* (ut aiunt,) neque in dotem filiæ, feudum aut feudi partem vaſſallus alienare poteſt *(f)*, neque uni ex filiis, quem ipſe elegerit, relinquere; ne filius potiùs patrem auctorem beneficii agnoſcat, quam dominum aut patronum. Neque poteſt vaſſallus feudum ſuum, uſufructu alteri legato, teſtamento gravare. Sed de his plura poſtea in titulo de alienatione feudi, ſive recognitione.

26. Sed quæret aliquis, ſi heres ipſum feudum legatum præſtare legatario ſive extraneo heredi non teneatur ex jure, an ſaltem rei æſtimationem, ad exemplum rei alienæ legatæ; in quo cum res ipſa præſtari non poſſit, cum ſit aliena, æſtimatio ſaltem ab herede debetur: quo jure & nos in teſtamentis utimur, ſi teſtator rem hereditariam, quæ ad heredem poſt ejus deceſſum pertinet, alii legaverit. Imò in hoc caſu, ne æſtimationem quidem deberi legatario, aut extraneo heredi, cenſent omnes. Ratio eſt, nam ſic feudum redderetur inutile. Quid enim intereſt, res, an ipſa rei æſtimatio debeatur? Et quod dixi *(g)* de uſufructu, vaſſallum non poſſe feudum, per uſusfructûs conſtitutionem, teſtamento gravare, idem in ſervitute & locatione; nam neque rem feudalem teſtamento legare poteſt in longum tempus, aut breve. Memini, cum juvenis cœpi forum frequentare, graviſſimam quæſtionem ortam ex teſtamento Forbeſii de Pitſligo, qui moriturus, cum duas tantum filias haberet, & ſciret dominium ſuum talliatum, & ad lineam maſculinam perventurum, nec aliunde eſſe unde filiabus pro dignitate provideri poſſet, duodecim millia marcarum eis legavit, dominiumque ſuum pro ea ſumma hypothecæ ſubjecit, ut inde utraque poſſet dotari. Sed Senatus hoc defuncti judicium plane irritum & inutile declaravit, cum ea ſumma, ut ea ferebant tempora, gravis & onerosa hereditati videretur: &, ut neque dominium teſtamento legari poſſe cenſuit, ſic nec onerari magnis pecuniarum ſummis, quæ ſi permitterentur, partem aliquam dominii exhaurirent.

27. In feudo novo aliter aliis videtur: nam ſunt qui teſtamento feuda nova diſponi poſſe putant. Et ſanè hoc in Gallia & in Anglia obſervatur, ut de feudo novo, quod nos conquæſtum dicimus, quilibet poſſit teſtari, cum æquitas poſtulet, ut quod quis acquiſivit, ejus liberam diſponendi & adminiſtrandi facultatem habeat, etiam in teſtamento, ut ante dixi *(h)*: at in feudo paterno & antiquo, quod quis à prædeceſſoribus acceperat, æquum eſt ut is qui accepit, eâdem lege poſteris relinquat; cum tamen feudi novi diſpoſitionem in teſtamento rationes nuper allatæ tam vetent, quàm in feudo antiquo. Neque minus quæ adduximus contra legatum feudi novi militant, quàm antiqui; itaque recurrendum neceſſariò eſt ad illud generale, Statuta Feudalia eſſe localia, nempe pro varietate locorum varia. Sed quod de Gallia & Anglia diximus, convenit & multis aliis regionibus, ut de feudo novo, i. e. conquæſtu, quis diſponere queat, non minus ac de rebus mobilibus: nam iiſdem penè legibus conquæſtus & res mobiles reguntur apud eos: & in burgis, etiam

(a) 1 F. 8. pr. (b) 2 F. 39. pr. vid. ſupra, § 14. (c) 2 F. 34. (d) 2 F. 52. (e) l. 9. ff. Si quid in fraudem patroni factum ſit. (f) 2 F. 9. § 1. (g) § 25. (h) d. § 25.

am de feudo paterno apud Anglos teſtari licet, cogeturque heres voluntatem defuncti in teſtamento ſequi.

28. At apud nos, de re hereditaria nemo teſtamento diſponere poteſt, neque de pacto de retrovendendo, quam nos *Reverſionem* dicimus, ut neque ſervitium imponere, neque alio modo gravare feudum, moriens quis poteſt; imò neque eum, qui ſucceſſurus eſt, obligare in eas ſummas, ex quarum non ſolutione feudum queat evinci, quod æque eſt ac feudum ipſum diſponere. Nam ſi tales obligationes permitterentur, facilè fieret fraus legi, & quilibet vel morbo vel ſenio delirans, aut palpationibus præſentium inductus, familiam univerſam everteret. Et profectò noſtri, ut cum Feudiſtis in hoc conveniunt, ſic utrique utiliùs reip. conſuli putant, ſi tales rerum immobilium alienationes teſtamento prohibeantur, quàm veteres illi Juriſprudentes, qui liberam omnium rerum diſpoſitionem teſtamento permiſerunt *(a)*. Sunt qui in his omnibus feudi novi acquirendi modis, domini conſenſum intervenire volunt *(b)*; quod ego non puto in feudo acquirendo, licet in conſtituendo feudo aliud obſervandum ex utilitate vaſſalli cenſeam: neque tamen ne hîc quidem ubique & ſemper neceſſarium. Annotandum, quod in omnibus actionibus Feudalibus, ſi contra dominum agatur ex pacto convento ut feudum perficiat, trinâ denunciatione dominus citandus eſt *(c)*, interveniente ſeptem dierum ſpatio (aut ex uſu curiæ) inter ſingulas.

Diegeſis ſecunda,

De feudi conſtitutione; deque inveſtitura propria & impropria.

SUMMARIA.

1. *Continuatio ab acquiſitione feudi ad ejus conſtitutionem. Tribus modis feudum conſtituitur; præſcriptione, inveſtiturâ, & judicis declaratione. De præſcriptione feudi, & quæ ad eam requirantur.*
2. *De Inveſtitura, & unde ejus nomen?*
3. *Romani, in ſolennibus actis, ſymbolo aliquo utebantur: quod & hodie in quibuſdam caſibus apud nos uſitatum; ut in deforciamentis & inveſtitura, & aliis.*
4. *Inveſtituræ definitio, vel diviſio potiùs. Ejus nomen homonymum. Quid inveſtitura ſit, multum controvertitur.*
5. *Quid ſit poſſeſſio in immobilibus? Inveſtituram à poſſeſſione diſtingui, variis ex jure rationibus probatur. Pontificii poſſeſſionem majus quiddam eſſe quàm inveſtituram putant.*
6. *Inveſtitura quid diſtinctum eſt à poſſeſſione.*
7. *Aliquando inveſtitura pro poſſeſſione ſufficit.*
8. *Alia ſententia affirmantium, inveſtituram eandem eſſe cum poſſeſſione. Inveſtitura alia eſt propria, alia impropria; quid utraque ſit?*
9. *Differentia inter propriam & impropriam inveſtituram. Quando vaſſallus feudum ingredi poſſit propriâ auctoritate? Saſina ſemper ſequi ſolet impropriam inveſtituram. Quis ordo in feudi conſtitutione obſervabatur.*
10. *Exempla propriæ & impropriæ inveſtituræ apud nos. Traditionis impropriæ effectus.*
11. *Rationes cur inveſtitura propria eadem ſit cum ſaſina, deſumuntur ex textu, auctoritate Doctorum, vel phraſiologia in textu uſitata.*
12. *Solutio priorum objectionum. Vaſſallus inveſtitus poſſidet civiliter.*
13. *Nulla inveſtitura ab initio niſi propria, qualis apud nos eſt propriis manibus, & inde Breve teſtatum. Inveſtitura quæ ſit propriis*

(a) Ut § 18. dictum. (b) Schoner. theſ. 3. diſput. 6. lib. 1. diſput. Feudal. (c) 2 F. 22.

propriis manibus, propter militaria ſervitia præſumitur concedi.

14. *Propriis manibus conjunctæ perſonæ data, ſimulata præſumitur. Inveſtitura propria etiam fit, cum dominus dicat ſe inveſtituram facere ejus fundi, quem oculis & digito è longinquo demonſtrat, vaſſallumque ut in poſſeſſionem eat, imperet.*

15. *Inveſtituræ propriæ ab impropria ſive abuſiva diſcrimen ex maxima Feudiſtarum parte.*

16. *Unde Chartarum initium? inveſtituræ impropriæ origo, ejuſque præ inveſtitura propria prærogativa, cum exemplis utriuſque.*

17. *Quare impropria inveſtitura frequentior in uſu quam propria. Hinc actus olim unicus inveſtituræ in tres dividitur.*

18. *Jacobus I. & ſaſinas & ordinem Cancellariæ ab Anglis ad nos traduxit. Quâ formâ majores noſtri antea uſi in burgis & extra? Unde ex charta & ſaſina, diverſa oriantur jura? Notario non creditur in modo tenendi, niſi etiam charta adſit. Quid in uſu noſtro ſit inveſtitura?*

19. *Quid ſit inveſtitura propria, & impropria?*

20. *In inveſtitura jurium eſt etiam ſymboli uſus.*

21. *De quibus rebus inveſtitura fiat, & an de re aliena? & qualiter? Inveſtiturâ factâ dominus poſſeſſionem tradere cogitur, ejuſque ſucceſſor, niſi ſit electivus, aut perſona Eccleſiaſtica.*

22. *Inveſtiturâ factâ an dominus ante factam traditionem pœnitere poſſit? & an liberetur præſtando intereſſe? Hæc quæſtio de novo, non de antiquo feudo, intelligenda eſt. Effectus hujus inveſtituræ.*

23. *Inveſtitura hæc fieri non debet abſque teſtibus, cum ſit actus legitimus. Qui debeant eſſe teſtes?*

24. *Quid ſit Curtis? Pares curtis, aut curiæ qui ſint? & Pares cur dicantur? Sunt teſtes neceſſarii, ſed ſi tales non ſint, omnes extranei & liberi admittuntur. An ſcriptura in jure emphyteutico ſit neceſſaria? Notatur hac in re Dominus Scharpius, ejuſque objectioni reſpondetur.*

25. *Propria an impropria ſit inveſtitura, ex diverſitate caſuum controvertitur, ſi Pares ſint teſtes: nonnunquam etiam ſine teſtibus feudum probatur vel tollitur, prout Dominus, vel vaſſallus eſt in poſſeſſione, vel non; alterutrius juramento.*

26. *Quomodo apud nos probatio amiſſæ inveſtituræ fiat?*

27. *In his inveſtituris tenor ſemper eſt ſpectandus, & in pluribus primæ, à qua receſſum non videtur abſque ſpeciali pacto.*

28. *Tertius modus feudi acquirendi eſt, ex ſententia judicis.*

29. *Si duobus traditio facta ſit, cui primò traditio facta eſt, præfertur, niſi ex futuro eventu ſuſpendatur. De duobus generaliter vel ſpecialiter inveſtitis.*

30. *Priori titulo, ſed poſteriori poſſeſſione, contra dominum actio competit ad intereſſe & æſtimationem. Si incertum quis ſit in poſſeſſione, vel neutri poſſeſſio tradatur, prior titulus præfertur. Nec diſtinguendum inter Principem, Clericum, aut alium privatum.*

31. *Quâ methodo procedatur in acquiſitione feudi jure Canonico.*

32. *Quæ ſint ſolennitates inveſtituræ quæ in jure præſcribuntur?*

1. EXPOSITIS modis, quibus feudum acquiritur, ſequitur ut quomodo conſtituatur ſive perficiatur feudum adjiciamus. Tribus autem modis feudum conſtitui tradunt Feudiſtæ, *Præſcriptione*, *Inveſtiturâ*, & *judicis Declaratione*. Quod autem ad *Præſcriptionem* attinet, non ſolum ea ex jure inter modos feudi acquirendi, ſed etiam conſtituendi, numeratur. Sed ut conſtituat feudum, hæc tria neceſſariò requiruntur; Primum, ut præſcribens animum poſſidendi rem tanquam feudum habeat *(a)*. Nam ſi alio animo poſſederit, veluti vel ex commodato, vel depoſito, vel conducto, aut pignore, & non ut feudum, nunquam valebit hæc poſſeſſio ad effectum præſcribendi. Secundum, quod requiritur, eſt triginta annorum completa & non interrupta poſſeſſio, ita ut auctoris poſſeſſio, in ſucceſſore continuata, pro una habeatur. Nec in hoc caſu titulo opus eſt, ſaltem præſcribens non tenetur titulum producere; quia ex jure in hoc caſu titulus ſemper præſumitur *(b)*. Ter-

(a) 2 F. 33. pr. ibi, Inde etiam dicitur. (b) 1 F. 28, & 2 F. 26. § 4. pr.

tium, ad minimum unius ſervitii exhibitio, nam ſi nullum ſervitium vaſſallus toto hoc tempore præſtiterit, ſaltem exhibuerit, nec paratum ſe oſtenderit domino ad ſervitia, non videtur eo animo, ut feudum, poſſèdiſſe *(a)*: & è converſo, ſi dominus vaſſallum de ſervitio exhibendo requiſierit, & is recuſaverit, dominuſque triginta annos in poſſeſſione fuerit, dominus præſcribit adverſus vaſſallum. Hæc autem de præſcriptione ideo hic appoſui, quoniam hoc medio non ſolùm feudum ex jure Feudali acquiritur, ut dixi *(b)*, ſed & conſtituitur *(c)*: hocque feudum, quod ex præſcriptione acquiritur, novum tantùm feudum dicitur, novique feudi privilegiis gaudet, neque ut antiquum, neque paternum cenſetur, & in conquæſtu numerandum, ſi apud nos præſcriptioni locus eſſet.

2. Supereſt ut de *Inveſtiturâ* dicamus, quæ ſolus ex jure penè modus eſt (præſcriptione, de qua modo dixi, exceptâ) feudi conſtituendi: neque enim feudum ullo modo ſine ea conſtituitur *(d)*; nam ut vaſſallus jus in re ſive fundo habeat, neceſſe eſt ut inveſtitura præcedat. Hanc inveſtituram major pars Feudiſtarum, metaphorâ à nudis perſonis ſumptâ, dictam eſſe putat *(e)*, cùm qui antea nudi, & à feudo alieni, beneficio domini eo induuntur, & quaſi veſtimentum ab eo oblatum recipiunt. Hottomannus contrarium putat, nam ſi ab *inveſtiendo* deduceretur, primum inſigne feudi veſtimentum, aut aliquod genus veſtis, fuiſſe debere colligit; cùm tamen in traditionibus nullum tale ſignum ab ulla gente uſurpari affirmet. Reges, ait ille, in ſuo regno, gladio; Duces & Comites, vexillo; Epiſcopi, baculo paſtorali, & annulo; inferioris ordinis Eccleſiaſtici, libro inſigniri ſoliti. Itaque à Germanica voce VEST deduci mavult, quod *confirmare* ſignificat. Tamen & veſtem, in traditionum uſu, fuiſſe antiquitùs colligi poteſt, tam in regnis, quàm in inferioribus dignitatibus, tam laicis quàm Eccleſiaſticis. Purpuram Reges pro inſigni imperii ſumebant; Pontifices, pallam aut amictum paſtoralem; Duces, Comites, Marchiones, cùm à Rege adhuc creantur, non ſolum vexillum accipiunt, ſed etiam chlamydem, ſive pallam purpuream; Barones etiam, cùm inveſtituram reciperent, ut Barones veſtiebantur, eaſque ipſas veſtes ſive Vicecomiti ipſi, qui inveſtituræ miniſter eſt, ſive ejus Clerico aut Apparitoribus, ſoliti ſunt antiquitùs concedere: hodie pro ipſis tranſigunt; quod & meâ ætate obſervatum vidi. Sanè Bodinus, ex exemplari Vaticano quod Romæ ſervatur, meminit Pontificem Romanum profeſſum ſe Regem Arragoniæ per cappam auream inveſtiiſſe in feudo regnorum Sardiniæ & Corſicæ, quo manifeſtè conſtat, Reges in ſuis feudis antea per Papam traditione pallæ aureæ inveſtiri ſolitos.

3. Solebant Romani, in omnibus ſuis actis legitimis, non ſolùm certis & conceptis verborum formulis uti, ut teſtatur Varro; ſed etiam ſymbola habebant, quibus animi ſui ſenſum quodammodo explicabant. In ſponſalibus annulo utebantur (quod & apud nos hodie manet) ad ſignificandam unitatem & perpetuam conjunctionem cordium ſive animorum. In contrahendis nuptiis, aquam & ignem adhibebant, ut vitæ conjunctionem ſymbolo illo declararent. Uxori in domum deductæ claves tradebantur, ut ſignificaretur omnium rerum, quæ ſub clavium cuſtodia eſſent, adminiſtrationem ejus fidei commiſſam; ut clavium ademtio ſignum erat repudii. In emancipationibus liberorum, manumiſſionibus ſervorum, alapas impingebant: quod apud Germanos adhuc uſurpari in ſervis manumittendis vidi. In interrumpendis præſcriptionibus ſurculum arboris infringebant. In contrahenda ſtipulatione (ait Iſidorus) ſtipulam contrahentes manu tenebant & frangebant. In inſtituendo herede, annulum teſtator dabat. Et apud nos, noſtrâque memoriâ, in removendis tenentibus, frangere cytiſum in ſolo terræ ſolebant majores noſtri: bacillum frangere in deforciamentis adhuc ſolent. Sic in inveſtitura ſive traditione poſſeſſionis, dominus corporeum aliquod ſymbolum vaſſallo dabat, dicens ſe inveſtituram facere, ſive illud veſtis erat, ſive baculus, clavis aut haſta, & ſic inveſtituram faciebat: quod, ut dixi, Romanorum moribus convenit; nam claves aut annulum ſignatorium dabant,

(a) d. 2 F. 26. § 4. pr. (b) § 9. D. 1. (c) Schon. theſ. 105, 106, 107 & 108. diſput. 5. & 5, 6, 7 & 8. diſput. 6. (d) 1 F. 25. (e) 1 F. 26. pr. ibi, Teſtes.

bant, teſtandæ alienationis causâ, & in emptionibus rerum mancipi, ære libram percutiebant. Itaque minus mirum ſi à metaphora ſive ſymbolo veſtis, *inveſtitura* ſit deducta. Sanè hæc *inveſtitura* à Latino ſermone derivata eſt; Latinæ enim voces ſunt *veſtire*, *deveſtire*: inde *veſtimentum*, & *inveſtimentum* apud Livium, & *veſtitura* & *inveſtitura*, Gallicè *veſtu* & *deveſtu*, pro *ſaſito* & *diſſaſito*, deductæ & uſurpatæ in noſtrum uſum irrepſerunt, in eadem ſignificatione: & proinde metaphoram tolerabilem eſſe ipſe textus & uſus probant.

4. *Inveſtitura* autem ſic ex textu definitur, ſeu potiùs deſcribitur, *Inveſtitura propria dicitur poſſeſſio, abuſivoautem modo, quando haſta vel aliud corporeum quidlibet porrigitur à domino feudi, ſe inveſtituram facere dicente (a).* Sed profectò hæc propoſita definitio diviſionis naturam ſapit, ut inveſtitura dividatur in propriam & impropriam, ſive abuſivam: neque enim veteres illi uſuum feudorum ſcriptores accuratè ſatis ſcripta ſua digeſſerunt; itaque aliunde, non ex hac definitione, (quæ potiùs diviſio dicenda) inveſtituræ definitio quærenda eſt. *Inveſtitura* igitur ſpecialiter & propriè ſumpta ipſum inveſtiendi, ſive traditæ poſſeſſionis, actum ſignificat. Scio aliquando inſtrumentum ſuper ipſo actu confectum, eodem nomine exprimi *(b)*. Hujus definitionis membra diligenter examinanda ſunt, cùm nuſquam ex omnibus quæſtionum nodis difficilior in feudis oriatur, quàm ex hujus inveſtituræ vera ſignificatione, & ad uſum noſtrum conformatione. Alii enim inveſtituram ipſam ſaſinam, & ipſam poſſeſſionis traditionem eſſe volunt; alii inveſtituram titulum tantùm & jus eſſe, tantumque à traditione differre, quantum jus & factum, cùm poſſeſſio ſit meri facti. Baro, inter Neotericos magni nominis, inveſtituram, Gallicè ſaſinam, poſſeſſionis apprehenſionem actualem & realem interpretatur *(c)*. Cujacius tamen à traditione poſſeſſionis diſtinguit, & quòd inveſtitura ſit tantùm ceſſio feudi ſolennis, quæ ſine traditione ſubſiſtit. Duarenus, ut mediam inter utroſque viam ſequitur, ſic inveſtituram à poſſeſſione diſtinguit, & mediam inter contractum & poſſeſſionem conſtituit: nam (ut ait ille) *contractus prior eſt, deinde ſequitur inveſtitura, poſtea fidelitas, & tandem miſſio in poſſeſſionem:* adeò ut, ex ejus opinione, inveſtitura, aut ſit illud Breve teſtatum quod apud nos *Charta* dicitur (unde ex illa ſemper tenorem inveſtituræ ſervandum, nunquam à verbis inveſtituræ recedendum,) aut alioqui illud ſymbolum quo in traditionibus hæ ſeptentrionales gentes uti ſolitæ. Itaque de hujus quæſtionis (quoniam utraque pars maximos habet aſſertores) ſolutione inquirendum, &, ut quid ſit inveſtitura, & an eadem ſit cum poſſeſſione, faciliùs intelligatur, de poſſeſſione pauca ſubjiciam.

5. *Poſſeſſio* non eſt, ut quidam volunt, *pedum poſitio*, ſed *ſedis poſitio*, ut is propriè *poſſidere* dicatur, in rebus immobilibus, id in quo naturaliter & realiter *ſedet:* ſub qua voce [*ſedere*] omnes naturales actiones, quæ in re immobili exerceri poſſunt, comprehendo. Itaque talis poſſeſſio duorum eſſe non poteſt in ſolidum: & neque poſſeſſio jus eſt, neque quicquam cum proprietate habet commune: itaque eorum opinionem, qui inveſtituram à poſſeſſione diſtinguunt, multa ſunt in jure quæ confirmant.

(1.) Nam ex jure, inveſtituram ut poſſeſſionis vacuæ traditio ſubſequatur neceſſe eſt: dominus enim, ut ait textus *(d)*, cogendus eſt, ut eum quem inveſtivit in poſſeſſionem mittat; ergo alia poſſeſſio ab inveſtitura.

(2.) Et ad eam quæſtionem, quæ in libris feudorum proponitur, an, inveſtiturâ factâ, dominus pœnitere poſſit ante poſſeſſionem traditam, & præſtando intereſſe liberari ab omni actione vaſſalli, quam pro adipiſcenda poſſeſſione contra dominum habeat? reſponſum eſt, dominum poſſeſſionem ejus feudi, cujus inveſtituram fecerit, tradere compellendum *(e)*. Quòd ſi dominus cogatur vaſſallum, quem inveſtiverat, in vacuam poſſeſſionem mittere; & ſi differat, utilitatem & intereſſe vaſſallo præſtare: manifeſtum eſt, inveſtituram à poſſeſſione differre, imò aliquid minus eſſe in poſſeſſione, quàm in inveſtitura: nam qui poſſeſſionem tantùm tradit, pœnitere po-

(a) 2 F. 2. pr. (b) 2 F. 2. pr. (c) Lib. 2. de beneficiis, cap. 13. (d) 2 F. 7. § 1. (e) 1 F. 4.

teſt, neque inveſtire cogetur *(a)*: at qui inveſtivit, neque pœnitere poteſt, neque conſilium mutare; & ſi rem habeat, ne oblatione quidem æſtimationis litis liberatur *(b)*.

(3.) Imò dominus feudi, poſſeſſione uni conceſsâ, alterum etiam plenè in eodem inveſtire, priore vivente, poſſe, ſatis conſtat.

(4.) Et, ut plus in venditione, legato, vel in donatione, quàm in traditione eſt, (nam qui vendit, aut donavit, traditionis neceſſitate adſtringitur, & heres ſemper legatum tradere tenetur;) ſic, ex jure Feudali, plus eſt in inveſtitura, quàm in poſſeſſionis traditione. Et in hoc Feudiſtæ à jure Canonico diſſentiunt: nam licet, ex jure Canonico, inveſtitura ſit alia à poſſeſſione, tamen plus putant illi eſſe in poſſeſſione, quàm in inveſtitura. Joannes enim Papa, ad quorundam Monachorum poſtulata reſcribens, qui querebantur, quòd earum rerum inveſtituram conſequi non poſſent, quarum tamen poſſeſſionem haberent, ſic ait, *Divinæ & ſeculares leges habent, ut cujus eſt poſſeſſio, ejus fiat inſtitutio; & ſi in dando, quod majus eſt, facilis fuit charitas; ſic facilior in concedendo, quod minus eſt, largitas: majus eſt enim poſſeſſionem dare, quàm inveſtituram concedere.* Hîc, licet aliam fuiſſe inveſtituram à poſſeſſione Pontificii manifeſte probare poſſint, majoremque eſſe poſſeſſionem quàm titulum putet beatiſſimus pater: tamen in hoc neque Divinas leges, neque humanas ſatis intellexiſſe videtur, quòd poſſeſſionem aliquid majus putat eſſe quàm jus & titulum.

(5.) Adhæc & rei incertæ fit inveſtitura, ut de eo feudo, quod primùm domino aperietur *(c)*: at poſſeſſio rei incertæ eſſe non poteſt.

(6.) Denique inveſtituram aliam eſſe à poſſeſſione, ex hoc ſolo, ſi cætera deſint, probari poteſt: quæſtio enim in ipſo textu *(d)* movetur, an domino adhuc in poſſeſſione conſtituto, facta inveſtitura ritè dicatur? Si enim eadem eſſet inveſtitura cum poſſeſſione, cui bono quæri poteſt, an quis inveſtitus fuerit, cùm non ſit adhuc tradita ei poſſeſſio?

(7.) Et, ut paucis abſolvam, inveſtitura in judicio coram Paribus curiæ fiebat: traditio autem poſſeſſionis ſuper ipſo fundo.

(8.) Præterea in illa quæſtione, quæ Feudiſtas tantopere occupat, ſi duobus inveſtitura ſit facta, & poſteriori prima ſit facta traditio, utrum qui priorem titulum habet, an qui priorem poſſeſſionem acceperit, ſit præferendus? ſi inveſtitura eadem ſit cum poſſeſſione, quorſum hoc dubium, ut poſterior inveſtitus, & prior poſſidens, priori inveſtito tantùm præferatur? Nam ſi inveſtitura eſſet poſſeſſio, procul omni dubio, & titulo & poſſeſſione prior eſſet præferendus. Neque hîc poſſeſſio pro vacua poſſeſſione, ut in prioribus, ſumi poteſt: nam ſi vaſſallus in poſſeſſionem inducatur à domino, etiamſi non vacuam, poſteriori vacuam poſſeſſionem nanciſcenti præferendus eſt; quod eſt contra jus Feudale. Sed de hac quæſtione, uter utri ſit præferendus, mox in hac ipſa Diegeſi *(e)*.

6. Hoc tantùm nunc ex his colligimus, cum nonnullis Doctoribus, inveſtituram non eſſe ipſam poſſeſſionem, quam nos *ſaſinam* vocamus; ſed vel ritum, quo vel Inſubres, ad imitationem Romanorum, utebantur in feudo conſtituendo, ut aliquibus placet; vel certè jus & titulum eſſe. Ad Romanorum enim exemplum, creduntur Longobardi inveſtituram in feudo etiam induxiſſe, ut non ſolùm nota eſſet quædam ſolennis feudi ritè conſtituti, ſed etiam ut pro titulo exiſteret: & ſemper conſtabat ex rei alicujus traditione, ſive veſtis, baculi, haſtæ, ſive annuli, quem dominus vaſſallo dabat, ſignificans ſe eo ſymbolo inveſtituram ei facere; & cùm vaſſallus hominium domino præſtabat, ſacramentumque fidelitatis, eo præſtito dominus in poſſeſſionem vaſſallum non ſolùm mittere ſolebat, ſed etiam cogebatur. Si jus Canonicum ſpectemus, horum ſententiæ magis favere videtur, ut inveſtitura ſit tantùm ſymboli ipſius exhibitio. Nam Innocentius inveſtituram per annulum aureum fieri fatetur; aliam tamen eſſe ab inſtitutione Canonica ſive poſſeſſione, adeò ut inſtitutus ſæpe inveſtito præferatur.

7. Hæc ſunt quæ illi pro ſe adducunt, ut colligant inveſtituram non eſſe poſſeſſionem,

(a) 1 F. 25. & 2 F. 33. (b) 1 F. 4. & 26. (c) 2 F. 26. § 2. (d) 2 F. 2. pr. (e) § 22.

ſeſſionem, ſed notam tantùm & titulum poſſeſſionis, mox poſt hominii præſtationem & ſymboli traditionem ſequuturæ. Eſt tamen caſus aliquis, in hac inveſtitura, quando ea pro poſſeſſione ſufficit, ut ipſi fateri coguntur, nempe cùm ipſa realis poſſeſſio feudi penes accipientem eſt; veluti, ſi jam poſſideat vaſſallus ex locato, ex pignore, aut hypotheca, vel ut in feudo Guardiæ & Caſtaldiæ : nam his caſibus, licet vera poſſeſſio antea apud dominum manebat, conductores, & qui pignus habebant, impropriam licet, aliqualem realem poſſeſſionem habere videntur; licet, inquam, non ſibi, ſed priùs domino poſſidebant. Si tamen dominus eis inveſtituram fecerit, inveſtitura hæc poſſeſſionem inducit, & cauſam mutat, proque traditione ſufficit *(a)* : idem enim juris eſt, ac in emptione rerum antea traditarum, ubi novâ traditione non eſt opus *(b)*.

8. His tamen omnibus non obſtantibus, alii, non minori dignitate & numero, putant inveſtituram propriè dictam cum poſſeſſione confundi, eandemque putant inveſtituram propriam eſſe, quam nos ſaſinam, realem & actualem poſſeſſionem dicimus : &, ut eorum opinio magis eluceſcat, quibuſque rationibus nitantur, explicanda eſt illa inveſtituræ diviſio quæ in textu habetur, in *propriam* viz. & *impropriam (c)*. *Propria* eſt, quando dominus, vel per ſe, vel per ſuum procuratorem (nos Ballivum dicimus) vaſſallum ipſum in poſſeſſionem inducit, & in loco fundi traditionem fundi ipſius facit. *Impropria* verò, quæ non fit in loco fundi, ſeu feudi, ſed extra, nempe per imaginariam traditionem annuli, baculi, haſtæ, aut denarii, aut rei ſimilis, pro conſuetudine loci; cùm dominus baculum, vel annulum vaſſallo dat, tanquam ſymbolum rei abſentis, domino dicente ſe, per eam traditionem, velle ei inveſtituram facere.

9. Eſt ergo hæc differentia inter *propriam inveſtituram* & *impropriam*, quòd *propria* cum rei traditione ſit conjuncta, cùm vaſſallus in vacuam poſſeſſionem inducitur, ſive per ſe, ſive per alium : & tum propriè inveſtiri dicitur, & inveſtitura hæc propria cum poſſeſſione convenire videtur *(d)*. *Impropria* eſt quaſi ceſſio, quâ dominus ſignificat, ſe velle præſentem poſſeſſionem dare; ſed quoniam non eſt in ipſo rei poſſidendæ loco, quod poteſt facit, nempe concedit aliquod corporeum ſymbolum in manum ſuo vaſſallo, poteſtatemque ei facere ſe dicit, ut in vacuam poſſeſſionem ingrediatur : quod & vaſſallus de jure etiam facere poteſt, ſi vacua ſit; ſi tamen corporaliter ab alio poſſideatur, non poteſt. Quòd ſi illud ſymbolum in re præſenti tradatur, in ipſo fundo conceſſo, cujus dominus poſſeſſionem habet, eo ipſo poſſeſſio transferetur *(e)*, & ex impropria inveſtitura fit propria, quam nos ſaſinam dicimus : licet alioqui impropriam inveſtituram ſemper ſequi ſoleat & debeat corporalis rei apprehenſio; aut, ſi ſit res incorporalis, denarii traditio, veluti in annuis reditibus. Nam niſi propriam inveſtituram plus eſſe dicamus quàm ritum, nihil differet ab impropria, quæ & ipſa ritus quidam eſt & ſolennitas; & ſic utrumque membrum diviſionis confundemus. Itaque ſi actus incipiat ab inveſtitura propria, ſufficit (ut hi volunt) illa (ſi dominus poſſeſſionem habeat) pro poſſeſſione. Quòd ſi actus incipiat ab inveſtitura impropria, adhuc miſſio in vacuam poſſeſſionem deſideratur. Præterea ex jure Feudali certum eſt, in impropria inveſtitura ſemper ſacramentum fidelitatis præcedere debere traditionem poſſeſſionis *(f)*, at contrà in inveſtitura propria : nam dominus omnia pro parte adimplere debet, antequam ſacramentum à vaſſallo exigat. Hoc autem inter dominum & vaſſallum in feudi conſtitutione ſervabatur, ut primò de conditione feudi tranſigeretur; poſtea vaſſallus ſacramentum præſtabat, cùm in poſſeſſionem inducebatur, more Romanæ militiæ : nam primò milites nomina profitebantur, tum in centurias & numeros referebantur; tertio ſacramentum dicebant, & militari cingulo donabantur, quod cingulum apud Romanos ſymbolum erat militaris dignitatis & honoris.

10. Hujus etiam propriæ & impropriæ inveſtituræ exempla apud nos habemus; propriæ, cùm dominus, aut ab eo poteſtatem habens, poſſeſſionem tradit. Impro-

(a) l. 74. ff. de contrah. empt. & l. 1. § 21. ff. de adquir. vel amitt. poſſeſſ. (b) l. 3. § 19. ibid. & l. 62. pr. ff. de evictionibus. (c) 2 F. 2. pr. (d) 2 F. 7. § 1. & 26. § 5. ibi, Si facta. (e) 2 F. 2. Vid. § 15. (f) 2 F. 7. § 1.

priæ exemplum vulgatiſſimum, in reſignationibus, quæ fiunt in manus dominorum ſuperiorum, in favorem vel ipſius vaſſalli, vel alterius: vaſſallus enim, in præſentia domini conſtitutus, feudum in ejus manus reſignat, dominuſque reſignanti, vel cuivis alii, in cujus favorem reſignatio facta eſt, idem feudum per baculi aut haſtæ traditionem concedit, ſed extra locum feudi. Itaque hæc traditio impropria eſt, nec transfert dominium in accipientem, nec dat jus in re, licet dominus ad traditionem compellatur, & vaſſallum in vacuam poſſeſſionem inducere; quo facto vaſſallus jus in re habere, & pro domino eſſe incipit: &, ut verbo dicam, hæc impropria inveſtitura quodammodo feudum conſtituit, ſed non conſummat, neque perficit. Quòd autem dominum ad inducendum vaſſallum in vacuam poſſeſſionem teneri diximus, ita intelligendum eſt, ſi dominus poſſeſſionem apud ſe habeat: nam ſi alius jam poſſideat & ipſe dominus rei tradendæ facultatem non habeat, litis æſtimationem præſtando liberatur.

11. Explicatâ jam differentiâ inter propriam & impropriam inveſtituram, accedo ad poſterioris ſententiæ auctores, qui inveſtituram eandem eſſe volunt cum noſtra ſaſina, ſive traditione poſſeſſionis *(a)*: & ſane textum ſibi faventem habent, nam ait Obertus in definitione inveſtituræ propriæ, *Inveſtitura poſſeſſio eſt (b)*, quo, quid dici poteſt clarius. Eguinarius Baro, vir magni nominis, *inveſtituram* Latinis dici vult, quam Galli *ſaſinam*, & *poſſeſſionem* ſive *apprehenſionem actualem & realem vocant*, & poſtea, quid *inveſtitus* ſit Gallicè reddens, VESTU ET SAISY DU FIEF interpretatur. Silemannus, Feudiſta nobilis, inveſtituram, quam Galli *ſaſinam* vocant, vult eſſe. In eadem opinione eſt Caccialupus & plerique celebres Feudiſtæ. Præterea cum in libris frequentes occurrant hæ phraſes, *Feudum inveſtiturâ acquiri*, *Per inveſtituram feudum conſtitui*, quorſum hæc, niſi inveſtitura eſſet poſſeſſio, cum per ſolam traditionem poſſeſſionis feudum acquiratur, & in eſſe (ut aiunt) producatur? Itaque cum hi poſteriores textum pro ſe habeant, & ſuis rationibus etiam nitantur, quas longum eſſet recenſere, ne inferiores adverſariis videantur, eorum objectiones alterâ diſtinctione eludunt.

12. Nam ubicunque inveſtitura à poſſeſſione in jure diſtinguitur *(c)*, ibi impropriam inveſtituram intelligi volunt, quaſi ea ſola non ſit poſſeſſio: aliquando, ſi propius urgeantur, etiam propriam inveſtituram à poſſeſſione diſtinguunt, ut alia ſit poſſeſſio, alia traditio poſſeſſionis; ut poſſeſſionis nomen ad civilem poſſeſſionem accommodetur, qualis eſt poſſeſſio quâ fructus & utilitates feudi inveſtitus capere poteſt, & pro eis agere, & quoſcunque poſſeſſores feudi corporales judicio convenire. Aliam eſſe traditionem poſſeſſionis, ſive corporalem poſſeſſionem volunt, quando inveſtito realiter ita res ſive feudum traditur, ut ſuo corpore poſſideat, quomodo vel ipſe dominus, vel ejus coloni priùs poſſidebant. Alii, ut ſuam opinionem tueantur, poſſeſſionem civilem à vacuâ diſtinguunt, ut dominus inveſtito vacuam poſſeſſionem tradere teneatur, licet per inveſtituram poſſeſſor ante dici vaſſallus poterat (quoad jus fructuum percipiendorum,) ſed civilis tantum. At quæ de pœnitentia domini traduntur *(d)*, ſi ſine inveſtitura poſſeſſionem tradat (cum pœnitere non poſſit poſt inveſtituram, ſi in poſſeſſionem inducat;) hæc de inveſtitura impropria intelligunt, ut ea alia ſit à poſſeſſione. Idem de prima poſſeſſionis traditione, ex duabus inveſtituris: nam duas has inveſtituras improprias interpretantur. Denique, quòd objiciebatur, unum in feudo inveſtiri poſſe, altero illud poſſidente & fruente; hoc jus ſingulare putant, per conſenſum vaſſalli prioris patientis & volentis; qui licet animo & corpore poſſideat, tamen ex ejus conſenſu novus vaſſallus in poſſeſſionem civilem induci poteſt, eodem modo quo dominus rei commodatæ aut depoſitæ poſſeſſionem adhuc retinet. Ex uſu noſtro forenſi exemplum adducam. Uſusfructus apud unum eſſe poteſt, feudi proprietas apud alium novum vaſſallum, qui & ipſe aliquo modo poſſeſſor videtur, cum uſufructuarius ei & ejus nomine poſſideat. Has itaque inter ſe planè contrarias opiniones, quarum utraque acerrimos & doctiſſimos aſſertores habet, qui conciliare poſſe ſe putabit,

(a) Vid. § 8. (b) 2 F. 2. (c) Ut 2 F. 26. verſ. Si facta. (d) § 5. n. 2.

putabit, multùm ſibi fortaſſe videbitur arrogare; ſed ex noſtris moribus, & majorum noſtrorum obſervatione, quæſtio fortaſſe illuſtrabitur.

13. A principio nulla erat inveſtitura niſi propria, dominuſque in locum feudi veniens, vaſſallum præſentem ſuper ipſo ſolo fundi, præſentibus Paribus curiæ, inveſtiebat, poſſeſſionemque, qualem dominus habebat, ipſi tradebat; adeò ut ſi dominus corpore non poſſidebat, ſed fructus tantùm colligere ſolitus erat, talem poſſeſſionem vaſſallo tum tradebat, vacuam poſtea ab ipſis colonis præſtiturus. Talis apud nos eſt illa inveſtitura, quam *propriis manibus* dicimus *(a)*, cum dominus propriis manibus vaſſallum inveſtit; niſi quòd tum major ſolennitas adhibebatur, nempe præſentia Parium curtis, quæ non levem auctoritatem inveſtituræ præbebat; dominuſque poſtea Breve teſtatum, vaſſallo requirente, reddere tenebatur, quo ſe illam inveſtituram præbuiſſe teſtificabatur *(b)*. Itaque omnes noſtræ ſaſinæ, quæ propriis manibus dominorum fiunt, propter militaria ſervitia præſumuntur concedi, & naturam feudi recti ſive proprii ſequi; Wardamque & Relevium, cum heredis maritatione domino debent, dominuſque adhuc apud nos chartam in ea forma redditionis præſtare cogitur.

14. Sed plerumque quoties hoc genus ſaſinæ traditur apud nos, ſi conjunctæ perſonæ tradatur, vel præſumitur ſimulata & in fraudem alterius, vel dominus ex ea de evictione non tenetur: hoc fortaſſe, quia ſolennitas illa Parium abeſt, quæ ad omnem ſuſpicionem ſimulationis tollendam ſufficere poterat; & nihil de evictione cautum. Itaque hæc erat propria illa inveſtitura, quâ antiqui illi in feudis conſtituendis utebantur, ſuper ſolo fundi, & in præſentia Parium; & hanc inveſtituram eſſe poſſeſſionem nemo ſanus negabit. Proxima huic erat inveſtitura, ſi dominus, in ſuo territorio, ſive diſtrictu (ut ita loquar,) rem feudalem oculis ſpectans & notans, vaſſallo in præſentia Parium (qui fere ſemper adhibebantur) dicat ſe ejus feudi, quod oculis ſpectat, & digito demonſtrat, inveſtituram ei facere, & ut in poſſeſſionem ejus mox eat, imperet, vaſſalluſque, domini juſſu, poſſeſſionem apprehendat: nam hanc etiam inveſtituram propriam plerique Feudiſtæ volunt (nonnullis tamen aliud ſentientibus,) licet ſuper ipſo ſolo non fiat. At in hac facti ſpecie, ſi quis eam diligentiùs perpendat, omnino non extra locum feudi fieri videbitur: nam cum feuda antiquitùs concedentis patrimonii pars erant, ejuſdem cum patrimonio reliquo diſtrictûs & juriſdictionis ſint neceſſe eſt, & continenter cum eo patrimonio cohærere cujus pars ſunt: & proinde in eodem loco credebant eſſe priores. Itaque non omnino extra ſolum ipſum erat dominus, qui coram Paribus curtis, locum denotando, vaſſallum in eo ſe inveſtire dicat, jubeatque in præſentem poſſeſſionem ire; & non immeritò, quia ſuper ipſo ſolo, ſaltem ſub eodem diſtrictu, conſtitutus dominus, inveſtituram propriam his duobus caſibus videtur concedere.

15. Sic igitur ex jure Feudali maxima Feudiſtarum pars definit rem totam, ut ſi inveſtitura hæc fiat cum rei traditione, propria ſit; ſi ſine traditione, impropria ſive abuſiva dicatur. Propria eſt, in ipſam vacuam poſſeſſionem inductio; abuſiva verò, ceſſio quædam facta à domino, non ſuper ipſo fundo, ſed alibi, & extra terminos ipſius feudi, & dato aliquo ſymbolo corporeo, dominoque dicente, ſe per illud ſymbolum, inveſtituram ei de tali feudo facere; quo tradito, vaſſallus feudum, ſi vacua ſit ejus poſſeſſio, ingredi poteſt. Propria autem inveſtitura aliquando neque ſymboli traditionem requirit; veluti ſi dominus præſentibus Paribus juſſerit poſſeſſionem feudi vaſſallum ingredi: extra præſentiam Parium non rite fiebat hæc juſſio. Præſumitur autem traditio ſymboli, quoties in inveſtitura exprimitur, illam ſigno corporeo affectam, quod nos *ſignari ſigillo proprio*, ſive *armorum*, dicimus. Alii impropriam à propria hoc diſcrimine etiam notant *(c)*, ut, ſi actus a propria inveſtitura incipiat, videatur rei poſſeſſio conceſſa; ſi ab impropria, tunc ut ſequatur poſſeſſionis traditio expreſſa neceſſarium eſt. Concludamus ergo inveſtituram propriam traditionem poſſeſſionis eſſe, in loco ubi feudum ſitum eſt, aut ſaltem domini oculis ſubjectum.

(a) De qua vid. D. 7. § 5. (b) 1 F. 2. § 1. & 1 F. 4. pr. (c) Vid. § 9.

16. *Chartam* autem nihil aliud eſſe conſtat, niſi *Breve* illud *teſtatum (a)*, quod à veteribus uſurpabatur, cum dominus requiſitus, ut quod publicè fecerat, teſtari, ſeu teſtatum poſteris relinquere vellet, illud in membrana ſeu charta conſcribebat, cui etiam Pares curiæ ſubſcribere ſoliti, cum fides hominum labaſcere cœperat *(b)*: nam antea neque Brevi hoc teſtato, neque ſcripturâ utebantur; tanta in Paribus curtis fides & auctoritas erat. Inveſtituræ impropriæ origo tamen poſterior erat: nam cum domini vaſſallis gratificari cuperent, eorumque opem & operam extra ſuum diſtrictum ſenſiſſent, & negotiis ſuis occupati præſentes in locum feudi venire non poſſent, ideò inveſtituram extra ſolum feudi per Breve teſtatum faciebant vaſſallis, Balliviſque ſui diſtrictûs ſive territorii mandabant, ut quamprimùm vaſſallum, inveſtitum à ſe, in ipſum ſolum ſeu poſſeſſionem ſoli inducant, cum ipſi huic negotio ſupereſſe non poſſent: & inde *Ballivi* dicti, à voce Gallica *ballier*. Itaque talis inveſtitura meritò impropria dicebatur, cum ſuper ſolo feudi non fieret: neque cum poſſeſſione eadem eſt, ſed diverſa ab ea. Et quoniam hæc Brevia teſtata frequentari cœperant, ut ad memoriam conſervandam viſa aptiora, factum eſt, ut plerique potiùs Breve teſtatum mallent, i. e. inveſtituram impropriam, cum traditione poſſeſſionis ſubſequente, quàm inveſtituram propriam. Hujus noſtræ obſervationis exempla adhuc habemus apud nos; neque enim omnia antiquitatis veſtigia adhuc exoleverunt: nam in limitaneis regni partibus, & inter montanos, noſtro ævo, propriam inveſtituram retinebant, cum dominus in loco feudi conſtitutus, vel lapide, vel faſce graminis, vel baculo, poſſeſſionem tradebat ſine ſcripto, præſentibus tantum ejuſdem Baroniæ, ſive dominii, ſi non Paribus, ſaltem accolis. In locis mediterraneis, his quingentis annis elapſis, Breve teſtatum, quod nos *Chartam* dicimus, ſoliti ſunt vaſſalli à dominis ſuis accipere, quo ſe inveſtiiſſe vaſſallum, eique jus & poſſeſſionem tribuiſſe, domini ſignificabant; quæ meritò *Brevia teſtata* dici poterant: nam ſi quis antiquarum familiarum monumenta excuſſerit, breviſſimas chartas has, compendioſamque earum formam reperiet.

17. Proceſſu temporis factum eſt, cum plerique ſuæ ſecuritati quàm diligentiſſimè conſultum vellent, ut inveſtitura impropria frequentior eſſet quàm propria: neque enim Parium contenti præſentiâ, quorum præſentia per ipſos probari poterat, aut fortè quia eorum præſentia non ſemper facilis erat; ſcripta etiam requirebant ſine ſolennitate Parium, ubi teſtes quicunque ſufficiebant, licet Pares non eſſent. Itaque Breve teſtatum à domino exigebant, & præter illud, mandatum ſcriptum ad Ballivum pro ſaſina tradenda, nos *Præceptum ſaſinæ* dicimus, & præterea ut ipſa traditio poſſeſſionis publico inſtrumento ſignificaretur: & ſic actum illum inveſtituræ, antea unicum, in duas aut tres partes dividebant: in *Breve teſtatum*, quam chartam dicimus; in mandatum, ſive *præceptum ſaſinæ*; & in *traditionem poſſeſſionis*: cum tamen hæc omnia tria unicam tantùm inveſtituram conſtituant. Apud nos inter veterum familiarum monumenta pauca præcepta, pauca ſaſinarum inſtrumenta reperiuntur; contenti enim illi erant Brevi illo ſimplicique teſtato.

18. Creditur Jacobus I. laudatiſſimus Princeps, cum ab Anglis captus ibi aliquot annos tranſegiſſet, eorumque mores & inſtituta probè didiciſſet, magno poſtea redemptus, ad ſuos rediens, ſecum & ordinem Cancellariæ, & ſaſinarum uſum, quem in Anglia acceperat, ad nos primus traduxiſſe. Sed adhuc ſaſinarum non erant inſtrumenta; majores enim noſtri ſolebant has ſaſinas ſigillo Vicecomitis ſive officiarii dantis extra burgum tantum munire, & eo ſigillo, Brevi teſtato affixo, ſaſinam datam probare. Intra burgum ſigillo Ballivi dantis contenti erant. Sed poſteriores, ut magis ſibi caverent, ſaſinas has in publicam inſtrumenti formam redigi voluerunt. Inde inſtrumentorum in ſaſinis teſtificandis uſus receptus, multumque ex illa propriæ inveſtituræ forma ademptum. Nam licet ab initio præſens inductio domini in poſſeſſionem ſufficiebat, tamen poſteriores inveſtituram impropriam maluerunt; quia Breve teſtatum, cum mandato ad Ballivum, & publico ſaſinæ inſtrumento, ad perpetuam rei geſtæ confirmationem potiùs conducere videbatur: dumque uni detrahunt,

(a) Vid. D. 17. § 25. (b) 1 F. 2. § 1. 1 F. 3. 4. pr. §. 1. 3. & 5. 2 F. 32.

hunt, ut alteri addant, ita in diverſa diſtraxerunt, ut penè ſeparata jam jura ſint, nempe charta & ſaſina. Ex charta, ſola perſonalis actio competit *(a)*, ſi tradita fuerit; neque tamen ſemper, cùm ſit pactum tantùm nudum, quod ad actionem producendam non ſufficit: & ita Senatus aliquando cenſuit. Ex ſaſina naſcitur realis actio, ſi mandato domini traditam conſtet: cum tamen utraque unam inveſtituram, unicum (ut loqui ſolemus) *Infeofamentum*, conſtituant. Charta enim per ſe non videtur actus perfectus, cùm ejus robur & effectus adhuc pendeat, donec ſaſina ſequatur: neque ſaſina per ſe inveſtitura dici poteſt, cùm neque modum tenendi, neque pro quibus ſervitiis (quæ in omni inveſtitura neceſſariò exprimenda antè diximus) exprimat. Et licet hæc à Notario aliquando inſerantur, non tamen Notario de his referenti credendum, niſi etiam charta adſit *(b)*: iniquum enim eſſet, alii quàm domino qui diſpoſuerat, de conditionibus inveſtituræ credi. Itaque majorum noſtrorum tempore, vaſſallus ſuo periculo chartam cuſtodire tenebatur, & domino exhibitionem poſcenti producere *(c)*; ejuſque amiſſionem feudi amiſſio ſequebatur. Neque minus periculum erat in ſaſinæ amiſſione. Proinde, ſecundum mores noſtros, charta & ſaſina unicam tantùm inveſtituram, & unicum infeofamentum conſtituunt; ut interrogatio & reſponſio, unicam tantùm ſtipulationem: & renunciatio ex renunciantis facto & ſuperioris acceptatione conſtat, unumque actum facit. Et ſic diverſiſſimæ illæ & juris Feudalis & Feudiſtarum opiniones facilè conciliabuntur; & unde noſter uſus emanaverit apparebit, qui inveſtituram impropriam maluit cum poſſeſſionis traditione, quàm propriam.

19. Sed, ut ad ea quæ in jure traduntur de inveſtitura redeamus, ſi inveſtitura hæc fiat cum rei traditione, propria eſt; ſi ſine traditione, dicitur impropria ſive abuſiva *(d)*. Propria in ipſam feudi vacui poſſeſſionem eſt inductio; abuſiva verò eſt ceſſio quædam facta à domino, non ſuper ipſo fundo, ſed alibi & extra fundum, dato aliquo ſymbolo corporeo, dominoque dicente, ſe per illud ſymbolum inveſtituram ei de tali fundo facere: quo ſymbolo tradito vaſſallus feudum, ſi vacua ſit ejus poſſeſſio, ingredi poteſt *(e)*. Præſumitur autem traditio ſymboli, quoties in inveſtitura exprimitur, illam ſigno corporeo affectam, ut plerique volunt. Propria autem aliquando nec ſymboli traditionem requirit, ſi dominus juſſerit ut vaſſallus in rei poſſeſſionem ingrediatur, modò id coram Paribus fiat *(f)*. Breviter, ſi actus incipiat à propria inveſtitura, videtur rei traditæ poſſeſſio conceſſa; ſi actus incipiat ab impropria, tunc & poſſeſſionis etiam traditio neceſſaria eſt *(g)*. Hæc de inveſtitura propria & impropria, latiùs fortaſſe quàm par eſſet, expoſuimus, partim ut Feudiſtas inter ſe conciliaremus, partim ut jus Feudale ad noſtrum uſum forenſem aptemus.

20. Sed quid de inveſtitura jurium dicemus? nam hæc tradi corporali aliquo ſymbolo non poſſunt, veluti ſi quis Guardus, Caſtaldus, aut Ballivus, aut actor perpetuus conſtituatur: ſed in his, cum titulo, patientia domini uti & frui ſinentis pro traditione eſt. Apud nos tamen & in his alicujus ſymboli traditio in uſu eſt: nam ſi juriſdictionis feudum detur, accipiens in curtem inducitur, in ſede judicis conſidere jubetur, & liber ei actorum traditur; ſacramentumque præſtat, ſe fideliter eâ juriſdictione uſurum. Sic in Guardo, Caſtaldo, aut Conſtabulario caſtri, fores priùs clauſæ aperiuntur, & Conſtabularius introducitur, claveſque ei traduntur. Sic in ſervitutibus conſtituendis: veluti ſi annuus reditus ædibus aut agro imponatur, denarii fit traditio; & ſic de aliis.

21. Inveſtitura autem hæc de re propria fieri debet, ut antea monui *(h)*, vel ſaltem de feudo non ab alio poſſeſſo: de re autem aliena, vel feudo ab alio poſſeſſo, purè facta inveſtitura non valet *(i)*, adeò ut non convaleſcat ex poſt-facto *(k)*: veluti ſi vaſſallus ille, de cujus feudo inveſtitura facta eſt, deceſſerit, & feudum jam

(*a*) Vid. D. 4. § 20. (*b*) Vel 40 elapſi ſint anni, ut ſtatuitur cap. 214. Parl. 14. Jac. VI. (*c*) Cap. 25. Quon. attach. ſtat. 36. Rob. III. cap. 9. Parl. 1. Jac. I. & cap. 262. Parl. 15. Jac. VI. (*d*) 2 F. 2. (*e*) Et ſi non ſit vacua, cogendus eſt dominus ad tradendum, 2 F. 7. § 1. & 1 F. 4. pr. 2 F. 26. § 5. verſ. Si facta. (*f*) 2 F. 33. pr. (*g*) Schon. lib. 1. diſp. 5. theſ. 25. (*h*) Lib. 1. D. 15. § 30. Vid. etiam infra D. 5. § 11. (*i*) 1 F. 9. 2 F. 35. (*k*) l. 29. de R. J.

domino ſit apertum, licet in eum jam caſum pervenerit, à quo incipere potuit: quod & apud vicinos noſtros receptum eſt; licet, apud nos, aliter Senatus cenſuit, in cauſa Joannis Furd Advocati contra Dominum de Fedderet. Si tamen quis ita inveſtituram de re aliena concipiat, *ſi mea erit*, aut *cùm mea erit*, valere inveſtituram plerique putant; nec dominum pendente conditione poſſe pœnitere *(a)*. Idem à multis creditur in ſpeciali inveſtitura, ita ut, ſi inveſtitura de feudo Titii conſtituatur, ſi ille moriatur ſine heredibus, inveſtitura valeat, quamvis ſit de re aliena. Semper autem, poſt inveſtituram factam, dominus poſſeſſionem tradere cogitur. Idem in domini ſucceſſore: nam & is non minùs quàm deceſſor tenetur *(b)*; niſi in his feudis, in quibus dominus eſt vel Princeps ex electione, vel Eccleſiaſtica perſona, & hi ante poſſeſſionem traditam moriantur *(c)*. Alii aliud obſervandum putant; ut in his & in aliis omnibus, ubi dominus ex electione ſuccedit, ſucceſſor non teneatur tradere poſſeſſionem, quam vaſſallus ante obitum prædeceſſoris ſui nondum obtinuerat. Hinc puto emanâſſe, quod apud nos in uſu eſt frequenti, ſi Prælatus vel Eccleſiaſtica perſona chartam vel aſſedationem fecerit, & ante apprehenſam poſſeſſionem mortuus fuerit, ut actus non valeat: nam hi qui ex electione ſuccedunt, in numero tantùm adminiſtratorum cenſentur. Sic, ſi ante traditionem feudum publicatum fuerit: nam fiſcus tum tradere poſſeſſionem non tenetur.

22. Sed ſane celebris eſt illa controverſia inter Feudiſtas, & in utramque partem exagitata, ſi pœniteat dominum poſt inveſtituram, antequam poſſeſſionem transferat, utrum liberetur præſtando quod intereſt, an non *(d)*? Sed concludunt Feudiſtæ, non liberari poſt inveſtituram factam, ſed compellendum tradere poſſeſſionem *(e)*; licet communiter qui promittit ſolvere, intereſſe præſtando liberetur *(f)*. Bartolus in hac quæſtione diſtinctione utitur, quæ communiter etiam recipitur, nec ab uſu noſtro eſt aliena; nempe, ſi venditor aut promiſſor habeat tradendi facultatem, ad tradendum ſimpliciter eſſe cogendum; ſi non habeat, præſtando quod intereſt, ſimul cum actionibus, ſi quas habeat, liberari. Sed, quod de tradenda poſſeſſione diximus, dominum eam tradere cogendum, in novo feudo tantùm locum habet, cùm dominus adhuc poſſidet; non in paterno, ſive antiquo, in quo, licet vaſſallus renovationem inveſtituræ petierit à domino, & etiam impetraverit, ſi tamen tempore renovationis poſſeſſionem non habuit dominus, eam præſtare non cogitur: debet enim vaſſallus poſſeſſionem ſemel quæſitam tenaciter retinere, alioqui renovatio veteris feudi, ad poſſeſſionem, ſi nullam habet, non ei proderit. Effectus autem hujus inveſtituræ eſt, ut feudum conſtituat, licet ad poſſeſſionem minus conferat: neque enim aliter jus feudi conſtituitur, aut vaſſallus illud acquirit, etiamſi jubente domino prædii poſſeſſionem teneat, nomine feudi: non enim niſi ex traditione ſymboli & inveſtiturâ utile feudi dominium conſequitur, nec niſi coram Paribus juſſus ille domini interveniat, ut in poſſeſſionem vaſſallus eat.

23. Hæc autem inveſtitura, de qua nunc loquimur, ſine teſtium ſolennitate fieri aut probari non poteſt: neque etiam Breve teſtatum ad probationem ſufficiet *(g)*; actus enim eſt legitimus, qui ex certo ritu conſtat, ſine cujus ſolennitatis obſervatione actus vitiatur: nam ſolennitas illa eſt quaſi forma *(h)*. Neque tamen quicunque teſtes, in hac inveſtituræ probatione, ex jure ſufficiunt; ſed Pares debent eſſe curtis, alioqui actus non valebit.

24. Et quoniam in *Pares* & *Curtem* incidimus, de harum vocum ſignificatione aliquid fortè quis requiret. Et primò de *Curte*. Sanè in jure hæc vox *palatium* ſive *prætorium* Domini ſignificat, & pro eo loco ſumitur, ubi jus ſive diſtrictus exercetur, quia in ſuis palatiis ſive prætoriis ſolebant domini, aut eorum Ballivi, ſuas curias exercere: fortaſſe à *cohorte* deducta, nam ſcribit Cicero Verrem, ex *cohorte* ſua judices dare ſolitum: quod idem eſt ac ſi dixiſſet, Verrem ſolitum ex familiaribus ſive domeſticis ſuis judices dare. *Pares* enim curiæ, ſive *curtis*, iidem ſunt, qui convaſſalli, &

(a) Nec incommodè huc transferri poſſunt quæ de pignore rei alienæ dicuntur, l. 16. § 1 & 7. & l. 13. ff. de pign. & hypoth. & l. 20. ff. de pignorat. action. (b) 2 F. 7. § 1. 2 F. 26. § 5. verſ. Si facta. (c) 1 F. 3 & 25. 2 F. 26. § 2. & 2 F. 35. (d) Vid §. 5. n. 2. & § 12. (e) 2 F. 26. § 5. verſ. Si facta. (f) l. 72. ff. de V. O. (g) 2 F. 32. (h) 1 F. 26. 2 F. 33 & 34.

& Pares illius domûs : neque *Pares* a *patribus* nomen accipiunt, ut neque *curtis* à *curia*, quæ auguſta & ſacroſancta apud Romanos erat publici conſilii ſedes, & caput imperii *(a)*. Itaque *Pares curiæ* eſſe debent, coram quibus fit inveſtitura : ita enim res teſtatior fit, neque ſine eis actus valebit *(b)*. Neque *Pares* dicuntur, quòd domino ſint *pares*, ſed quòd pares ſint inter ſe, & convaſſalli ejuſdem curiæ. Eâdem ratione *Pares* Regis Franciæ dicuntur, non quia pares ſint Principi, ſed quia pares inter ſe. Itaque hi Pares adhibendi ſunt, non tantùm ad probationem facti, ſed etiam ad ſubſtantiam ſive eſſentiam inveſtituræ, adeò ut ſine Parium præſentia non videatur inveſtitura *(c)*. Ratio eſt, ne quid falſitatis ab extraneis in perniciem domini (quæ ſuſpicio in Paribus ceſſat) excogitetur *(d)* ; & ut ſciant Pares ſuos convaſſallos, quorum mutuâ operâ, mutuo conſilio uti poſſint. Si forte hi Pares curiæ abſint, ut inveſtitura valeat, exſpectandum eſt donec rediêrint, & præſentes eſſe poſſint. Si non ſint Pares curiæ, veluti ſi tam tenue ſit feudum, ut nullos Pares habeat, omnes extranei admittuntur in teſtes *(e)* ; & debent omnes eſſe liberi, nam ſervis teſtimonii dictio nulla eſt. Sanè ex jure, majoris roboris & efficaciæ eſt inveſtitura, quæ coram convaſſallis & Paribus curtis fit, etiam ſine ſcriptura, quàm quæ in eorum non fit præſentia, licet ſcriptura interceſſerit : *Scriptura* enim, ut ait Caius, *non ut quis melius obligetur introducta eſt, ſed ut obligatio facilius probetur ; nec minus valet quod actum, licet ſcriptura non interveniat, quàm ſi fiat de iis ſcriptura* ; niſi in caſibus in jure exceptis *(f)*. Bartolus etiam controverſum inter Doctores ait, utrum ſcriptura in jure Emphyteutico ſit neceſſaria *(g)*. Hæc ideo, quia vir doctiſſimus, & in jure noſtro exercitatiſſimus, Dominus Joannes Scharpius, hoc argumento juris Feudalis auctoritatem elevare tendebat, quòd in re hereditaria probationem per teſtes admitteret, cùm jus ſcripturam exigeret. Sed animadvertere debuit, hæc feuda militaria fuiſſe præmia militiæ, & ab hominibus militaribus fieri, apud quos, ut literæ ab initio incognitæ erant; ſic ſub ſuæ *cohortis* ſive *curtis* teſtimonio omnia fiebant, & in jure Civili, licet in teſtamentis ſcriptura requirebatur, non tamen in militari teſtamento ; militibus enim permiſſum, quoquo modo poſſent aut vellent, in expeditionibus, ſive ſcripto, ſive ſymbolo, ſive in arena, ſive in ſuo clypeo teſtari : matureſcente verò feudorum tempore, etiam ſcriptura introducta eſt, & ab omnibus ferè gentibus uſurpata ; quo jure & nos hodie utimur.

25. Sed, ut ad inſtitutum redeamus, licet inveſtitura à præſentia Parium videatur habere auctoritatem, tamen ſi dominus Pares curiæ non habuerit, & coram honeſtis teſtibus juſſerit vaſſallum ingredi fundum, quem fortè ante oculos ei oſtenderit, aut ſi claves ædium, aut horreorum, aut ſi evidentias & inſtrumenta (ut loqui ſolemus) fundi ei tradiderit, multi veram putant eſſe inveſtituram & propriam : alii tamen impropriam eſſe volunt. Quòd ſi impropriam dicamus, illud neceſſariò ſequetur, etiam ex impropria inveſtitura dominium transferri ; quod communiter non recipitur. Cui & illud ſimile eſt, ſi dominus rurſum à vaſſallo feudum conduxerit pro mercede annua : nam per hunc & ſimiles contractus dominus fateri videtur, utile dominium apud vaſſallum eſſe, non aliter conducturus, niſi vaſſallum jus locandi habere ſciret. In hoc caſu Feudiſtæ, ſi non propriam, ſaltem impropriam inveſtituram conſtituunt. Et hæc omnia teſtibus, i. e. Paribus curiæ, poſſunt probari : nonnunquam tamen, quod magis mirandum, & ſine teſtibus feudum probatur, & etiam tollitur : nam ſi teſtes deficiant, & dominus in poſſeſſione ſit, vaſſalluſque petat, neque probationes deducere poteſt, juramento domini res deciditur *(h)*. Si verò vaſſallus in poſſeſſione fuerit, ejus juramento in feudi acquiſitione ex jure ſtabitur.

26. Ex uſu tamen noſtro, neque per teſtes, neque per ſacramentum vaſſalli, licet ſit in poſſeſſione, neque domini, ſi is, cùm petat vaſſallus, poſſideat, inveſtitura probatur, niſi ſcripta aliquo caſu interierint : nam eo caſu vaſſallus, aut, qui ſuper eo ſcripto aut inſtrumento intentionem aut exceptionem fundat, ſcripti tenorem, & amiſſionis caſum fortuitum probabit, & ſic ſcriptum ex auctoritate Senatus reſtitui

 curabit.

(a) Cicero pro Milone. (b) 2 F. 2. (c) 2 F. 32. (d) 2 F. 58. § 2. in fine. (e) 2 F. 33. (f) l. 4. in fine. ff. de fide inſtrumentorum, & l. 4. in fine, ff. de pignoribus & hypoth. & ibi Gloſſ. (g) Bartolus ſuper l. 1. C. de jure Emphyteutico. (h) 2 F. 58. § ult. ibi, Cum datur domino.

curabit. Sed hoc ſpecialem tractatum per ſe requirit, nam in hac materia propter circumſtantias ſæpe variatum vidi. Itaque apud nos nulla eſt inveſtitura, niſi cujus teſtimonium in ſcriptis exſtat.

27. In his inveſtituris ſemper tenor inſpiciendus & conſiderandus: ſi plures ſint, unaque ex aliis pendeat, aut ad illam referatur, antiquioris ſive primæ inveſtituræ ſemper ratio eſt habenda; quod illa continet, obſervandum *(a)*, niſi ex poſt-facto quid ſit detractum aut immutatum contrario & ſpeciali pacto *(b)*. Neque tamen hoc ſpeciale pactum jus primæ inveſtituræ tollit aut perimit, aut ejus ſubſtantiæ aut tenori ullum præjudicium adfert, aut jus ab ea habentes lædit, niſi vaſſallus primam ſive antiquam inveſtituram refutaverit, ſpe novæ inveſtituræ conſequendæ, in qua nova inveſtitura mutatio illa per pactum expreſsè contineatur: veluti, ſi ſtante primâ inveſtiturâ, ut heredes tam maſculi quàm fœminæ ſuccedant, paciſcantur dominus & vaſſallus, ut heredes tantùm maſculi ſuccedant, & inveſtitura nova à domino ſequatur: non tamen à prima inveſtitura videtur receſſum, nec heredi fœminæ præjudicium ullum fit, quin poſſit ex ejus tenore ſuccedere, niſi vaſſallus, dum in feudo eſſet, priorem inveſtituram in manibus domini refutaverit, ut novam inveſtituram accipiat, qua maſculi ſoli admittuntur ad ſucceſſionem: neque enim ſufficit, novam inveſtituram poſt primam accepiſſe, nam adhuc ſtabit prima, niſi vaſſallus eam refutaverit, ſpe hujus novæ inveſtituræ. Unde, niſi fallor, apud nos emanavit illud, ut niſi pactum, per quod ſubſtantia vel inveſtituræ vel reverſionis dicitur mutata, ſit in corpore inveſtituræ aut reverſionis ſpecialiter comprehenſum, nihil operetur, neque effectum habeat; ſed in hoc poſteriore pacto, vel nova inveſtitura per refutationem prioris, vel novo pacto de retrovendendo, ſublatâ primâ reverſione, opus ſit.

28. Et hæc de inveſtitura propria & impropria, quid ſint, & quomodo probari poſſint. Is etiam ſolus apud nos feudi conſtituendi modus eſt; licet etiam ſint, qui putant feudum conſtitui poſſe ex judicis ſententia, cùm de feudo controverſia eſſet inter dominum & vaſſallum, judexque pronunciaverit rem eſſe feudalem. Et hunc tertium fuiſſe modum feudi acquirendi in principio hujus capitis diximus; nempe, ſi controverſiâ ortâ, & (ut nos dicere ſolemus) in foro contentioſo, judex rem eſſe feudalem pronunciaverit, quæ fortè fuerat allodialis, & hoc propter auctoritatem rei judicatæ, quæ in jure pro veritate habetur *(c)*: ita tamen ut non longiùs hæc conſtitutio duret, quàm res judicata ſuo in robore permanet.

29. Quæri autem ſolet, ſi duobus inveſtitura facta ſit, utrum qui priorem inveſtituram acceperit, an qui priorem poſſeſſionem nactus fuerit, ſit præferendus, ita ut inveſtituram à poſſeſſione diſtinguamus. Sed profectò ſemper potiores ſunt ejus partes, cui res primò eſt tradita, etiamſi inveſtitura ſit tantùm impropria: nam in jure *emptionibus & ſtipulationibus dominia rerum non acquiruntur, ſed traditionibus & uſucapionibus (d)*. Et ubi duo requiruntur ad actûs conſummationem, titulus & traditio, ille potior eſt, in quo hæc duo ſimul priùs concurrunt *(e)*. Itaque cui prior traditio facta eſt, is in feudo præferetur: quod in uſu noſtro receptum eſt, ut poſterior titulus cum priore traditione, priori titulo, ſed poſteriori traditioni præferatur. Uſque adeò hoc ex uſu & ex jure noſtro conſtat, ut ſi ſecundò inveſtito traditio prior facta ſit, cum clauſula *ſalvo jure primi*, tamen ſecundò inveſtitus præferetur primò; nam is, cum nullum jus reale habeat, ſed tantum domini obligationem de feudo tradendo, illa obligatio ſalva ei manet, nec ei in ea præjudicium ullum fit, & nihil ei abeſt: niſi forte hæc traditio prima ex futuro eventu adhuc pendeat; veluti cum diſpoſitiones, quas chartas dicimus, de domino ſuperiore tenendæ fiunt, & non de ipſo concedente. Nam eo caſu, quia domini fit mutatio, domini adhuc conſenſus non impetratus, priorem inveſtituram cum ſubſequente traditione ſuſpendit, & facit conditionalem, ac ſi ea conditio expreſſa, *ſi dominus ſuperior conſenſerit*: & ex defectu conſensûs hujus ſuperioris domini, in poſteriore inveſtitura,

(a) Vid. D. 12. § 2. & 9. (b) Arg. 1 F. 14. § 2. ibi, Niſi pactum fuerit inveſtitura. 2 F. 2. § 2. & 2 F. 18. ibi, Propter tenorem inveſtituræ. (c) l. 25. ff. de ſtatu hom. & l. 207. de R. J. (d) l. 20. C. de pactis. (e) l. 15. C. de rei vindicat.

veſtitura, & priore ſaſina, prior traditio nihil operatur; ſaltem ea prævalebit, quæ prior novi domini conſenſu confirmatur, prima enim perfecta & abſoluta dici poteſt. Id enim in jure dicitur perfectum, cui nihil deeſt *(a)*, nihil autem actum putat Divus Marcus, quamdiu aliquid ſupereſt agendum: ita cum ſuperioris ratificantis conſenſus deficit, nihil actum ex traditione priore credimus. Sic ſi generaliter duobus fiat inveſtitura, de feudo vaſſalli, in caſum mortis, i. e. ſi duobus à domino inveſtitura generalis fiat, ut feudum primi vaſſalli, qui moriturus eſt, accipiat, feudo poſtea aperto per deceſſum vaſſalli, prior poſſidens præferetur; alioqui, qui primus inveſtituram accepit. Hæc ita locum habent, quando uterque eſt generaliter inveſtitus: quòd ſi prior inveſtitus generaliter fuerit, de feudo incerto poſtea aperiundo, & poſterior de feudo certo, putà vel Titii vel Sempronii, eo aperto præferendus eſt poſterior.

30. Sed, ut ad jus redeamus, ita præferendus is, cui facta traditio fuerit, licet titulo poſterior, ut tamen hic prior titulo, & poſterior poſſeſſione, actionem contra dominum habeat ad intereſſe, & omnem cauſam ſive litis æſtimationem *(b)*. Si verò incertum ſit, quis in poſſeſſione prior, vel ſi neutri adhuc ſit tradita poſſeſſio, prior titulus eſt præferendus. Feudiſtæ tamen, & præcipuè Zaſius, aliud in Principe volunt; cujus prima voluntas declarata, etiamſi traditio non ſequatur, ſufficere creditur. Itaque in facto vidimus, ex nuda Regis inveſtitura, ſine poſſeſſionis traditione, jus plenum conſtitui poſſe, illamque inveſtituram ſuffeciſſe in actione reſciſſoria inter Elizabetham Reidheuch & Sibyllam Drummond, 20. Februarii, anno 1568. In qua opinione eſt etiam Baldus *(c)*. Et ſane Princeps naturaliter & ex jure gentium ex contractu obligatur, fideſque in eo maximè ſpectanda eſt, etiamſi traditio non ſubſequatur. Idem plerique putant in Clerico, nam in eo genere hominum, ob religionem, fides magis exigitur. In jure tamen noſtro idem juris puto eſſe in Principe, quod in privato, nempe ex duabus inveſtituris, eum, qui priorem traditionem nactus eſt, præferendum; nam Principis facilitas importunitati poſtulantium ſæpe eſt obnoxia: neque diſtinctio hæc habetur in jure aut aliquo textu, itaque neque nos debemus diſtinguere, præcipuè cum in feudi conſtitutione duo requirantur, titulus & traditio, & in quo hæc duo primò inveniuntur, indiſtinctè ſit præferendus, tam in eo feudo quod à Principe proficiſcitur, quàm quod à privato: in qua opinione eſt etiam Schonerus *(d)*.

31. Et breviter, in acquiſitione feudi hæc ſeries eſt ſervanda, ut præcedat contractus de feudo diſponendo, mox ſequatur inveſtitura, tertiò fidelitatis præſtatio, quarto miſſio in vacuam poſſeſſionem *(e)*. Sed in jure Canonico, quod noſtro propius eſt, ſic ſe habent; titulus, inveſtitura, & traditio poſſeſſionis in feudis; quemadmodum in beneficiis præſentatio, collatio, & inſtitutio, ut præſentatio ſit pro titulo, collatio pro inveſtitura, ut ante *(f)* monui, cum ſigillum domini diſpoſitioni apponitur, quod pro traditione civili uſurpatur; inſtitutio verò pro traditione poſſeſſionis, cum, ut feudum ſine ſaſina, ſic nec beneficium ſine Canonica inſtitutione poſſit obtineri; & ut hæc inſtitutio beneficii Eccleſiaſtici conſummationem, ſic traditio poſſeſſionis vacuæ feudi conſummationem & perfectionem inducit.

32. Solennitates autem, quæ inveſtituræ à jure præſcribuntur, ſunt, ut fiat ad humillimam & devotam vaſſalli petitionem, & oblationem ejuſdem ad ſervitium præſtandum, & ut duo teſtes ſemper ſint præſentes, iique maſculi, non fœminæ, liberi, non ſervi; nam jure Feudali fœminis & ſervis non eſt teſtimonii dictio. Sunt qui putant inveſtituram debere fieri, præſente toto vaſſallorum collegio; ſed lex non diſtinguit, & pluralis locutio duorum numero contenta eſt *(g)*.

(*a*) l. 11. C. de his quibus ut indignis, &c. (*b*) l. 1. ff. de actionibus empt. & vend. (*c*) In proœmio feudorum, n. 28 & 29. (*d*) lib. 1. diſp. 5. theſ. 30. (*e*) 2 F. 4. (*f*) D. 2. § 6. (*g*) 2 F. 3. in fine, & 32 & 99, 58. § 1.

Diegeſis tertia,

De prima parte Inveſtituræ impropriæ quam Chartam dicimus.

SUMMARIA.

1. *Continuatio materiæ à præcedenti Diegeſi ad hanc, ubi de diverſis partibus Inveſtituræ impropriæ, quæ olim tribus conſtabat, hodie ad duas reducitur, Chartam ſciz. & Saſinam.*
2. Charta *quid ſit ?*
3. *Unde nomen Chartæ ?*
4. *Unde Membranæ, & Pergamenæ dictæ ?*
5. *Membranis tenuioribus, aliis ſpiſſioribus omiſſis, in conficiendis chartis utendum.*
6. *Forma Chartæ quâ utimur, ab Anglis ad nos pervenit, Malcolmo noſtro III. regnante. De vetuſtiorum chartarum ſimplicitate.*
7. *Duplex Chartæ forma apud Anglos. Prima per Indenturam.*
8. *Quid ſit Indentura ? & quatenus ea in uſu olim & hodie apud nos ? De ſecunda apud Anglos Chartæ forma.*
9. *Apud nos unica tantum forma Chartæ eſt, eaque quo antiquior, eo ſimplicior. Et eſt vel originaria, vel confirmationis, vel per reſignationem.*
10. *Charta originaria, vel diſpoſitionis, octo continere debet.*
11. *In eo qui concedit, Principe, vel privato, Clerico, vel Laico, major ætas requiritur. In Anglia, & Gallia, Princeps ſemper major reputatur, ſed in quacunque ætate revocatio iis competit. Minor antiquum feudum renovare poteſt, ſed eiſdem tantum conditionibus. Poſt nomen Principis præfatio aliqua ſubjicitur.*
12. *In Chartis poſt nomen Principis ſequitur narratio quædam meritorum accipientis, quæ ſæpe falſæ atque ementitæ : an eæ fidem faciant ? Si Charta concedatur à perſona Eccleſiaſtica, clauſula ſalutationis nomen concedentis præcedere ſolet.*
13. *Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Abbates, meritò in ſuis præfationibus taxantur. Ii nihil concedunt abſque conſenſu ſui Capituli ſive Conventus. Præfationes hæ diriguntur* omnibus viſuris vel audituris, *& quare ? In chartis quæ à privatis conceduntur præfatio ſolet nomen concedentis præcedere, in Principalibus ſequitur.*
14. *Concedentis nomen cum cognomine eſt exprimendum, cum deſignatione. Falſa non nocet. Aliquando plures ſunt concedentes, alii aliud jus habentes.*
15. *Nomen concedentis ſequitur narratio quædam, eaque diverſa prout variat feudum.*
16. *An confeſſio numeratæ pecuniæ ſufficienter probet peciuniam numeratam ? Angli in hoc nobiſcum conveniunt.*
17. *Clauſula de* ſervitiis.
18. *De Clauſulis* [dediſſe & conceſſiſſe, vendidiſſe & alienaſſe.] *Verbum* confirmaſſe *apud Anglos magni æſtimatur.*
19. *Accipientis nomen cum cognomine eſt exprimendum. Si eadem res pluribus ſit diſpoſita eorumque heredibus, ſinguli apud nos habent æquales partes, & in præmorientis partem heres ſuccedit : quod ſecus eſt apud Anglos, ubi jus accreſcendi in totum obtinet, qui* Juncti Tenentes *dicuntur ; ſed aliter in coheredibus : & hoc eorum jus ſingulare obtinet non ſolum in conquæſtibus, ſed etiam in locationibus, & in omnibus obligationibus & comparationibus rerum mobilium.*
20. *Juncti tenentes ex jure Anglorum qui ſint ?*
21. *Feudum in cujus perſona conſiſtat, diverſo modo apud Anglos & nos dignoſcitur. Feudum viro & uxori, & tertio conceſſum, duas tantum, non tres partes efficiunt.*
22. *Res diſpoſita, ſive in feudum data, etiam per certa ſigna & ſuas circumſtantias eſt deſignanda, ſive ſit urbanum, ſive ruſticum prædium, & ſi pars tantum ſit, quota ſit data.*
23. *De Clauſula* [totas & integras terras meas] *& quid hæ voces* [meus, tuus ſuus] *importent ?* Totum & integrum *exegeticè tantum adhiberi.*

24. *Vox,*

24. *Vox illa* [cum pertinentiis] *an adjiciatur, an non, parum eſt diſcriminis. Quid* Pertinentiarum *nomine contineatur? Molæ non ſunt pertinentiæ, licet nomine Baroniæ comprehendantur.*

25. *Monet rurſus auctor, quod in* § 22. *ut res ipſa ſuis limitibus diſtincta deſignetur.*

26. *Repeti cenſentur in ſequentibus chartis omnes clauſulæ in prima & originali contentæ. Semperque inſuper in charta modus, quo in domini manus pervenerit, eſt exprimendus.*

27. *Chartæ etiam ſunt quæ* Warrantiæ *dicuntur. Quod in hac diſpoſitiva parte chartæ non continetnr, licet alibi mentio ejus fiat, diſpoſitum non cenſetur.*

28. *Clauſula* Tenoris, [*i. e.* tenendas & habendas] *& quid ea contineatur. Si nulla heredum mentio in hac clauſula, hereditarius titulus non præſumitur. At hæc regula generalis non eſt, ſed exceptiones quaſdam patitur. In domino concedente neceſſe non eſt ut ejus heredes nominentur, ſemper enim præſumuntur.*

29. Heredum *generaliter*, quorumcunque, *aut* Talliæ, *ſignificatio*; *& ad quos extendatur. In Tallia voluntas diſponentis in ordine ſervanda eſt. Et licet in* § *præcedenti dicatur in clauſula tenoris limitationes heredum fieri debere, nunc tamen promiſcuè, ſive in clauſula diſpoſitionis, ſive Tenoris, hac heredum mentione & limitatione utimur.*

30. *Clauſulæ quædam in chartis quæ magis exigeticè quam neceſſariò apponuntur; de quibus poſtea, cum de jure quod vaſſallus ex feudo conſequatur, tractabitur.*

31. *In Chartis etiam ſunt* Sock, Sack, Infang-thief, Outfang-thief, & cum mulierum merchetis: *de quibus ſingulis. Sunt qui clauſulam hanc Tenoris coarctant, alii extendunt, quæ magis exegetica, quàm diſpoſitiva ſit.*

32. *Clauſula de* Reddendo *adeò neceſſaria, ut ſit de forma feudi. Redditionum apud nos multæ ſunt ſpecies, de quibus ſingulis. In quibus Angli à nobis differebant in feudis francis, licet nunc eorum morem ſequamur.*

33. *Redditio, quæ ſervitium præſtat, ſemper præſumitur, & variè exprimitur. Clauſula* [pro omni alio onere] *quid?*

34. *Redditio in feudifirmis, & emphyteuſibus, eſt ſemper aliquis canon. Si in ſolutione defecerit vaſſallus, ſolet adjici clauſula irritans. An dominus partem canonis recipiens agere poſſit, ut emphyteuſis in commiſſum cadat?*

35. *Redditio in feudis quæ ad manum mortuam conceſſa ſunt, eſt precum & ſuffragiorum præſtatio, pro quibus dominus diſtringere poteſt. Et certo caſu revocationi obnoxiæ ſunt hæ mortificationes.*

36. *Ablativi abſolutè poſiti in clauſula hac redditionis, an conditionem, an diſpoſitionem inducant? deciditur ex Bartolo.*

37. *De loco redditionis: aliud prioribus temporibus, aliud hodie obſervatur.*

1. Differentiam inter Inveſtituram propriam & impropriam ſuperiore Digeſi expoſuimus, utque impropriæ uſus apud nos eſſet frequentior, & quâ occaſione id factum *(a)*; præterea inveſtituræ impropriæ partes tres fuiſſe, nempe Breve illud teſtatum, quod à domino vaſſallo datur (nos *Breve* hoc *Chartam* dicimus:) *Præceptum* ſeu mandatum domini Ballivo ſuo de poſſeſſione tradenda. Tertia hujus impropriæ inveſtituræ pars, eſt poſſeſſionis illius per Ballivum traditio, nos *Saſinam* dicimus. Et omnes hæ tres partes, unam tantum inveſtituram, aut, ut ad noſtrum uſum forenſem accommodemus, unum tantum (ut dixi *(b)*) efficiunt *Infeofamentum*. Scio *Infeofamenti* nomen ſtrictiùs aliquando à nobis capi pro Brevi illo teſtato, ſive Charta, ut rara ſunt feudalia nomina, quæ non ſunt homonyma: ſed communiter *Infeofamentum* ſive inveſtitura hæc pro toto actu conjunctim ſumitur; & licet, ante quadraginta annos, tres hujus inveſtituræ partes fuerant, *Charta Præceptum*, & *Saſina*, hodie tamen in duas contrahuntur, ut *Charta* etiam præceptum ſaſinæ contineat in fine *(c)*: itaque de hac priore parte inveſtituræ ſive *Charta* dicendum.

2. *Charta* ergo eſt illud Breve teſtatum, tenorem inveſtituræ, quæ à domino vaſſallo fit, continens per omnia; cujus tenor, ut ſæpiùs monui, ſemper attenden-

(a) D. præced. § 17. (b) d. § 17. (c) Vid. infra D. 4. § 12.

dus *(a)*: hocque ipſum Breve teſtatum domini, ſigillo tanquam ſymbolo domini, antea (ut & hodie) muniebatur; non ut ipſum ſigillum traderetur, cujus tamen appenſio pro quadam traditione eſt, ſed ejus imago tantum ceræ impreſſa à domino vaſſallo detur, ſigillo adhuc apud dominum remanente. Nam hæc traditio ſigilli eadem eſt cum traditione annuli, in quo domini ſignum inſculptum erat, ſolito domino annulum in manu geſtare, & apud ſe retinere: & hæc cum civili poſſeſſione quandam habet ſimilitudinem; realis autem & propria poſſeſſio ea eſt, quam nos ſaſinam dicimus. In expoſitione *Chartæ* primò dicendum eſt, quæ ſit ejus hodie forma, & unde nomen hoc proveniat, à quibus fiat, quæ & quot in Charta ſint neceſſaria, & quæ ſint ejus clauſulæ frequentiores.

3. Quod ad nomen *Chartarum* attinet, Græca vox eſt χάρτης, & primæ inflexionis apud Græcos. Ex *Papyro* olim chartam factam & præparatam teſtatur Dioſcorides *(b)*; *Papyrus* enim planta erat ſive arbuſcula in paluſtribus Ægypti, ex qua papyrus conficiebatur, quâque veteres in ſcribendo uti ſolebant, ut idem ait Dioſcorides; nam ex ejus frutice chartæ præparabantur, ac diviſæ in pertenues & latiſſimas philyras, quæ eo meliores, quo frutici propinquiores. *Philyræ* autem ſunt tenuiſſimæ membranulæ inter corticem & arborem; & ſic pro membranis papyri vel aliarum arborum, in quibus antiquitùs ſcribebant, Charta ſumitur.

4. *Membranæ* autem ideò dictæ, ab illa pellicula, quæ proxima cuti, membra tegit: poſtea factum eſt, ut quæcunque tenues tunicæ, quæ vel arbores, aut vitulos, aut agnos tegerent, membranæ dicerentur. Sed membranæ non eædem erant cum chartis ab initio, nam chartæ (ut dixi) ex cortice arborum erant; ſic chartam ex papyro, in victoria Alexandri Magni inventam, ſcribit Varro.

Membranæ autem ex pellibus animalium tantùm erant, & quia Pergami primùm erant repertæ, *Pergamenæ* dictæ: quod nomen adhuc apud nos retinent, quaſi ab antiquitate nobis per manus traditum. Ptolemæus chartas primò invenit, Eumenes Rex Pergami primus membranas & earum uſus reperit, cum uterque maximas bibliothecas undique collegiſſet. Sed cum membranarum uſus ad ſcribendum eſſet aptior, cœpit nomen *Chartæ* ad membranas etiam extendi; quemadmodum *Papyri* nomen, à ſectionibus arborum, ad linteam materiam, ex qua hodie papyrus, derivatum eſt.

5. Apud nos hodie eam tantum *Chartam* dicimus, quæ in membranis deſcripta eſt, ſolis enim membranis in Chartis conficiendis utimur. *Virginis Chartæ* meminit Martialis, in qua nihil unquam antea ſcriptum fuerat, quaſi tum primò peperiſſe videatur ea charta, in qua antea nihil ſcriptum fuit. Rectiùs ſanè fecerint, quicunque Chartarum conficiendarum curam ſuſcipiunt, ut virgine charta & tenuiſſimâ utantur: frequentiſſimè enim fraudes nectuntur ex ſpiſſioribus membranis majorum animalium; cum nihil facilius ſit, quàm in his membranis ſpiſſioribus quæcunque deſcripta ſunt obliterare, retentis chirographis & ſigillis, & novam formam cujuſcunque rei quis velit inducere. Ad hoc credo reſpexiſſe Ulpianum *(c)*, cum chartæ nomen referri putet tam ad novam quàm deletitiam. Hæc de nomine Chartæ: plura de *Papyro*, aut de *Charta* qui requirit, videat apud Alexandrum Aphrodiſæum, Alciatum, & ſuper omnes Plinium *(d)*.

6. De forma Chartæ quâ hodie utimur, puto eam cum lingua & moribus Anglorum ad nos perveniſſe, Malcolmo III. cognomento Canmor regnante *(e)*. Non tamen inficias eo, & ante ejus tempora nonnullas fuiſſe Chartas, ſed eas quidem ratas, & quæ veterum ſimplicitatem omni ex parte profitebantur; nempe ut quæ tantum continerent, quid, cui, & quis concederet.

Simplex enim cauſa conceſſionis exprimebatur, nempe *pro ſervitio*, cæteræ cauſæ ignorabantur; neque temporis (quod nos *Datam* vocamus) mentio facta: nulla ſubſcriptio, vix aliquando ſigillum: teſtes, vel ipſe concedens ſolus, vel ejus conjux: robur dabat dens ceræ impreſſus: & tales eſſe quaſdam apud magnates noſtros ſcio.

Qui

(*a*) 2 F. 18. ibi, Propter tenorem inveſtituræ. Vid. ſupra lib. 1. D. 9. § 36. (*b*) Lib. 1. cap. 16. (*c*) l. 4. ff. de bonor. poſſeſſ. ſecundum tab. (*d*) lib. 13. cap. 11, 12 & 13. (*e*) Qui regnare cœpit anno Chriſti 1057.

Qui exempla quærit, videat Chartam Athelſtani Regis factam Paulino, de qua in primo Libro *(a)*, & Chartam factam ab Alexandro Rege Huntero : utraque habetur apud Boetium & ejus interpretem.

7. Sed, ut ad Chartas noſtras redeamus, duplex eſt Chartæ apud Anglos forma ; aliæ enim per Indenturam, inter duos, tres, aut plures in tertia perſona concipiuntur, hoc modo, *Hæc Indentura facta inter Titium ab una, & Sempronium ab altera partibus, teſtatur, Titium dediſſe, conceſſiſſe, & hac præſenti Chartâ indentatâ confirmaſſe Sempronio terras de N. ſub hac conditione ſeu proviſione, &c. In cujus rei teſtimonium, Titius hujus indenturæ parti, apud ſe remanenti, ſuum ſigillum appendit.*

8. *Indentura* autem vocatur, quòd ex ſolida membrana, ſive papyro in ſe per medium complicata, ſciſſurâ factâ per medium, partes rurſus explicatæ formam referant dentium in ſuperiore quæque parte, quâ invicem debent ſibi reſpondere, ut unius pars vacuam alterius partem ſuo quaſi dente ſuppleat : nam niſi utraque pars collata conveniat, denteſque ad vacuitatem reſpondeant, Charta non ſolùm ſuſpecta, ſed etiam pro falſa reputatur. Hoc genere Indenturæ majores noſtri ſæpiſſime uſi ſunt, ſed parciùs in Chartis : nunc Indenturæ nomen penè exolevit, niſi fortè apud mercatores, aut eos qui nauticam exercent, apud quos frequens adhùc eſt Indentura : apud alios omnia contractibus mutuis conficiuntur, & omnium contrahentium ſubſcriptionibus confirmantur. Alia eſt forma apud Anglos, quæ ſub prima perſona concedentis concipitur, ſub hac ſpecie : *Sciant præſentes & futuri*, vel, *Sciant omnes Chriſtiani, me Titium dediſſe, conceſſiſſe, & hac præſenti Chartâ confirmaſſe, Sempronio, terras de N. ſub conditione ſubſequente*, ut in priori forma, *In cujus rei teſtimonium ſignum ſive ſigillum meum appoſui.* Exſtat denique Londini liber excuſus anno 1546. de formis Chartarum, quibus hodiè Angli utuntur : ſed quia in eorum jure niſi incidenter aliquando, & quatenus cum uſu noſtro conveniat, immorari non inſtitui,

9. Ad noſtros mores redeo, apud quos nulla aut rara feudi, aut Chartæ feudalis diſpoſitio eſt, niſi una, & ea ſimplex, quòque antiquior, eò ſimplicior : conditiones enim, ſive clauſulas, quas vocamus irritantes *(b)*, aut quæcunque aliæ inter partes convenerant, contractibus aut aliis pactis in continenti appoſitas, longo pòſt tempore inſerebant. Chartæ ab iis conceſſæ erant liberæ, quia militares, & ob militarem operam dabantur : & poſt quadraginta hos annos, ut dixi *(c)*, præteritos, etiam præceptum ſive mandatum, pro ſaſina danda, in fine Chartæ continetur ; cùm antea, præter ipſam Chartam, præceptum ſeparatum, & per ſe, requireretur pro ſaſina apprehendenda. Chartæ autem in duplici ſunt differentia, aliæ quæ *Diſpoſitionis*, & aliæ quæ *Confirmationis* dicuntur : & illæ etiam ſubdividuntur in Chartas primarias (quas *originarias* vocamus) & eas quæ per reſignationem alterius inveſtiti fiunt. De illis igitur priùs dicendum.

10. Charta ergo, apud nos potiſſimùm, octo, originaria præcipuè, debet continere ; Primò, nomen & cognomen dantis ; Secundò, nomen & cognomen accipientis ; Tertiò, cauſam diſpoſitionis ; Quartò, nomen rei conceſſæ, cum deſignatione ſitus ; Quintò, de quo feudum teneatur ; Sextò, mercedem & ſervitium in quod accipiens tenetur ; Septimò, Datam, i. e. diem, menſem & annum, cum loco, & teſtibus ; Octavò, ut ſignetur manu concedentis, & ejus ſigillo muniatur.

11. Quod ad *Dantem* attinet, aut ea conceditur à Principe, aut à privato ; privato, inquam, Clerico ſive laico. In Principe concedente major ætas requiritur, in feudis ab initio conſtituendis, ſive Chartis originariis : minores enim feuda concedere non poſſunt *(d)*, nam revocationi obnoxia ſunt, ſufficitque ſi hæc revocatio in publicis regni comitiis fiat *(e)*, etiam ſine ulla juris declaratoria ſpeciali ; quod in diſpoſitionibus aliorum minorum non obſervatur : nam in his revocatio non ſufficit, niſi & querela inſtituta, ejuſque æquitas ante judicem probata acceſſerit. Neque verò refert, an in Charta à Principe conceſſa major ejus ætas exprimatur, modò ſit re-

(*a*) D. 7. § 4. (*b*) Vid. ſupra lib. 1. D. 9. § 28. (*c*) § 1. Vid. infra D. 4. § 12. (*d*) l. 3. C. de in integ. reſtit. (*e*) Cap. 2. Parl. 1. Jac. II. cap. 71. Parl. 9. Jac. III. &c.

vera major. In Anglia & Gallia Princeps ſemper major reputatur : ſed in quacunque ætate revocatio ei competit, ſi quid ex patrimonio ſit alienatum. At licet Princeps in minore ætate feudum conſtituere non poſſit, antiquum tamen renovare poteſt, ita ut ſub eiſdem legibus & conditionibus, quibus priùs, & non aliis, renovet *(a)*. At in eis renovationibus, quæ per reſignationem alicujus vaſſalli fiunt, ſi quid Princeps, dum minor eſt, de novo adjecerit, nova pacta aut conditiones addiderit, quæ in priori Charta non erant, revocationi ea Charta eſt eatenus obnoxia, ſi à Principe procedat ; ſi à privato minore, reſtitutioni *(b)*. Poſt nomen Principis, præfatio aliqua ſubjici ſolet ; nempe, *Omnibus ſuis hominibus, tam Clericis quàm laicis, ad quos præſentes literas pervenire contigerit*, cum ſalutis præfatione, Græco more, qui χαίρειν omnibus ſuis ſcriptis præponebant : ominoſum enim erat ſine ſalutis præfatione aliquid aggredi, ut apud Virgilium, Horatium, Ovidium, & alios omnes melioris notæ ſcriptores conſtat : unde Ovidius,

——— *Dictâ acceptâque ſalute.*

12. Sequitur in Chartis, à Principe hodie confectis, narratio quædam meritorum accipientis, aut cauſæ alterius, cur Princeps ad eam Chartam conficiendam inducatur ; licet ſæpe narratio hæc ex fictis & ementitis ad arbitrium impetrantis cauſis conſarcinetur, præter antiquum Principum morem : pudebat enim antiquitatem aliquid in literis Principum inſerere, quod cum veritate pugnaret ; nos hodie nihil pudendum pudet. Qui publicis ſigillis præſunt, debent id præcipuè curare, ne mendaciis literæ Principum ſint obnoxiæ : mendax enim impetrator impetrato carere debet ex jure ; & hæ ementitæ narrationes virorum magnorum monumentis, qui ob partam bello gloriam, & alia juſtiſſima merita, prædia ſua ſunt conſequuti, meritorumque veram narrationem habent, officiunt : & expreſsè in Regum revocationibus continetur, *omnes Inveſtituras ex falſæ cauſæ ſuggeſtione aut veritatis ſuppreſſione conceſſas, ſub Regum revocationem incidere* ; ſed ita demum, ut, ſi vera cauſa fuiſſet expreſſa, Princeps non fuiſſet veriſimiliter conceſſurus : quod cum jure Civili vel maximè convenit *(c)*. Hæ autem narrationes fidémne faciant, ſæpius apud nos dubitari vidi : hoc tamen jus ſequimur, quòd verba narrativa, licet ſæpe falſiſſima, fidem tamen contra eum faciant qui diſponere poteſt ; & hoc ſecundum jus commune *(d)* : licet alioqui verba narrativa communiter fidem non faciant. Si ab Eccleſiaſtica perſona feudum concedatur, ſolet quidem clauſula ſalutationis præcedere hoc modo, *Omnibus Chriſti fidelibus*, aut *in Chriſto*, &c. Et tum nomen concedentis poſtponitur, antiquitùs præponi ſolitum erat.

13. In Epiſcoporum aut Archiepiſcoporum præfationibus, vox additur hæc [*miſeratione Divinâ*] rectè fortaſſe, quia *miſeratio* eſt ægritudo, quâ ex rebus alienis adverſis movemur, neque quicquam magis adverſum Chriſtianæ reip. contingere potuit, quàm talium Epiſcoporum promotio, quales patres noſtri viderunt. Abbates verò in conceſſione, ſe talis Monaſterii, *permiſſione Divinâ*, præpoſitos ſignificabant ; & hi fortaſſe rectiùs, multa enim Deus permittit, quæ non probat. Sed in his conceſſionibus, quæ fiunt ab Epiſcopis & Abbatibus, Capituli ſive Conventùs ſui conſenſus requiritur. Dirigitur autem præfatiuncula hæc ad *omnes viſuros vel audituros, præſentes & futuros*, quoniam per ſenſus visûs & auditûs potiſſimùm, eorum quæ in jure conſiſtunt ſcientia acquiritur, & Chartarum veritas, & contrahentium mens exploratur : cæterorum ſenſuum rarus eſt in Chartis uſus, niſi fortè quis dicat, ceræ, cui ſigillum imprimitur, falſitatem, utrum ea recens ſit an vetuſta, olfactu vel tactu deprehendi poſſe. Verba autem hæc, *præſentibus & futuris*, *omnibus* ſeu *univerſis*, ad ſempiternæ poſteritatis memoriam inſeruntur. In Chartis, quæ à privatis conceduntur, præfatio ſolet nomen concedentis præcedere ; in Principalibus autem præfatio ſequitur.

14. Quod

(*a*) 2 F. 3. (*b*) l. 3. C. de in integ. reſtit. (*c*) Toto tit. C. de precibus Imper. offer. & toto tit. C. Si contra jus vel util. public. &c. (*d*) l. 39. ff. de pactis.

14. Quod ad nomen *Concedentis* attinet, non ſolùm cum cognomine exprimendum eſt, ſed etiam cum deſignatione habitationis, ſive in burgo ſit, ſive rure, vel à feudo cujus eſt dominus, nonnunquam à parentela ſeu cognatione, aut ab officio, aut cura vel arte quam gerit aut profitetur. Hæc ideò, ne incerta ſit ejus qui diſponit perſona: nam incertitudo omnis diſpoſitionem vitiat, ſive ſit in perſona dantis ſive accipientis, ſive in re quæ conceditur. Sed quæri poteſt, ſi falſa deſignatio ſit adjecta; veluti, ſi quis civem ſe dicat Edinenſem, cùm ſit Aberdonenſis aut Glaſcuenſis? Sed hoc non puto officere, ſi de perſona conſtet *(a)*: tollendæ enim dubitationis causâ hæc deſignatio adjicitur. Quòd ſi hæc falſa deſignatio ab ipſo concedente ſit facta, puto non minùs eum teneri, ac ſi verum nomen profeſſus fuiſſet; ne ex dolo ſuo lucretur. Accidit autem plerumque ut plures ſint concedentes, neque ab uno tantùm conceſſio fiat: veluti, ſi filius, qui in tenemento eſt (ut loqui ſolemus) id eſt, qui proprietatem feudi habet, cum conſenſu patris, avi, aut matris, uſufructuariorum, concedat; in quo hoc animadvertendum eſt, quòd licet eorum conſenſus eos evictioni obnoxios non faciat (neque enim æquum eſt, quemquam propter ſolùm conſenſum de evictione teneri *(b)*;) conſenſus tamen ille hoc operatur adverſus conſentientes, ne unquam poſſint ſe contra dictam diſpoſitionem opponere. Aliquando autem diſpoſitio hæc fit à pluribus, quaſi æquale jus diſponendi habentibus, veluti à patre & filio, aut eorum alterutro jus in feudo habente: in qua diſpoſitione hoc in animo tenendum, quòd licet ſit quædam incertitudo, in cujus perſona feudum conſiſtat, nec ex jure niſi unus dominus ejuſdem rei eſſe poſſit, nequeatque dominium niſi ab uno, & ex una cauſa transferri; tamen ut fraudes effugiantur, quæ plurimæ in alienationibus texuntur *(c)*, & cùm fortè dominium quoddam (nos *Baſſum* dicimus) ſit in alterius perſona, plenum verò dominium, quod de ſuperiore tenetur, in alterius, ne ulli ſubterfugio locus ſit, ab utroque quaſi principaliter diſponente jus ſolemus derivare: nec incertitudo hæc, quæ ad duarum perſonarum certitudinem redigitur, obſtat. Idem, ſi à pluribus, fortè inter ſe non conjunctis, diſpoſitio procedat: nam in cujuſcunque perſona dominium conſiſtebat, ab ea jus derivari cenſemus, aliis ſeu inutilibus ſeu ſuperfluis perſonis rejectis.

15. Et ſi feudum ſit Eccleſiaſticum, narratio juris intexitur hæc aut talis, *Quia ex utriuſque juris ſanctione, nec non ex trium hujus regni Ordinum ſtatutis; omnibus Eccleſiaſticis ſit conceſſum, terras ſuas in emphyteoſim locare, ad politiam regni augendam, & ut per bonorum virorum induſtriam meliorentur, & ad uberiores fructus præſtandos reducantur; necnon pro magnis pecuniarum ſummis, nobis gratanter perſolutis, de quibus tenemus nos gratanter perſolutos & integrè, & de quibus dictum N. quietum in poſterum clamamus, & in utilitatem noſtri Monaſterii ſive Eccleſiæ converſis.* In privatorum conceſſionibus, narratio facti ſubjicitur ut plurimùm; veluti, ſi concedens dicat, *ſe pro certis pecuniarum ſummis, aut implemento contractûs initi & confecti inter ſe & eum cui concedit*, aut ex titulo *donationis*, aut *ſervitii*, aut *remunerationis meritorum* alicujus, aut ſi conceſſio fiat in feudifirma, pro *annuo cenſu*, ut in omnibus emphyteuſibus fieri ſolet, aut *ex reſignatione alicujus, jus prius habentis, in favorem tertii*; aut ex aliis occaſionibus, quæ innumeræ ſunt, dicat ſe talem inveſtituram feciſſe: in quibus narrationibus hoc monendum eſt, quòd non ſemper neceſſe ſit eas veras eſſe; imputatur enim narranti, ſi quid falſum intexuerit: nec falſa narratio aut cauſa, vel in jure communi Anglorum, vel noſtro, diſpoſitionem vitiat, niſi in Principe, ut antea monui *(d)*.

16. De hac narratione dubitatum vidi, quando concedens, ſe illam inveſtituram feciſſe dicit, pro certis pecuniarum ſummis, quas fatetur ſe numeratas accepiſſe, & debitorem liberare; an ea confeſſio acceptæ pecuniæ ſufficienter probet numeratam fuiſſe pecuniam? Movet quæſtionem, quòd narrationes ſæpe falſæ pro veris adhibeantur, & infeofamentum ſpe futuræ numerationis ſæpe fiat; ex altera parte, con-

 feſſio

(a) § 29. Inſt. de legatis, & ibi Doctores. (b) Arg. l. 11. C. de evict. (c) Ut innuere videtur cap. 105. Parl. 7. Jac. V. ante quod ſtatutum jus publicum & baſſum erant æqualia, quod nunc ſublatum eſt ſtat. 13. ſeſſ. 4. Parl. unic. Gul. & Mariæ, quoad jus prælationis, atque ſic maxima litium materia amputata. (d) § 12.

feſſio cum annexa liberatione, ſive apocha, liberationem inducat. Et puto probatione numeratæ pecuniæ ejus, debitorem non eſſe onerandum, cùm in ipſo ſcripto numerationem interveniſſe ſit utrique confeſſum. Nam, ut antiquitùs in Aquilianam ſtipulationem omnes obligationes deducebantur, ut acceptilatio omnes illas tolleret *(a)*: ſic in chartis noſtris, & omnibus aliis etiam obligationibus, omnis debiti cauſa in pecuniam convertitur, licet alia cauſa obligationis a principio vera fuerit. Si tamen ſpe futuræ numerationis, quis ſe chartæ ſubſcripſerit, & qui poſtea numerare debet callidè ſe ſubduxerit, aut fraudem aliquam commentus fuerit, ne præſentem numerationem faceret; in hoc aut ſimili caſu, ex circumſtantiis res ponderanda erit, & ſi fraus apparuerit, ad numerationem cogendum puto eum qui fraude liberationem acquiſierat. Jure tamen Anglorum, cui & noſtrum conſentit ut plurimùm, qui ſuâ manu ſubſcripſerit numerationem factam, nunquam contra illud auditur, nec exceptio pecuniæ non numeratæ ei competit.

17. Clauſula [*pro ſervitiis*] in inveſtitura appoſita, ut ex parte dantis oneroſa, ſic etiam ad ſervitia futura accipientem obligat, licet de futuris mentio non ſit, &, niſi fecerit, Charta periclitatur.

18. Verba [*Dediſſe & conceſſiſſe*] donationem tantùm inducunt, & ab evictione liberant; [*Vendidiſſe & alienaſſe*] alienationem ex cauſa oneroſa, & proinde evictionem ſecum trahunt. Verbum illud [*confirmaſſe*] Angli magni æſtimant: putant enim non ſolùm eâ voce, quod jam actum eſt ratum fieri; ſed quæcunque acta fuerant antea ſuper hac alienatione, licet etiam fortaſſe invalida, ea omnia convaleſcere & confirmari, adeò ut omnes defectus hac voce ſuppleantur.

19. Sequitur perſona *Accipientis*, qui non ſolùm nomine & cognomine, ſed etiam loco habitationis, feudo, cognatione, vel familiâ deſignandus eſt; eademque quæ in dantis perſona obſervanda. Dixi nuper, ſi duo aut plures ſint qui accipiunt; veluti, ſi quis diſpoſuerit tribus nominatim, & eorum heredibus, ſinguli apud nos æquas partes habebunt, & in præmorientis locum ejus heres ſemper ſuccedit, in eam partem, quam defunctus habuit: in quo noſtri ab Anglorum moribus maximè diſſentiunt; ſi enim diſpoſitio apud eos hereditaria facta fuerit pluribus conjunctim, & eorum heredibus, & unus præmoriatur, in eam partem heres ejus non ſuccedit, ſed ea pars ei, qui ſupererit in vita, accreſcit: ſi & is moriatur, & tertius ſuperfuerit, hic tertius totum habebit dum vivit, etiamſi reliqui liberos habeant, jure Anglorum. Idem, ſi plures ſint tribus, quamdiu unus ex eo numero qui nominati ſunt ſuperfuerit, is totum conſequetur, reliquorum præmortuorum partibus ei dum vivit accreſcentibus. Eam enim fuiſſe voluntatem diſponentis interpretantur Angli, ut quamdiu unus vivat, is heredibus præmortuorum præferatur: & in his omnia, quæ apud Juriſconſultos traduntur de jure accreſcendi, locum habent: hique *Functi tenentes* apud Anglos dicuntur, quaſi ex una diſpoſitione unius rei, per diſponentis voluntatem, ſic colligati & annexi, ut hi duo aut plures, dum vivant, unam tantùm partem faciant, & ita inter ſe conjuncti re & verbis, ut præmorientis pars, etiamſi liberos habeat, alteri ſemper accreſcat; aliter ac in coheredibus, nam deſcendentes, aut proximi ſanguine, uni coheredum præmortuo ſuccedunt. Neque ſolùm hoc habet locum apud eos in conquæſtibus, ſed etiam in locationibus ad certum tempus, & in omnibus obligationibus, & etiam comparationibus rerum mobilium: nam ſi plures ſimul conduxerint ab uno, ut quiſque deceſſerit relicto herede, qui ſupervivit, dum vivet, rem conductam poſſidebit. Eodem modo, ſi pluribus obligatio conjunctim facta fuerit, aut equus, aut pecus, aliudve venditum, reliquis præmorientibus, qui vivit obligationis executionem habebit, & rem venditam exiget, & pro ea aget, ut in pluribus executoribus defuncti apud nos obſervatur. Et hæc inter mores noſtros & Anglorum differentia eſt.

20. *Functi tenentes* ex jure Anglorum dicuntur, qui unam rem poſſident, cujus jus ad eos ex una & eadem cauſa pertinet, ut ſi dominus feudi illud inter duos, tres aut plures diſtribuat: quod non ſolùm locum habet, ſi ex uno juris titulo procedant, ſed

(*a*) § 2. Inſt. quibus modis tollitur obligatio, l. 18. ff. de acceptil.

ſed etiam ſi facto ſuo unius rei poſſeſſores fiant, veluti ſi aliquem ſimul diſſaſinaverint, & ejus poſſeſſionem invaſerint. Itaque in his præmorientis pars vivo accreſcet, non defuncti heredibus. Si duobus conjunctim feudum ſit conceſſum, & unius heredibus, hic feudum ſimplex habebit, alter tantum uſumfructum; ſed eo, qui feudum ſimplex habet, præmoriente, uſufructuarius totum feudum dum vivet poſſidebit. Adeò autem hæc apud eos vera ſunt, ut ſi duorum conjunctorum alter extraneo annuum reditum alienaverit, & præmoriatur, qui ei ſupererit in totum jus ſuccedit, & alienatio facta extraneo de annuo reditu extinguitur, nec ad ejus præſtationem is qui vivit, dum vivit, tenetur. Ratio eſt, quoniam hic alter junctus tenens, ex jure ſuo, quod ſimul cum præmoriente acquiſivit, partem accreſcentem intrat, non ex ſucceſſione ad alterum ex conjunctis tenentibus. Aliud in coheredibus, ſive heredibus portionariis, qui ex jure hereditario ſuccedunt, & proinde factum eorum quibus ſuccedunt, præſtare debent. Juncti autem hi tenentes, jus in toto & in qualibet ejus parte habent: adeò ut alter alterum in ſua parte inveſtire non poſſit, ut illi putant. Sed juris Anglici omnes ſubtilitates in his perſequi non eſt noſtri inſtituti, cum eæ noſtris moribus omnimodò non conveniant. Hoc tantùm monendum, ſi omnes hi conjuncti tenentes mortui fuerint, heredes in æquales portiones ſuccedent, & patres ſuos in ſua perſona repræſentabunt: & in his cum iis conſentimus.

21. Si verò patri & filio diſpoſitio facta fuerit, & heredibus eorum, feudum in ejus perſona conſiſtit cujus heredibus providetur. Si viro & uxori fiat inveſtitura, & heredes ſpecialiter non expreſſi fuerint, putant Angli, ſi generaliter heredum ex eo matrimonio procreatorum mentio fiat, utriuſque heredes in æquales partes ſuccedere: nos ad ſolius viri, tanquam dignioris, heredes dicimus pertinere. Alioqui, ſi diſpoſitio facta fuerit viro & ejus uxori, & heredibus inter ipſos procreatis, quibus deficientibus, heredibus uxoris, feudum in perſona uxoris conſiſtit, & nudus tantum uſusfructus apud maritum. Et generaliter hoc tenendum eſt, ſi plures in diſpoſitione nominentur, tum feudum in ejus perſona conſiſtere, cui heredum mentio adjecta eſt, & ad eum feudum pertinere; veluti, ſi Titio, Mevio, & Sempronio res diſpoſita fuerit, & Mevii heredibus, Mevius tantum in feudo eſt, & reliqui tantum juncti tenentes in uſufructu. Si feudum Mevio & ejus uxori, & etiam Sempronio conceſſum ſit, non efficiunt tres partes, ſed duas tantum, cum Mevius & ejus conjux unam tantùm partem faciant in diviſione. Nam quotieſcunque junguntur vir & uxor cum uno vel pluribus extraneis, unam tantum faciunt partem, cum & una caro ſint, & præſumatur dominum voluiſſe potiùs providere eis, in conjuncta infeodatione ejus partis quæ ad unum pertinet, quàm ſeparatas partes conſtituere.

22. Supereſt res *diſpoſita*, *viz.* terra, domus, fundus, prædium, baronia, officium, juriſdictio, annuus reditus, & alia quæ in feudum dari poſſunt & ſolent; quæ & ipſa omnia, per certa ſigna, & ſuas circumſtantias deſignanda ſunt, ut omnis dubii & erroris cauſa auferatur. Si prædium ſit urbanum quod diſponitur, in qua urbe, & in qua ejus parte, deſcribendum; quod ei tenementum ex orientali parte, quod ex occidentali, quod ex boreali, quod ex meridionali partibus ei adjacet, ita ut faciliùs ex continuitate dignoſcatur: in ruſticisverò, Parochia, Baronia, Vicecomitatus, in quo ſitum eſt prædium. Nonnunquam ſola pars fundi ſeu tenementi diſponitur, ſed ſi ut pars diſponatur, ſemper quota pars adjiciendum: neque enim ſufficit meam partem concedere, niſi adjiciatur quota ſit ea pars; alioqui falli ſubitò quis poteſt, ſi concedens nullam partem habuerit.

23. Quod verò adjici ſolet [*totas & integras terras meas*] conſideratione dignum eſt, utrum his vocibus, *totæ & integræ illæ terræ* conceſſæ videantur, an verò quatenus concedentis ſunt. Et ſanè de hoc ſubjecto controverſum vidi inter Dominum Schaw & Muir de Achingrain, utrum voces illæ [*meus*, *tuus*, *ſuus*] *demonſtrativè* ſint accipiendæ, an vero *taxativè* tantum i. e. (ut planiora omnia fiant) utrum omninò fundus, uti optimus maximus eſt, in diſpoſitione contineatur, an verò quatenus

tenus ejus tantum ſit qui concedit *(a)* : adeò ut ſi rem alienam, vel cujus pars, uſusfructus, vel ſervitium, ad alium pertinet, diſpoſuerit, de evictione non teneatur, cùm terram ſuam quatenus ſuam alienaverit. Ut explanatius hoc fiat, pauca de his vocibus [*meus*, *tuus*, *ſuus*,] ſubjiciam. Hæc verba [*meus*, *tuus*, *ſuus*,] jus ad proferentem pertinere, inducunt : ſed ea quæ debentur, noſtra tamen nondum facta ſunt, non continent ; neque enim vendicari poſſunt. Itaque niſi actionem realem ad rei vendicationem quis habeat, ſuam rem propriè dicere non poteſt : *Quæ in nominibus ſunt*, *noſtra*, ait Ulpianus, *dici non poſſunt (b)* ; quam opinionem Cicero in Topicis ſequitur, *Neque* enim, inquit ille, *ſi uxori vir omne argentum quod ſuum eſt legaverit*, *idcirco quæ in nominibus fuerunt legata videntur.* In favorem legatarii, *meum* dicitur, cujus uſusfructus alienus eſt. Denique & *meum* aliquando dicitur, quod cùm altero commune eſt. Et aliquando in jure hæ voces inducunt demonſtrationem, & ſunt demonſtrativæ, aliquando taxativæ, aliquando conditionem faciunt, veluti, *ſi meus eſt aut erit.* Exempla omnium horum apud Pomponium ſunt *(c)*, nam (inquit ille) *Elegans eſt illa declaratio*, quæ habetur de harum vocum diſtinctione, *ut quotiens certum corpus legatur*, *ad præſens tempus adjectum hoc verbum*, [meum,] *non faciat conditionem : ſi vero incertum corpus legetur (veluti ita, vina mea, veſtem meam) videatur pro conditione hoc verbum eſſe* [mea,] *ut ea demum quæ illius ſunt*, *videantur legata : quod non puto fortiter poſſe defendi*, *ſed potius & hic veſtem*, *vel vinum*, *quod ſuorum numero habuerit*, *hoc legatum eſſe. Sic enim reſponſum eſt*, *etiam quod coacuerit*, *vinum legato cedere*, *ſi id vini numero teſtator habuiſſet. Plane in mortis tempore collatum hunc ſermonem* [veſtem quæ mea erit,] *ſine dubio pro conditione accipiendum puto : ſed &* [Stichum, qui meus erit] *puto pro conditione accipiendum : nec intereſſe*, *utrum ita*, [qui meus erit,] *an ita*, [ſi meus erit :] *utrobique conditionem eam eſſe.*

Ex quâ elegantiſſima diſtinctione Pomponii colligendum, ut quoties adjectum hoc [*meus*] certæ rei, vel certo fundo, cum verbo præſentis aut præteriti temporis adjunctum fuerit, demonſtrativè tum ſumatur, remque totam diſponentis eſſe demonſtret : ſi verò apponatur rei incertæ, inducit taxationem, ut eatenus debeatur quatenus concedentis eſt ; veluti, ſi quis omnes ſuos fundos diſpoſuerit ; nam eos tantum, qui ſui ſunt, videtur ſignificare. Adjectum verò verbo futuri temporis, tantùm inducit conditionem, veluti, ſi res diſponentis fuerit. Itaque voces hæ, [*totas & integras terras meas*] non *taxativè*, quatenus ejus ſunt, ſed *demonſtrativè*, ut demonſtrent rem totam diſponentis eſſe, ponuntur in inveſtituris, modò certa res diſponatur. *Totum & integrum* exegeticè adhiberi puto, ut rem omnem cum ejus omnibus partibus ſignificent tradi : licet alioqui *totum* ad res heterogeneas, *integrum* ad res homogeneas pertineat. Utcunque eſt, *integer* ſive *totus* fundus, cum omnibus ſuis partibus, omnique ſuo jure, videtur eſſe in diſpoſitione ; nam qui fundum vendit, aut ex cauſa oneroſa tradit, ut jura volunt, uti fundus optimus maximus eſt, detracto omni onere, ſervitute ſeu præjudicio qualicunque, tradere debet ; & ſi poſtea conſtiterit, fundum eſſe gravatum, vel annuo reditu, vel ſervitute, aut alio quocunque onere, diſponens ad id quod intereſt tenetur. Et hæc de clauſula [*totas & integras terras meas.*]

24. Vox illa [*cum pertinentiis (d)*] ſive adjecta fuerit, ſive rejecta, nihil in re ipſa eſt diſcriminis : ſemper enim, licet pertinentiæ non exprimantur, veniunt cum re ipſa, per communem illam juris utriuſque regulam ; *Acceſſorium ſemper ſequitur ſuum principale.* Quid nomine *Pertinentiarum* contineatur, valdè controvertitur : nam ſunt qui *Pertinentiarum* nomine, ea, quæ veluti pertinentia ſunt poſſeſſa, includi volunt ; & cum poſſeſſio ſit facti, aliquid pertinens eſſe teſtibus probari putant. Alii ea, quæ non ſunt contermina ſive contigua, non putant *Pertinentiarum* nomine contineri, cum alienus fundus interjectus faciat diſcrimen inter principale & id quod pertinet. Vidi tamen inter Comitem Anguſium & Humium de Polwart quæſtionem

(*a*) l. 21 & 22. ff. de inſtructo vel inſtrum. legato, & l. 48. ff. de evictionibus. (*b*) l. 27. § 2. & l. 34. ff. de auro & arg. legato. (*c*) l. 85. ff. de leg. 3. (*d*) Vid. D. 8. § 39.

nem agitatam de terris de Kymmergeam: ubi, cum Humius affereret eas pertinentiam eſſe dominii de Preſtoun; Anguſius, quòd longo intervallo disjunctæ eſſent, aliorum dominorum fundis interjectis, contendebat non poſſe pertinens dici, quod non ſub ſaſina eadem comprehenditur, ſaſinam autem ad ea quæ non ſunt contermina ſive contigua non poſſe extendi: prævaluit tamen Humius, & licet diſcontiguæ erant terræ, tamen, quia ut pertinentiæ plus ſeculo poſſeſſæ erant, ſub una ſaſina, nempe ſub poſſeſſione dominii de Bonkill & Preſtoun, ſunt comprehenſæ. Poſſunt ſanè pertinentiæ eſſe, licet jaceant diſcontiguè, ſi modò ſub una ſaſina: diverſitas ſaſinarum facit, ne quid inter pertinentias numeretur. Idem, ſi de diverſis dominis teneantur: ſed communiter diſcontiguitas ſine annexatione tollit nomen pertinentiarum, aut ſi expreſsè nominetur in alia inveſtitura; nam tunc videntur ſeparata tenementa. Qui autem pertinentias allegat, debet eſſe in poſſeſſione; nam poſſeſſio penè ſemper probat eſſe pertinentias, ſi ut pertinentiæ poſſeſſæ ſint ſupra hominum memoriam. Quòd ſi vel ex alio domino teneantur, vel ſub ſua & privata ſaſina per ſe ſolitæ ſint comprehendi, aut ſi non ſint ejuſdem juriſdictionis, aut territorii, ſæpe etiam ſi alii decimæ debeantur, cui principale non eſt adſtrictum, pertinentiarum nomine non comprehenduntur: horrea verò, & ſtabula boum & equorum, & aliorum pecorum, horti, & quæcunque non tam ad habitationem quàm habitandi uſum ſunt extructa, imò & ædes omnes, niſi ſint fortalitia, rectè pertinentiæ dicuntur. Sed nomine pertinentiarum molæ ſive molendina non comprehenduntur: ſub nomine tamen Baroniæ veniunt, quia Baronia eſt nomen univerſale cujuſdam juriſdictionis; aut ſi molendina hæc exſtructa ſint poſt inveſtituram primùm factam, cum continua ſub eodem domino poſſeſſione: alioqui opus eſt ſpeciali ſaſina, aut ut ſpecialiter exprimantur.

25. Sed ut progrediamur, e re ſane utriuſque, i. e. tam concedentis quàm accipientis erit, ſi res ipſa ſuis limitibus & finibus diſtincta deſignetur: facilius enim quatenus quis vendit, quantum, quidve accipienti tradatur, ſcient omnes, ſi certi limites & certæ metæ, ad orientem, occidentem, auſtrum, & boream, i. e. ad quatuor mundi cardines deſignentur, ſuiſque quaſi cancellis includantur.

26. Et hæc de originali Charta ſive inveſtitura: quòd ſi Charta originalis non fuerit, ſed ex cauſa pendeat præcedente, quæcunque in primo infeofamento continentur, in ſecundo videntur repetita; ſemperque in Charta modus, quo in domini manus pervenerit, eſt exprimendus. Nam ſi dominus originaliter diſpoſuerit, ſufficit ſi ſuas ſe diſponere terras dicat: alioqui clauſula illa [*totas & integras terras meas*] mutatur, & pro illa hæc ſubſtituitur [*totas & integras illas terras quæ aliquando fuerunt N. R.*] & ſic ſemper in Charta ſive inveſtitura modus exprimendus eſt, quo feudum in manus domini pervenerit, ſive per reſignationem, ſive per baſtardiam, ſive forisfacturam; veluti, ſi per reſignationem, hæc verba ſolent apponi [*Quæ quidem terræ fuerunt antea dicti reſignantis, in feudo & hereditate, & quas idem per fuſtim & baculum in manus noſtras tanquam domini ſuperioris reſignavit in favorem N. R. pro nova inveſtitura ſive infeofamento dicto N. R. deſuper conficiendo, & non alias, aliter, neque alio modo:*] ſi per baſtardiam, aut forisfacturam, utraque eſt exprimenda, & quòd *præſentatio Regis acceſſerat, ad quem jus præſentandi ex forisfactura ſive baſtardia devolutum eſt.* Sic in *beneficiis* (quando conferuntur) modus vacationis, niſi exprimatur, collationem vitiat.

27. Sunt aliæ, quæ Inveſtituræ ſive *Chartæ warrantiæ* dicuntur, in quibus hæc clauſula adjicitur [*& hoc in ſpeciale warrantum terrarum de H.*] ita ſi contingat recipientem in dictis terris de H. moleſtari, aut de iis deturbari, tunc & in eo caſu, qui accipit, regreſſum ad dictas terras, datas nomine evictionis, habet, pacificè ab eo poſſidendas & gaudendas, ut loqui ſolemus. Et hæc de prima parte Chartæ, quæ *diſpoſitiva* pars, ſive *diſpoſitio*, dicitur; nam quod in hac parte non continetur, licet alibi mentio ejus fiat, tamen diſpoſitum non cenſetur. Itaque ſi mola in eis terris fuerit, neque in diſpoſitione comprehenſa, licet generalis clauſula [*cum molis ſive molendinis*] in clauſula tenoris reperiatur, non tamen à pleriſque cenſetur vetus mola in diſpoſitione contineri.

28. Sequitur clauſula *Tenoris :* nam licet *Tenor* pro pactione, contra communem feudi naturam interpoſitâ, in jure Feudali ſumatur, ex uſu tamen omnium gentium, *Tenorem* vocamus modum quo vaſſallus in feudo inveſtitus eſt, & de quo domino tenet *(a)*. Hæc clauſula continet primò repetitionem terrarum, quæ in diſpoſitione comprehenſæ ſunt: ſecundò heredes limitat, nam antiquitùs in verbis diſpoſitionis Chartæ nulla mentio heredum erat, ut in antiquis monumentis, & præcipuè in eis diſpoſitionibus quæ à Principe fiunt, videre licet. Itaque ſi quæ ſunt limitationes heredum, hic inſeri ſolent ; alioqui ad heredes quoſcunque, ſi ita exprimitur, ſecundum jus commune, diſpoſitio devolvitur. Quòd ſi nulla heredum mentio facta fuerit, hereditarius titulus non præſumitur, ut antea monui *(b)*. Imò licet dicatur in tenore diſpoſuiſſe dominium in perpetuum, non tamen jus hereditarium præſumitur : ſolus enim in hoc caſu uſusfructus inducitur. Neque tamen hæc regula generalis eſt : nam ſi alicui terræ diſpoſitæ ſint, & ejus ſoboli, filiis, ſive liberis, ſanguini, ſive ſemini, ſive ſtirpi, idem eſt, ac ſi heredum mentio facta fuiſſet : verba enim hæc æquivalent mentioni heredum, niſi quòd ad collaterales heredes nunquam extendantur ; neque enim hi vel filii, liberi, ſemen, vel ſtirps dici poſſunt. Ad *manum* verò *mortuam*, ſive in liberum maritagium conceſſæ terræ, hereditatem etiam ſecum trahunt ; illic in favorem Eccleſiæ, (licet Eccleſia proprios heredes non habeat, quia nunquam moritur ;) hîc, in favorem matrimonii, nam dum terræ in liberum maritagium conceduntur, & interpretatio voluntatis concedentium, & favor ipſius matrimonii, facit ut diſpoſitio ad heredes, ex eo conjugio ſeu matrimonio natos, extendatur : ſed ad eos ſolos ; nam ſi nulli ſunt ex eo matrimonio deſcendentes, feudum ad dominum redit. In domino autem concedente, nihil intereſt an ejus heredes nominentur vel non, ſemper enim præſumuntur ; ut ſi dicatur, *tenendas & habendas de nobis*, ſine heredum mentione, vel, *de nobis & heredibus noſtris*.

29. Hoc autem ſtatuendum eſt, quòd *heredum generaliter*, ſive (ut nos loquimur) *heredum quorumcunque* mentio, ad heredes propinquiores, ſive lineales, ſive collaterales, ſemper extenditur. Si heredum *talliæ* aut aliorum heredum mentio fiat, voluntas diſponentis in eorum ordine ſervanda eſt ; ſunt enim plerique Magnates, qui terras ſuas & dominia uni ex familia cognomini, & aliis ejus familiæ heredibus relinquunt, quibus deficientibus alium atque alium etiam ſubſtituunt, fortaſſe ad quinque aut ſex, ut in inveſtitura Comitatûs Mortoniæ vidi. Utcunque eſt, licet, in eo loco, ſucceſſionem feudi quibuſcunque velit heredibus diſponere, ſive in genere, ſive maribus tantum, ſive eis deficientibus uni fœminæ tantùm, ſive alio quocunque modo talliatum fuerit feudum. Nunc promiſcuè, ſive in clauſula diſpoſitionis, ſive tenoris, hac heredum mentione & limitatione utimur.

30. Quæ ſequuntur in forma Chartæ, quæ hodie in uſu eſt, magis exegeticè quàm ex neceſſitate ponuntur, dum ii, qui Chartis conficiendis præficiuntur, nunquam ſatis cautum putant accipienti, meliùſque omnia inſeri ſpeciatim quàm ſi terræ generaliter concedantur ; licet non minus terræ cum omnibus ſuis antiquis finibus tranſeant, quàm ſi hæc clauſula [*per omnes ſuas metas antiquas & diviſas, prout jacent in longitudine & latitudine*] apponatur. Idem in ea clauſula [*cum domibus, ædificiis, boſcis, planis, moris, mareſiis, viis, ſemitis, aquis, rivulis, ſtagnis, pratis, paſcuis & paſturis, molendinis & multuris, & eorum ſequelis, aucupationibus, venationibus, piſcationibus, petariis, turbariis, cuniculis, cunicularis, columbis, columbariis, hortis, pomeriis, fabrilibus, braſinis & brueriis, geneſtis, ſilvis, nemoribus, & virgultis, lignis, lapicidiis, lapide & calce, cum curiis & earum exitibus, herezeldis, bludivitis, & mulierum merchetis, ac cum paſtura, libero introitu, & exitu, ac cum omnibus aliis libertatibus, commoditatibus, proficuis, aſiamentis, ac juſtis ſuis pertinentiis quibuſcunque, tam non nominatis quàm nominatis, tam ſubtus terra quàm ſupra terram, ad prædictas terras, cum caſtro, molendino, & partibus, pendiculis, & pertinentiis, ſpectantibus, ſeu jure ſpectare valentibus, quomodolibet in futurum, liberè, plenariè, quietè, integrè,*

(*a*) Vid. lib. 1. D. 9. § 36. & textus ibi allegatos. (*b*) lib. 1. D. 10. § 7.

tegrè, honorificè, bene & in pace, ſine aliquo impedimento, revocatione, contradictione, aut obſtaculo qualicunque.] Hæc ſunt quæ in privatorum Chartis continentur, quæ quidem magis explanativè, aut ad majorem cautionem, quàm neceſſe eſt, exprimuntur; neque enim minùs debentur non expreſſa *(a)*: & ſi quis conſulat antiquiora monumenta, hanc clauſulam ita extenſam in iis non reperiet: ab uſu Anglorum, & forma apud eos apponi ſolita, noſtræ formæ confectæ ſunt. De ſingulis in clauſula hac expreſſis latiùs dicemus, cùm ad titulum, *Quid juris vaſſallus conſequatur ex feudo*, veniemus.

31. In monumentis verò Principum aliæ voces adduntur; nempe, SOK, SAK, INFANGTHIEF, OUTFANGTHIEF, cum *mulierum merchetis*. Quod ad *ſokkam* attinet, puto ſervitium omne ruſticum comprehendere, quemadmodum de *ſokka* ſive *vomere* antea diximus *(b)*, in interpretatione vocis *Soccomanni*. SAK rectè ſervitium judiciale exponit doctiſſimus Dominus Skenæus; itaque in ejus vocis interpretatione longiùs non immoror. Quod ad *Merchetas mulierum* attinet, puto hoc falsò noſtrorum hominum moribus tantùm adſcribi, quaſi apud nos ſolùm domini pudicitiam virginum ſoliti eſſent delibare, quæ in eorum territorio locarentur: ſatis enim conſtat, & eundem morem in Gallia fuiſſe, & ab iis ad nos cum feudis tranſiiſſe; potiùs, inquam, credendum, quàm à nobis ad eos. Sunt qui totam hanc clauſulam ſtrictiùs coarctant, ita ut ea tantummodo quæ ſunt neceſſaria inſerantur, ſive quibus ipſa diſpoſitio dubia, vel ſaltem expoſitioni & interpretationi (quod cavendum eſt) obnoxia videri poſſit. Sunt etiam qui latiùs eam extendant, & plura adjiciant. Et hæc de clauſula *Tenoris*: in qua hæc adferunt Feudiſtæ, nempe, clauſulam hanc non eſſe diſpoſitivam, ſed tantùm expoſitionem inducere earum rerum, quæ non exprimuntur in diſpoſitione, & tantùm clauſulam eſſe executionis, quaſi dominus diceret, *Hoc feudum quod dedi & conceſſi vaſſallo, ille & ab eo deſcendentes heredes tenebunt de me, & meis, cum omnibus juribus, utilitatibus, & libertatibus.* Itaque ex ſe, clauſulam illam non inducere diſpoſitionem, putant.

32. Supereſt clauſula *Redditionis*, quæ non minùs neceſſaria eſt, quàm ulla alia totius Chartæ: formam enim ea vel maximè reſpicit, neque enim conſiſtere feudum poteſt, niſi redditio ſit, i. e. niſi vaſſallus aliquo ſaltem munuſculo, & grati animi ſymbolo, dominum recognoſcat. *Redditionum* autem, ſive præſtationum, apud nos multæ ſunt ſpecies, ut ex prioribus patet: nam cùm feuda apud nos vel ſint *Franca*, i. e. in blanco teneantur, vel pro ſervitio militari, vel pro annuo cenſu, vel ad manum mortuam; ſingulis ſuæ ſunt redditiones. Quod ad primum attinet *(c)*, duplicis id generis eſt; nam quædam ſunt, quæ in blanco, quædam quæ in blanca firma tenentur. In blanco præſtationes ſunt, vel roſæ, vel nummi argentei, vel paris calcarium, vel chirothecarum, vel ſagittæ, vel canis leporarii, vel ſpeculi, vel ſimilium; quæ non præſtantur, niſi petantur, cùm præſtita parum utilitatis ſecum adferant. Alia in blanca firma tenentur, veluti, ſi pro libra piperis alicujus pretii, vel alterius rei, quæ commodum ſecum adfert: nam cùm hæc præſtita in utilitatem domini vergant, iis poterit vaſſallum dominus, quandocunque velit, gravare. Nec obſtat clauſula, quæ adjici ſolet [*ſi petatur tantùm:*] hæc enim clauſula differt ſolutionem, dum petatur, non tollit. Angli etiam in prioribus annuam præſtationem intercedere debere volunt, etiam in rebus minimi momenti; veluti, ſi roſa, vel nummus reddendus ſit, licet nullum, aut, quod non ſentitur, commodum ſecum adferat: teſſera tamen quædam eſt ſubjectionis vaſſalli domino, & ideò annuatim præſtanda, ne memoria officiorum & obſequiorum, quæ in feudis debentur, obliteretur; quam ſemper recentem eſſe in utriuſque memoria, æquitas poſtulat. Nos ſanè ab uno & altero anno eorum morem ſequuti ſumus: nam hodie, qui rationibus Regiis præſunt, diligentiſſimè hæc blanca exigunt. Hæc de prima ſpecie redditionis *(d)*.

33. Redditio, quæ ſervitium præſtat, ſemper præſumitur, niſi alia exprimatur; & in propriis feudis conſiſtit, ut antea dixi *(e)*: & hæc redditio exprimitur per ver-

(a) § 29 & 30. Inſt. de rerum diviſ. (b) Lib. 1. D. 11. § 8. (c) Vid. lib. 1. D. 10. § 5. (d) Vid. tamen cap. 14. Parl. 18. Jac. VI. (e) Lib. 1. D. 10. § 27.

ba *ſervitii debiti & conſueti*, vel cujuſcunque alterius ſervitii militaris, veluti pro præſtatione armigeri, ſive arcitenentis, vel militis, vel dimidii militis, vel ſectæ in curiis capitalibus : ſecta enim ſervitium eſt. Neque obſtat clauſula, *pro omni alio onere, quæſtione ſeu demandâ, quæ de dictis terris exigi poterit quomodolibet vel requiri* : hæc enim clauſula de iis tantùm ſervitiis intelligitur, quæ à vaſſallo ſolent exigi dum in feudo eſt, non de iis utilitatibus quæ domino debentur vaſſallo mortuo : itaque neque cuſtodiam, neque relevium, neque maritagium excludit. Inter Wedderburnium, & Humium de Nynwellis ejus vaſſallum, controverſum vidi, cùm in redditione *ſervitia debita & ſolita* expreſſa eſſent, & cùm Wedderburnius urgeret, & ad onera realia, & vecturas, & plauſtra, vellet vaſſallos aſtringere, quod eos ſolitos ea præſtare ſe probaturum reciperet : Senatus interlocutus eſt, ut ea tantùm ad ſervitia perſonalia, & non realia, extenderentur.

34. In feudifirmis, ſive emphyteuſibus, ſemper aliquis canon certus conſtituitur; in quo annuatim, ſaltem ad tempora conſtituta, præſtando vaſſallus tenetur *(a)* : & ſi in ſolutione defecerit, ſolet adjici, *inveſtituram nullam futuram, ex defectu non ſoluti canonis, ſed ad dominum redituram* ; quæ clauſula, etiam licet non adjiciatur, ſi tamen vaſſallus in ſolutione ceſſaverit per triennium, nec dominus ſuæ ſolutioni obſtiterit, aut cauſam præbuerit (in quibus caſibus emphyteuta *deponere*, quod nos *conſignare* dicimus, tenetur,) emphyteuta ipſo jure à feudo ſuo cadet, & feudum domino aperitur, etiamſi clauſula irritans non ſit appoſita : quod etiam in poſtremis comitiis apud nos introductum eſt *(b)*, &, quod magis mirum eſt, tempus coarctatur ad biennium.

Sed dubitatio hîc poteſt eſſe, ſi pars canonis ſoluta tantùm ſit, an exceptio competat emphyteutæ, contra dominum, pro irritando feudo agentem. Et ſanè hoc jure utimur, quòd partis ſolutionem nemo recipere teneatur *(c)* ; recipiens tamen eatenus ſibi præjudicat, ne feudum pro eo anno in commiſſum cadat, cùm annui canonis partem receperit.

35. In feudis autem quæ *ad manum mortuam* conceſſa ſunt, precum & ſuffragiorum præſtatio locum ſupplet omnium aliarum redditionum : neque enim Eccleſia, neque qui Eccleſiis præſunt, in alia ſervitia tenentur. De his, quando dominus voluerit, præcisè poterit ad præſtanda officia cogere, & niſi præſtiterint diſtringere : aliquando ad ordinarium recurrere debet, ut antea dixi *(d)*, nec pro his non præſtitis redit feudum ad dominum, cum iis hodie imputari non poſſit, quod à publicis regni comitiis in religionis reſtitutione introductum eſt : niſi fortè hoc expreſsè in mortificationibus ſive conceſſionibus proviſum fuerit, ut quoviſmodo ceſſantibus officiis, feudum ad concedentem redeat ; & eo caſu proviſioni locum eſſe omnes putant, & ita deciſum vidi.

36. De *ablativis abſolutè poſitis*, in hac clauſula, conditionem an diſpoſitionem inducant, ſeriò agitatum vidi inter Dominum de Newbottle, & Marcum Acheſon ; cùm ille in contractibus conditionem, in ultimis tantùm voluntatibus diſpoſitionem inducere contenderet ; hic verò in omnibus inveſtituris affirmaret diſpoſitionem inducere. Cùm ex jure de hac quæſtione acerrimè controverteretur, neque adhuc quæſtio ſit jure definita, ſic ego ex Bartolo concludendum puto, quòd *ablativi abſoluti*, quoties proferuntur ab eo qui poteſt diſponere, inducunt diſpoſitionem, quoad ſe, vel eos, quos quis invitos gravare poteſt *(e)*, ut in ultima voluntate teſtator fideicommiſſarium invitum gravare poteſt ; ſed in contractibus, alter contrahentium alterum gravare invitum & contrarium non poteſt *(f)*. Itaque in contractibus conditionem inducunt tantùm, & non diſpoſitionem.

37. Sed dubium moveri poteſt, de loco hujus redditionis ſive ſolutionis, ubi ea facienda ſit *(g)*, ſuper fundone, an in loco quo convenerat, an verò quærendus ſit creditor per omnes regni fines & angulos, ut nonnulli ex Anglis volunt *(h)*. Et ſanè

(a) § 3. Inſt. de locat. & conduct. tot. tit. ff. Si ager vectig. petatur, & l. 1 & 3. C. de jure Emphyteutico. (b) Cap. 246. Parl. 15. Jac. VI. (c) l. 41. § 1. ff. de uſur. & l. 99. ff. de ſolutionibus. (d) Lib. 1. D. 11. § 20. (e) l. 1. § 6. ff. de leg. 3. (f) l. 17. § 3. ff. commodati, l. 5. C. de oblig. & act. (g) Vid. D. 6. § 4. (h) Quod non eſt ferendum, l. 20. § 1 & 21. ff. de operibus libert.

ſanè ſi reſervatio ſit alicujus annui reditûs, vel ſi præſtatio ſit alicujus liquidæ ſummæ, ſive in pecúnia, ſive in frumento conſiſtat, ea ſumma ſemper ſuper fundo ipſo ſolvenda eſt. In omnibus autem perſonalibus obligationibus, quæ pœnam etiam continent, niſi pecunia etiam ad diem ſolvatur, quærendus creditor eſt, ſi apprehendi perſonaliter poteſt; alioqui aut ad locum habitationis ſuæ, aut ſaltem in Eccleſia ejus Parochiæ in qua habitat. Et hoc prioribus temporibus in uſu erat: hodie ſupplicatio ad Senatum fit, ibique mentione factâ, quòd creditor ſe ſubtrahat, ut pœnam poſſit lucrari, ex eorum reſponſo, ſive deliberatione, eandem ſummam coram iis obſignare poteſt, & tanquam in æde ſacra deponere, ut mos apud veteres fuit *(a)*. In his pœnalibus obligationibus conventionalis pœna antea peti non potuit, ultra id quod intererat, quia ſapiebat uſuras: Senatus tamen ſpeciali acto, quia intereſſe eſt ſæpe incertum, & lites in probando multiplicat, ſe velle etiam ad pœnam conventam actionem dare, ſancivit *(b)*.

Diegeſis quarta,

De Evictione, ſive de Warrantizationis actione.

SUMMARIA.

1. *Warrantizationis omnis vis à cauſa pendet, ſitne lucroſa, an oneroſa. Dominus vaſſallo de evictione tenetur, patronus nullo modo, nec œconomus, tutores aut curatores, niſi in quantum receperunt.*
2. *Generalis regula de hac materia tenenda.*
3. *Noſtri dupliciter hanc clauſulam warrantizationis concipiunt, generaliter ſciz. vel ſpecialiter.*
4. *Actio de evictione perſonalis eſt. Heres quis? Jus univerſale quid? Nemini, uno prædio retento, alia licet repudiare: neque pœnitentiæ locus eſt, poſtquam ſemel hereditatem agnoverit, licet aliter conſtitutionibus Juſtiniani ſit receptum: ſed non ita apud nos, licet durum ſit.*
5. *Generales ſucceſſores apud nos qui ſint? ubi differentia maxima inter eum qui alioqui ſucceſſurus eſt, & extraneum.*
6. *Intromiſſio cum bonis mobilibus hereditariis eſt titulus paſſivus: idemque in aliis actibus dicendum. Sed diſtinguendum num heres rem tractaverit ut ſuam, an ex alia cauſa. Hinc cautio & conſilium heredi apparenti datur.*
7. *Heres talliæ de evictione in ſubſidium tenetur. Charta ſine ſaſina non dat warrantum.*
8. *Realis warrantizatio eſt, ex prædiorum permutatione, vel ſi aliud in ſpeciale warrantum detur. Ex qua de evictione locus eſt, licet nulla ſaſina intervenerit.*
9. *Si convenerit ut nihil evictionis nomine præſtetur, an regreſſus, non obſtante pacto, dabitur, dubitatur.*
10. *Si res ex novo ſtatuto evincatur, an evictioni locus ſit? An donatarius Regis, cum clauſula warrantizationis tertio alienans, de evictione teneatur? Rex non tenetur de evictione.*
11. *Minor à Warda, Relevio, & Nonintroitu warrantizare non tenetur, & exceptio hæc aliis prodeſt. Clauſula generalis,* ab omni alio onere, *non comprehendit tributa, neque realia aut perſonalia onera. Ex imperfecta clauſula evictio competit; ſecus, ſi ſuâ culpâ evincatur. Qui in warrantum vocatus eſt, ſuum auctorem quamprimùm convenire debet. Qui plures warrantos habet, utro velit, uti licet. Spoliatio ſive delictum quodcunque nullum warrantum habet.*
12. *Præceptum ſaſinæ olim per ſe ſeparatum, ſed hodie Chartis includitur. Quid ſit? & an fidem faciat amiſsâ Chartâ? De quo ſtatutum Ordinum apud nos.*
13. *Extrema clauſula in Chartis requirit non ſolùm ſigillum, ſed chirographum diſponentis; aut, ſi ſcribere neſciat, duos Notarios: & hæc requiruntur duobus apud nos ſtatutis.*
14. *Data neceſſaria eſt. Omiſſio diei non vi-*

(a) l. 19. C. de uſur. (b) 27. Novembris, A. D. 1592.

vitiat, secus quàm anni aut mensis. Falsa Data totum instrumentum vitiat. Testes etiam apponendi. De loco remissivè.

15. *Sigillum necessariò apponendum : olim & alieno uti licebat.*

16. *Charta confirmationis duplex est. Effectus ejus qui confirmat alienationem de vassallo tenendum : quæ tamen non liberat vassallum à Warda, &c.*

17. *Alia est charta confirmationis tenoris de domino ipso, quæ re ipsâ est vassallorum mutatio : ejus effectus apud nos & Gallos diversus.*

18. *Forma confirmationis utriusque est eadem, codemque modo munienda, eædemque solennitates adhibendæ, quæ in Chartis. Sed in Principalibus alienationibus magnum sigillum appenditur. Si sasina detur ante confirmationem, est etiam confirmanda.*

19. *In omni confirmatione hoc est observandum, ne medium aliquod impedimentum intercedat inter Chartam confirmatam & sasinam, nec morte concedentis interrumpatur : in chartis tamen emphyteoseôn Ecclesiasticarum nihil interest quo tempore confirmatio interponatur, cùm non sit ex necessitate juris, sed ex statuto à Rege, qui in locum Pontificis est suffectus.*

20. *Chartæ absque sasina effectus.*

21. *Charta omnis in scripto esse debet. Ex usu fit in membrana. Licet jure Feudali feudum testibus Paribus dabatur, prævaluit tamen usus omnium gentium, ut scripto tantùm probetur : & regulæ Justiniani locus est : nec arrharum datione aut juramento adeò firmatur, quin pœnitentiæ locus sit antequam scripturâ absolvatur. Abbreviaturæ tamen contractuum pro perfectis contractibus recipiuntur.*

22. *Qualia esse debeant investituræ verba, & si sint minùs clara & dilucida, & ut omnis ambiguitas tollatur, regulæ quædam proponuntur. Qui investire alium promisit, id suis sumptibus faciet ; & chartâ semel datâ, eam renovare non cogitur. Si quis duas aut plures investituras acceperit, utrâ velit uti potest.*

23. *Cavendum ne ulla sit in chartis suspicio, sciz. rasura in aliqua parte substantiali, quæ ex sola inspectione apparet, aut ex diversitate scripturæ, interlineatione, cancellatione, aut si per notas Arabicas scribatur, quod integrè scribi debet, aut si testes non sint specialiter denominati.*

I. WARRANTIZATIONIS quam dicimus, sive de evictione actionis, vis omnis à dispositione pendet. Nam si feudum ex titulo puræ donationis procedat, vix locus est warrantizationi : iniquum enim videretur, qui ex sua liberalitate quid concesserint, ut in id teneantur, quod non habent : si non tamen aliquid, vel dolo, vel arte fecerint, quo minus feudum ad vassallum transeat, puto eos eatenus de evictione teneri ; & hoc feudum jus commune *(a)*, quo nos etiam in foro utimur. Feudistæ tamen omnes dominum feudi vassallo de evictione teneri volunt, etiamsi non exprimatur, neque quicquam de ea convenerit ; quòd non omnino gratuitæ sint hæ concessiones, sed ob servitia ut plurimùm præstanda, quæ ferè semper sunt onerosa : neque minùs gravari putant vassallos, qui servitia & obsequia domino præstare obligantur, quàm si in certam summam pecuniæ astricti essent ; & sic si terræ dentur ob servitium, gratitudinem, benefactum, aut meritum, de evictione concedens tenetur *(b)*. In emphyteusibus, sive feudifirmis, semper causa est onerosa, quia continent annui censûs præstationem. Itaque semper actio de evictione ex emphyteusi inducitur *(c)* : nisi quòd in feudis Ecclesiasticis nuper constitutum est, ne successores in beneficiis de evictione emphyteuseôn, quæ à prædecessoribus factæ sunt, teneantur. Considerarunt enim nostri Ordines, si talis actio de evictione permitteretur, facilè eversionem alicujus Ecclesiæ sequuturam, si quod priores malè, aut quod non possent fecerant, successores warrantizare tenerentur, cùm sæpe quod de beneficio supereſt, ad id non sufficiat *(d)* ; cùm antea Prælati ad evictionem tenerentur, sed vocari debuerant cum Capitulo. Patronus autem nullo modo tenetur warrantizare, cùm ejus nudus tantùm consensus interveniat, qui nullum evictionis nomine obligat *(e)* ; ut neque Oeconomus, cùm ejus administratio ad

(a) l. 62. ff. de Ædiliedict. l. 18. § ult. ff. de don. & l. 12. C. de evict. (b) 2 F. 8. pr. 2 F. 25. & 2 F. 80. (c) § 3. Inst. de loc. & conduct. (d) Cap. 29. Parl. 11. & cap. 110. ejusd. Jac. VI. (e) d. l. 18. § ult. ff. de donat. & arg. l. 11. C. de evict.

ad temporis anguſtiam limitata eſt. Durum ſanè eſſet, qui ad tempus tantùm adminiſtrationem habeat, ut de evictione teneatur : proinde neque contra tutores, aut curatores, regulariter datur de evictione actio. Tamen ſi quid receperint, vel Oeconomus, vel tutor & curator, datur eatenus actio contra eos de evictione *(a)*.

2. Sed in his omnibus evictionibus, ſive warrantizationibus, generalis hæc regula tenenda eſt, quòd ſi nullum commodum ex conceſſione ad dominum pervenerit, neque in præſenti, ut pecunia numerata, aut alia res pro pecunia, neque in futurum, annua præſtatio aliquam utilitatem ſecum adferat; vel, ſi dominus, ex reſignatione alterius feudum conceſſerit, cum ibi tantum gratuitam operam, & nudum conſenſum videatur præbere : in his omnibus dominus nunquam de evictione tenebitur, etiamſi expreſſa illa clauſula de evictione fuerit, & warrantizationem in ſe ſuſceperit. Si vero aliqua cauſa oneroſa interceſſerit, vel pecunia, vel cambium, vel remuneratio meritorum, vel ſervitii præſtatio, aut alia ſimilis intervenerit, de evictione dominus tenebitur; etiamſi nihil convenerit. Itaque hujus clauſulæ de evictione vis tota à clauſula diſpoſitionis, ut dixi *(b)*, dependet.

3. Noſtri dupliciter hanc clauſulam concipiunt : alii enim generali clauſulâ contenti ſunt, nempe, ut dominus diſpoſitionem *contra omnes mortales, & ab omnibus periculis defendat, & warrantizet.* Alii hoc non ſunt contenti, niſi & omnia illa pericula & incommoda, quæ evenire poſſint, ſigillatim exprimant; veluti, *ab omnibus wardis, releviis, &c.* Denique, ſi diis placet, *ab omnibus periculis præſentibus & futuris*; cum tamen ex jure, poſt traditionem, periculum omne futurum ad emptorem pertineat *(c)* : neque unquam in foro auditum eſt, periculum aliquod aut incommodum, quod poſt diſpoſitionem acciderit, in concedentis caput recidiſſe, niſi vel cauſa præceſſerit, vel ejus aliquod factum intervenerit. Priorem clauſulam vocant generalem, poſteriorem ſpecialem warrantizationem ; nec quid inter eas interſit video, cum in generali omnia hæc ſpecialia inſint. Noſtri tamen putant aliquid majus eſſe in ſpecialitate ; exempli causâ, ſi concedens de evictione conventus, ſe teneri non dicat, quòd accipiens vitium ſciverat, & nihilominus eam rem accepit, & proinde cum vitio videtur diſpenſaſſe : nam qui ſcivit, aut ſcire debuit (quæ in jure æquiparantur) rem alterius eſſe, in mala fide dicitur eſſe, quæ actionem non producit communiter *(d)*. Accipiens verò regerere ſive replicare poſſit, ſe ſpecialiter in hoc caſu de evictione providiſſe; cautum enim in inveſtitura, ut qui concedit ab omnibus alienationibus warrantizet, & ita ſcientiam ei non officere in hoc caſu. Sed meo judicio hæc diſtinctionis ratio vana eſt, nam ſcientiam ſive malam fidem dominus vaſſallo nunquam poterit objicere, quoties ipſe in pari caſu verſatur, i. e. in pari ſcientia vel mala fide. Res autem ſemper cum ſua cauſa warrantizanda eſt, cum omni eo quod accipiens habiturus fuiſſet, ſi res apud eum non evicta remanſiſſet, quique conceſſit, in omne damnum & incommodum reſtituendum tenetur. Itaque ſive generalis clauſula de evictione, ſive ſpecialis, ſit interpoſita, ſi tamen aliqua ſit interpoſita, puto actionem de evictione competere. Hoc etiàm generaliter tenendum eſt, omnem alienationem, quæ ex titulo oneroſo fit, warrantizationem inducere : titulus autem lucrativus, non inducit warrantizationem. Imò licet contineat clauſulam, ut donans de evictione teneatur à futuris incommodis, warrantizatio non datur, niſi ſupervenerit warda ſive cuſtodia: nam cuſtos hic nullas aſſedationes durante cuſtodiâ tenetur agnoſcere; toto enim eo tempore ſilent, ac ſi in rerum natura non eſſent: reſtituuntur tamen totidem anni locationum, finitâ cuſtodiâ, colono, quot à cuſtodia ſunt intercepti. Quòd ſi alienatio ſit ſub reverſione *(e)*, ut dicimus, & pendente eâ, ſive mortuo vadio, qui hypothecatas terras aut fundum habet, per wardatarium, aut cuſtodem, à fructibus, ratione wardæ, & aliis utilitatibus excludatur; habet is, pro omnibus annis, quibus à wardatario à levandis fructibus fundi hypothecati excluſus eſt, præſentem contra alienantem actionem; & ſic de periculo futuro, qui vendit ſub reverſione, tenebitur.

(*a*) Arg. l. 50 & 66. § ult. ff. de evict. (*b*) § 1. (*c*) § 3. Inſtit. de empt. & vend. & l. 7 & 8. ff. de peric. & com. rei venditæ. (*d*) l. 12. § 1. ff. de furtis, & 2 F. 80. (*e*) Vid. D. 8. § 19.

4. Hæc autem actio de evictione tantummodo *personalis* est, & tantummodo contra concedentem datur & ejus heredes *(a)*. Heredes autem voco, qui in jus universale, quod defunctus tempore mortis habuit, succedunt *(b)*: & id universale dicitur, licet unam rem tantùm tanquam heres agnoverit, & ea tantum in bonis defuncti fuerit, dum moreretur. Quod si plures res, i. e. prædia, vel fundos habuerit, non minus *universalis heres* dicetur, si hereditatem unius prædii agnoverit, quàm si omnium *(c)*; neque uno prædio retento, alia repudiare licet *(d)*: neque pœnitentiæ hic locus est, postquam in uno tantùm semel agnoverit hereditatem *(e)*; licet ex constitutionibus Justiniani receptum sit, ut ei, qui damnosam hereditatem ignorans adierit, si postea æs alienum præter opinionem emerserit, quod facultates omnes hereditatis absorbeat & exhauriat, detur in hoc casu locus pœnitentiæ, ut restituto omni quod ex hereditate bonâ fide heres consequutus est, in integrum restituatur, ne pro herede habeatur, sed quasi qui ab ea abstinuit *(f)*: quod licet summam videatur secum habere æquitatem, apud nos tamen non est receptum.

5. Alii sunt etiam qui *generales successores* apud nos, sed in jure *bonorum possessores* dicuntur *(g)*; veluti, si is, qui alioqui successurus erat, aliquid tamen ex bonis defuncti in ejus vita, præcipuè si ut heres apparens, & eo nomine, acceperit: & in hoc casu, contra juris Civilis regulam, jura sanguinis obsunt: nam si defunctus extraneo cuivis, qui non erat successurus, vel maximam partem prædiorum hereditariorum, dum viveret, concessisset, ex quocunque titulo, imò donationis; tamen is extraneus nunquam ad warrantizationem facti defuncti cogetur: singularis enim successor habebitur, etiamsi in maximam partem feudorum, quæ defunctus dum viveret habuit, successerit. At si filius aut heres apparens, qui alioqui in eo successurus erat, vel tantillum ex bonis hereditariis defuncti delibaverit, in warrantizationem omnium, quæ à defuncto facta sunt, tenebitur. Quod sanè cum ratione pugnare videtur: cur enim non licebit mihi filio meo vendere, quod extraneo, aut cur filius meus à comparatione rei meæ suâ pecuniâ prohibetur, quod cuique etiam alienigenæ licet? Sed nostri non putant aliter fieri posse, ut fraudibus occurratur; cum alioqui facile possit numeratio inter filium & patrem simulari: neque facile donatio inter extraneos præsumitur. Hæc enim causa est, cur faciliores simus in actione contra heredem, qui alioqui successurus est, præstanda, quàm contra extraneum: nam in illo semper præsumitur fraus, in hoc rarò.

6. De intromissore cum bonis mobilibus hereditariis major quæstio est: nam cum apud nos heredi optimum quodque debeatur in sua specie bonorum defuncti, veluti optimus equus, optima vestis, optimum poculum, optima lorica, sive armatura, & sic de similibus in suo quoque genere *(h)*; si, inquam, ex his aliquid heres apparens acceperit, videtur hereditatem agnoscere sive adire. Itaque si apud eum aliquid eorum, quæ inter bona hereditaria mobilia numerantur, inventum fuerit, pro herede habebitur; nisi aliunde se probet illud assequutum. Idem etiam in assedationibus decimarum & prædiorum, si quis patri successerit, licet hereditariæ non sint, puto tamen eum teneri: imò si tantummodo in possessionem quam *nativam* vocamus successerit. Hæc omnia cum distinctione *(i)*, si quis heres apparens, pro sua rem eam acceperit, ut sic de evictione teneatur; non si quid pietatis nomine, aut custodiæ, aut rei servandæ causâ fecerit, ut sit unde creditoribus solvi possit. Itaque solent apud nos, qui hereditatem paternam adituros se profiteri recusant, & alioqui jus in castro, vel in mansione habent, solent, inquam, hi, literas à Dominis Consilii impetrare ad aliquem inferiorem magistratum, ut secum castrum aut ædes defuncti ingrediatur, ne sibi fraudi sit, quòd castra vel ædes paternas adeant post mortem parentum, in quibus hæc bona hereditaria servantur; neque ullius boni hereditarii se possessionem agnituros protestantur, sed tantùm ut inventarium faciant,

(a) l. 59. ff. de evict. (b) l. 13. C. de hered. instit. (c) l. 10 & 80. ff. de adquir. vel omitt. heredit. (d) 2 F. 45. (e) § 2 & 5. Instit. de heredum qualit. & differ. & l. 57. ff. de A. vel O. hereditate. (f) l. 22. C. de jure delib. (g) Tot. tit. Instit. de bonor. possession. (h) Per cap. 125. leg. Burgorum, & cap. 54. Parl. 7. Jac. III. (i) l. 20. ff. de adquir. vel omitt. hered.

faciant, & ut ea bona omnia creditoribus ſint ſalva. Neque tamen puto, ob rem parvam, & non magni pretii, heredem apparentem, i. e. eum qui immediatè ſucceſſurus eſt, licet apud eum reperiatur res illa hereditaria, teneri. Præcipuè animadvertendum in eo, qui ut heres ad warrantizandum vocatur, ſi qui ſucceſſurus eſt, ut nuper dixi *(a)*, intromiſerit, vel res hereditarias receperit, ante contractum debitum, ſive contractam à patre, cui ſucceſſurus eſt, obligationem, de evictione actionem non competere. Nam ſi, ante eam contractam, pater, ex contractu matrimoniali forte cum nobili viro, filium ſuum in omnibus ſuis terris inveſtierit; non ferendus eſt, ſi poſt illud factum velit ſe in warrantizationem obligare, aut contrahere in fraudem filii, ut actio contra filium de evictione inſtituatur: nam ſic licebit unicuique patri aut prædeceſſori fraudem filio aut alicui alii ſucceſſuro facere, contrahendo ſpolia, ejectiones committendo, ut qui ante hæc facta inveſtitus eſt de evictione in his teneatur. Cum inveſtitura filii præcedat warrantizationis obligationem, & ea etiam plerumque ex cauſa oneroſa procedat, filius in his caſibus pro extraneo habebitur, nec de evictione tenetur.

7. Tenetur etiam heres talliæ de evictione, i. e. ad warrantizandum alienationes à prædeceſſore ſuo, ſi ratione talliæ ſucceſſerat; ſed non niſi in ſubſidium, nempe diſcuſſo herede legitimo, vel *lineali* qui à nobis dicitur: nam in uno & eodem libello citari poſſunt & ſolent heres generalis & talliæ ad warrantizationem; ille, ut generaliter warrantizet; hic vero, in ſubſidium, nempe ſi heres generalis ad warrantizationem non ſufficiat, & quatenus non ſufficit, ut heres talliæ illud ex ſua tallia ſuppleat. Multo magis competit contra ſucceſſorem ex tallia, ſi priùs actum fuerit cum herede generali, nec per eum res ſalva fieri poſſit creditori. An autem Charta ſine ſaſina warrantum det, dubitatum vidi. Ego, ſi Charta ſit ex ſe invalida, nec ad hanc actionem de warranto ſufficere puto. Hæc itaque de perſonali hac warrantizatione dicta ſufficiant.

8. *Realis* autem *warrantizatio* rara eſt, niſi in his duobus caſibus: vel quando permutatio prædiorum fuerit, quam nos cambium ſive excambium vocamus: nihil enim æquius eſt, quàm alterutrum prædium alteri de evictione eſſe obligatum; & evictâ re totâ, permutatio diſſolvitur, vel ſaltem quod intereſt præſtatur. Alius caſus eſt, quando illud prædium in ſpeciale warrantum datur, quod quidem ſolùm per inveſtituram ſpecialem fit: quo quidem caſu, evicto uno, ad alterum ſemper regreſſus habetur, declaratoriâ juris priùs habitâ *(b)*. In qua reali actione de evictione hoc ſpeciale obſervatum vidi in Senatu, ut, ſi cui ſemel prædium in warrantum fuerit conceſſum, & ab ejus nepote, pronepote, abnepote, lis de ſuo prædio, quod warrantizandum eſt, moveatur, is regreſſum habebit ad illud prædium, quod majoribus ſuis in warrantum fuerat conceſſum, licet aut ipſe, aut ejus parens, aut avus, ſaſitus non fuerit.

9. Quæſtio tamen hæc ex jure Civili oritur, Quòd ſi convenerit, ut nihil evictionis nomine præſtetur, & interim qui prædium ex cauſa oneroſa accepit, pecuniaſque fortaſſe non mediocres numeravit, à tertio conventus cedere re cogatur, nihilne ex pecunia ſua recuperabit? Ex una parte jus ſcriptum jubet, ut pacta conventa ſemper ſerventur, licet ſæpe juri communi derogent *(c)*: ex alia parte æquitas ſtat naturalis; iniquum enim eſt, ut quis ex aliena jactura locupletetur, & id apud ſe retineat ad quod nullum jus habet. Sed in hac facti ſpecie æquitas naturalis prævalet, ut qui alienam pecuniam receperit, eam fundo evicto reſtituere cogatur *(d)*, non obſtante pacto convento. Idne apud nos receptum ſit, an non, neſcio: tentatum tamen vidi inter Ducem Levinium & Silvium de Largo, ſed res tranſactione finita eſt.

10. Illud autem ſatis conſtat, quòd non obſtante quâcunque clauſulâ evictionis, ſi res ex aliqua nova conſtitutione trium Ordinum, i. e. ex nova aliqua lege, evicta fuerit, diſponentem tantùm ad id quod acceperat teneri: neque enim ex facto

(a) § 5. (b) 2 F. 21. (c) l. 1. pr. ff. de pactis, & l. 1. pr. ff. de conſtit. pecun. (d) l. 11. § 18. ff. de action. empt.

ejus, neque suorum prædecessorum, neque ex ulla causa, quæ tum provideri poterat, res evicta est; sed tantùm ex Ordinum statuto, quod & suum cuique ex justa causa auferre potest. Sed quia hæc causa evictionis, sine disponentis facto, supervenit, æquum censuit Senatus, ut qui disposuit, in id tantum quod ex dispositione lucratus est teneatur, & utrique decedat quod ex regni statutis iis ablatum; nempe ut qui accepit, pro re evicta nihil nisi quod dedit repetat, & qui disposuit in id tantum quod accepit teneatur *(a)*. Idem etiam, si fundum, aut feudum, quod ob maleficium ad Principem redierat, Princeps uni concesserit, isque tertio, cum clausula de evictione; rescissâ forisfacturâ, sive condemnatorio contra primum judicio, si is, ut debet, ad suum fundum restituatur, is qui à Principe habuit, & cum warrantizationis clausula tertio alienaverit, non tenetur de evictione, nisi in id quod receperat à tertio; neque tertius ulteriùs habebit in eum actionem, nisi quatenus ei dedit, quia ex trium Ordinum statuto, cui occurrere non poterat, evictio sequuta est: quod & in assedationibus etiam vidi in Senatu receptum. In iis autem dispositionibus quæ à Rege fiunt, clausula hæc ferè semper abest: neque enim Reges warrantizare tenentur, cum eorum concessiones semper sint liberæ donationes *(b)*; licet interea pro concessionibus cum eorum Thesaurario transigatur.

11. Illud etiam tenendum est, quòd à warda vel relevio, vel tempore wardæ vel relevii, & non-introitûs, minor non tenetur warrantizare: quoniam hæ causæ ex jure procedunt, quod nemo debet ignorare; nisi specialiter in obligatione provisum fuerit, ut ab his etiam warrantizare quis teneatur; adeò ut neque minor, dum in custodia est, vocatus in warrantum respondere teneatur usque in perfectam ætatem *(c)*. Quòd si plures sint heredes, & unus minor, qui exceptionem dilatoriam habeat, donec ad legitimam ætatem pervenerit, ratione wardæ, hæc exceptio & aliis proderit, qui conjunctam cum eo causam habent *(d)*. Clausula autem generalis *de warrantizatione ab omni warda, relevio, & generaliter ab omni alio onere*, non comprehendit tributa, neque realia neque personalia onera. Quòd si warrantizatio minus legitimè concepta fuerit, & quis ad warrantizandum vocatus, absolutus, poterit tamen in id conveniri quod accepit; cum injustum lucrum ab eo sit extorquendum. Qui litem suâ culpâ amisit, warrantum non habebit *(e)*. Antea, nisi warranto emptor prius denunciaret, non dabatur actio *(f)*: hodie, cum actio principalis propter warrantum aut warranti discussionem non differatur, ob innumeras dilationes quæ antea interveniebant, solet qui de feudo convenitur, warrantum quamprimùm vocare, ut adsit ei & litem in se suscipiat; nec tamen, si id omiserit, à warranto cadit, nisi manifestè probetur suâ culpâ litem amisisse, omissâ exceptione quam sciebat & potuit proponere. Sic primus vocatus in warrantum, suum auctorem de warranto solet & debet reconvenire, & sic in tertio & quarto. Si quis plures warrantos habeat, sive unum personaliter obligatum, & fundum alium realiter, utro velit uti potest, & actionem suam persequi. Vulgò autem usurpatur, spoliationem sive delictum quodcunque warrantum non habere; & non sine ratione, ut homines à malefaciendo contineantur.

12. Quod ad *Præceptum saſinæ* attinet, ante quadraginta annos per se separatim esse solebat; eædemque solennitates in ea servabantur quæ in ipsa Charta, viz. eædem subscriptiones, & idem sigillum, quæ in Charta apponebantur, in eo repeti solebant: hodie etiam ipsis Chartis includitur *(g)*; frustra enim fit per plura, quod æquè commodè per pauciora fieri potest. Hoc autem præceptum nihil aliud est, nisi domini mandatum, ut vassallus in possessionem rei dispositæ inducatur: quod quidem mandatum jure Feudali in Curte, & in præsentia Parium, fieri solebat; apud nos, ubi dominus non est præsens, ut possessionem rei dispositæ manibus suis tradat, tunc ex mandato ejus, qui potestatem ab eo habet (nos *Ballivum* dicimus,) vassallum in possessionem inducit. Dubitatum tamen vidi, si præceptum hoc (interceptâ vel

(*a*) At hoc nostris moribus immutatum, nec omnino eum teneri qui disposuit, notat Dominus de Stair Inst. lib. 2. tit. 3. p. 225. (*b*) Vid. lib. 1. D. 9. § 34. (*c*) Cap. 32. lib. 3. Regiæ Majest. & cap. 39. Statut. Gul. 1. (*d*) l. 29. § 1. ff. de min. (*e*) l. 56. § 3. ff. de evict. (*f*) l. 53. § 1. ff. & l. 7 & 9. C. de evict. (*g*) De praxi includitur quod postea in jus translatum est, cap. 7. Parl. 2. Sess. 3. Carol. II.

vel deperditâ fortaſſe Chartâ) cum ſaſina ſubſequente, fidem de diſpoſitione faciat. Et ſanè, ſi longum tempus interceſſerit, & de continua præſtatione ſervitii, vel canonis, ſupra hominum memoriam conſtet, pro diſpoſitione puto ſufficere : hodie ex Ordinum ſtatuto proviſum, ut poſt quadraginta annorum poſſeſſionem, neque mandatum hoc, neque procuratio ad reſignationem, neque præcepta pro ſaſina danda, neceſſaria ſint ut producantur, ſi modò is, in cujus favorem ſint concepta, in poſſeſſione perpetua tot annis fuerat, & Chartæ ſuper eiſdem cum ſaſinis extent *(a)*.

13. Extrema clauſula in Charta eſt, quæ, in teſtimonium præmiſſorum in Charta, vel ſubſcriptionem diſponentium habet, vel eorum ſigilla, cum annotatione diei, menſis, anni, & teſtium qui iis ſolennitatibus intererant. Ante annos octoginta plena fides Chartis adhibebatur, licet ſigillo diſponentis tantùm eſſent munitæ ; ſed quia, mortuo domino, ſæpe, vel fraude viduæ, vel ejus in quem ſigilli cuſtodia inciderat, multa incommoda occurrebant, & ſæpe diſpoſitiones, poſt domini mortem confictæ, ejus ſigillo muniebantur ; ex omnium Ordinum conſenſu ſtatutum eſt, anno 1540. ne poſtea fides adhiberetur cuiquam monumento aut Chartæ ſigillum concedentis tantùm habenti, niſi & diſponentis chirographus acceſſerit *(b)*. Itaque ex eo tempore ſubſcriptio diſponentis neceſſariò requirebatur. Hæc autem ſubſcriptio vel autographa eſſe debet, vel, ſi ipſe neſciat ſcribere, aut ſaltem neſcire profiteatur, per Notarium ex ejus mandato. Hodie verò, ut Notariorum ſive Tabellionum fraudes magis emerſerunt, duorum Notariorum teſtimonium requiritur, ut in omnibus aliis monumentis hereditariis, aut rebus majoris momenti *(c)* : fit enim quod dici ſolet, ut ex malis moribus bonæ leges oriantur.

14. Diei, menſis, & anni annotatio neceſſaria eſt, nos *Datam* dicimus. Si tamen dies omiſſus fuerit, puto non vitiari diſpoſitionem : annus tamen & fortaſſe menſis neceſſariò inſerendi, ne tollatur actio falſi ; aliter enim redargui de falſo commodè non poterit inſtrumentum. Si falſa Data appoſita ſit, totum inſtrumentum vitiatur, nam quod in ea Data quæ exprimitur non eſt verum, etiamſi aliam Datam ſubſtituere velit is qui eo utitur, non eſt audiendus ; & quòd in Data falſa non fuit factum, nunquam factum præſumitur. Ob eandem cauſam & teſtes apponuntur *(d)* : facillimè enim diſpoſitiones, & inveſtituræ confingi poſſunt, ſi teſtes deſint ; & iniqua conditio dominorum eſſet, ſi non exiſtentibus in ſua diſpoſitione teſtibus, eam oppugnare vel de falſo redarguere non poſſent. De loco, an ejus ſpecialis mentio ſit neceſſaria, dubitatum vidi. In antiquis monumentis, Data, ut ab hominibus priſcæ ſimplicitatis, ſolebat omitti. Sed de loco poſtea in Diegeſi *(e) de ſaſinis*.

15. Sigillum autem proprium diſponentis apponi ſolet & debet : in vetuſtis autem diſpoſitionibus, conſtat etiam ſigillo alieno commodato diſponentes uti ſolitos (tanta erat iis temporibus inter contrahentes ſimplicitas ;) ſed non, niſi id expreſsè in Charta contineatur, diſponentem, cùm ſuum non haberet, alterius, (cujus nomen exprimi oportet) alterius, inquam, in ea diſpoſitione, ſigillo ſe uſum profiteatur. Et hæc de forma Chartæ, ejuſque clauſulis, quæ apud nos hodie frequentiores ſunt, dicta ſufficiant.

16. Alia eſt forma *Chartæ confirmationis* : nam, antea *(f)* dixi quaſdam Chartas eſſe diſpoſitionis, quaſdam confirmationis. Eæ rurſus in duplici ſunt differentia ; omnes tamen à ſuperiore ſive domino proficiſcuntur : ſed aliquando, vel confirmat alienationem factam à vaſſallo, de ipſo vaſſallo tenendam ; aliquando de ſe, veluti de domino ſuperiore. In priori *(g)*, confirmatio nihil plus operatur, niſi ut ſubvaſſallum indemnem ſervet, ſi quando vaſſallus ipſe in dominum peccaverit, vel ex ejus facto feudum domino aperiatur : neque tamen à warda, aut relevio, aut quocunque alio debito ſervitio, quod ſubvaſſallus priori ſuo domino, i. e. vaſſallo primo debuerat, eum liberat. Sed ſi feudum domino ex facto vaſſalli aperiatur, ſubvaſ-

(a) Cap. 214. Parl. 14. Jac. VI. Et ulteriùs etiam ſtatutum eſt, ut mandatum hoc poſt mortem mandantis exſequi queat, cap. 35. Parl. unic. Seſſ. 4. Gul. & Mariæ. Et hoc, ut videtur, ex jure Can. cap. Legatos 2. de officio Legati in 6to. (b) Cap. 117. Parl. 7. Jac. V. (c) Cap. 80. Parl. 6. Jac. VI. (d) De poſteriore ſtatuto cautum eſt, ut teſtes omnes inſtrumento ſubſcribant, cap. 5. Parl. 3. Car. II. (e) D. 7. § 15. (f) § 9. (g) Lib. 3. D. 6. § 10.

ſallum in ejus locum ita ſubſtituit, ut dominus cogatur eum in vaſſalli locum ſuſcipere, & is rurſus in id domino tenebitur, in quod prior vaſſallus primo domino tenebatur. Itaque, licet hic ſubvaſſallus de domino ſuo immediato, i. e. de vaſſallo, tenuerit in albafirma tantùm, ſed vaſſallus ille de primo domino, per ſervitium cuſtodiæ & relevii; aperto feudo, ex facto vaſſalli, priori domino, ſubvaſſallus, qui in locum vaſſalli ſubrogandus eſt, non tenebit inveſtituram ſuam in libera albafirma, quemadmodum de vaſſallo antea tenuerat; ſed cùm in locum prioris vaſſalli ſubſtitutus ſit, in eandem etiam conditionem ſubſtituetur, in qua erat vaſſallus domino ſuo immediato, & tenebit de domino ſuo mediato per ſervitium cuſtodiæ & relevii, quemadmodum prior vaſſallus immediatus tenuerat, & non in albafirma, licet ipſe de ſuo domino in albafirma tenebat: nam, ex his forisfacturis, iniquum eſt domini primi conditionem fieri deteriorem, ut ſubvaſſallum habeat ſubſtitutum in meliori conditione quàm prior erat.

17. Alia *Charta* eſt *confirmationis*, quando diſponens alienat prædium, non de ſe, ſed de domino ſuo ſuperiore, tenendum: ſiquidem alienatio talis nunquam valet, niſi domini confirmatio, ſaltem conſenſus, acceſſerit. In quo caſu, mutatio vaſſallorum eſt, & pro uno alius ſubſtituitur; quique antea tenens fuit, jam omni ſervitio domini liberatur, alterque in ejus locum eiſdem conditionibus ſubſtituitur. Sed notandum eſt, hunc conſenſum in pura & libera domini voluntate conſiſtere: neque enim ullâ vi aut arte dominus cogi poteſt ut conſentiat; conſenſus enim omnis liber eſſe debet. Noſtri ſolent cum dominis tranſigere, ſi quando alienationes accipiunt. Apud Gallos dominus, quintâ parte pretii receptâ, cogitur unum in alterius locum recipere: nam hæc quinta pars, ex uſu Gallorum, ſeparatur ad eum effectum, nempe, pro eo quod domino debetur pro receptione unius vaſſalli pro alio.

18. Utriuſque autem confirmationis eadem eſt forma, nempe, *Dominum ſuperiorem Chartam quandam alienationis factam, per Titium, Sempronio, de terris Tuſculanis, non raſam, aut vitiatam, non cancellatam, aut ullâ ſui parte ſuſpectam, ſed ſanam & integram, vidiſſe, & intellexiſſe, ſub hac verborum forma*; & tunc inſeritur Chartæ confirmatæ integer tenor: in quo nihil eſt prætermittendum. Abſoluto tenore Chartæ confirmatæ dominus in hæc verba loquitur, *Quam quidem chartam, in omnibus ſuis punctis & articulis, ratificamus, approbamus, & in perpetuum confirmamus, ſalvis juribus & ſervitiis nobis de eiſdem terris ſolvi ſolitis & conſuetis*: & eodem modo munienda eſt hæc confirmatio, eædemque ſolennitates adhibendæ, quemadmodum in Charta diximus, nimirum ut dies, menſis, annus exprimantur, & ſubſcriptio confirmantis, ſi privatus ſit, cum ſigillo, apponenda. In Principalibus verò alienationibus ſufficit ſigilli magni appenſio. Sunt qui apponant in confirmatione diſpenſationem cum ſaſina jam data: nam neque ipſa Charta, quæ ab uno alteri datur de domino tenenda, neque quæ ex ea ſequitur ſaſina, ullius ſunt roboris, niſi confirmatio accedat; quoniam non ritè feciſſe videtur, qui ex irrita Charta ſaſinam dat: & utraque neceſſariò confirmanda eſt, & in hoc capite diſpenſandum eſt cum ſaſina ab eo data, qui dare ex jure non poterat.

19. In hac tamen confimatione hoc præcipuè notandum eſt, ne medium aliquod impedimentum inter Chartam confirmatam & ſaſinam intercedat: nam ſi interea qui alienaverit, illud idem feudum de novo alteri diſpoſuerit, de ſe tenendum, illud impedimentum, tanquam medius obex, prohibet confirmationem cum confirmato conjungi. Quòd ſi prior alienatio, de domino etiam tenenda conceſſa fuerit, utram ipſe velit confirmare ipſius domini eſt arbitrium, priorque confirmatio potiorem inveſtituram facit. Idem, ſi aliud impedimentum interceſſerit; veluti, appretiatio, forisfactura, recognitio, & ſi quæ ſint his ſimilia. Controverſum tamen vidi inter Kircaldium de Grange, & Karum fratrem Pherneheſtii, de alienatione facta per Gulielmum Kircaldium dicto Karo de terris de Grange, tenendis de Principe, nempe domino Rege; nec tamen confirmatio, niſi poſt mortem dicti alienantis, per aliquot annos, interceſſerat. Dubitationem movebat, quòd confirmatio illa ſemper ad tempus principalis alienationis retrotraheretur, ut in foro loqui ſolemus: ſed contrarium obtinuit, nempe, cùm alienatio illa de domino Rege tenenda, ante mortem

alie-

alienantis confirmata non fuiſſet, irrita ex jure omnino pronunciata eſt. Itaque heredi, poſt mortem defuncti, jus adeundi hereditatem nullo modo tollebat, quod jus, ei ſemel acquiſitum, ex nulla confirmatione ſive poſt-facto, ei adimi poterat, illudque jus medium eſſet impedimentum, quod extrema prohiberet coire, i. e. confirmatum cum confirmatione conjungi: vere enim dici potuit, alienantem obiiſſe veſtitum & ſaſitum de dictis terris, cùm alienatio prior facta, non confirmata, irrita eſſet, juſque adeundæ hereditatis in heredem eſſet devolutum, adeò ut, ſive adierit, ſive etiam non adierit, jus hoc etiam ad heredes ſuos tranſmiſerit; neque ſubſequente confirmatione domini poterat auferri; aut illud, quod prius verum fuit, non eſſe verum, nempe, ut qui antea verè dici potuit obiiſſe ultimò veſtitus & ſaſitus ut de feudo, jam dicatur non obiiſſe de feudo, ſed alius tempore mortis ejus ritè inveſtitus & ſaſitus dicatur. Confirmatio enim ſemper in vita concedentis obtinenda eſt, alioqui coire cum Charta confirmata nunquam poteſt, ut debet *(a)*; morſque ipſa concedentis medium etiam in jure impedimentum eſt, nè ſimul confirmatio & confirmatum conjungi poſſint: nam niſi concedens & confirmans ſimul conſentire potuerint, non eſt conſenſus, neque confirmatio, conſenſum enim interrumpit mors concedentis. In Chartis tamen emphyteuſeôn Eccleſiaſticarum, nihil intereſt quo tempore confirmatio interponatur: nam non interponitur ex neceſſitate juris, ſed tantùm ex ſpeciali trium Ordinum ſtatuto, quo cavetur, ut nulla emphyteuſis Eccleſiaſtica valida ſit, niſi quæ à Rege confirmata, Rege, inquam, non tanquam ſuperiore, ſed qui ex trium Ordinum conſenſu in locum Pontificis maximi ſuffectus eſt *(b)*. Hæc de formâ Chartæ in genere; nam aliquando, ut negotii neceſſitas requirit, Chartæ etiam ſpeciales fiunt, ad ſpecialem effectum: de quibus ſingulis diſſerere immenſi eſſet operis.

20. Chartæ autem omnis hic effectus eſt, ut tantummodo nudum pactum cenſeatur, niſi traditione veſtiatur *(c)*; alioqui ex Charta actio non oritur: adeò ut, ſi pater uni filiorum Chartam alienationis fecerit in præjudicium primogeniti, & ante ſaſinam datam præmoriatur *(d)*, primogenitus non cogitur ex ea Charta ſaſinam tradere; neque is, in cujus favorem alienatio facta ſit, ex ea Charta actionem habebit, cùm nudum pactum ex jure actionem non producat. Vidi tamen ex ſola Charta, eaque in ciſta defuncti reperta, heredem coactum ſaſinam tradere; quod multis mirum videbatur, cùm nuda tantùm Charta eſſet, eaque in cuſtodia poſſidentis dum moreretur. Mota erat actio hæc inter Samuelem Cokburne fratrem Domini Ormiſtonii, & Jacobum Sandilandis de Calder, cùm in ſcriniis Domini de Torphichen ea Charta ab eo confecta & ſubſcripta fuiſſet reperta; ſed hoc putabant licere in extraneo: neque tamen nodus objectus diſſolutus erat, cùm feudum ſit contractus reciprocus, ut quemadmodum vaſſallus cogi non poterat ad recipiendum feudum, ex ſola Chartæ confectione, ſic nec dominus ad reddendum, aut perficiendum.

21. Hoc autem in genere de Chartis obſervandum eſt, nempe, ut omnis Charta in ſcripto ſit; uſus etiam, ut in membrana eſſet, obtinuit. Nam licet ex jure feudum teſtibus probetur, nempe Paribus curiæ, ſive curtis dominicæ *(e)*; uſus tamen omnium gentium obtinuit, ut nunquam Charta, ſive inveſtitura, aliter quàm ſcripto probetur. Neque tamen illa probatio, quæ per Pares curtis fiebat, contemnenda eſt, cùm inveſtitura, quæ in judicio fieri debet, præſentibus Paribus curiæ, nunquam certiùs probetur, quàm ex membris curiæ, i. e. Paribus: & in jure ſcriptura, non ut quis meliùs obligetur, ſed ut obligatio meliùs probetur, introducta eſt; nec minùs valet quod actum eſt, licet ſcriptura non interveniat, ut vult Gajus *(f)*. Bartolus ſanè caſum, *l.* 1. *Cod. de jure Emphyteutico*, controverſum inter Doctores ait, an in emphyteuſi probanda ſcriptura requiratur. Gloſſa in dicta *l.* 4. *de Pig.* multos caſus enumerat, in quibus ſcriptura ex neceſſitate requiritur, inter quos & hic annumerandus eſt, & apud omnes gentes receptus, ut inveſtituræ actus cum omnibus circumſtantiis in ſcriptum redigatur. Et in hoc ſcripto etiam hæc regula ſervanda

(a) Vid. lib. 3. D 1. § 19. (b) Cap. 88. Parl. 10. Reg. Mariæ. (c) Vid. cap. 18. § 4 & 56. lib. 2. Reg. Majeſt. & D. 2. § 18. (d) Cap. 20. § 3. lib. 2. Reg. Majeſt. (e) 2 F. 32. pr. (f) l. 4. ff. de pign. & hypoth. & l. 4. in fine, ff. de fide inſtrument.

vanda est, quæ à Justiniano Imperatore proponitur in Codice *(a)*; nempe, licet forma contractus abbreviata sit, aut ipsa Charta, quam investituram dicimus, à Tabellione in abbreviaturam redacta; non tamen ex ea oritur jus sive actio ad implementum, i. e. neque venditori, neque domino, ad cogendum vassallum, sive emptorem, rem aut fundum accipere; neque emptori, aut vassallo, adversus dominum ut rem tradat actio ulla datur, nisi instrumentum (quo nomine intelligo omne monumentum & documentum scriptum, per quod vel actoris intentio, vel rei exceptio probari potest, ut differat ab instrumento publico, quod non nisi Notarii aut Tabellionis publici manu conficitur) nisi instrumentum, inquam, illud in mundum redactum, & subscriptionibus partium confirmatum, & ab ipso Tabellione, seu scribente, completum & omnibus suis partibus sit absolutum, & coram partibus lectum: adeò ut neque illud liceat objicere, quod de pretio convenit: neque enim ex jure necessitas competit ad contractum venditionis perficiendum, sed semper utrique contrahentium locus est resiliendi, & sic pœnitentiæ; cum hac tamen moderatione, quòd si quid arrhæ nomine emptor dederit, si resilierit à contractu, & pœnituerit, eam amittet *(b)*. Venditor autem pœnitens, arrham emptori duplicabit: hoc tamen posterius in usu nostro non est. Si tamen alteruter contractum perfectum esse dicat, & manus junctas (ut fieri solere vidimus) de absolvendo afferat, idque licet scripturam non habeat, juramento partis permittere velit, quæri potest utrum hæc juramenti delatio, scripturæ defectum possit supplere. Sed sanè, ne in hoc quidem casu, jurare alterum cogendum puto: nam privilegium hoc juris est, licet contractus etiam verbis interceserit, si convenerat, ut in scripta redigatur; donec enim scriptis perficiatur quod verbis convenerat, semper ex jure locus est pœnitentiæ. Itaque jurare de libello, quando exceptioni locus est, nemo tenetur. Sæpissime tamen in Senatu vidi, abbreviaturas contractuum, si omnia substantialia continerent, & subscriptionibus partium essent roboratæ, pro perfectis contractibus receptas, actionesque ultro citroque ex eis concessas: neque enim abbreviaturæ censebantur, licet in ipso initio abbreviaturam esse partes profiterentur, sed pleni & integri contractus.

22. Verba autem in his contractibus debent esse clara & dilucida, ac potissimùm in investituris; ne locus ulli ambiguitati relinquatur: nam si quid sit minus clarum, sumenda est interpretatio ex mente contrahentium. Si obscuritas verborum talis sit, ut mens contrahentium inde nequeat colligi, tunc ad legis mentem recurrendum est; ut primò interpretatio sumenda sit ex communi observatione, quæ in usu est illius regionis, in qua contractus sive investitura facta est, aut ejus in qua feudum situm est. Quòd si alius sit mos ejus regionis ubi investitura fit (de investitura propria loquor) ab eo ubi res sita est, observatio ejus loci in quo res sita, est præferenda. Si de observatione particularis aut specialis loci non constet, tunc ad communem feudorum naturam recurrendum, quatenus in scripto continetur. Si neque aliquod sit de ea re jus scriptum, tunc verba interpretationem suscipiunt pro vassallo contra dominum: nam licet feuda sint stricti juris ex sua natura, tamen in dubio recipiunt interpretationem ex æquo & bono, contra dominum, qui apertiùs & planiùs suæ investituræ leges dicere poterat *(c)*. Sæpe recurritur apud nos ad vicinarum gentium usum, sive mores, nisi cum ratione aut juris nostri pugnet fundamentis. Neque enim eum errare puto, qui cum nullum apud nos jus municipale scriptum de quavis quæstione reperiatur, jus illud sequatur, quod in vicinorum bene constitutis rebuspub. frequentatur. Quòd si nusquam jus scriptum de hac quæstione reperiatur, quæ supra dixi *(d)* de hac re observanda: dubiæ investituræ cum aliis clarioribus, de eodem feudo, conferendæ, posteriores cum prioribus, & obscuriores cum clarioribus. Qui investire alium tenetur, aut feudum promiserat præstare, id suis sumptibus præstabit & perficiet, nisi aliter inter partes convenerit. Et hoc controversum sæpe vidi, cum in contractibus quis alium investire promiserat; id enim suis sumptibus præstare tenebatur. Si tamen semel Chartam

(*a*) l. 17. C. de fide instrument. (*b*) d. l. 17. Vid. de arrhis cap. 10. lib. 3. Reg. Majest. & statutorum Gildæ cap. 22. § 4. (*c*) 1 F. 14. § 2. ibi, Nisi pactum fuerit investitura; 2 F. 2. § 2 & 18. ibi, Propter tenorem investituræ. (*d*) Lib. 1. D. 8. § 14 & 15.

tam dederit, renovare eam non eſt cogendus, niſi & hic aliud actum ſit; & ſemper in his, quid actum, inſpiciendum. Quòd ſi quis duas aut plures inveſtituras, aut diverſa infeofamenta acceperit, per poſterius priori non derogat, ſed utro velit uti poterit, & hoc ex jure communi.

23. Denique, ut materiam hanc Chartarum abſolvam, cavendum in eis præcipuè, ne ulla in eis ſuſpicio ſit, ut antea in Charta confirmationis expreſsè providetur. Præcipuæ ſuſpiciones hæ ſunt, quarum quædam violentæ ſunt & valde premunt, aliæ minus. Quæ magis ſunt violentæ ſunt hæ, raſura in ſubſtantiali aliquo capite, videlicet vel in nomine vel cognomine dantis aut accipientis, vel in numero ſummæ, aut redditionis, aut in Data, aut ſi aliter partes in una parte nominentur, aliter in alia. Nam ſæpe Senatus ex ſola inſpectione Chartam inutilem, etiam falſam declaravit. Leviores ſuſpiciones ſunt, ſed quæ etiam maximè gravant, ſi diverſitas ſcripturæ aut ſcribentium in Charta ſit, ſi vitium aliquod ſit literarum, ſi falſa Latinitas, (quæ tamen jure Canonico non vitiat reſcriptum Principis, ut nec apud nos Chartas:) ſic & interlineatio & cancellatio, nam hæ etiam vim chartæ tollunt: ſic, ſi per notas Arabicas 1, 2, 3, 4, 5, & deinceps, quid ſcribatur, quod integrè debet ſcribi; aut ſi teſtes non fuerint ſpecialiter denominati *(a)*.

Diegeſis quinta,

De Conditionibus in Inveſtituris, vel circa Inveſtituras, apponi ſolitis.

SUMMARIA.

1. *Feuda omnia ab initio pura, abſque ullis conditionibus, quæ veram feudi naturam pervertere poſſent.*
2. *Conditionibus appoſitis, feudum degenerat; quæ ab Anglis ad nos contagione pervaſerunt, eò facilius quòd juris Civilis eſt, pacta dare legem contractibus. Quæ pacta apud nos* Proviſiones *vocantur. Et ſunt pars Chartæ.*
3. *Conditiones duplices ſunt, tacitæ, ſive* legales, *quæ in jure ſemper præſumuntur, & naturaliter inſunt contractibus, &, ut Angli loquuntur, in juris intelligentia conſiſtunt. De feudis non idoneis conceſſis remiſſivè.*
4. *Aut expreſſæ ſunt, ſive* conventionales, *quæ in inveſtitura exprimuntur, aut per pacta ex incontinenti adjiciuntur, quæ reales dicuntur, de quibus in ſequenti Diegeſi, ubi etiam de conditionibus in favorem dantis. De conditionibus irritantibus, quæ apud Anglos in locationibus & aliis contractibus locum habent. Etiam apud nos, ſed cum Senatûs declaratoria. Conditiones etiam ſunt in favorem accipientis.*
5. *Conditio in favorem concedentis,* ne vaſſallo alienare liceat, *apud Anglos, aut nos, niſi in feudis militaribus, non valet. Hæc conditio in jure Civili nulla eſt. Et etiam apud Anglos: ſed diſtinguunt inter feudum ſimplex & talliatum; & licet in feudo ſimplici rejiciatur hæc conditio, non tamen ſimpliciter. Et plura de his remiſſivè.*
6. *An hæc conditio,* ne alienare liceat, *cum conſcientia pugnet? remiſſivè. De calliditate in foro verſantium & apud Anglos & nos.*
7. *Conditio hæc,* ne alienare liceat, *apud nos alicui infeofamento, heredibus & aſſignatis conceſſo, inſerta, non valet: in cauſa neceſſitatis, non obſtante hac clauſulâ, alienatio apud Anglos permittitur.*
8. *Conditiones etiam aliæ ſunt, tam dantis, quàm accipientis cauſâ: quarum quædam ſtatuto apud nos damnantur.*
9. *Conditiones etiam quædam ſunt* fideicommiſſariæ,

(a) Et ſubſcribentes, per cap. 5. Parl. 3. Caroli II.

miſſariæ, *de quibus quid juris apud Anglos & nos?*

10. *Conditiones etiam aliæ ſunt* poſſibiles, *aliæ* impoſſibiles: *hæ rurſus vel* de jure, *vel* de facto; *de quibus ſingulis quid ſint, & quid operentur apud nos aut Anglos, in actibus inter vivos, aut ultimis voluntatibus?*

11. *Conditiones etiam ſunt*, ſi, de feudo adhuc viventis vaſſalli, ſi domino aperiatur, aut cum domino apertum fuerit, vel ſi ſine liberis deceſſerit, *quis paciſcatur.*

12. *Conditionibus affinia ſunt pacta quædam quæ contra jus interponuntur, & quæ ſunt de ſubſtantialibus feudi. Alia etiam ſunt pacta quæ de naturalibus tantum fiunt, quæ nullâ certâ regulâ comprehendi poſſunt. Sed ſemper quod ſtipulando vel paciſcendo conventum, eſt ſervandum; niſi naturâ, vel lege ſit impoſſibile.*

13. *Pacta alia reprobantur, alia admittuntur. Poſt conſtitutum feudum, nullum pactum ſuperaddi poteſt à domino aut vaſſallo, invito altero.*

14. *Solennia inveſtituræ, aut ſaſinæ, quæ ſint? Poſſunt etiam duo vel plures in feudo inveſtiri hereditariè, & hoc caſu ſunt apud Anglos juncti tenentes.*

1. PURA erant ab initio feuda omnia, ſive inveſtituræ, qualia pro majori parte adhuc ſunt; quoties veram feudi naturam exprimunt, neque conditionem, neque ſervitium ullum admittentia, præter illud quod eſt militare. Id facile cognitu erit intuenti vetuſtarum familiarum apud nos monumenta; neque enim in illis conditio ulla invenitur, neque clauſula quæ genuinam feudi naturam pervertat.

2. Per *Conditiones* autem appoſitas degenerat feudum, & *feudum conditionatum* dicitur, i. e. à prima feudi natura propter aliquas qualitates extrinſecas appoſitas declinans. Hoc genus feudâ apud Anglos ſunt frequentiora, & ad nos contagione pervaſerunt, eò faciliùs, quòd ad jus Civile propiùs accedebant, ubi conventiones partium legem dant contractui. Itaque conditiones hæ, quas ut plurimùm *Proviſiones* vocamus, licet primogeniam feudi naturam mutent, ſervandæ tamen cùm omnino ſint, antequam materiam Chartæ abſolvamus, de his etiam aliquid adjiciemus (ſunt enim ut plurimùm pars Inveſtituræ, ſive Chartæ;) & tum de ſaſina dicemus.

3. Conditiones autem duplices ſunt: aut *tacitæ*, ſive *legales (a)*; aut *conventionales*, quas *expreſſas* dicimus. De his ſingulis ſeparatim erit dicendum.

Tacitæ, ſive *legales*, ſunt eæ, quæ ex natura contractûs inſunt; veluti, ne feudi conditio deterioretur, ut ſervitia præſtentur, fides in omnibus ſervetur. Hæ enim ſunt legales conditiones, i. e. à lege ipſa præſumptæ, licet non expreſſæ; & ideò *tacitæ* dicuntur, quia licet nulla de eis conditionibus mentio exprimatur in inveſtitura, naturaliter tamen inſunt, & in jure ſemper præſumuntur ineſſe diſpoſitioni; &, ut Angli loquuntur, in juris intelligentia conſiſtunt: eaſque ſic illi definiunt, ut ſi feudum alicui diſponatur, ut ſit curſor, orator, dapifer, machinatum director, aut ut nemorum ſit cuſtos, aut alicui officio præſit, ſi is neque per ſe, neque per ſuum deputatum (modo deputandi jus habeat) illud officium exercuerit, aut ad exercendum ſit inidoneus, à feudo cadet, etiamſi talis conditio in infeofamentò non ſit contenta: nam hæc conditio naturaliter ineſt, ut qui ob officium feudum capit, illi ſervire teneatur; ſi neque officio defungatur, neque defungi poſſit, beneficio quod tantum ratione officii recepit, cedere cogendus, & ita jura provident. De hoc genere feudorum, quæ non idoneis conceſſa, aut omnino ad exercendum officium inhabilibus, antea diximus *(b)*.

4. *Conditiones* verò *expreſſæ*, ſive *conventionales*, ſunt eæ, quæ communiter *Proviſiones* ſive *Reſervationes* dicuntur, neque unquam præſumuntur, niſi exprimantur: & hæ conditiones, aut in ipſa inveſtitura, ſive corpore infeofamenti (ut loquimur) exprimuntur, aut per pactum ſive obligationem reciprocam in continenti appoſitam; qualia ſunt mortuum vadium, ſive pactum legis commiſſoriæ, & reverſio: realeſque hæ conditiones dicuntur, de quibus in ſequenti capite, quoniam ea materia ſuo tractatu

(a) l. 1. § 3. ff. de condit. & demonſt. & l. 4. & ſeqq. ff. de annuis legatis & fideicommiſſ. (b) Vid. lib. 1. D. 14. § 9, 10, 15 & 19.

tractatu digna eſt; itaque ad alias diviſiones conditionum in inveſtituris accedemus. Aliæ etiam conditiones ſunt in favorem dantis; veluti, reverſio, mortuum vadium, de quibus capite ſequenti; vel, ſi convenerit ut certus annuus reditus domino ſolvatur, in quo ſi peccatum fuerit per annum, diem, & menſem, dominus ſuâ auctoritate fundum ingredi poteſt: nam hæc conditio neglecta, vaſſallum poſſeſſione feudi privat, omnique jure quod in eo habet, & feudum domino aperit; quod & apud Anglos in locationibus & aliis contractibus locum habet. Si tamen tantùm convenerit, ut domino ingredi liceat, feudumque apud ſe retinere, donec omnia quæ debentur ſolvantur, & hæc conditio in favorem domini eſt introducta, & in utroque caſu dominus ingredi poſſeſſionem poteſt; ſed in poſteriore, vaſſallo recuperandi juris ſui & poſſeſſionis fit poteſtas, cum domino de præteritis ſatisfecerit. Apud nos *Conditiones* hæ *irritantes* dicuntur, & locum habent: ſed opus eſt actione & declaratoriâ Senatûs in tali regreſſu *(a)*.

Aliæ autem conditiones in favorem accipientis; nempe, ut, ſi accipiens talem pecuniam ad certum diem ſolverit, res perpetuò apud eum remaneat. Si tamen convenerit, ut, qui feudum accepit, ſi ante diem certum ſummam conventam ſolverit, ut feudum ſit perpetuum, iſque rurſus vadium ſub ea conditione alteri dederit, & is tertius paratus ſit ante diem pecuniam ſolvere, is etiam feudum ſive vadium habebit perpetuò ſuum, & nulli obnoxium redemptioni. Licet conditiones hæ ſint ſtricti juris, nec recipiant perſonarum extenſionem; rationem tamen Angli adducunt, quòd pro ſecuritate ſuæ pecuniæ, ſecundus emptor intereſſe habeat in ſecundo pacto.

5. Occurrit etiam ſpecialis conditio in favorem concedentis, *Ne vaſſallo alienare liceat rem ei conceſſam*: de qua clauſula aliqua ſunt dicenda. Sanè feudum militare ex jure alienare non licet *(b)*; præcipuè etiam, ſi prohibitio hominis accedat. Apud Anglos hæc conditio locum non habet, neque apud nos, niſi in feudis militaribus, i. e. ut loqui ſolemus, quæ wardam & relevium debent. Si igitur in his quæ alienare licet hæc conditio apponatur, videndum quid operetur. Sanè hæc conditio in jure nulla eſt *(c)*, ne liceat cuivis ſine conſenſu alterius prædium alienare. Et in hoc cum veteri jure Romanorum Angli conveniunt: nam apud eos hæc conditio habetur non ſolùm pro irrita, ſed etiam pro ea, quæ omnino feudi naturæ ſit contraria: cùm enim feudum alicui & ejus heredibus & aſſignatis conceditur, videtur expreſsè conveniſſe, ut alienare poſſit: neque enim aliter clauſula de aſſignatis faciendis conveniet, cùm hi ſine alienatione fieri non poſſint. Itaque cùm ex jure quis rei ſuæ dominus ſit, eâque uti vel abuti poſſit, & aſſignatorum etiam ſpecialis mentio fiat, (per *Aſſignatos* intelligo omnes ſingulares ſucceſſores,) & in eos permiſſa etiam rei ſuæ diſpoſitio à concedente videtur. At in feudo militari, ſi expreſſum fuerit, [*Ne alienare liceat,*] cùm duo vincula fortiora ſint uno, ſequitur ex jure & ex expreſſa conventione partium, illam clauſulam ſimplicem, de non alienando, tolli nullo modo poſſe. Angli tamen ita rem moderantur, ut in feudo ſimplici hæc conditio [*Ne liceat rem alienare*] non valeat; libera enim ei qui accipit à lege adminiſtratio rei ſuæ conceſſa videtur: at in feudo talliato, ſive in genere, ſive in ſpecie, conditionem valere putant, ut omnis alienatio ei interdicatur; quod ſi fecerit, domino feudum repetenti ex ea alienatione locus eſt. Rationem illi adducunt, quòd in feudo ſimplici libera videtur diſpoſitio conceſſa: at in feudo talliato provideri poterit, ne alienatio fiat, ut mens diſponentis ſalva ſit, nec in irritum cadat. Et licet in feudo ſimplici conditio hæc [*Ne* omnino *alienare poſſit*] rejiciatur; poteſt tamen convenire, ne Titio, ne Sempronio, vel alicui certæ perſonæ, alienatio fiat, aut heredibus: nam omnis alienatio hîc non excluditur, ſed tantùm quæ in certas perſonas fieri poteſt. Eodem modo, ut in jure matrimonio ſimpliciter interdici nemini poteſt, ne tamen Titio aut Sempronio quæ nubat interdici poteſt: & legatum hic non debebitur, niſi conditioni pareatur *(d)*; in altero debebitur, nam pro non adjecta hæc conditio habetur *(e)*

(a) 1 F. 21. (b) 2 F. 52 & 55. (c) l. 16. ff. de pactis. (d) l. 63. ff. de condit. & demonſtr. (e) l. 22. ff eod.

Litiltonius in ſuo tractatu *de Tenoribus* narrat de quodam Rikhillio, qui cùm plures haberet filios, & cavere vellet ne in fraudem ſecundi primogenitus alienaret, aut ſecundus tertii, ita feudum conceſſit primogenito, & heredibus ex ejus corpore procreatis, quibus deficientibus, ſecundo genito & ejus heredibus, illiſque rurſus deficientibus, tertio: & ne quis filiorum alii in ſucceſſione præjudicaret, cautionem hanc interpoſuit, ne primogenito, cui ſub hac conditione feudum conceſſum eſt, quoquo modo alienare liceret, vel ejus heredibus; quod ſi fecerint, eo caſu feudum, ſive jus feudi, ad ſecundò genitum perveniret: idem in ſecundo genito repetit, & in tertio. Sed has conditiones irritas eſſe ex jure multis ille rationibus ibi docet: quas, quoniam potiùs cum jure Anglorum, quàm noſtro conveniunt, prætermitto; ſatis enim eſt locum monſtrâſſe *(a)*.

6. An autem hæc conditio [*Ne alienare liceat,*] in feudo talliato, cum conſcientia pugnet, necne, accurata eſt diſputatio in eo libro, qui *Dialogus inter doctorem & ſtudentem* dicitur. Et licet ex jure Anglorum, provideri in feudo talliato poſſit, ne in fraudem heredum, qui in tallia ſuccedere debent, alienatio fiat; qui tamen in foro verſantur callidis artibus mentem legis ſubvertunt, & ex illicito licitum per ambages faciunt; dum quod vaſſallus alienare non poteſt, propter conditionem in feudo talliato expreſſam, id ei colludenti ſive conſentienti, ſimulatus contradictor (reverà tamen feudi emptor) ex tacito conſenſu, judicio feudum evincit, illi recuperationem vocant. Ea quomodo fiat in eodem dialogo exprimitur, & ego hîc expreſſiſſem, niſi novis circumventionibus feneſtram patefaceret, ad quas per nos ſatis ſumus ingenioſi, nec novis artibus opus ſit. Frequentiſſimum enim eſt in uſu, cùm quis ſuperioris domini conſenſum obtinere niſi magnis ſumptibus non poſſit, ſuppoſititiam obligationem libris judicis ordinarii inſerere, & ſic ex decreto licitationem ejuſdem fundi facere; quâ factâ per literas ex Senatûs deliberatione, cogere dominum ſuperiorem eum in tenentem recipere loco prioris tenentis, quod ſuperior dominus antea volens nunquam conceſſiſſet.

7. Sanè, quod ad nos attinet, conditionem hanc [*Ne alienare liceat*] cuivis infeofamento inſertam valere non puto, quoties fundus alicui, ejus heredibus & aſſignatis conceditur: nam aſſignatorum mentio hanc conditionem ſecum trahit, ut aſſignatos facere liceat; cui cùm contraria ſit ea conditio, *Ne liceat alienare*, i. e. ne liceat aſſignatum facere, puto hanc poſteriorem conditionem nullam, quaſi priori contrariam, & beneficio juris quod vaſſallus habet derogatoriam. Nunquam tamen hanc quæſtionem deciſam vidi, itaque me hic continebo. Quod me maximè movet, ex lectione Zaſii *De feudorum uſu* deſumptum eſt: memini me apud eum legiſſe, etiam in feudo militari, quod ſecum (ut nos loquimur) wardam & relevium trahit, ſi feudum cuivis ſit conceſſum, ejuſque heredibus & aſſignatis, permitti alienationem in eo caſu, quæ alioqui ex jure eſt prohibita, prægravante conditione & mentione expreſsâ aſſignatorum legales diſpoſitiones feudi. In antiquis monumentis rara vel nulla erat aſſignatorum mentio, adeò ut hanc clauſulam adjectam putem à recentioribus, ut cuivis expreſsè liceat, quod alioqui de jure non liceret. In cauſa autem neceſſitatis apud Anglos etiam feudum talliatum, non obſtante proviſione [*Ne alienare liceat*] alienare quis poteſt, cùm quis ſibi magis proſpicere debet quàm heredi.

8. Sunt & aliæ conditiones, quæ utriuſque causâ, i. e. tam dantis quàm accipientis, fiunt; licet aliquando in corpore inveſtituræ non inſerantur: nos obligationem *protectionis*, *hominii*, & *manutentiæ*, vulgariter MANRENT & MANTENANCE, dicere ſolemus. Has conditiones, ex utraque parte, nempe ut vaſſallus hominium præſtet domino, quæcunque ſervitia obeundo, cum eo ſimul & in ejus comitatu, equus ſive pedes, ſit præſto, utque dominus rurſus vaſſallum tueatur & defendat, naturaliter omnibus feudis ineſſe antea diximus *(b)*: ſed neſcio quid noſtros Ordines impulerit, ut ante annos quadraginta obligationes de ſervitiis præſtandis domino, & dominorum rurſus aſtrictiones de tuendis vaſſallis, planè damnaverint, terraſque eo nomine, i. e. hominii, conceſſas redhiberi voluerint *(c)*. Eâ ratione motos

(*a*) De quibus quid juris apud nos, vid. ſupra lib. 1. D. 9. § 28. (*b*) Ibid. § 27. (*c*) Cap. 43. Parl. 6. Reg. Mariæ.

motos veriſimile eſt, quòd hæ obligationes ſubditos à Principis obſequio divertant, aliorumque ſervitiis obnoxios faciant, materiamque & faces etiam ſeditionibus & tumultibus præbeant. Certum, de ſeparatis obligationibus, & non de iis Ordines ſenſiſſe, quæ naturaliter omni feudo inſunt: nam ſi ea natura ſive qualitas harum obligationum damnetur, neſcio quomodo militaria feuda ſuſtineri poſſint; quæ tamen & in uſu patrum noſtrorum frequentiſſima fuerunt, & hodie etiam quotidie obſervari videmus.

9. Sunt & quædam conditiones, quæ neque dantis neque accipientis causâ fiunt, & multò minùs utriuſque; veluti, ſi ita convenerit, ut ego tibi feudum concedam, eâ lege ut tu alii concedas, quod feudum rectè fideicommiſſum dicitur; cùm quis, cui velit, nequit diſponere directè, alium infeudat, ejuſque fidei committit, ut is tertium rurſus in illud feudum ſubſtituat, conditionem hanc omnes putant validam, eumque cujus fidei committit, cogendum, in tertium ex mente inſtitutoris deſtinatum transferre, jure quàm optimo, i. e. eo jure quo meliùs fieri poteſt, aut ſolet. Quòd ſi is, cujus fidei committitur, alium ab illo quem primus deſtinavit infeudaverit, aut aliquid fecerit, cur fideicommiſſo non poterit ſatisfacere, &, ut in foro loqui ſolemus, inhabilem ſe effecerit ad implendam eam conditionem, ſub qua infeofamentum receperat, etiamſi ad tempus ſolùm inhabilis factus fuerit; veluti, ſi uxori, aut alicui alii, uſumfructum fideicommiſſi dederit, apud Anglos à jure ſui feudi cadit: quod & apud nos etiam locum habere puto, niſi is qui fideicommiſſum accepit, aut impedimentum omne, quod ex ſe natum eſt, tollere ſit paratus, aut aliàs quod intereſt præſtare. Et hæc de prima & ſecunda conditionum diviſione.

10. Conditionum alia eſt diviſio *ex jure*; aliæ enim conditiones *poſſibiles* ſunt, aliæ *impoſſibiles*. *Impoſſibiles* autem rurſus ſubdividuntur, in *impoſſibiles de jure*, & *impoſſibiles de facto*. *Impoſſibiles de jure* ſunt quæ per jus fieri non poſſunt. Tritum eſt illud in ſcholis, *Hoc poſſumus quod de jure poſſumus*. Hæ autem de jure impoſſibiles conditiones dicuntur, quæ a lege, vel à jure prohibentur; quales ſunt omnes turpes conditiones, ubi verſatur turpitudo, aut quæ occaſionem ſceleris patrandi, veluti homicidii, furti, vel ſimilium, inducunt, aut quæ contra bonos mores ſunt. Sic apud Anglos, etiam in inveſtitura talliata, ſi quis in ea caverit, ne inveſtitus aliquod commodum ex inveſtitura capiat, aut vaſtum faciat: nam hæ conditiones nullæ ſunt, cùm id prohibent quod jus permittit. Aliæ dicuntur *impoſſibiles*, quæ omnino fieri *natura* prohibet: quales ſunt illæ, *Si cœlum digito attigeris*, *Si Londino Romam uno die proficiſcaris*. Et harum conditionum, ſive de jure, ſive de facto impoſſibilium, eadem eſt ratio, nam actum cui apponuntur vitiant *(a)*; licet in legatis, & fidei commiſſis, favore ultimarum voluntatum pro non adjectis habeantur. Quod ad jus noſtrum attinet, conditiones hæ in inveſtituris raræ ſunt & inſolentes, nec quid Senatus in his cenſeret certum eſt: credibile tamen eſt jus Anglorum ſequuturum, præcipuè ſi traditio ſubſequuta eſt: nam hæ conditiones, cùm non minùs turpes ſint ex parte dantis quàm accipientis, potiores partes ejus exiſtimo qui in poſſeſſione eſt: nam has turpes ſive impoſſibiles conditiones, cùm traditio accedit, in licitas mutari maxima pars Feudiſtarum putat. Sed de his conditionibus impoſſibilibus, & quotuplices ſint, plenè Bartolus.

11. Sunt tamen quædam conditiones quæ dubitationem movere poſſunt, quales ſunt hæ: *Si de feudo adhuc viventis vaſſalli, ſi domino aperiatur*, aut *cùm domino apertum fuerit (b)*, vel *ſi ſine liberis deceſſerit*, quis paciſcatur. Movet dubitationem, quod ante dixi *(c)*, alienæ rei neque feudum neque inveſtituram valere, & quòd vitium captandæ mortis inducant, quod in jure prohibetur. Sed conditio in quam reſolvitur, valere facit, ac ſi ita fuiſſet conceptum feudum, *Si quando meum erit, tibi dabitur*; quæ conditio licita eſt, ex jure, ſive de generali feudo, *quodcunque mihi primum aperietur*, ſive de ſpeciali, putà de *feudo Titii aut Sempronii (d)*: tam cùm primùm conditio evenerit, dominus cogendus eſt ad traditionem, neque

(a) l. 35 & 137. § 6. ff. de V. O. § 11. Inſt. de inutil. ſtip. (b) 1 F. 3, 9 & 27. in fine. (c) D. 2. § 21. (d) Schon. Diſput. Feudal. lib. 1. diſp. 5. theſ. 34, 35 & 37.

pœnitere poteſt, licet inveſtitura interea de re aliena facta ſit *(a)*. Conditio autem, *ſi ſine liberis deceſſerit*, impletur, ſi liberos quidem tempore mortis habuit, & ii poſtea deceſſerint *(b)* : licet plerique ſint in contraria opinione.

12. Conditionibus his affinia ſunt pacta, quæ in inveſtituris apponuntur : nam ſi ea vel lege vel naturâ impoſſibilia ſint, feudum vitiant & tollunt, ut antea dixi *(c)*. Inter pacta quæ contra jus interponuntur, & hæc numerantur. Si paciſcantur partes, ne fides aut fidelitas præſtetur : hoc enim pactum aperte contra jus Feudale concipitur ; nam feuda ſine fidelitate aut fide diſponi non poſſunt, cum fidelitas ſit de ſubſtantia feudi, itaque ne ea præſtetur paciſci nemo poteſt. Simile pactum eſt, Si convenerit, ne ſolennia feudi & inveſtituræ fiant ; veluti, ſi quis paciſcatur de feudo alii tradendo etiam ſine inveſtitura : nam inveſtitura eſt etiam de ſubſtantia feudi, & hæc ſolennia ſunt juris publici, quod privatorum pactionibus non mutatur *(d)*. Idem, Si quis paciſcatur, ut alia res quam immobilis, aut immobili æquipollens, in feudum detur. Sunt tamen quædam pacta quæ non ſunt de ſubſtantia feudi, ſed ſunt quaſi de adminiculis, quæ contra naturalia contractus fiunt, non ſubſtantialia ; veluti, ut certum ſervitium præſtetur, cum tamen ex natura feudi ſervitia ſint incerta ; vel, ne ſacramentum fidelitatis præſtetur, quod in Eccleſia ſemper recipitur, quia & ſine juramento ei creditur *(e)*. Apud nos fere perpetuum eſt, quòd vaſſallus, licet fidelis eſſe teneatur, tamen juraſſe ſemper præſumitur. Sic pacto provideri poteſt, ut in feudo fœminæ ſuccedant (licet regulariter feuda tantùm ad maſculinam lineam deſcendant :) quod fit, quando pacto ita providetur ut heredes quicunque, i. e. ſive maſculi, ſive fœminæ, ſuccedant : ut frater fratri in novo feudo ſuccedat, quod tamen alioqui non licet ; nam in feudis novis, ut toties monui, frater fratri non ſuccedit. Sic pacto provideri poteſt, ne frater fratri in feudo antiquo ſuccedat : ſic, ut in Regalibus feudis, qualia ſunt Ducatus, Marchionatus, filii ſuccedant, cum tamen alioqui feuda hæc Regalia dignitatum ad heredes non tranſeant : ſic, ut maritus uxori in feudo ſuccedat, aut uxor marito : ſic, ut filii naſcituri ex ſecunda conjuge ſuccedant ; aut ne filii ex priore conjuge ſuccedant ; aut ut hi ſoli ſuccedant ; aut ut pater filio in feudo ſuccedat, licet regulariter feudum non aſcendat ; & alia infinita pacta, quæ nullâ certâ regulâ comprehendi poſſunt : nam quod vel ſtipulando vel paciſcendo convenit, ſervandum eſt, niſi vel naturâ vel lege ſit impoſſibile, quibus & ea pacta adnumeranda ſunt, quæ contra ſubſtantialia feudi interponuntur, non quæ contra naturalia, ſive accidentalia. Quæ autem ſunt ſubſtantialia, quæ naturalia, quæ accidentalia in feudo, antea expoſui *(f)*.

13. Contra ſubſtantiam feudi & hæc pacta cenſentur : ne feudum ob commiſſam feloniam aut ingratitudinem amittatur ; præbent enim occaſionem delinquendi : licet valeat pactum, ne privetur vaſſallus feudo, propter alienationem, deteriorationem, vel ſervitia non præſtita. Sic & illud pactum reprobatur, ſi conveniat, ut vaſſallus propter delictum filii feudum amittat ; cum pœna delinquenti non innocenti ſit imponenda : ſic, in jure Feudali pactum legis commiſſoriæ reprobatur. At de alienatione feudi, pacta intervenire poſſunt ; veluti, ſi dominus permittat ut vaſſallus alienet, nam eo caſu vaſſallus ſecurus eſt, ne à feudo cadat, licet feudum alienet : ſic, ſi dominus paciſcatur, ne vaſſallo liceat alienare ; quod, licet ex communi feudorum jure non licet, tamen & hoc etiam operabitur, ne vaſſallus ſubinfeudare in illo feudo alium poſſit. Sic & pacto provideri poteſt inter dominum & vaſſallum, ut vaſſallus de feudo teſtari poſſit, non tamen ut Eccleſiæ relinquat, quia ibi domini jus deterius redditur *(g)*.

Poſt conſtitutum feudum, neque vaſſallus invito domino, nec dominus invito vaſſallo pactum novum apponere poſſunt ; licet ab initio poſſint per pacta legem contractui apponere *(h)*.

14. Solennia

(a) Cum inveſtitura talis non ſit ultimæ voluntatis ſpecies, ſed actus inter vivos, in quo ſpes debiti conditionalis tranſmittitur ad heredes, ſi priuſquam conditio extiterit, mors intervenerit, § 4. Inſtit. de V. O. *(b)* l. 17. § 6 & 7. ff. ad SCtum Trebel. & ibi Bartol. *(c)* § 10. *(d)* l. 38. ff. de pactis. *(e)* 2 F. 76 & 101. *(f)* lib. 1. D. 9. § 20. *(g)* Schon. ubi ſupra, theſ. 57. *(h)* Schon. theſ. 82. ubi ſupra.

14. Solennia autem inveſtituræ, ſive ſaſinæ, hæc ſunt: ut vaſſallus cum omni humilitate petat, quod & in noſtris ſaſinis hodie obſervari videmus, & ut in præſentia Parium fiat; imò antiquitùs, ut eorum ſubſcriptione & confirmatione roboretur. Poſtea tamen, ſi coram teſtibus fiebat, nihil requirebatur *(a)*; quia Pares non ſemper erant, aut ſi eſſent, eorum præſentia non ſemper erat parata. Poſſunt autem & duo ſive plures aliquando in feudo inveſtiri, & etiam hereditariè, quo caſu in æquas partes cenſentur inveſtiti. Angli (ut antea oſtendi) *conjunctos tenentes* vocant; quo caſu invicem ſibi ſuccedunt, i. e. pars præmórientis viventi accreſcet; ea enim fuiſſe diſponentis præſumitur voluntas: utroque mortuo heredes (ſi hereditarium ſit feudum) in æquas partes ſuccedunt. Id ex moribus Anglorum.

Diegeſis ſexta,

De Reverſionibus, & mortuo Vadio.

SUMMARIA.

1. *Continuatio de reverſionibus, aliiſque conditionibus, quæ poſſeſſorem obligant, licet in inveſtituris non ſemper continentur, ſed ut plurimùm, ut apud nos, in ſeparata obligatione.*
2. *Licet nihil in jure de nominibus reverſionis & regreſsûs, evidens tamen eorum eſſe exemplum ex textu patet.*
3. *Pro redemptione, tam realis quàm perſonalis actio competit. Poſt oblationem, & conſignationem, ratio fructuum habetur. Pactum de retrovendendo eſt ſtricti juris apud nos, nec ad heredes extenditur, niſi eorum fit mentio. Reverſionum verba ſive tenor ſemper eſt inſpiciendus.*
4. *De loco conſignationis, ſi nullus convenerit, an ſuper ipſo feudo, an ubi reverſio conceſſa eſt fieri debeat? Si reverſio ſit generaliter conceſſa, ſpecialibus omiſſis, tunc ad locum habitationis facienda eſt oblatio; & ſi aut nulla, aut incerta ſit, in Eccleſia parochiali; nec, ut Angli volunt, quærendus eſt creditor per omnes regni angulos. Quomodo apud nos fiat? & de periculo obſignantis.*
5. *Reverſio eaſdem habet ſolennitates quas diſpoſitio, & inter eas paritas obſervatur, ut ſi minor alienationem receperit, idem & reverſionem concedere poſſit: ita inter patrem & filium. Solennitates quæ ſint? Notarii officium quid hac in re? De eo qui falsò aſſerit ſe ſcribere neſcire. In rebus magni momenti duo Notarii requiruntur.*
6. *Non datur actio ex reverſione ſubſcripta, ſigillum etiam continente, niſi etiam verè ſit appenſum; ſed priùs ut appendatur agendum, poſtea pro redemptione. Quid ſi non convenerit ut appendatur? Datam habere debet cum teſtibus, niſi ſit αὐτόγραφη: quæ, ut omne aliud inſtrumentum, abſque teſtibus in Senatu fidem invenit.*
7. *Si viro & uxori conjunctim reverſio ſit conceſſa. Si duobus conjunctim, aliter apud nos, aliter apud Anglos, reverſio competit. Si duobus alternativè, huic, vel illi. Si duobus ſeparatim conceſſa ſit reverſio, vel aſſignata, qui priùs jus ſuum intimaverit præferetur. Si feudum alienatum ſit ſub reverſione, poſtea eidem perſonæ, abſque reverſione, de ſuperiore tenendum, reverſioni videtur renunciâſſe, qui alienationem recepit. De quo tamen dubitatur.*
8. *Reverſiones aliæ ſunt conventionales, aliæ legales. De his remiſſivè. De illis, quæ ſunt exactè obſervandæ dcinceps.*
9. *De præmonitionibus. In his numerus dierum eſt obſervandus, in quo ſufficit alterutrum, ſive præmonitionis, ſive comparitionis, eſſe liberum. Si certus dies non ſit adjectus, ſed ut in communi forma, ad 40 diem facienda eſt redemptio. Si locus nullus ſit conſtitutus, v. § 4. Si qui præmonendus eſt ſit extra regnum, non eſt ei indulgendum ſpatium 60 dierum. Si certus dies non ſit conſtitutus, nec ut in communi forma fiat convenerit, quodcunque tempus, vel biduum, vel triduum, ſufficit.*

(a) Hodie tamen ut ſubſcribant neceſſe eſt, per cap. 5. Parl. 3. Car. II.

10. *De reversionibus legalibus.*
11. *Qui reversionem concessit, si vivat & possideat, solus est prænonendus, neglecto jure basso in persona filii. Si extraneus jus bassum habeat, & possideat, est prænonendus. Si pater & filius simul reversionem concesserint, & uterque vivat, uterque est prænonendus. Si qui concessit sit mortuus, heres ejus, omissâ dominâ conjunctæ infeudationis aut Tertiæ, pro redemptione est conveniendus, nisi in certo casu.*
12. *Prænonitio fieri potest heredi apparenti: imò heres apparens, licet redimere non possit, jus tamen redemptionis potest in alium transferre, quo facto heres adire videtur. Titulus passivus non est titulus activus.*
13. *Denunciatio semper fieri debet possessori hereditario; non colonis, precariis possessoribus, aut usufructuariis: sed ut tenor actorum in diversis editionibus variatur, sic & praxis variata est.*
14. *De forma denunciationis sive prænonitionis, obsignatione, declaratoriâ, & quis sit in ea judex competens: & an pecuniam obsignans eam levare possit? & de violentis fructibus.*
15. *Duplex est renunciatio; una per declaratoriam juris, altera voluntaria, quæ in quibusdam casibus non est tuta; licet non minoris sit roboris quàm judiciaria, nisi quòd secum non adferat litis expensas.*
16. *Quæritur* (1.) *si reversionem concedens, ut evitet redemptionem, assignatum fecerit, tam ad summam, quàm ad annos assedationis sequuturæ? In hoc casu dicendum est nihil assignato deberi.*
17. *Quæritur* (2.) *si certa species monetæ in redemptione convenerat, & nihil ejus generis supersit, quid juris?*
18. *Quæritur* (3.) *de assignatis, si reversor ex nova causa se emptori obligaverit, ne ei redimere liceat donec aliam summam solverit, & postea jus redemptionis in alium transtulerit, assignatus hic an terras redimet ex prima numeratione, neglectâ posteriori? Affirmatur, nisi novatio fiat inter venditorem & emptorem.*
19. *De assignationibus in genere. Cessio non impedit cedentem ei renuntiare, nisi insinuatio à cessionario facta fuerit ei qui de reversione tenetur. Si duo sint cessionarii, qui primus insinuaverit præfertur. Si uni generaliter omnes reversiones cessæ fuerint, alteri una, prior insinuans prævalebit.*
20. *Quæritur* (4.) *si reversor decesserit, & prædium custodiæ causâ ad dominum pervenerit, quâ creditor fructibus excluditur, an reversor, datâ pecuniâ, redimere possit? Affirmatur, si de damno satisdetur.*
21. *Quæritur* (5.) *si convenerit ne redemptio competeret, nisi omnes alias reversiones priùs redimat, an hæc conditio sit observanda? Affirmatur: sed utcunque dura sit hæc conditio, suum habet Alexipharmacum.*
22. *Quæritur* (6.) *si quis Baroniam suam, vel aliquam ejus partem, sub reversione alienaverit, & postea eandem in alicujus favorem resignaverit, cum omni jure & juris titulo, tam proprietatis quàm possessionis; an sub hac forma jus reversionis translatum censeatur, an verò in persona resignantis adhuc maneat? Senatui placuit non transire.*
23. *Quæritur* (7.) *alienatione & reversione concessâ, si alienans se emptori obligaverit, ut redemptione factâ is prædio utatur fruatur, si redemptio sequatur, & emptor omni juri renunciaverit, an sibi præjudicat quoad assedationem? Negatur. Idem in aliquo alio jure anteriori dicendum. Reversiones hæ numerantur inter res immobiles, itemque pecunia ex redemptione redacta; sed non semper. Si redemptio sit à minore, curare debet reversor cautionem interponi à curatore, pecuniam ad pupillum vel minorem perventuram; & tum rectè renunciabit minor: sed hoc in casu potior est redemptio judicialis. De reversione vi obligationis.*
24. *De legalibus reversionibus, quatenus à conventionalibus differant, aut cum iis conveniant? De præmonitione aut obsignatione, earumque effectibus in utrisque, & declaratoriis earumque effectibus. De consignatione, ejusque periculo, & an consignans levare possit pecuniam consignatam? Declaratoriæ vim voluntariæ redemptionis habent, & in voluntariis locus est fraudi.*
25. *Regressus quid sit? ejusque ratio & effectus. An feudum ex regressu ad vassallum reversum sit novum, an antiquum? cum distinctione respondetur. De reversione & regressu nihil in libris Regiæ Majestatis, ut nec apud Anglos, habetur: unde colligit Auctor hos libros non nostrum*

noſtrum ſed Anglicum jus continere.
26. *Gagium ſive vadium quid? & quid vivum vadium?*
27. *Mortuum vadium quid? Aliter apud veteres Anglos, ſciz. idem eſt quod apud nos* WADSET *vocatur: aliter apud recentiores, & idem eſt quod jure Romano pactum commiſſorium.*
28. *An hoc pactum legis commiſſoriæ ex jure & bonis moribus valeat? ubi tenenda eſt diſtinctio Bartoli. Quid jure Canonico?*
29. *An hoc pactum valeat jure Feudali? Negatur, ex ſententia Senatûs noſtri, & Commiſſariorum Edinburgenſium: & licet creditor poſt multos annos cogatur pignus poſt numeratam pecuniam reſtituere, poteſt etiam illud multò citiùs vendere ex jure communi. Ubi de Anglorum Brevi. Hottomanni objectio refutatur.*
30. *Reverſio & regreſſus, ut nobis propria ſunt, ut § 25. in fine dictum: ſic mortuum vadium eſt Anglorum. Quid illud apud eos ſit?*
31. *Quæ apud Anglos morgagii ſint propria?*
32. *An vadiante negligente ſolvere ad diem, tertius vel extraneus quis pro eo admittatur?*

1. NUNC de *Reverſionibus* dicendum eſt, quæ ex inveſtituris ſequuntur; quia ſunt quaſi pars infeofamenti, & rem ipſam ita afficiunt, ut ſi per mille manus res tranſiêrit, (ut loqui ſolemus) ſemper hæ conditiones quemcunque poſſeſſorem obligent, licet in inveſtitura non contineantur; nam pacta incontinenti appoſita pars etiam contractûs cenſentur, tam in bonæ fidei, quàm ſtricti juris judiciis *(a)*. Nec tamen negabo, quin & illæ reverſiones, & pacta legis commiſſoriæ, quæque in foro de mortuo vadio dicuntur, aliquando etiam infeofamentis inſeri ſint ſolita; quemadmodum doctiſſimus Dominus Skenæus, in ſuo *De verborum ſignificatione* tractatu, annotavit *(b)*: & ut in urbanorum prædiorum reſignationibus continuò hodie videmus obſervari, in quibus reverſiones perpetuò inſeruntur; ſed quia ut plurimùm in altera ſeparata obligatione continentur, præcipuè apud nos, itaque non expreſſa in inveſtitura dici ſolent *(c)*.

2. *Reverſionis* nomen in jure non habetur, ut neque *Regreſsûs*, ejus tamen exemplum evidens habetur in Tit. *de pactis inter emptorem & venditorem compoſitis* in lege ſecunda, Codice, *Si* (inquit Imperator Alexander) *fundum parentes tui eâ lege vendiderunt, ut ſive ipſi, ſive eorum heredes emptori pretium, quandocunque vel intra certum tempus obtuliſſent, reſtitueretur; teque parato ad ſatisfaciendum conditioni dictæ, heres emptoris non paret, ut contractûs fides ſervetur, actio præſcriptis verbis, vel ex vendito tibi dabitur, habitâ ratione eorum, quæ poſt oblatam ex pacto quantitatem ex eo fundo ad adverſarium pervenerunt.* Nuſquam (ut opinor) natura & effectus *Reverſionis*, imò ne in omnibus publicorum noſtrorum comitiorum ſtatutis meliùs explicata eſt. Primùm enim *Reverſio* vocatur, *lex*, *contractus* ſive *conditio*, quâ impletâ, totus contractus reſolvitur: Doctores *pactum de retrovendendo* vocant. Notanda verba, [*ſive ipſi, ſive eorum heredes*] quòd tam ipſis quam eorum heredibus competat hæc actio, ſed non niſi exprimantur. Notandæ ſunt voces [*quandocunque, vel intra certa tempora:*] ut ſciant omnes reverſionem ad certum tempus dari poſſe, ut non ſit jus redimendi, niſi intra id tempus ſolvatur pecunia, licet etiam id incertum, ex ſignificatione vocis [*quandocunque.*]

3. Præterea ex textu patet realem præberi & perſonalem actionem; realem actionem, nempe *præſcriptis verbis*, videlicet *do ut facias*, vel *facio ut facias*, nam præcise emptor ad id faciendum cogitur, & totus actus (niſi fecerit) reſolvitur: vel etiam *ex vendito*, ut etiam perſonalem ſignificet actionem competere; ſed tutius eſt ſemper in rem agere, quàm perſonam, ſi quâ actione quis velit experiri. Denique, poſt oblationem ſummæ in reverſione contentæ, & conſignationem fructuum, quos adverſarius poſt oblationem perceperat, rationem habendam, ut hi cum re ipſa reſtituantur ob moram, ut in noſtris conſtitutionibus habetur; nam quoad fructus retrahitur redemptio ad diem conſignationis ſive redemptionis, declaratoriâ ſemel

(a) l. 7. § 5 & 16. & l. 48. ff. de pactis. (b) Ad verbum *Reverſion.* (c) Vid. cap. 28. Parl. 5. Jac. III.

in judicio obtentâ *(a)*: oblationem enim non ſimplicem & verbalem jus requirit, ſed cum his limitationibus, nempe denunciatione (nos *requiſitionem* dicimus) & obſignatione ſive depoſitione: & ſic manifeſtum eſt formam noſtrarum reverſionum ex jure ipſo Civili deſumptam. Et ad heredes Imperator pactum tranſire voluit, cum pacta de retrovendendo, ratione feudi ſuper quo fiunt, apud nos ſtricti omnino juris ſint, nec ulteriùs extendantur quàm verba ſinunt: neque enim reverſiones, vel ſtricti juris contractus, ad heredes aut aſſignatos tranſeunt, niſi eorum ſpecialis fiat mentio. Cur autem venditiones feudorum & retrovenditiones, ſive pacta de retrovendendo, ſint ſtricti juris antea explicavi *(b)*. In bonæ autem fidei judiciis heredes veniunt, etiamſi eorum mentio non fiat. In ſumma hoc ſemper in reverſione ſervandum, ut ejus verba, ſive tenor, inſpiciatur, tanquam in inveſtituris, & ut ſecundum ea denuntiatio & obſignatio fiant.

4. Quæri & hîc poteſt de loco, ſi nullus in reverſione ſit expreſſus, utrúmne ſuper feudo ipſo, an verò in eo loco, ubi reverſio conceſſa eſt, ſolutio ſit facienda? licet hæc quæſtio in noſtris moribus non ſit adeò neceſſaria, cum ſemper in his reverſionibus ſoleat locus apponi, ubi pecunia obſignanda eſt, ſi emptor recuſaverit oblatam. Tamen ſi fortè generalis cautio de reverſione danda intercedat, & ſpecialia omiſſa ſint, & hîc obſervandum, quod antea *(c)* monui, in clauſula redditionis in inveſtitura, & in omnibus aliis perſonalibus actionibus, ubi ſolutioni non eſt certus locus deſtinatus, nempe ſi creditor ſui poteſtatem non faciat, ſed velit jus obligationis eludere, tunc ad locum habitationis oblatio facienda eſt: ſi nulla ſit, aut ea omnino incerta, tunc in Eccleſia Parochiali quam vocamus, in qua creditor habitat, oblationem ſufficere putamus *(d)*, nec cogendum debitorem per omnes regionis angulos creditorem inquirere, ne feneſtra ad omnem fraudem pateſiat. In his perſonalibus obligationibus debitor inquirere debet (ut Angli volunt) per omnes regni angulos, ubi creditor remanet: ſi vagetur, nec certum domicilium habeat, in Eccleſia illius Parochiæ, ubi habitat, pecunia deponenda eſt inter manus viri qui ſolvendo eſt. Sed apud nos qui paratus eſt deponere, apud amanuenſes Senatûs, poſt ſupplicationm Senatui oblatam, obſignabit, ut antea *(e)* dixi; alioqui obſignatio periculo obſignantis fieri ſolet: quod tamen non ſemper cum ratione convenit *(f)*; nam cum jura obſignationem ſive depoſitionem requirant, & certa eſt contumacia creditoris, cur poſt obſignationem, periculum belli, vel incendii, vel ſorte furti, ad obſignantem pertinere debeat, non video. Fieri tamen illud à nobis ſolet, ne ſorte fraus in obſignatione fiat; neque enim æquum credimus, ut debitor reverſionis, rem reſtituere cogatur, niſi pecunia ei ſalva ſit. Debitorem reverſionis voco eum, qui pactus eſt de retrovendendo, cum ei pecunia ſua offeretur. Solent etiam noſtri, quoties debitor reverſionis poteſtatem ſui non facit, neque certum habitationis locum habet, reſcriptum ſive literas à Senatu obtinere, ut denuntiatio fiat apud crucem foralem illius Vicecomitatûs, in quo habitare ſolitus eſt is qui reverſionis eſt debitor; conſignatio vero, in illa Parochiali Eccleſia ubi habitat, vel ſaltem ubi terræ ſitæ ſunt, ex arbitrio Senatûs *(g)*.

5. Hæc autem reverſio eaſdem ut habeat ſolennitates, quas diſpoſitio, requiritur. Itaque, ſi tantùm diſpoſitio nondum perfecta in nudi contractûs finibus adhuc permaneat, etiam reverſio ex eodem contractu ſufficit: ſi tamen contractus in inveſtituram jam tranſierit, aut ex reverſione agendum, ſi reverſio data fuerit, aut ſi nondum data, ut ea concedatur cum debitis ſolennitatibus actio competit: adeò autem paritas, quæ in alienatione, requiritur, ut ſi minor alienationem receperit, etiam reverſionem concedere poſſit; & tanquam ſub conditione reverſionis acquiſiviſſe ex jure præſumitur; & ſi pater filio acquiſierit ignoranti, reverſionem pater ipſe poſſit concedere. Nihil enim tam naturale quàm unumquodque eodem modo diſſolvi quo colligatum eſt; quod practicatum vidi in actione mota per Georgium Home de Spot contra dominum Georgium Home (nunc merito ſuo Comitem Dum-

(*a*) 1 F. 21. ibi, Cauſa cognita. (*b*) Lib. 1. D. 9. § 33. (*c*) D. 3. § 37. (*d*) l. 19. C. de uſuris. (*e*) D. 3. § 34. (*f*) Vid. § 24. (*g*) d. l. 19. C. de uſuris.

Dumbarri factum) qui octennis reverſionem dederat ejus alienationis quam octennis receperat. Solennitates autem hæ ſunt; nempe, ſi ſubſcribere qui dat ſciat, ut ipſe ſubſcribat; ſi neſciat, ut Tabellarii publici manu, ſe calamum tenente & mandante, ſubſcribat: neque in hoc caſu ſufficit ipſius Notarii ſubſcriptio, ita aſſerentis rem geſtam, & notam publicam in ejus manu captam, licet ſubſcriptione & ſigillo ſuo confirmatam; ſed ipſius concedentis manum à Notario veluti duci oportet, & ut confeſſio Notarii ſubſequatur, dicentis id ex mandato illius ſubſcribere neſcientis factum, & quodammodo ut ipſe ſubſcribat ſe manu propriâ per Notarium ductâ ſubſcripſiſſe, cum ſcribere neſciret. Annotandum tamen eſt, licet nota publica capta in manu Notarii non ſufficiat, ſi tamen idem fuit Notarius in ſaſina, qui in reverſione, ut in hac ſpecie facti valeat, quaſi Charta, ſaſina & reverſio unus tantum actus eſſent *(a)*. Quòd ſi quis aſſerat ſe neſcire ſcribere, cum tamen diverſi ejus chirographi extant, puto mendacium ei non debere prodeſſe, ſi de facto conſtet. Fit etiam ſæpe, ut alioqui ſcribendi ſciens, pro tempore ſcribere neſciat, forte manu ex caſu fortuito debilitatâ, aut morbo eum graviter tenente, aut podagrâ vel paralyſi ſuperveniente: & omnia hæc conſideranda ſunt, fieri enim poteſt, ut in his fraus imperitis nectatur; ita tamen ne nimiùm Notario credatur, qui fortaſſe defectum chirographi ſupplere volens, manu ſuâ ſubſcriptum, manum etiam principalis ductam affirmet, aſſerentis ſe ſcribere neſciviſſe. Hodie tamen propter frequentiam falſorum Notariorum, cautum eſt, ut in his reverſionibus, & in omnibus rebus hereditarium jus continentibus *(b)*, aut aliis rebus majoris momenti, duorum Connotariorum aſſertiones apponantur *(c)*: neque enim in duobus tam facile fraus præſumitur, quàm in uno. Nam, ante annum Domini 1540, ſufficiebat ſigillo reverſionem munitam fuiſſe, quemadmodum & inveſtituram; ſed ob frequentiam fraudum, ſtatutum tum ut ſola ſigilla non ſufficerent, niſi & chirographus etiam apponatur *(d)*.

6. Quod ſi in reverſione contineatur, eam non ſolùm ſigillo ſed etiam ſubſcriptione munitam, nec dum ſigillum eſt appenſum, an ex hac reverſione actio detur ad redimendum, quæri ſolet. Sed, dici poteſt dari quidem actionem, ſed non eam propriè pro redimendis terris; nam priùs pro apponendo ſigillo agendum, & tunc eâ abſolutâ, & ſigillo appenſo, ad redemptionem pergendum: expreſsè ſiquidem cautum eſt ex Ordinum ſtatutis, ne ulla reverſio fidem faciat, niſi quæ ſubſcriptione & ſigillo roborata eſt *(e)*. Sed quid ſi nec convenit, ut ſigillum apponatur? durum ſiquidem videtur in hoc caſu, jure reverſionis alienantem ſub ea ſpecie fraudari. Vidi tamen in actione doctiſſimi Thom. Smetonii contra eum per Comitiſſam Argadiæ mota, ut ſigillum reverſioni apponeret, ſententiam abſolutoriam conceſſam, quòd ſigillum apponere prædeceſſores ejus non promiſerant. Sed ſanè deciſio hæc diligenter expendenda eſt, præcipuè ex circumſtantiis, ne ad exemplum trahatur. Si verò nihil de reverſionis ſigillo aut ſubſcriptione cautum ſit ſpecialiter, ſed tantùm reverſionem fieri ſolenniter promiſſum, reverſio ſine dubio cum omnibus ſolennitatibus ex jure requiſitis præſtanda eſt. Reverſiones prædiorum urbanorum plerumque in fine ſaſinæ, quaſi in corpore, adnectuntur, & ſub Amanuenſis urbani (nos Clericum urbis, ſive communem urbis ſcribam dicimus) chirographo, in actu ipſo adhibito, ſufficiunt. Data, i. e. dies, menſis, & annus, cum teſtibus, hic non minus requiruntur, quàm in inveſtitura: niſi fortaſſe tota reverſio αὐτόγραφον ſit; in hoc enim caſu non ſolum reverſio, ſed etiam teſtamentum & omne inſtrumentum, etiam ſine teſtibus, fidem in Senatu invenit.

7. Si vero reverſio alicui & ejus conjugi competat, mortuo viro conjux redimendi poteſtatem habet; ita tamen ut, poſtquam redemerit, ipſa tantum ſit uſufructuaria, poſt ejus mortem ad heredes alienantis commodum reverſionis pertineat. Sed rarò contingit uſufructuariam, ob commodum heredis, præſentem pecuniam, ut ejus commodum aliquod ad heredem perveniat, velle expendere. Si duobus

 conjunctim

(*a*) Cap. 29. Parl. 6. Reginæ Mariæ. (*b*) Excepta ſaſina, per cap. 4. Parl. 9. Jac. VI. (*c*) Cap. 80. Parl. 6. Jac. VI. (*d*) Cap. 117. Parl. 7. Jac. V. (*e*) Cap. 29. Parl. 6. Reginæ Mariæ.

conjunctim reverſio competat, uterque ſimul redimet : altero mortuo, jure Anglorum, ſupervivens ſolus : eo etiam mortuo, heredibus utriuſque pro æqualibus partibus reverſio competit. Apud nos altero mortuo ejus heredes in ejus locum ſuccedunt, & alteri, niſi pro dimidia parte, non competit jus redimendi. Si duobus verò alternativè, i. e. huic vel illi, reverſio ſit conceſſa, qui primus præmonitionem, oblationem & conſignationem, i. e. ordinem redemptionis, abſolverit ſeu perfecerit, ejus jus potius erit. Si duobus ſeparatim jus redimendi conceſſum fuerit, aut aſſignatum, qui priùs jus ſuum inſinuaverit, præferetur : nam, præter jus, civilis quædam poſſeſſio per intimationem concurrit. Itaque qui priùs inſinuaverit, ſive (ut nos loquimur) *intimaverit*, poſſeſſoris loco eſt, & proinde potior. Si poſt reverſionem datam ex ea diſpoſitione, quæ de ipſo qui diſponit tenenda dabatur, & is qui alienavit primùm ſub reverſione, poſtea eaſdem terras, de domino ſuperiore tenendas, eidem de novo alienaverit purè, nullâ mentione factâ reverſionis prioris, ei renunciâſſe videtur ; ut inter Dominum Glencarnium & Jacobum Fouliſium de Colintoun factum vidi. Aliqui putant quocunque modo prior alienatio facta fuerit, ſive tenenda de ſe, ſive de domino ſuperiore, per poſteriorem reſignationem, ſine conditione reverſionis, & inveſtituram ſubſequentem tolli : de quo tamen dubito, cum ſecunda reſignatio ſit nulla, cum per priorem & alienans & dominus ſuperior ſuo functi ſint munere, nec iteratio valeat. Et quoniam in reverſiones, & redemptiones quæ ex iis fluunt, incidimus, eas hîc obiter, & quaſi conditionem inveſtituris inſertam ſive annexam, percurrere ſtatui. Quia tamen materia hæc in uſu frequentiſſima eſt, & in foro de ea diſputatio quotidiana, & quàm plurimis conſulendum putavi, pauca de præmonitione, obſignatione, ſive depoſitione, tum de ipſa redemptione dicemus ; hæc enim omnia reverſionem ſequuntur, & ex ea pendent.

8. *Reverſionum* duo ſunt genera, aliæ enim ſunt *conventionales*, aliæ *legales*. *Conventionales* ſunt, quæ ex conventione partium legem accipiunt ; & hæ conditiones in omnibus articulis, uti convenerunt, obſervandæ ſunt, & uno capite aut articulo non obſervato, fruſtra ad redemptionem provocatur. Aliæ ſunt *legales*, quæ non ex conventione partium, ſed ex ipſo jure & lege competunt ; quales ſunt in ſubhaſtationibus & appretiationibus terrarum. Sed de his poſtea *(a)* ; nunc de *conventionalibus*, & earum uſu dicendum. In pactis de retrovendendo, certum eſt, eum qui vendidit, aut qui in ejus locum ſuccedit, & cupit rem alienatam ſibi reſtitui, à præmonitione ſive denunciatione incipere debere.

9. In his verò *Præmonitionibus* (quas *Denunciationes* Juriſconſulti vocant) ſi dies certus, ſive is quadraginta dierum (ut plerumque fieri ſolet) aut plurium, aut forte pauciorum fuerit, ad eum numerum præmonitio facienda eſt, totque dies ſervandi ſunt à præmonitione ad comparitionem : in quo numero ſufficit alterum diem, viz. eum in quo præmonitio facta ſit, ſive comparitio fieri debeat, liberum eſſe, i. e. non numerari in numero dierum. Si certus dies non ſit adjectus, ſi tamen reverſionem in communi forma concedendam convenerat, idem faciendum puto, nempe præmonitionem ad quadrageſimum diem faciendam. Si locus nullus ſit conſtitutus, fundus ipſe, pro loco, meo judicio eſſe debet ; alioqui Eccleſia illius Parochiæ, in qua fundus aut prædium eſt, ut nuper dixi *(b)*. Si, qui præmonendus, extra regnum ſit, non ita, ut in citationibus judicialibus, ſexaginta dies indulgentur : nam conventio prævalet, ipſeque ſibi imputare debet, qui cum ſciret ſe ſub præmonitione quadraginta dierum tantùm obligatum, extra regnum fuerit profectus, & in eas ſe difficultates conjecerit, quibus poterat & debuerat providere. Si certus dies non ſit conſtitutus, neque ut in communi forma reverſio fiat convenerit, puto quodcunque tempus ad denunciationem ſufficere, vel triduum, quatriduum, vel octiduum, imo & in eundem diem ſive inſtantem, ut in reverſionibus legalibus obſervatur.

10. *Legales* autem *Reverſiones* eæ ſunt, quæ non ex conventione partium, ſed à lege deſcendunt ; veluti, in ſubhaſtationibus, ſeu licitationibus terrarum, ſive prædiorum

(a) Lib. 3. D. 2. (b) § 4. vid. l. 19. C. de uſuris.

diorum pro debito. Nam lex appretiationis, redimendi jus ei à quo appretiatæ ſunt terræ, in ſeptennium concedit; poſt ſeptennium, omnino à redemptione excludit *(a)*. Et hæc de die, & loco, in quo præmonitio ſive denunciatio facienda eſt.

11. Si is qui reverſionem conceſſit adhuc vivat & poſſideat, ſolus præmonendus eſt, ſive ei ſoli denunciandum, licet ille filios in eodem feudo de ſe tenendo ſubſtituerit. Adeò autem hoc genus infeofamenti (quod apud nos *privatum* ſive *baſſum* dicitur) in his redemptionibus præteritur *(b)*, ut, ſi pater, qui alienationem recepit, filium ut de ſe teneat infeudaverit, poſt illud infeofamentum reverſionem concedere poſſit, cùm tamen nudus tantùm ſuperior multis videatur: & hoc ſæpe in foro deciſum; ratio, quia veriſimile non eſt, eum qui feudum acquiſiverat, filioque illud dederat, aliquid velle in ejus præjudicium facere, aut gratiam rei, quæ ad filium pertinet, alii velle facere, niſi in id in quod reverà obligatus eſt. Si tamen extraneo alienaverit, aliud puto; præcipuè ſi is in poſſeſſione fuerit. Si reverſio data eſt tam à filio quàm à patre, & uterque vivat, uterque monendus eſt. Si is, qui alienationem receperit ſub reverſione, diem obiit, heres ejus pro redemptione conveniendus, & is ſolus, nullo habito reſpectu ad dominam conjunctæ infeodationis, aut Tertiæ, & redemptione ab herede legitimo declaratâ, viduæ & conjunctas infeodationes, & ſuas Tertias amittent: niſi fortè conjuncta illa infeodatio de domino ſuperiore teneatur; nam eo caſu viduæ non præjudicabitur, niſi & ipſi denunciatum ſit.

12. Quod ad heredem attinet, nihil intereſt jámne hereditatem adierit, an non; nam ab herede apparente redimi poſſe ſine controverſia eſt, (id quâ ratione introductum incertus ſum:) imò, quod majus eſt, heredem apparentem, licet ipſe apud nos hodie redimere non poſſit, jus tamen redemptionis, ſive redimendi, in alium poſſe transferre Senatus cenſuit anno 1533. in cauſa inter Comitem de Murray & Dominum Ruthven, contra juris communis regulas, in quibus nemo plus juris in alium transferre poteſt, quàm ipſe habet; cùm certum ſit heredem in re hereditaria jus non habere, priuſquam hereditatem adeat, & ſi ante aditam obiêrit, omne jus ad gradu proximum tranſmittere. Sunt qui illud ita excuſent, ut hereditatem heres adire videatur, eo ipſo facto quòd reverſionem hereditariam vendiderit, perinde ac ſi primaria illa bona immobilia, ac hereditaria, aut eorum aliquod vendiderit; nam quovis actu exteriore aditionem non minùs fieri, quàm ſi per retornatum quis in heredem deſervitus fuerit *(c)*. Hoc ſanè fateor, ſi contra heredem ageretur, non ſi ipſe agat; neque actionem ei puto ex jure concedendam, licet ſe pro herede geſſerit, & de bonis hereditariis diſpoſuerit, & multò minùs ei, cui titulum aut aſſignationem fecerit.

13. Semper autem poſſeſſori hereditario denunciandum eſſe ſtatutum Jacobi III. voluit, præcipuè ſi is jus ſuum ei cui reverſio competit inſinuaverit. *Hereditarium* adjeci, propter colonos, precarios poſſeſſores & uſufructuarios, quibus denunciare non eſt neceſſe. Sed multùm differre videtur tenor illius acti in antiquis libris actorum, & in novis curâ & impenſis Domini Skenæi excuſis: nam in priore, quicunque erat hereditarius poſſeſſor, eum præmonendum Ordines voluerunt; in poſteriore *(d)*, jus tantùm adverſus emptorem ſeu hereditarium poſſeſſorem redemptionis eſſe volunt, de denunciatione aut præmonitione nihil. Itaque de hac quæſtione quid reſpondeam non habeo ex uſu noſtro: nam vidi nuper actionem redemptionis à Senatu conceſſam, etiamſi nemini denunciatum fuerit, niſi ei qui reverſionem dederat, aut ejus heredi, nullâ ratione habitâ ejus qui ex feudo poſſidebat, ſi ejus feudum privatum erat, quod *baſſum* dici ſolet *(e)*. Id quâ ratione Senatus fecerit, aliis judicandum relinquo. Antea, ut monui, denunciandum non erat ei, qui reverſionem dederat, aut ejus heredi, (per *heredem* intelligo, ut in jure, bonorum poſſeſſorem, quem *intromiſſorem* dicimus,) ſed ſufficiebat ſæpe denunciationem fieri ſoli hereditario poſſeſſori, neglecto eo qui reverſionem conceſſerat, ejuſque heredibus; ut inter Scrimgerium de Duddop & Dominum de Gray illuſtres viros actitatum

(a) Per cap. 37. Parl. 5 Jac. III. (b) Vid. de hoc jure baſſo D. 3. § 14. (c) § ult. Inſt. de hered. qualit. & differ. (d) Cap. 28. Parl. 5. Jac. III. (e) De quo vid. ut dictum, D. 3. § 14.

tum vidi, cùm Scrimgerio ſoli denunciatio facta eſſet pro redimenda tertia parte dominii de Duddop, & is excepiſſet, heredem ſe non eſſe illius qui reverſionem conceſſerat, neque eos, qui veri heredes ei eſſent, citatos: tenuit tamen Dominus Graius quod intenderat. Et hæc de perſonis qui denunciare poſſunt, & quibus fieri debeat *(a)*.

14. Forma autem denunciationis hæc eſt, cùm qui redempturus eſt, vel præſens, vel per procuratorem, eum qui ex reverſione tenetur, aut ejus heredem ſeu hereditarium poſſeſſorem, vel præſentem, vel ad locum habitationis ſuæ, coram Notario & teſtibus monet, ut tali die, tali loco præſens ſit, ad recipiendum id, quod in reverſione continetur (nam pecuniæ non ſemper ſolæ ſunt in reverſione, ſed aliquando prædia aut prædiorum permutatio, aut aliquid faciendum) & ut videat & audiat dictam reverſionem in omnibus ſuis punctis & articulis impleri, quo nomine nota à Tabellione fit. Adveniente die, ſi is qui reverſionem dederat, aut cauſam ab eo habet, aut qui jam eſt hereditarius poſſeſſor, ſuam pecuniam recipere, terras & prædia ſecundum tenorem reverſionis renunciare, & monumenta ſive evidentias eo nomine confectas reſtituere, paratum ſe dicat; niſi qui denunciaverit his caſibus pecuniam ei reddiderit, aut quod faciendum erat omnino impleverit, redemptio nunquam ex eo acto ſequetur, niſi juſtam cauſam habuerit qui denunciaverit, cur pecuniam noluerit tradere, quia fortaſſe qui recipere debet, aut minor eſt, aut rebellis, vel aliud juſtum impedimentum occurrebat, cur ſine periculo creditor non poterat ſolvere; in quo caſu obſignabit, ſecundum tenorem reverſionis. Si quicquam ſpecialiter de obſignatione convenerit, i. e. ſi aliqua ſpecialis perſona deſignata fuerit, in cujus manibus obſignatio facienda eſt, in ejus manibus fieri debet. Si is vel recuſaverit, vel infirmus fuerit, vel extra regnum, vel ſi non poterat deprehendi, in manibus viri & opibus & conveniendi facultate ſufficientis conſignabit, & declaratoriam in Senatu (nam is ſolus in cauſis redemptionis eſt judex, licet antea Vicecomes & aſſiſa *(b)*) perſequetur *(c)*. Si poſt ſpecialem deſignationem unius perſonæ, apud quem conſignatio fieri debet, non ſequatur clauſula [*aut alicujus alterius perſonæ*] in caſu recuſationis illius, apud quem conſignatio fieri debet, poteſt venditor aliquando apud ſe retinere. Sed hoc licet aliquando factum audivi, tamen neque cum jure Civili convenit (quod ſemper conſignationem requirit,) neque cum uſu noſtro quotidiano. Semper autem obſignatam pecuniam debet qui redemit relinquere; poterit enim is, à quo fit redemptio, pœnitere, & quàm prius recuſaverat pecuniam amplecti, ſed id per ſupplicationem Senatui oblatam, partibuſque citatis, nempe depoſitario, & eo qui depoſuit. Puto tamen, licet pecuniam qui conſignavit levaverit, ſi tamen, cùm hæc res in Senatu agitur, præſentem exhibeat pecuniam, ſufficere.

Tempore autem redemptionis faciendæ præcipua reverſionis capita ſunt adverſario legenda: quòd ſi qui recipere tenetur, vel pecuniam recuſaverit, vel renunciaturum ſe negaverit, vel evidentias ſive monumenta reſtituere noluerit; qui denunciat in unoquoque horum caſuum obſignabit, & declaratoriam judicio proſequetur. Neque in hac obſignatione, diſceptatione aut verbis opus eſt, (neque enim eò ad contendendum veniunt,) ſed ſimplici affirmatione aut negatione contentus debet eſſe venditor; nempe ſi ſit paratus (qui recipere debet) ſatisfacere obligationi, viz. ſi paratus ſit ad illa tria quæ diximus, & eorum unumquodque purè & ſine conditione faciendum; alioqui pecunia obſignanda eſt. Si qui redemit, vel pecuniam paratam non habuerit, vel aſſedationem, vel alia quæ ex tenore reverſionis debet præſtare, præſentia non exhibuerit; poterit creditor impunè recuſare, & ex utraque parte proteſtationes interponi ſolent, dum quælibet pars, quod fieri debet, non factum prætendat, utriuſque rei integra ad Senatum diſceptatio, relinquitur, ad utriuſque inſtantiam. Nam qui redemit, ſtatim redemptionem ſuam perſequitur, in qua omnia quæ fieri debuerunt à ſe facta, & alterum ſine juſta cauſa adhuc feudum retinere, contendit: alter verò ex contraria parte inſtat, ut cogatur qui jus redimendi

(*a*) § 24. in fine. (*b*) Cap. 6. lib. 3. Reg. Majeſt. (*c*) 1 F. 21. (*d*) Ut § 24.

di prætendit, jus ſuum perſequi, ne fortè reus oneretur fructibus malâ fide poſſeſſis; ſi forte poſtea contingat eum, qui redimit, jus ſuum perſequentem in judicio obtinere: nam eo caſu qui moram redemptioni fecerit, in fructibus qui percipi potuerunt tenebitur (nos *violentas utilitates* dicimus vocabulo non inepto;) nam, ſi prædium poſtea poſſederit, ex eo tempore, à quo jure ab eo redemptum fuiſſe Senatus declarabit, vi exiſtimatur poſſediſſe. Itaque in violentos fructus tenetur: vi enim æſtimavit Divus Marcus fieri, quodcunque jure aut juris viâ (ut forum loquitur) non fit *(a)*.

15. Conſtat ex his, duplicem eſſe *Renunciationem*, alteram per declaratoriam juris, alteram voluntariam. Hæc, ſi à minore redemptio facta ſit, aut ab eo qui in lecto ægritudinis eſt, non eſt tuta: nam hic omnino non poteſt, cùm ſit jus hereditarium quod renunciatur; ille, non niſi conſtet è re ejus eſſe factum, quod conſtare non poteſt, niſi Senatus declaratoria acceſſerit. Sunt & alii caſus, in quibus *voluntaria Renunciatio* non ſufficit, ſi dubium aliquod ſuſpectum ſit, quod non niſi auctoritate Senatûs poteſt diſcuti. Alia *Renunciatio* eſt *judiciaria*, quâ ex ſententia judicis cogitur quis renunciare inveſtituræ prius factæ; & quia judicio perperam contenderit, in impenſas & fructus utiles damnandus eſt: alioqui voluntaria renunciatio non minoris eſt roboris quàm judiciaria.

16. Sed pleræque hîc quæſtiones oriuntur, quarum aliquot elucidandæ ſunt. Prima, ſi is à quo redemptio facienda eſt, cùm ſciret eam ſequuturam, vivus & valens alium aſſignatum fecerit, tam ad ſummam in reverſione contentam, quàm ad annos aſſedationis, quos redemptionem ſequi convenit: nam plerique apud nos, non ſolùm ſuam pecuniam ſibi in redemptione reddendam promitti curant, ſed etiam rei redemptæ fruitionem per aliquot annos. In hoc caſu, dicendum aſſignationem irritam eſſe, nihilque aſſignato deberi; non tantùm quia neque pecunia conventa adhuc debetur, neque aſſedatio, & incertum ſit an unquam debebuntur, cùm deberi nequeant ante eventum redemptionis, qui dubius eſt, neque in poteſtate reverſionem concedentis conſiſtet, ſed ejus cui competit, velitne ſuo jure uti nécne: itaque verè dici poteſt, ejus quod non eſt, nec certum utrum futurum ſit, nullam eſſe obligationem. Alia ratio eſt, quia renunciatio ab herede, aut eo qui jus habet in fundo, facienda ſit, qui nunquam cogitur renunciare, niſi pretium redemptionis, quod convenerat, receperit, & in hoc facto, quaſi legitimè non ſit factum, heres contra factum defuncti auditur.

17. Secunda quæſtio eſt, Si certa ſpecies monetæ ſolvenda in reverſione exprimatur, (nos *talliatam monetam* dicimus) neque ejus generis ſuperſit moneta, quid ſtatuendum? Id cùm ambiguitatem haberet, ex actis Parliamenti diſſolutum: nam ejuſdem ponderis, valoris & bonitatis moneta danda eſt *(b)*. Quòd ſi monetæ æſtimatio creverit, ſi redemptionem faciendam convenerit in ea moneta quæ currens dicitur, aut curſum in regno habitura ſit, ſatisfactum creditori eſt, ſi in moneta currenti ſolvatur; damnumque æquo animo ferre creditorem oportet, ut hodie uſus invaluit: quod tamen expreſsè cum ſtatuto *(c)* Jacobi II. pugnat, in quo optimus Princeps, aut in eâ pecuniâ numerationem fieri vult, quæ in reverſione, quæ data erat, continetur, aut in alia ejuſdem valoris & bonitatis: quod ſanè cum æquitate maximè convenire videtur. Si convenerit ut pecunia in auro vel argento numeretur, quantuluſcunque nummus aureus aut argenteus ſufficiet; reliqua ſumma in auro vel argento numeranda, & ea quidem pura, nullatenus corrupta, nos *alliatam* dicimus.

18. Tertia eſt de *Aſſignatis*, Si forte qui reverſionem acceperit, & poſtea, novâ causâ intercedente, ſe obligaverit ei à quo pecuniam acceperit, ne redimere ei liceat, donec aliam ſummam ſolverit, aut aliud quid adjecerit, iſque poſtea jus reverſionis in tertium tranſtulerit, aſſignatus hic ex ea tantùm numeratione, quæ in prima reverſione contenta eſt, terras redimet: neque poſteriorem obligationem tenetur agnoſcere, cùm in corpore reverſionis non ſit contenta; neque obligationem poſterio-

(a) 1 Inſt. de vi bon. rapt. l. 13. ff. quod metûs causâ, l. 1. § 2. ff. quod legatorum, l. 7. ad leg. Jul. de vi privata, & l. 7. C. unde vi. (b) Cap. 37. Parl. 6. Reg. Mariæ. (c) Stat. 36. Parl. 8.

rem implere tenebitur, ſalvâ actione contra cedentem ſive debitorem, ei cui obligatio facta eſt, nempe creditori. Aliud, ſi ipſe venditor, præter priorem ſummam in reverſione contentam, novam mutuatus fuerit, eâ lege & conditione, ut ea priori ſummæ adderetur, & una fiat, & donec utraque ſoluta fuerit venditori, ipſi redimere non liceret, idque tanti roboris eſſet, ac ſi in corpore reverſionis contineretur: nam eo caſu novatio prioris reverſionis præſumitur, & priore ſublatâ poſteriorem remanere.

19. Et quoniam in aſſignatos reverſionum incidimus, hæc etiam eis adjicienda putavi. Ceſſio, ſive aſſignatio, nunquam impedit cedentem, quin pro arbitrio reverſioni aut obligationi renunciare poſſit, aut aliàs eâ uti vel abuti, donec ceſſionarius jus ſuum inſinuaverit ei qui de reverſione tenetur: poſt inſinuationem ceſſionario factam, ei nocere cedens non poteſt, neque jus in id quod ceſſerat prætendere, etiamſi ceſſionarius retroceſſerit, niſi & retroceſſio inſinuata fuerit. Si duo ſint ceſſionarii, qui primus ceſſionem inſinuaverit, præferetur. Si uni generaliter omnes reverſiones ceſſæ fuerint, alteri una, ſpecialis generali non derogat, ſed prior inſinuatio prævalebit: neque enim ex uſu noſtro minùs valet generalis ceſſio reverſionum omnium, quàm ſi ſingulæ nominatim cedantur.

20. Quarta quæſtio eſt, Si pendente alienatione alienans deceſſerit, & cuſtodia prædii alienati ad dominum pervenerit, & qui alienationem accepit, aliquot annos, i. e. durante totâ cuſtodiâ, fructibus à domino excluditur, cujus cauſa ſemper potior eſt; ſi finitâ cuſtodiâ, alienans, datâ quam acceperat pecuniâ, velit fundum ſuum redimere, nec poſſeſſor ſine maximo ſuo damno renunciare poſſit, quid juris? Nam cùm venditor omnes leges & conditiones reverſionis impleverit, videtur fundum ei reſtituendum. Sed profectò aliud Senatus aliquando cenſuit, redemptionem non competere, niſi & de damno, quod per cuſtodiam evenerat, ei qui ſuſtinuit ſatisfaciat. Puto tamen hodie redemptionem non impediri, reſervatâ actione pro damno, contra eum qui occaſionem damni præbuit: & ita vidi obſervatum.

21. Quinta, Si in reverſione convenerit, ne locus ſit redemptioni, niſi quis omnes alias ſuas terras, ſub reverſione alienatas, priùs redemerit, an hæc conditio obſervanda ſit? Cauſa dubitationis eſt, quòd nulli niſi intereſſe habenti actio aut exceptio competat: quid enim intereſt ei qui redemptioni obnoxius eſt, utrùm is, cui redimendi jus eſt, terras ſuas, quas alii alienaverat, redemerit nécne? neque enim ea res facta aut infecta ejus commodo aut incommodo cedet. Sed profectò omnes conditiones in reverſione contentas implendas eſſe, & præcipuè hanc Senatui placuit, quòd reverſio ſit ſtrictiſſimi juris: & hoc ſaltem emptoris intereſſe videtur, quòd interea re alienatâ frui poteſt. Sed huic malo ſuum alexipharmacum cautiones Advocatorum proviſerunt: nam cùm clauſula hæc ad reverſiones tantùm præteritas extendatur, tranſigere ſolent venditores cum eis qui eas terras obnoxias habent, ut, veteri alienatione remiſsâ, novam alienationem eâdem aut graviore etiam conditione concedant: & ſic, veteribus omnibus reverſionibus exſtinctis, fidem ſuam ſe exſolviſſe putant; & id in uſu receptum vidi.

22. Sexta, Si Baro, vel totam Baroniam, vel aliquam ejus partem, de ſe tenendam, alienaverit ſub reverſione, & poſtea eandem Baroniam in alterius favorem reſignaverit, cum omni jure & juris titulo, tam proprietatis quàm poſſeſſionis, competente, utrum ſub hac forma jus reverſionis tranſlatum etiam ſit, an verò in perſona reſignantis adhuc maneat? Et ſanè placuit Senatui reverſionem cum reſignatione non tranſire, ſed apud reſignantem adhuc manere, quia ſpecialis de ea mentio facta non fuit, licet reſignatio facta ſit cum omni jure quod reſignanti competebat; imò, quod majus eſt, licet in reſignatione reſervatio uſusfructûs reſignanti excepta ſit, reverſio non comprehenditur, quanquam alioqui exceptio firmet regulam in non exceptis: plus tamen in reverſionis renunciatione, quàm clauſula generalis de omni jure competente, requiritur; aliud in renunciatione generali omnium reverſionum.

23. Septima, Si poſt alienationem factam, & reverſionem conceſſam, alienans ſe emptori obligaverit, ut is, poſt redemptionem factam, aliquot annos prædio redemp-

pto

pto utatur & fruatur, & redemptio ſit ſequuta, emptorque omni juri quod in re redempta habet renunciaverit: in poſteriore tamen obligatione, ſibi non præjudicat quoad aſſedationem, neque enim renunciatio illa ulterius extenditur, quàm ad illud jus, quod ex priore alienatione obtinuit, & non ad aſſedationes. Idem, ſi ante alienationem aliud jus habuerit, nam renunciatio ad nullum jus extendetur, niſi quod ex ea alienatione emptori accreverit. Nec ſolùm hæ reverſiones inter res immobiles numerantur, (adeò ut neque in lecto ægritudinis, ex qua quis mortuus eſt, transferri poſſit,) ſed etiam pecunia illa, per quam fit redemptio, aliquando eandem naturam accipit, i. e. ut loco rei ſuccedat. Quod inter Dominum de Craufurd & Lyndeſium fratrem Lyndeſii de Clovay factum vidi: nam cum is rebellis & ad cornu eſſet, nec ſpes relaxationis ulla, Craufurdius in omnem occaſionem intentus, præmonitionem fieri curaverat, & ad diem præſtitutum, cum pecuniam obſignaſſet, repente donatarius eſchetæ, ut convenerat, comparens, pecuniam ſibi reddi poſtulavit, quaſi jam mobilem factam, & proinde eſchetæ obnoxiam. Sed cum pecunia obſignata fuiſſet, & Crufurdius pro redemptione actionem intentaſſet, Senatui durum videbatur, emptorem ad renunciationem cogendum, pecuniâ non acceptâ; pecuniam in judicio repræſentari primò ſtatuit, mox, eâ emptori conceſsâ, ſententiâ de redemptione pro Craufurdio prolatâ donatarium eluſit, quaſi hæc pecunia ſub eſchetam non caderet, cum naturam rei immobilis ſapiat, & in locum rei immobilis ſuccedat. Neque tamen hoc undiquaque verum eſt; nam ſi hæc pecunia poſt redemptionem inter immobilia numeretur, redemptione in vita facta, pecunia ad heredem pertineret, & non ad executores, quod eſt falſum: licet aliquando, ſi is, à quo redemptio fit, ſit rebellis, pecuniam apud ſe retinere poſſit, donec ſciatur ad quem ea pertineat. Si redemptio à minore fiat, cautione per tutores & curatores interpoſitâ pecuniam ad pupillum perventuram, aut in ejus utilitatem, tum rectè renunciabit minor. Puto tamen meliùs facturum eum qui redimit, ſi voluntariam renunciationem non acceperit, ſed poſt conſignationem eandem rurſus coram Senatu in proceſſu redemptionis repræſentet, & declaratoriam obtineat. Si ex obligationis viribus pendeat reverſio, & obligatus recuſaverit obligationem de reverſione tradenda implere, eoque nomine rebellis declaratus fuerit, poterit Senatus ejus contumaciam ſupplere per declaratoriam ſententiam, quòd eadem obligatio in omnibus & per omnia vim reverſionis habeat. Hæc de reverſionibus conventionalibus.

24. *Legales* vero *Reverſiones*, quæ ex lege introductæ ſunt, ex terris appretiatis debentur: nam hæ ex conventione partium non debentur; nam is à quo terræ appretiatæ ſunt, eaſdem intra ſeptennium poteſt redimere, ulteriùs non auditur *(a)*. Neque in præmonitione aut obſignatione aliquid differentiæ, niſi quòd conventio in priori jus facit, & ex conventione dies ſunt ſervandi qui convenerant, nempe quadraginta ut plurimùm. In legali reverſione tantum id temporis in præmonitione requiritur, intra quod recepturus commodè & ſine moleſtia venire poteſt. Sic in loco, ut antea dixi *(b)*. Sed non ordo idem in utroque eſt poſt conſignationem. In conventionali, declaratoria judicio proſequenda eſt, per actionem ex præmonitione 21 dierum; hîc, qui recuſat, gravatur per literas Senatûs, quaſi jam declaratoria interceſſiſſet, ut renunciet intra ſex dies, alioqui ut compareat, rationem redditurus ſuæ recuſationis: in illis, tantum ſumma quæ convenerat reſtituitur; hîc, non ſolum pecunia principalis, ſed etiam honorarium executoris (quod ad viceſimam partem ſummæ extenditur) cum omnibus impenſis & ſumptibus, qui in nova inveſtitura obtinenda facti ſunt. Poſt declaratoriam, is, in cujus manibus obſignatio facta fuit, ex præmonitione ſex dierum, pecuniam ei, cui ex declaratoria debetur, repræſentare cogendus, ſi noluerit. Idem, ſi emptorem, qui reverſioni obnoxius eſt, pœnituerit non renunciaſſe: nam paratum ſe ad renunciationem offerendo, cogere poteſt ex ſex dierum denunciatione eum, in cujus manibus conſignatio facta

(a) Per cap. 37. Parl. 5. Jac. III. Sed hodie legalis reverſio ad decennium extenditur per cap. 62. Parl. 1 Carol. II. (b) § 4.

eſt, ad eam ſibi repræſentandam. Poſt conſignationem, ſi qui conſignat, pecuniam ſuam receperit, à præmonitione videtur receſſiſſe; itaque nihil ex ea præmonitione ſequetur. Si tamen qui recipit, ſit paratus pecuniam in judicio repræſentare, objectio receptæ pecuniæ non oberit; nam cum pecuniæ obſignatæ periculum ſemper ad obſignantem pertineat *(a)*, nec æquitas ſinat, eum, qui pecuniam obſignatam haberet, pecuniæ alienæ uſum habere, & emptor nihil interea damni ſentiat, neque ejus interſit, ſufficere Senatus putavit, ſi pecunia in judicio repræſentetur: quod cum primò in redemptione inter Orcadum Epiſcopum & Joannem Menzeis obtinuiſſet, jam pro conſuetudine receptum eſt. Hæ declaratoriæ vim voluntariæ redemptionis habent: ſed in voluntariis redemptionibus plerumque locus eſt fraudi; quid enim, ſi præjudicium alteri fiat, veluti, ſi heres ejus qui alienationem receperat (cum defunctus vivus tertio alienaverit) in fraudem hujus tertii velit redemptioni conſentire? Itaque vix probo id, quod à Senatu factum eſt, cum denunciationem poſſeſſori hereditario non putabat neceſſariam in voluntaria renunciatione *(b)*.

25. Reverſioni, ſive pacto de retrovendendo, affinis eſt *Regreſſus*; ſed in hoc differunt, quòd Reverſio ſit pactum inter venditorem & emptorem, Regreſſus inter vaſſallum vendentem & dominum ſuperiorem: nam cum terræ alienantur aut diſponuntur (ſemper intelligendum ſaſinâ ſubſequutâ) tenendæ de alienante, aut de domino alienantis immediatè ſuperiore, in priori caſu ſola reverſio ſufficit, cum alienans dominus ſuperior adhuc maneat. In poſteriore alienans nihil apud ſe retinet; itaque, ut in priorem ſtatum redeat, opus eſt duplici pacto, altero cum emptore de retrovendendo, quod nos *Reverſionem* dicimus, altero cum ipſo domino, quo dominus promittet alienanti, ut quàm primùm fidem reverſionis exſolverit, omniaque emptori, quæ fieri convenit, impleverit, tum dominus ſuperior eum in priorem locum recipiet, præceptaque pro eo de novo inveſtiendo diriget. Nam licet emptor, ex pacto de retrovendendo, juri omni, quod in re alienata habeat, cedere ſeu renunciare teneatur, dominus tamen non cogitur alienantem rurſus in vaſſallum recipere, niſi id ante proviſum fuerit: dominus enim vaſſallos mutare ex alieno arbitrio ſine conventione non tenetur, ſed priori vaſſallo ſtabit, niſi aliter proviſum fuerit; quo caſu, & renunciatione per emptorem factâ & Senatui oſtensâ, dominus priorem vaſſallum recipere cogetur, & in priſtinum feudum reſtituere, quo caſu novam ſaſinam ſive inveſtituram vaſſallus accipiet, quaſi priore penitus extinctâ. In priore caſu, ſcilicet in renunciatione, reverſionis implementum ſequente, ex ea alienatione, quæ de alienante tenetur, ſola renunciatio quaſi in manus domini ſui ſuperioris ſufficit ad reſtituendam in perſona alienantis feudi proprietatem. An autem, redeunte per regreſſum vaſſallo ad priſtinum feudum, illud feudum dici poſſit feudum novum, vel antiquum, dubitari poteſt: nam ſi leges feudi novi examinemus, feudum antiquum penitus extinctum eſt, & novum ſubſtituitur, eodem modo ac ſi dominus ſuperior feudum, quod ob factum vaſſalli ad eum redierat, eidem de novo dederit, rurſuſque eum inveſtierit; quo caſu novum feudum dici nemo in jure Feudali verſatus ambigit: at ſi feudum illud novum concedamus, conquæſtum neceſſariò dicemus; nam feudum novum in jure Feudali idem eſt quod apud nos conquæſtus: ſi conquæſtus ſit, ergo regulas conquæſtûs ſequetur, nempe ut inter fratres aſcendat, quod durum eſſet. Sed profectò, ſi redemptionem is faciat, cujus feudum antea fuit paternum, antiquum cenſebitur feudum, etiam poſt redemptionem: ſi tamen jus reverſionis in aſſignatum tranſierit, iſque redemerit, & ex regreſſu fuerit ſaſitus, feudum tum novum dicetur, & naturam conquæſtûs habebit. Et hæc de reverſione quæ mihi ſuccurebant: mirum tamen eſt, quòd in toto noſtro jure antiquò, viz. libris *Regiæ Majeſtatis*, *de Judicibus*, *Quoniam attachiamenta*, *Legibus* cum *Burgorum*, tum *Foreſtarum*, de reverſione aut regreſſu nullà ſit mentio, de re invadiata aut mortuo vadio plurima, quod longe à reverſione differt, ut mox dicemus, niſi forte quis putet reverſionum uſum, cum hi libri ſcriberentur, ad nos nondum perveniſſe. Ego ſanè illum librum Reg. Majeſt. à noſtris hominibus

(*a*) Quod iniquum eſt, ut § 4. dictum. (*b*) § 11 & 13.

bus ſcriptum fuiſſe, vix poſſum induci ut credam: Anglorum enim leges & mores potiùs ſapit ex omni parte quàm noſtros; nam apud Anglos nulla eſt reverſionum mentio *(a)* nulla regreſsûs; ejus enim loco utuntur pacto de mortuo vadio, quod illi *Morgagium* à Gallica voce vocant. Apud nos nulla vox eſt quæ morgagium exprimat, itaque de hoc morgagio aliquid dicemus.

26. *Gagium*, ſive *Vadium* eſt quando fundus oppigneratur, pro certa pecuniæ ſumma, & ex jure Normannorum (unde & jus Anglorum, & proinde illud noſtrum, quod Regiæ Majeſtatis dicitur) deductum. Terræ duobus modis oppignerantur ſeu invadiantur; aliquando ad tempus, nempe cum ad tempus, vel terra pro terra, vel pro pecunia datur, & finito tempore cuique ſuum reſtituitur, nempe pecunia illi qui pecuniam dedit, & terra illi qui eam invadiavit (ut dici ſolet.) Quòd ſi ad certum tempus terra ſit oppignerata, ſeu pignori data, ſed eâ lege, ut qui feudum in pignus accepit, toto hoc tempore fructus in ſortem computet, veluti, ſi dimenſo annorum ſpatio, quibus fidem crediti fructus exolvere poſſunt, exacto tempore pignus plenum & integrum reſtituendum ſit domino, *vivum vadium*, ſive *gagium* dicitur.

27. *Mortuum vadium* aliter apud Normannos & veteres Anglos, aliter apud recentiores ſumitur: nam apud Normannos *mortuum gagium* illud eſt, quod Juriſconſulti ἀνλίχρησιν vocant, nempe ut uni uſus pecuniæ, alteri ipſius rei competat; quo caſu fructus non imputantur, neque qui pignus accepit, eorum nomine tenetur, aut de iis rationem reddere: quod cum noſtris alienationibus, quæ *oppignerationes* ſive WADSEITIS dicuntur, ſub pacto de retrovendendo, ſive reverſione, maximè convenit; nam is cui res oppigneratur, inveſtitur, eodem ferè modo (licet ſub pacto de retrovendendo) quo ſi purè ſaſitus eſſet; ſicque apud veteres Anglos ſumebatur, quod & noſtræ *Regiæ Majeſtatis* auctor ſequutus eſt. At Litiltonius, & recentiores Angli, *mortuum vadium* dicunt, quando fundus pignori datur pro certa pecuniæ ſumma, cum expreſſa conditione, ut niſi ea pecunia ad diem ſoluta fuerit, fundus apud emptorem remaneat: quòd ſi pecunia non repræſentetur ad diem, vadium mori & extingui dicitur, i. e. ejus recuperandi omnem poteſtatem alienanti periiſſe. Hoc pactum lege veteri Romanorum, *pactum legis commiſſoriæ* dicitur, & poſt diem pretio non ſoluto, emptori utrum velit aut vadium retinere, aut pretium repetere, optio datur: poſt electionem voluntatem mutare non poteſt. Quòd ſi poſt diem pretium & uſuras malit ſequi, quàm ipſum fundum, permittendum ei putat Imperator; & eo facto renunciare conditioni videtur, nec ad eam poterit redire.

28. An autem hoc pactum legis commiſſoriæ ex jure & bonis moribus valeat, gravis eſt controverſia: nam à principio permiſſum fuiſſe conſtat; *omnia enim pacta conventa, quæ neque contra leges, neque Senatuſconſulta, neque plebiſcita, neque contra edicta Principum, neque contra bonos mores, neque quo fraus cuiquam horum fiat, facta erunt, ſervanda* in ſe recipit Prætor *(b)*: poſtea, cum uſurarum modus creſceret in infinitum, piiſſimus Imperator Conſtantinus ſuâ conſtitutione prohibuit *(c)*: ſed mox, ex conſtitutione Arcadii & Honorii, quæ in Codice Theodoſiano exſtat, permittitur: adeo ut jura ipſa de hoc pacto variare videantur. In hac difficultate, tenendam puto diſtinctionem Bartoli, nempe in venditione pactum hoc appoſitum valere, cum nulla lex vetet emptionem & venditionem quibuſlibet legibus poſſe convenire; & juſtus valor tum expenditur, conventioneſque hæ ſemper locum habent & habuerunt: at in pignore diſtinguit; nam ſi in initio conſtitutionis pignoris, pactum legis commiſſoriæ apponatur, non valet; nam debitor in neceſſitate conſtitutus, nihil non promittere ſolet, permittitque creditori inſtrumentum pignoris, ut volet, facere: aliud, ſi ex poſtfacto, videtur enim debitor apud ſe expendiſſe verum pignoris valorem, & niſi luatur ſolutione, ſibi de vero ſaltem valore reſtituendo providiſſe. In jure Canonico, licet uſurarium videatur pactum, tamen ſi juratum ſit, valet *(d)*; ita

(a) Nec apud nos ut videtur ante tempora Jac. III. per cap. 28. Parl. ejus 5. (b) l. 7. § 7. ff. de pactis. (c) l. ult. C. de pactis pignorum. (d) Cap. 2. de pactis in Sexto.

tamen, ut ſi quis, ex juſta cauſa impeditus, ad diem ſtatutum non redemerit, reſtituendus ſit, ut adhuc redimat.

29. An in jure Feudali pactum hoc valeat necne, graviſſima eſt contentio. Sunt qui damnari credant, alii licere; & textum utraque pars pro ſe adducit. Hottomannus ſanè, inter primos noſtræ ætatis Juriſconſultos, jus Feudorum à ſe diſſentire hoc in negotio putat, & maximam eſſe antinomiam. Nam Gerardi verba ſunt, *Si quis obligaverit rem aliquam pignori, eo pacto, ut ſi ſtatuto tempore pignus ſolutum non ſit, res eſſet creditoris, & eam pro feudo habeat, poteſt debitor quandocunque, pecuniam ſolvendo, pacto non obſtante, pignus recuperare; feudum enim non ſub prætextu pecuniæ, ſed amore & honore domini acquirendum eſt (a).* At qui opiniones Oberti & Gerardi collegit, & ſecundi libri poſteriorem partem ex iis fecit, planè feudum lege commiſſoriâ datum, *non valere* affirmat, idque ex Gerardi (ut verum eſt) ſententia; addit tamen, *at ſecundum Obertum valet (b).* Hìc Hottomannus, captatâ occaſione, mirum in modum contra jus Feudale inſultat, ambiguitatem, abſurditatem, & ἀντινομίαν objiciens. At ego hìc neque ambiguitatem, neque ἀντινομίαν video: clara ſunt utriuſque textûs verba, pactum legis commiſſoriæ in feudis non recipi, licet Obertus, inter primos Feudiſtas, contrà ſenſerit: quid enim frequentius in jure Pandectarum, quàm jure quod ſervandum eſt recitato, aliorum contrarias opiniones recenſere? Conſtat ergo hæc concluſio certa, pactum legis commiſſoriæ in feudis non recipi. Ei opinioni ut aſſentiar, facit uſus noſter, qui à pacto legis commiſſoriæ abhorret; nam virum in uſu forenſi maximum, Dominum Jacobum Macgillæum, ſic interloquentem audivi, in actione inter Hamiltonium à Sanquhar & Chalmer, cum ex contractu ille ageret, ut reverſio expiraret, quoniam convenit ut, niſi ad diem redemptio fieret, reverſioni non foret ulteriùs locus. Et ſanè hæc opinio cum æquitate convenire videtur: nam licet pactum hoc, ex veteri jure Romanorum, & ante tempora Conſtantini, ſit permiſſum, piiſſimus tamen Imperator pactum illud damnavit ob captiones, & quòd hujus pacti indies creſcebat aſperitas; quod & apud nos obſervandum puto. Apud Commiſſarios ſane Edinburgenſes, judices incorruptiſſimos, ſemper obſervatum vidi, ut non obſtante pignoris ad diem non luitione, etiam poſt multos annos creditor cogatur illud reſtituere, numeratâ priùs eâ quæ convenerat, cum pignori daretur, pecuniâ. Quid ergo, dicet aliquis, an creditoris jus ita imminuetur, ut ad diem non ſolutâ pecuniâ, perpetuò pignus retinere cogatur, & poſt triginta forte & plures annos rem exhibere? Nihil iniquius: ſed huic malo remedium monſtravit Alexander Imperator; nempe, ſi ad diem pecunia ſoluta non ſit, ut pignus vendere creditor poſſit *(c)*, & hoc ex jure communi, nempe per publicam ſubhaſtationem ſive licitationem: & hoc jure utimur. Angli autem Brevi utuntur, quo citatur debitor, ut ad diem certum pignus redimat, aut ut ex eo die jus pignoris ad creditorem pertinere decerni videat; poſtea, ſi non comparuerit debitor, quod in re ſua faciendum creditor putabit, faciet de pignore. At abſurditatem exaggerat Hottomannus: quid enim abſurdius, cum liceat feudum dono dare, non etiam ſub pacto legis commiſſoriæ ad tempus alienare? Neque quicquam abſurdi hic reperio: cur tamen una permittatur, alia prohibeatur, ratio facilis eſt; nam pura & ſimplex donatio, ſive venditio, tot fraudibus non eſt obnoxia: in his pactis legis commiſſoriæ, ut ait Imperator *(d)* aſperitas creſcebat fœnoris, rei omnibus bonis legibus ſemper comprimendæ. Et hæc de jure communi ſcripto.

30. Nunc, ut ad Anglorum mortuum vadium revertamur, quod eorum proprium eſt, ut noſtris reverſio, adeò ut neque apud illos *Reverſionis*, ſic neque apud nos, aut in publicis ſtatutis, aut in monumentis virorum illuſtrium, quod ſciam, *mortui vadii* uſquam mentio. Quid autem ſit *mortuum vadium*, initio *(e)* monui; ſolebant enim gentes Boreales, non ſolùm res mobiles, ſed etiam fundos ipſos denique invadiare, cum fundus ita detur, ut niſi ad certum diem pecunia ſoluta ſit, res ad emptorem

(a) 1 F. 27. (b) 2 F. 51. § 6. (c) l. 1. C. de pactis pignorum, & lege commiſſ. (d) l. 3. C. de pactis pig. & lege commiſſ. (e) Hujus ſciz. materiæ, § 27.

emptorem tranſeat. *Mortuum* itaque *vadium* eſt (ut hodie Angli eâ voce utuntur) quod eâ lege & conditione datur, ut ad diem non ſolutâ pecuniâ, res ad alienantem ſive dominum non redeat. Et hæc conditio in favorem creditoris adjecta putatur; nam ſi ad diem pecunia ſoluta non ſit, vadium domino perit, quod favorem (ut dixi nuper) creditoris reſpicit; & ideò *mortuum vadium* dicitur, quia, ſolutione ad diem non factâ, non ampliùs actio competit, ex eo hujus *mortui vadii* ſive *morgagii* nomen defluxit.

31. In hoc morgagio hæc ſunt apud Anglos hodie peculiaria, quòd licet nomen heredis ejus, cui redemptio competit, non exprimatur, tamen poteſt is, mortuo hypothecante, pecuniam ſolvere, & feudum redimere: quod tamen nos in reverſione non obſervamus, cùm, niſi heredis mentio fiat, ſolus alienans jus redimendi habet; nam proviſio hæc potiſſimùm ſpectatur in morgagio, ut ſecuritas interponatur pro pecunia. Sed & apud Anglos differentia eſt inter has duas conditiones; ſi vadians non ſolverit ad certum diem, ut feudum redemptioni non ſit obnoxium, & ſi pecunia ad diem non fuerit ſoluta: nam in priore, hypothecante mortuo, heredem ante diem ſolventem vadium non rectè redimere aiunt: in poſteriore è contra, licet ipſe qui vadiaverit non ſolverit durante vitâ ſuâ, jus redimendi vadii ad heredes pertinere putant: ſed illius prioris conditionis hanc volunt eſſe ſignificationem, ut niſi ipſe invadians in vita ſua ſolverit, res redemptioni non ſit obnoxia, ita ut tempus elapſum videatur, ex quo ipſe invadians ſolvere non poſſit. Hanc autem conditionem, ſi ad diem ſoluta non fuerit pecunia, quaſi invadiationi annexam & inhærentem, Angli putant ad heredes pertinere: ſed ſi dies elabatur, non minus perit vadium heredi, quàm periiſſet debitori ſi vixiſſet. Si heres hic ſit major, putant Angli tempus ei currere, niſi ſolverit, nec reſtituendum: aliter tamen apud nos, qui jus Civile potiùs ſequimur. Si qui recepit vadium ante diem moriatur, ejus heredi bene fit ſolutio, etiamſi non fuerit nomen heredis expreſſum, & non executoribus. De loco controvertunt Angli, ſi nullus convenerit: & ſunt qui in ipſo fundo, alii in loco contractûs, nonnulli per omnes regni fines inveſtigandum creditorem putant: ſed viderint illi. Quod ad mores noſtros attinet, quo loco ſolutio vel redditio fieri debeat, antea diximus *(a)*.

32. Sed quæri poteſt, vadiante negligente ad diem ſolvere, an tertius vel extraneus pro eo ſolvere poſſit? Et tenent Angli, quòd non; neque enim qui vadium habet, ab alio quàm à ſuo creditore tenetur accipere. Si verò is, qui feudum eâ lege acceperit, ut niſi ad diem pecunia ſolvatur, jus redimendi extinguatur, pecuniam ſuam debitè, & in debito tempore oblatam, recuſaverit, à ſua pecunia cadet, & offerens in perpetuum liberabitur, dominuſque jure Anglorum fundum auctoritate propriâ intrare poteſt; nam fraudem recuſantis pecuniam, jure & debitè oblatam, puniendam cenſent: licet redemptiones ſint ſtricti juris, aliquando tamen, in odium recuſantis id facere quod debet, favorabiles redduntur petitoris cauſæ.

Diegeſis ſeptima,

De Saſinis, ſive ſecunda parte Inveſtituræ impropriæ.

SUMMARIA.

1. *Quis ſit effectus traditionis in jure? Saſina unde? Eſt ſolennitas jure feudorum perneceſſaria. Quatenus inveſtitura ſine ſolennitatibus ſaſinæ apud veteres erat in uſu; & quæ fuerit conſuetudo majorum noſtrorum in alienationibus & traditionibus?*
2. *Quo tempore ſaſinarum ſolennitas ad nos*

(a) D. 6. § 4.

nos pervenerit? Quâ ſolennitate antea uſi fuerimus? Et occaſio ſaſinæ introducendæ.

3. *Saſinæ definitio ex* Regiæ Majeſtatis *libris: itemque Poſſeſſionis. Poſſeſſio triplex eſt.*

4. *Quæ perſonæ in ſaſinis ſint neceſſariæ? An teſtes perſonam faciant? Ballivus & Actornatus uterque ſpeciale mandatum habere debent, ut in omnibus aliis cauſis majoris momenti, ut* § 6.

5. *Saſina apud nos ex perſona domini duplex eſt, quæ manibus propriis fit, & per Ballivum: neutra quarum tenorem probat, ſi deſit Charta. Utraque etiam accipientem obligat ad ſervitium militare, ſi aliæ conditiones non appareant.*

6. *Secunda perſona in ſaſina eſt accipientis, aut ejus Actornati. Actornatum quid, & unde? Eorum maximus abuſus. In perſona Actornati quæ requirantur? etiam Ballivi? Statûs nomen unde? Vox* hereditaria *in ſaſinis neceſſaria eſt.*

7. *Tertia perſona in ſaſina capienda eſt Notarius. Unde dictus? Alii ſunt Apoſtolica auctoritate, alii Imperiali. Eorum nomen eſt antiquum. Quare eorum uſus ſit inventus? Duo remedia Imperator introduxit adverſus falſarios. Plura de his remiſſivè. Ex ſceleribus Notariorum ad privatarum ſcripturarum fidem recurritur. Unde apud nos uni Notario in rebus gravioribus non creditur. Nec illis adhibetur fides, niſi in iis quæ ſub ſenſus cadunt.*

8. *In Notario ſaſinæ requiritur ut ſit rogatus, & hoc exprimatur: ut inſtrumentum ſit publicum. Confeſſio domini, aut ejus Ballivi, ſe ſaſinam dediſſe, non ſufficit pro ſaſina, ſi nulla ſit data.*

9. *Ex vicinorum ſtatutis, cum propriis hac in re deſtituamur, in perſona Notarii requiritur, ut ſit ætate major, expeditè ſcribere & legere poſſit, ut integræ ſit famæ, nec ordinibus Eccleſiaſticis initiatus, prudenſque, & juret de officio ſuo fideliter exſcquendo, pro nullo ſubſcribat, niſi rogantes cognoſcat, ſemper enim in Notario notitia contrahentium requiritur; & ut locus ſit honeſtiùs, & à ſuſpicione alienus.*

10. *Pater cum filio, duo fratres, &c. publico edicto apud Gallos Connotarii eſſe non poſſunt. Notarii omnes Protocolla habere debent. De eorum uſu, & poſt mortem Notarii conſignatione. Hæc ex Gallicis conſtitutionibus. Quæ apud nos de Notariis ſtatuta ſint?*

11. *Inſtrumentum à Dei nomine eſt incipiendum; annumque Domini noſtri Ieſu Chriſti, Regis nomen, annumque ejus regni, omnia in ſuo ordine habere debent. Annus apud nos anno* 1600 *innovatus eſt, ut deinceps non à menſe Martio inciperet, ſed à primo die Januarii.*

12. *Indictionis uſus in omnibus inſtrumentis ex opinione Doctorum neceſſarius. De Indictione inquiritur, quando, & quâ ratione, iſte calculus per Indictiones ineatur. Jure Canonico Indictio adeò neceſſaria eſt, ut ejus omiſſio inſtrumentum reddat nullum.*

13. *Menſis & dies etiam apponendi ſunt ſaſinis. Regula generalis Senatui utiliſſima.*

14. *Actus inſtrumenti qualis eſſe debeat? Notarii eſt curare ut quiſque quod ſui muneris eſt agat, & ipſe ſolitam formam obſervet. Ut ſuper ipſo fundo ſaſina fiat; & non ſolùm annus, dies & menſis, ſed etiam hora diei apponatur, ne nocte fiat.*

15. *Locus (ut dictum) neceſſariò ſaſinæ inſerendus, præcipuè ſi de mola detur ſaſina: & ſi plures ſint fundi non uniti, in omnibus danda eſt, niſi ſint contermini. Quid fundus conterminus ſive contiguus?*

16. *An communia agros diſterminet & diſjungat? Affirmatur.*

17. *Unio quid ſit? & cujus ſit unire? Apud Anglos una ſaſina, pro omnibus fundis aut tenementis, quæ ſunt ejuſdem Comitatûs aut burgi, ſufficit.*

18. *Unio quid ſit jure Canonico? Ejus ratio. Eſt vaſſalli commodum. In qua tria ſunt conſideranda.*

19. *Unio quomodo diſſolvatur, vel reſtituatur? Non fit per conſtitutionem uſufructûs. Unio ſemper fit in chartâ, non in ſaſina.*

20. *Unio hæc, licet unica ſaſina ſuppleat vitium diſcontiguitatis, non tamen mutat juriſdictionem judicis ordinarii, nec exactioni tributorum ullum præjudicium adfert. Teſtium omiſſio, aut falſorum inſertio, totum inſtrumentum vitiat. Sunt deſignandi. In rebus gravioribus quatuor requiruntur, licet jure Civili tres, jure Canonico duo ſufficiant, ut & olim apud nos.*

21. *Notarius nomen & ſignum ſuum apponere debet inſtrumento ſaſinæ, quod ejus ſolius*

ſolius manu ſcribi debeat, & exprimere debet ſe hæc omnia ſciviſſe, vidiſſe & audiviſſe, ut præmittitur, notamque cepiſſe, ut rogatus & requiſitus erat à parte aut partibus. Eſt unà cum teſtibus ſpecialiter rogandus; ſed fides ei tantùm adhibetur in rebus quæ ſub ſenſum cadunt.

22. *In ſaſinis apud nos ſunt quædam ſpecialia, ut in ſaſina danda ex præcepto Cancellariæ, quod dirigitur Vicecomiti aut Seneſcallo, quorum tantùm eſt ipſius executio. Ejus ratio. Nec alius Notarius adhibendus, quàm illius Vicecomitatûs, aut Seneſcallatûs Clericus. Ejus ratio. In aliis præceptis, quæ ex reſignatione fiunt, talis cautio non eſt neceſſaria.*

23. *In burgis, niſi ſaſina detur à Ballivo burgi, & ejus Clerico, rejicitur. De ſtatuto Mariæ redivivo, & conſimili ab Henrico VIII. Angliæ.*

24. *Nodus de ſaſinis explicatur.*

25. *Alia ſaſinæ diviſio; una ex præcepto Cancellariæ, poſt inquiſitionem; altera, quæ* Clarè conſtat *vocatur. De priore dictum § 22. quæ majoris eſt efficaciæ & roboris, quàm quæ de* Clare *vocatur.*

26. *In ſaſinis burgalibus ſingulare quid obſervandum Senatus cenſuit, ut ratio aliqua in ſaſina cur detur exprimatur. De ſaſinæ bove, pro quo dominus diſtringere poteſt.*

27. *Effectus ſaſinæ eſt, ut dominium tranſferat, vel uſumfructum, prout dominus intendit. Ex duobus inveſtitis, prior ſaſitus præfertur. Si ſaſitus per annum & diem integrum poſſederit, poſſeſſio ei nullo modo eſt auferenda, quamdiu titulus inconcuſſus manet. In actionibus de ejectione, dimidii anni, aut aliquot menſium poſſeſſio ſufficit.*

28. *Quando, & in quibus, ſaſina requiſita ſit? & quando non? Apud Anglos non requiritur in permutatione, nec in diviſionibus inter heredes aut portionarios, nec in reſignationibus, aut quando burgalia feuda teſtamento diſponuntur: ſecus tamen in liberè tenementis, ſed non in reliquis locationibus. Apud nos non ſolùm in liberè tenementis, ſed etiam in locationibus pro certo annorum ſpatio, ſaſinarum uſus frequens erat. Et in uſusfructûs conſtitutione neceſſariam quidam volunt: at hodie, niſi in hereditariis titulis, non opus eſt ſaſinâ. In emphyteutis, ſi primò acquirens ſaſitus fuerat, ſufficiebat ea ſaſina pro ſucceſſore: ſed non ita hodie, cùm quilibet heres teneatur eam renovare. Apud Gallos, mortuus ſaſit vivum: apud nos, ſi nulla ſaſina, nulla terra.*

1. CERTUM eſt ex jure communi, licet res vendita, permutata, legata, aut quovis alio titulo jure gentium comparata fuerit, nullam dominii eſſe tranſlationem, niſi traditio ſubſequatur, per eum qui tradendi poteſtatem habet *(a)*; ea enim ſola eſt, quæ rerum dominium transfert, (ſi modò id apud diſponentem fuerat:) tale enim dominium ſolummodo transfertur per traditionem, quale apud transferentem erat. Itaque dominus, poſt inveſtituram factam, ſtatim plenam poſſeſſionem tradere tenetur: hanc nos *Saſinam* vocamus Gallico vocabulo; quod argumentum pleniſſimum eſt, *Saſinas* à Gallis ad Anglos, ab Anglis ad nos defluxiſſe. Hanc ergo ſolennitatem, ſive ad abſolvendam, ſive perficiendam inveſtituram ſive poſſeſſionem, quaſi factum aliquod per ſe ſufficiens, ita requirit jus feudorum, ut ſine ea, inveſtitura pro nudo tantum pacto habeatur, ut multi volunt; quæ tamen à natura nudi pacti vel maximè abhorret: nam nudum pactum actionem non producit, ſed tantùm exceptionem ex jure Civili *(b)*: inveſtitura tamen, quam *Chartam* dicimus, exceptionem nunquam (neque enim quis excipere de inveſtitura poteſt, niſi ſaſitus ſit) actionem verò, ad dominum cogendum ſaſinam tradere, aliquando producit. Itaque cur pacto nudo inveſtitura aſſimiletur, non video. Sola ſanè inveſtitura veteribus ſufficiebat, etiam ſine ſaſina; ſaltem ſolennitates hæ, quas hodie in ſaſinis obſervare ſolemus, non adhibebantur: ſufficiebat enim, ut antea monui *(c)*, ſi dominus in curia vaſſallum in poſſeſſionem ire juſſiſſet, aut manu ſuâ coram Paribus curtis induxiſſet, etiam ſine ſcripto; & quoniam Pares non ſemper aderant, vicini ut teſtes adhibebantur, nonnunquam dominus digito demonſtrando, vaſſallum in poſſeſſionem ire jubebat, aut claves ei tradebat: quod & in uſu ſuo tempore fuiſſe

 ſignificare

(a) § 4. Inſtit. de acquir. R. D. & l. 20. C. de pactis. (b) l. 7. § 4. ff. de pactis. (c) D. 2. § 13.

ſignificare videtur ſcriptor *Regiæ Majeſtatis*, licet in eo loco parum ſibi conſtet. Operæ pretium eſt itaque expendere, quæ majorum noſtrorum conſuetudo erat, in alienationibus & traditionibus *(a)*. Venditorem in ædificio primùm ineſſe oportuit, mox egredi, & emptorem qui foras ſtabat, ingredi: hæc erat ædificii traditio, nempe janua aperta & clauſa. Itaque apertio & clauſio januæ, pro perfecta traditione, ſive ſaſina fundi traditi, inter emptorem & venditorem uſurpabatur; prout in monumentis Domini de Rires annotavi, ſaſinam datam per apertionem & clauſionem oſtii, ædis, aut arcis. Uterque poſtea pro ſymbolo nummum Præpoſito aut Ballivo dabant. Si tamen excambium duorum ædificiorum fuerat, uterque duos nummos dabant *(b)*.

2. Saſinarum, quibus hodie utimur, ſolennitas ad nos non pervenit, niſi tempore Jacobi I. circa annum Domini 1430. Antea raræ erant; imò non multo ante noſtros annos tempore, Ballivi tantum ſigillum, in ſignum poſſeſſionis traditæ, domini inveſtituræ apponebatur, præcipuè in burgis ſeu civitatibus. Occaſio ſaſinæ introducendæ nata eſt ex ambiguitate & fraudibus, quæ in traditione poſſeſſionum occurrebant; cum aliqui dominum, ubicunque eſſet, per baculi aut fuſtis traditionem, alii ex clavium traditione, poſſeſſionem dare putabant; alii in curia tantum, alii extra curiam coram Paribus. Itaque, ut nullus dubitationis locus relinqueretur, & malè ferlatorum hominum calumniis obviam irent majores noſtri, realem & actualem inductionem in ipſum fundum, ac ſuper ipſo fundo, voluerunt eſſe, ut vera poſſeſſio videatur.

3. *Saſinæ* definitio à ſcriptore *Regiæ Majeſtatis* ponitur ſub hac forma: *Saſina eſt poſſeſſio, unde rei proprietas ex juſto titulo præcedente acquiritur.* Poſſeſſionem autem idem auctor definit eſſe *detentionem rei corporalis animo & corpore, juris adminiculo concurrente. Corporalis* dicit, quia incorporalia non poſſidentur, ut vult ille, & rectè, nam tantùm quaſi poſſidentur ex jure *(c)*; licet & earum etiam ſaſina ſoleat fieri. Sed quòd ibi, quaſi ſui immemor, poſſeſſionem uſu acquiri dicat, quid ſibi velit omnino hæreo: nam qui utitur, poſſidet ſaltem corporaliter; at uſu acquirere poſſeſſionem abſurdum videtur, niſi de præſcriptione, quæ propria Anglorum eſt, intelligat. Tale eſt & illud quod *poſſeſſionem, pedum poſitionem* putat dici, communi errore adductus; nam *poſſeſſio* non *pedum*, ſed *ſedis* eſt *poſitio (d)*. Poſſeſſio autem à proprietate diverſa eſt, & nihil commune habent: itaque, neſcio ſi commodè poterit dici, ex ea rei proprietatem poſſe acquiri, niſi per præſcriptionem. Utcunque eſt, in re unaquaque præcipuè hæc duo ſpectanda, *titulus* (unde & *proprietas*) & *poſſeſſio*, quæ ſemper eſt facti. Poſſeſſionem triplicem eſſe vult Bartolus: unam, quæ multum habet & juris & facti; alteram, quæ multum juris, parum facti habet; tertiam, quæ multum facti, parum juris habet. De prima, ponit exemplum in eis, quæ nobis acquiruntur per procuratorem; nam multum facti habet, cum corporalis apprehenſio ſit neceſſaria, & multum juris, quia acquiritur nobis ignorantibus. *(e)*. De ſecunda, exemplum ponit in eis, quæ per filiosfamilias & ſervos in noſtra poteſtate conſtitutos acquirimus; nam hic juris multum eſt, facti parum *(f)*. De tertia, exempla ſunt in eis quæ per nos acquirimus; nam corpore & animo apprehendimus, & jus ibi tantùm aſſiſtit, ſive potiùs non reſiſtit. Ex hac diviſione quod cuique commodum erit, carpat.

4. Jam ad ſaſinas revertemur, quæ veriſſimè ſunt poſſeſſiones, & introductæ, ut controverſias ſive circumventiones omnes, quæ ex inveſtitura fluunt, & ejus interpretatione, finirent *(g)*: itaque ea ex tribus perſonis conſtat; *Domini*, aut ejus procuratoris, ſive Ballivi; *Vaſſalli*, aut ejus actornati, ſive procuratoris; & *publici Tabellionis*, quem nos *Notarium* dicimus, à *notis capiendis*. Teſtes in hoc acto adhiberi certum eſt *(h)*, qui tamen perſonam non conſtituunt, ſed tantùm, ut inſtrumentum, ſive factum, fidem inveniat, apponuntur, & penè ſemper ſunt deſignandi

(a) Vide etiam lib. 3. D. 7. § 26. (b) Cap. 56. legum burgorum. (c) l. ult. ff. de ſervit. (d) l. 1. pr. ff. de adquir. vel amittt. poſſeſſ. (e) § 5. Inſtit. per quas perſonas cuique adquir. l. 1. § 20 ff. de adquir. vel amitt. poſſeſſ. & l. 42 cod. l. 1. C. de adquir. vel retinen. poſſeſſ. (f) l. 24. ff. de adquir. vel amitt. poſſeſſ. & § 1. Inſtit. per quas perſon. cuique adquir. (g) Ut § 2. dictum. (h) 2 F. 32. pr.

di *(a)*. Quod ad *Ballivum* attinet, & hæc vox, ut ſaſina, Gallica eſt, à *tradendo* derivata, ut ejus perſona à domino electa videatur, cui tradendæ poſſeſſionis miniſterium credatur. Neque ſufficit generale mandatum, cum ſit quaſi alienatio rei hereditariæ; ſed ut ſit ſpeciale, & ad hunc effectum, neceſſe eſt: neque enim domini procurator generalis, neque qui negotiorum domini adminiſtrationem habet, etiam cum libera poteſtate, ad hoc negotium ſufficit. Præterea neceſſe eſt ut hoc mandatum ſcripto contineatur; neque hoc ſolùm fiat in rebus hereditariis, ſed in omnibus cauſis majoris momenti *(b)*; ut, in conjunctis infeodationibus, quas dicimus, ſive uſufructu legitimè conſtituendo, & omnibus locationibus & aſſedationibus plurium annorum quàm unius, ſcriptum requiritur, ut poſt dicemus *(c)*.

5. Duplex eſt apud nos ſaſina ex perſona domini: nam aut ipſe manibus ſuis in ipſo fundo præſens & ſtans concedit, & hæc ſaſina *propriis manibus* dicitur *(d)*: alia eſt quæ (cum dominus ipſe exequi non poteſt quod de jure tenetur, aliis rebus impeditus) per Ballivum datur *(e)*: & hæc, niſi ſpecialiter & in ſcriptis de domini mandato conſtet, nihil in jure operatur: neutra tamen tenorem probat, neque modum ſolutionis, etiamſi mentio tenoris & ſolutionis fiat, ſi deſit illa Charta quam inveſtituram dicimus; nam Notario, qui ſaſinæ inſtrumentum conficit, non eſt in hac re temere credendum, ut poſtea dicam. Ea quæ propriis domini manibus fit, ſi Charta, quæ conditiones continet, non appareat, duriſſimam ſecum trahit conditionem & interpretationem; nam accipientem ſemper in ſervitium militare obligat, cum heredis & terrarum cuſtodia, & ejus maritatione. Idem in ſaſina quæ per Ballivum datur, ſi de ſolo mandato conſtet, neque mandatum illud conditiones referat, quas in omni feudo antea diximus *(f)* neceſſarias; nempe, ut de quo tenendum ſit feudum, & quid domino reddendum, exprimat: nam utrumque ita præſumptione ſuppletur, nempe cum nullus alius ſuperior exprimitur, & tum concedens ſuperior præſumitur: ſic, ſi nullum ſervitium exprimatur, duriſſimum, nempe militare, ſemper præſumitur.

6. Secunda perſona in ſaſina requiſita, eſt accipientis, qui & ipſe præſens, & ſuper fundo eſſe debet, aut ejus ſaltem actornatus. De hoc *Actornato* aliquid dicendum, qui nullus alius in jure noſtro eſt, quam actor negotii alieni, & in forenſi uſu procurator generalis: & *Actornatum* nihil, niſi mandatum generale; quæ tamen vox, ex uſu, etiam procuratorem ipſum abuſivè ſignificat, ut in multis aliis fieri videmus. Alii Anglicam vocem putant pro procuratore. Actornata hodie, etiam ignorante domino, ex Cancellaria diriguntur, parte quartâ ſolius ſigilli Regii roborata. Unde tamen hic abuſus in Cancellariam irrepſit, ut procurator quis, ignorante domino, conſtitui poſſit, quæret aliquis? Puto hunc abuſum ex eo proveniſſe, quod in libris Cancellariæ ab initio procuratorum conſtitutiones continebantur, quando proceres ad publica regni negotia citabantur, & procurationes non valerent, niſi quæ ſub ſigno Cancellariæ concedebantur, dominis ipſis ab initio ſolitis exemplar (nos *Extractum* dicimus) inde petere, mox aliis nomine dominorum, qui eo faciliùs admittebantur, quòd parum inde poterat eſſe præjudicii: nam hujus actornati ea vis eſt, ut quoties de commodo domini agatur, locum habeat in Parliamentis & ſaſinis, ubi acquiſitio fit domino: in aliis, ubi præjudicium poterat verti domino, non ſufficiebat, ut neque ullum generale mandatum. Hinc eſt quod ſaſina à procuratore, niſi ſpeciale mandatum habeat, dari non poteſt; à generali tamen procuratore accipi poteſt. Sed & in hoc fraudem fieri videmus; nam cum damnoſa eſſet hereditas, neque heres aditurus ſperaretur, erant ex creditoribus, qui eum in heredem deſerviri curantes, etiam in ſaſinam induci procurabant, poſteaque pro debito conveniebant: ſed fraus agnita rejecta eſt, neque ea ſaſina, quoniam in præjudicium domini verterat, eſt admiſſa. Itaque hoc firmiter tenemus, nullum actornatum, nullum procuratorium, ſive mandatum generale ſufficere, quoties grave præjudicium immineat.

(a) Cap. 80. Parl. 6. Jac. VI. & cap. 5. Parl. 3. Carol. II. ubi ut ſint teſtes ſubſcribentes requiritur. (b) l. 40. pr. ff. de procurat. & defenſ. (c) § 6. (d) Vid. D. 2. § 13. (e) § 7. (f) D. 5. § 3.

Hæc de actornato : itaque in ſecunda perſona ſaſinæ, qui eſt accipiens, ſeu ejus actornatus, hæc tria requiruntur, ut mandatum illud exhibeat ; nam cum in ejus favorem ſit factum, ejus fidei committitur, ut humiliter & ſupplex *cum humilitate* executionem ejus mandati petat : neque hæc verba omnino ſunt otioſa, nam ex jure Feudali vaſſallus, *cum omni humilitate*, & (ut nos loquimur) *cum ea reverentia, quâ decet*, inveſtituram petere debet ; & etiamſi apud Ballivum fiat, Ballivus domini mandatum reverenter exequi debet. Utriuſque perſona, i. e. tam dantis quam accipientis, concurrit in ipſo actu ſaſinæ ; nempe dominus, ſive ejus Ballivus, prælecto mandato, (neque enim aliter de mandato conſtare videtur) ſtatum, poſſeſſionem hereditariam, actualem & realem tradit, per ipſius fundi traditionem, qui cum ipſe tradi non poſſit, ſymbola traduntur, nempe lapis, & terræ ipſius pars. In annuis reditibus denarii traditio ſufficit, ut in ædificiis, oſtii apertio, & clauſura, ut antèa dixi *(a)*, in molendino traditio Lie Clap. *Status* nomen, fortè à *ſtando* provenit, quòd omnia hæc à ſtantibus fiant, aut quòd, ut antea monui, *poſſeſſio* quaſi *pedum poſitio* ſit, quæ nihil aliud niſi *ſtatus* eſt, in hac noſtra ſignificatione. *Status* etiam apud Papinianum Juriſconſultum *(b)*, rem *ſtatam* & ſtabilitam ſignificat, *Quanquam igitur* (ait ille) *teſtamento cautum eſſet, ut cum ad ſtatum ſuum frater perveniſſet*, i. e. ad firmam & ſolidam ætatem. Sic & *ſtatus ætatis* apud Imperatorem : ſic & *ſtati dies*, *ſtatuliberi* dicuntur, pro certo & conſtituto die, & conſtituta libertate ; & *ſtatio* & *ſtationarii milites*. De ſaſina & poſſeſſione actuali, reali & corporali ſatis dictum eſt. Vocis hujus [*hereditaria*] neceſſaria eſt adjectio, nam nulla ſaſina perſonam egreditur, neque jus ſucceſſionis facit, niſi quæ eſt hereditaria.

7. Tertia perſona eſt ipſius *Notarii*, qui inde dictus eſt, quod *notas* ex loquentium ſermonibus & dictatis exciperet, quas poſtea in publicam formam redigebat, & extendebat. Notariorum alii Apoſtolicâ auctoritate fiunt, alii Imperiali. Priores ſunt, qui, ab iis qui à Pontifice maximo auctoritatem habent, fiunt ; poſteriores, viz. Imperiales, aliquando Regali auctoritate dicuntur, nempe quòd à Cæſaribus, vel Regibus in ſuo regno, creentur. Apud nos, tantùm Regiâ auctoritate creati permittuntur *(c)*. Sanè ab initio, ſervi tantùm erant publici, qui acta in judicio, vel extra judicium, notis mirâ ſolertiâ accipiebant, & principio in judicio tantum obtinebant, & eos, qui compendioſâ ſcribendi formâ dictata excipiebant, ſignificabant. Sic Modeſtinus *(d)* eos *qui notis acta Præſidum ſcribunt, reipub. causâ non abeſſe* ait ; & Suetonius, *Titum Imperatorem notis velociſſimè excipere ſolitum*, ſcribit. *Notarii* ipſius nomen antiquum eſt : nam apud Plinium in Epiſtolis ſic habetur, *Notarium voco, & die admiſſo, quæ formaveram dicto :* Martialis etiam *Notarii* & *calculatoris* meminit. Horum uſus inventus eſt, cum privatarum ſcripturarum fides vacillare cœpit, ex imitatione quorundam malè feriatorum hominum, qui aliorum chirographo exprimendo ſæpiſſimè etiam in judicio fallebant, ut teſtatur ipſe Juſtinianus *(e)* : nam erant qui totam ætatem conſumerent, ut ſimilitudines ſcriptionum imitarentur ; & noſtro tempore auditum eſt de quodam, qui adeò artificioſè alterius totum inſtrumentum & conſcriptionem aſſimulaverat, ut etiam ejus ſimilitudine in errorem ſit adductus is, cujus ſcriptura fingebatur, neque ſe ſubſcripſiſſe auderet diffiteri. Itaque duo remedia Imperator propoſuit edicto *(f)* : primum, ut nullæ privatæ ſcripturæ fides adhibeatur, ſi ab eo qui ſcribens dicitur negetur, niſi à tribus teſtibus, contrahentium perſonas cognoſcentibus, etiam ſubſcribatur, aut tres teſtes ſint qui de facti veritate deponant. Aliud, ut quæ privatim & inter privatos parietes fieri, aut ſolita erant, aut ſæpe fingebantur, in publico poſtea fierent, & per publicam perſonam expedirentur. Et ſanè in initio hæc tantum in judicio fiebant : poſt quocunque Notarius adducebatur, permiſſum eſt inſtrumentum conficere ; ut apud nos *Regiſtrationes* hodie, quæ tantum in judicio fieri debebant, ubicunque vel ipſe Regiſtrarius, vel ejus deputatus adeſt, licitè fiunt.

Hæc utique de *Notariis*, quorum inſtitutionem, aut uſum, ſive practicam, non eſt mihi

(a) § 1. (b) l. 77. § 14. ff. de legatis. (c) Cap. 31. Parl. 5. Jac. III. (d) l. 33. § 1. ff. ex quibus cauſis major. in integr. reſtit. (e) Nov. 73. in pr. (f) Nov. 73. cap. 2. & Auth. ſi quis vult. C. qui potiores in pign.

mihi animus persequi, cum sciam magnos de iis libros circumferri, qui plenè hanc rem absolvant. Illud tantùm moneo, ut eorum usus ex privatarum scripturarum abusu natus est; sic ex *Notariorum* sceleribus ad privatarum scripturarum fidem recurrendum. Nostri interea hoc publico edicto *(a)* nuper caverunt, ne uni Notario fides in gravioribus rebus esset, sed duo ad omnes actus, qui hereditatem respiciunt, aut causas quæ in pari gradu sunt, adhibeantur, nisi in sasinis *(b)*, ubi unius Notarii testimonium sufficit, si alio adminiculo juvetur, veluti aut Charta, aut præcepto, fortasse & contractu. At ubi nullo alio adminiculo veritas apparet, i. e. si neque sit Charta, præceptum, aut contractus, sasina fidem non facit *(c)*, nam unius Notarii testimonio plena fides hodie non adhibetur. In burgis tamen, quoties resignationes fiunt, uni Notario creditur, tam de veritate sasinæ, quàm de reversione, sed publico urbis Tabellioni jurato & creato, ut aiunt. Ubi autem duo adhibentur Notarii, instrumentum, ex Normannorum constitutionibus, unius manu totum conscribi debet, & utriusque manu signari. Item, & hoc monendum puto, ut nulli Notario fides adhibeatur, de iis quæ sub sensus non cadunt *(d)*; itaque apud nos Notarii assertio, de superiore, de solutione, qualitate & quantitate solutionis, etiamsi Notarius dicat, se dominum audivisse exprimere & superiorem & solutionem, non creditur. Ad sasinas redeo, & sasinæ Notarium.

8. In Notario hæc tria consideranda sunt: Primum, ut in ipso sasinæ instrumento rogatus sit ipse Notarius, & hoc exprimatur; quod usque adeò necessarium, ut sine eo sasina non sit. Quod ad ipsam sasinam attinet, instrumentum illud est, & solennitas extrinseca, quæ non præsumitur nisi constet, & sine qua actus ipse non valet: nam has sasinas privatim fieri majoribus nostris non placuit, sed in publico, & præsente aliquâ personâ publicâ. Itaque consultus aliquando, an domini asserentis se sasinam dedisse, aut etiam Ballivi confessio pro sasina sufficeret? respondi, Non puto sufficere; nam si denus, domini confessionem sufficere, nulla unquam erit sasina, nullus Notariorum usus, & innumeris fraudibus fenestra aperietur: neque de loco sasinæ constabit, cujus necessitas in omni sasina (ut diximus *(e)*) requiritur, & ut actus omnibus super solo præsentibus perficiatur; cum confessio domini ubilibet fieri possit: quòd si non in sasinis, nullibi Notariorum usus erit, si res ex unius confessione transigi possit, cum ipsius facti veritas hic quæratur potissimùm, & sit necessaria, quæ non semper ex confessione liquet, nam confiteri possumus falsa. Præterea neque temporis ipsius, quando sasina data est, mentio erit: cujus certè ratio in sasinis semper est habenda, tam ratione accipientis & dantis, quàm aliorum interesse habentium: confessio enim poterit fieri sine temporis expressione. Memini apud Canonistas controverti gravissimè, si in resignationibus beneficiorum publicum resignationis instrumentum fieri debeat, an verò ipsarum partium confessiones sufficiant? Et concludunt omnes, instrumentum publicum, à Notario de ipsa resignatione confectum, ex necessitate requiri: nam actus ipsius resignationis, per traditionem annuli, libri, aut pedi, sivè baculi pastoralis, ita ex substantia est, ut sine eo nihil factum præsumatur. Sic in resignationibus feudorum, ut actus aliquis à resignante interveniat, qui pro rei traditione sit, necesse est; alioqui resignans devestiri aut nudari feudo suo non præsumitur. Constat ergo ex his quæ diximus, sasinæ confessionem, ubi veritas facti, sive ipse actus requiritur, non sufficere; sed instrumento publico manu Notarii, sive Notariorum, confecto opus esse, ut sasina valeat. Non tamen inficias ibo, confessionem ipsius concedentis aliquando multum contra confitentem operari, modò in judicio fiat, aut fortè in scriptis. Atque hæc de ipsa solennitate actus.

9. Secundum est de persona Notarii, in quo hæc annotanda sunt, ex vicinorum statutis & legibus, cum propriis penè destituamur: primò, ut Notarius excedat annum vicesimum primum; neque enim firmum judicium ante eum annum habere præsumitur: & ut expeditè legere & scribere sciat; neque enim aliter dictata, aut quæ fiunt, excipere notis potest: utque sit integræ famæ; nam alioqui instrumenta

(a) Cap. 80. Parl. 6. Jac. VI. (b) Cap. 4. Parl 9. Jac. VI. (c) Nisi post laptum 40 annorum, per cap. 214. Parl. 14. Jac. VI. (d) Vid. § 21. (e) § 6.

menta ab eo confecta ſuſpicioni erunt obnoxia: neque ordinibus Eccleſiaſticis initiatus; ne ſi falſum commiſerit, eorum prætextu ſupplicio ſubtrahatur: denique prudentes, & rerum agendarum periti, eligendi ſunt ad hoc officium, qui ante electionem de fideliter exequendo ſuo munere, nec cuiquam fraudem faciendo, fideliter jurabunt. Electus Notarius contractum à partibus recipere, aut eorum nomine ſubſcribere non debet, niſi contrahentes, aut rogantes, ex facie & vultu cognoſcat *(a)*. Neque excuſationem ignorantiæ prætendens audiendus eſt; nam in hoc genere peccatum memini aliquando à nonnullis, qui nimiùm rei gerendæ cupidi, unum ſe alium profitentem obligârunt in graviſſimas conditiones, quibus verus debitor nunquam ſe potuit liberare. Itaque notitia contrahentium ſemper in Notario requiritur. Nonnunquam in loco magnum momentum eſt; ſemper enim obſervandum, ut ſit locus honeſtus, ſi fieri poteſt; ut ſit publicus, ſaltem ab omni ſuſpicione alienus, præcipuè violentiæ, ne forte de iis inſtrumenta conficere vi cogantur, quæ ſui juris exiſtentes nunquam confeciſſent.

10. Pater cum filio Connotarius in eodem facto eſſe non poteſt, idque publico edicto apud Gallos cautum: quod etiam Arreſto Senatûs Pariſienſis extenſum eſt ad duos fratres, ad avunculum & nepotem, & ſocerum & generum, ne ſimul Connotarii in eodem actu eſſe poſſint. Notarii omnes Protocolla, ſive regiſtra omnium eorum actuum, de quibus ab iis inſtrumenta rogata ſunt, habebunt, in quibus ea omnia inſtrumenta fideliter & integrè inſerantur, ut requiſita exempla partibus quærentibus exhibeant. Protocolla ſive regiſtra hæc diligenter ſunt ſervanda; neque cuiquam niſi contrahentibus, & eorum heredibus & ſucceſſoribus, inſpiciendi licentia danda: mortuo Notario, Protocolla apud Tabelliones, ſive Amanuenſes juriſdictionis illius, in qua fiebant, deponenda. Hæc ex Gallicis conſtitutionibus deſumpta, quia noſtro uſui conveniunt, appoſui, ut & noſtri ex parte intelligant, quid in perſonis Notariorum requiratur; licet apud nos, non tam exactè Notariorum perſonæ coarctentur. Sunt tamen hæc quæ de iis conſtituta ſunt: nempe, ut à Rege præſententur, poſtea à Senatu examinati, ſi digni videantur, juramento exacto admittendi, & eorum ſignum, ſigillum & ſubſcriptio regiſtranda, cautio de fideliter exercendo officio præſtanda, Protocolla à Senatu ſignanda; à quo officio, niſi in teſtamentis, miniſtri, qui curam prædicationis verbi Dei habent, excluduntur *(b)*.

11. Tertium, quod in inſtrumento ſaſinæ obſervandum, eſt forma quâ Notarius in conficiendo inſtrumento uti debet. Itaque à *Dei nomine* incipiendum ab eo eſt; auſpicatius enim id putabant majores, & quod maxime in fide & officio contineret, ſi Deum principio operis aſcriberent *(c)*: quod à delicatulis iſtis noſtri temporis Notariis ſæpe præteriri dolendum eſt; nam etiam ex conſtitutionibus Juſtinianeis certum eſt omnibus inſtrumentis Dei nomen præponi debere, ubi ſacratiſſimus Imperator ſcribit inchoandum inſtrumentum auctore Deo *(d)*: quod & aliis locis in Authenticis manifeſtum eſt *(e)*. Itaque cum eandem conſuetudinem in inſtrumentis ſemper obſervandum jubeat, ego ſane veterum illum morem in omnibus inſtrumentis retinendum cenſeo, nempe ut à Dei nomine exordium ſumatur. Quòd autem Imperator, Imperatoris nomen ſequi vult, annum imperii, & Conſulis etiam nomen qui in anno illo erat, & Indictionem, & menſem adjici, hæc ſuis hominibus, quique Imperatorem pro domino agnoſcebant, ſcripſit, & eo tempore tum per Conſules anni deſignabantur, ut moris erat apud Romanos. Nos, cum jam creari Conſules deſierint, nec ſi eſſent, aut eos, aut eorum Cæſares agnoſceremus, certiorem rationem ſequuti, veri Cæſaris & noſtri Imperatoris Domini Jesu annum in primo loco ponere ſolemus, à conceptione ſalutis ſemper incipiendo, ut annus nativitatis Domini noſtri ſemper primus ſit, reliqui ab eo in ſuo ordine numerentur, (licet hæc computandi ratio hoc anno ſexcenteſimo ſupra milleſimum innovata ſit *(f)*,

ut

(a) l. 22. § 2. C. de jure deliber. (b) Cap. 31. Parl. 5. Jac. III. cap. 76 & 78. Parl. 6. Jac. V. cap. 24. Parl. 5. cap. 44. Parl. 6. & cap. 78 & 79. Parl. 9. Mariæ Reginæ, cap. 133. Parl. 8. & cap. 45. Parl. 11. Jac. VI. (c) Cauſa 27. quæſt. 7. C. non obſervetis 16. (d) Nov. 47. pr. & cap. 1. § 1. (e) Ut Nov. 8. in pr. & Nov. 16, 77, 85, 109 & 135. (f) Apud nos per actum ſecreti Concilii, 17. Decembris, Anno Dom. 1599.

ut annus à primo Januarii incipiat :) ſecundò, cum Regis noſtri nomine regni annum ſubjungimus, quemadmodum priùs Cæſaris.

12. De *Indictione*; antea in uſu erat, imò & Doctorum opinio eſt, *Indictionis* mentionem fieri debere in omnibus inſtrumentis; alioqui ſi vel prætermittatur, vel falſa inſeratur, vitiari inſtrumentum. Sed quid loquor de Doctoribus, cùm ipſius Juſtiniani, & ex jure Pontificio edicto caveatur, ut Indictio ſemper inſerenda ſit *(a)*? Et quoniam de Indictione mentionem fecimus, ejus origo & ratio inveniendi pleniùs explicandæ. *Indictio* curſum quindecim annorum continet, ulteriùs non extenditur, ſed ad primum fit recurſus. Putant multi *Indictiones* ita dici, & hoc tempus comprehendere, quòd ſingulis quindecim annis, i. e. tribus luſtris, Romani ſolebant tributa orbis ſibi ſubjecti exigere, viz. primo quinquennio ſive luſtro ferrum, ut inde arma fierent militibus Romanis; ſecundo quinquennio ſive luſtro argentum, ut inde ſtipendia ſolverentur; tertio quinquennio ſive luſtro aurum, quod in publico ærario deponebatur. Sed aliunde rationem hujus vocis inquirendum puto: neque enim harum collationum in his ſpeciebus, ſingulis luſtris, quiſquam eſt, quod ſciam, qui meminit. Scio ſanè Indictionem tributi ſive exactionis eſſe ſpeciem, quæ à Principibus populo indicitur: inde Tit. in decimo libro Codicis, *De indictionibus aut ſuper indicto*: imò & ibidem conſtat tempus quoddam conſtitutum indictionis conferendæ, ne poſſeſſiones in incerto eſſent: at hoc loco pro eo calculo ſumitur, ex quo annorum ratio ſupputatur. Sunt qui *Indictiones* has ab indictione ludorum panegyricorum vocari putent, inter quos eſt Joſephus Scaliger, quanquam immeritò ibi Onuphrii Panvinii opinionem de origine Indictionis damnet. Sed de Indictionis origine, cauſa inſtitutionis, aut Olympiadum in eas mutatione, longiùs inhærere non eſt noſtri inſtituti; tantùm quatenus ad uſum inſtrumentorum, præcipuè ſaſinarum, uſus noſter requiret, inſiſtemus. Cœptæ autem Indictiones ſunt Conſtantino Magno Imperatore, anno Domini 313. ante octavum diem Kalend. Octobris, quo die victus eſt Maxentius, infenſiſſimus Chriſtianis, à Conſtantino Cæſare, religioque Chriſtiana in libertatem vendicata. Sanè ex eo tempore Indictiones cœpiſſe, auctores ſunt Onuphrius, Mercator, Hottomannus, & plerique alii. Itaque, tanquam à primordiis Chriſtianæ libertatis, decreto concilii Niceni ſtatutum eſt, ut, ſublatis Olympiadibus, annorum ratio ab eo tempore iniretur, ut decimoquinto quoque anno nova Indictio eſſet, & anni ſinguli Indictionis numerarentur. Sed ſanè Imperator Juſtinianus Indictionis rationem altiùs repetere videtur, imò & ante Romam conditam, & ante Domini noſtri natalia; ſed de hoc aliàs: natus enim creditur Dominus noſter currente tertiâ Indictione; itaque Indictionis perantiquum uſum eſſe conſtat, nam in titulo *De Juſtinianeo Codice confirmando (b)*, Indictionis nomen ponitur, annorumque calculus per eam ſupputatur. Indictionis veræ inveniendæ ratio hæc erit: Numerum annorum Domini collige, & tres iis adde; collectum numerum per quindecim divide, & quod ſupererit Indictio erit; ſi nihil ſupererit, decimaquinta erit Indictio. Quod ex his adjectis vulgaribus verſibus meliùs apparebit:

Si per quindenos Domini diviſeris annos,
His tribus adjunctis, Indictio certa patebit;
Si nihil excedit, quindena Indictio currit.

Utrùm autem Indictionis apponendæ ratio reddi poſſit, dubitatum ſæpe audivi; & licet non omnium quæ à majoribus ſunt inſtituta, facilè ſit rationem cuivis reddere; tamen quia ſic in jure Civili, ſic in Canonico præſtitutum eſt, obſervandum nemo bonus dubitabit, præcipuè cùm uſus noſter cum his conveniat. Rationem reddit Juſtinianus in ea Authentica *(c)*; ut præponatur nomen Imperatoris, nempe, *ut ex majoribus & perfectioribus indiciis*, & eorum inter ſe collatione, *temporum deſignetur curſus*; neque quicquam verius dici potuit, nam ex collatione anni Domini, regni, & Indictionis, veritas aut falſitas inſtrumenti ſæpe eluceſcet. Quid enim, ſi annus

(a) Nov. 47. pr. & cap. 1. § 1. (b) § 5. (c) Nov. 47. pr.

Domini cùm anno Regis regnantis non conveniat? Neque enim officium Notarii imperitis, aut iis qui temporum rationem & calculum inire non poſſunt, demandandum eſt. Imò, quod majus eſt, Imperator, etiamſi uſus alicujus regionis aliter invaluerit, uſum quidem illum retinendum vult, hæc tamen ſuperadjicienda; in quo procul dubio poſteritati conſultum voluit. Sanè ex jure Canonico, Indictio adeò neceſſaria eſt, ut ejus omiſſio, tanquam falſitas, inſtrumentum omnino vitiet. Quo magis miror, in cauſa inter Robertum Brucium & Joannem Livinſtonium agitata, ſuper antiqui inſtrumenti falſitate, Senatum cenſuiſſe Indictionem decimam ſeptimam inſtrumentum manifeſtæ falſitatis non coarguiſſe, cùm Indictio ultra decimam quintam non excurrat; appareretque, illam Indictionem conſultò à Notario adjectam, ut falſi poſt ejus mortem inſtrumentum coargui facillimè poſſet; licet propter præſentem neceſſitatem pecuniæ, cui inhiabat, & quam aliàs non fuiſſet acceptarus, inſtrumentum abſolviſſet: nam non ſolùm falſa Indictio, præcipuè cujus falſitas tam clara, tam manifeſta erat, ſed etiam omiſſio Indictionis totum inſtrumentum vitiat.

13. *Menſes* & *Dies* apponendi ſunt ex neceſſitate, ut ſciatur quo die, quo menſe quid ſit actum; & eorum omiſſio, tam jure Cæſareo quàm Pontificio, totum inſtrumentum vitiat & infirmat: licet aliquando erroris veniam à Senatu conceſſam vidi, in die vel in menſe, ſi alteruter omiſſus per errorem fuerit, & de errore conſtiterit; non ſi uterque. Sed profectò in his, ſi negligentia in minoribus permiſſa fuerit, facilis tranſitus ad majora fiet, & fenestra ad omnem nequitiam patefiet. Itaque viderit Senatus, ne dum frena laxat, Notarii in præcipitium ferantur: ſemper enim id quod ſequitur, parvum videtur, reſpectu ejus quod præceſſerat. Hæc itaque de principio ſaſinæ, imò & cujuſvis inſtrumenti.

14. Sequitur *Actus* ipſe, in quo deſcribendo, Notarius formam ſolitam obſervari curabit, ut quiſque quod ſui muneris eſt agat; nempe, quòd vaſſallus humiliter requirat executionem mandati; quòd Ballivus reverenter mandatum accipiat; quòd Notario prælegendum tradat: tunc hujus mandati tenor inſeratur. Nonnulli, ut officioſiores videantur, totius Chartæ tenorem inſerunt: neque tamen Charta ſic inſerta fidem faciet. Alii totum præceptum omittunt, quorum inſtrumentis vix puto fidem adhibendam, ne negligentia hæc in legem abeat. Unum hoc præcipuè obſervandum eſt, ex conſtitutionibus Galliæ, ut ſemper contrahentium, ſive eorum qui mandatum exſequuntur, habitationes exprimantur: alioqui non ſolùm officio Notarii privantur, ſed etiam in pœnam arbitrariam, ſive mulctam, incurrunt. Et ſanè cùm notitia contrahentium Notario neceſſaria ſit, ad eam faciliùs cognoſcendam, per habitationes ſunt deſignandi. Idem in teſtium deſignatione obſervabit *(a)*. Prælecto præcepto, Ballivus ad officii executionem procedit, & vaſſallum inveſtit per lapidis & terræ traditionem, nam ea traditio dominium transfert *(b)*, ut antiquitùs clavium traditio poſſeſſionem. Sed in re præſenti, & ſuper ipſo fundo, hæc traditio fieri debet: non quidem (ut aliqui artificiosè commenti ſunt) ut ſuper ipſo fundo traditam ſaſinam dicerent, & in ea terra tum ſe fuiſſe ſtantes, cùm pulverem ex ſolo per aliquot milliaria advexiſſent, calceoſque eo repleſſent, & ſuper ſive in calceis plenis ſtantes, ſe ſuper fundo ipſius tenementi ſaſinam dediſſe depoſuerunt in judicio: certum enim eſt, ſaſinam extra fundum ipſum datam nihil operari. Et, ut omnia exactiùs fiant & curentur, non ſolùm annus, dies, & menſis, ſed etiam hora diei apponitur; ne fortè in nocte quid fiat, cujus eſt probabilis ignorantia: quo magis miror, quomodo eis, qui menſem aut diem prætereunt, ignoſci poſſit.

15. De *Loco* quæſtio eſt, an in omni inſtrumento & contractu neceſſarius ſit? In ſaſina neceſſarium dixi *(c)*. Sanè in jure, de loco contractûs, quòd exprimendus neceſſariò ſit, non reperio. In Gallicis conſtitutionibus expreſsè tamen cavetur, ne locus facti omittatur. In ſaſina molæ ſive molendini hoc obſervandum, ut (niſi mola ex pertinentiis ſit, ut exprimi non ſit neceſſe) in ipſa mola, ſive oſtio, ſaſina ejus ſit danda. Si plures ſint fundi non uniti, in omnibus danda eſt ſaſina, ut pro omnibus

(a) Ut § 20. (b) § 40. Inſt. de acquir. rer. dom. & l. 20. C. de pactis. (c) § 2, 5, 6 & 14.

bus valeat. Nuper tamen Senatus cenſuit, in agris conterminis, ſive contiguis, qui de eodem tenentur domino, ſaſinam datam in uno pro omnibus ſufficere. Dicitur autem fundus conterminus, ſive contiguus, ubi agri ſe mutuò contingunt, & nullius alterius domini proprium feudum ſive fundus interjacet.

16. An autem *Communia* quam dicimus (quæ nihil aliud eſt, niſi paſcua communia, ſive prædium commune) agros diſterminet & disjungat? quæſtio eſt. Nam quod plurium commune eſt, plurium eſſe proprietatem neceſſe eſt; & quod commune eſt, meum dici poſſe textus *(a)* probat. Puto tamen *Communiam* hanc agros ejuſdem domini contiguos disjungere, ſi modò hæc communia ad alios pertineat. At ab initio alii erant mores; nempe, ubi unus ager, neque pars, neque pertinentia alterius erat, ſeparatam ſaſinam requirebat, niſi fortè uniti eſſent. Et quoniam in unionem incidimus, quid ea ſit diſcutiendum.

17. *Unio* eſt, cùm duo fundi ſeparati in unum uniuntur, ab eo qui habet poteſtatem; ita ut ſaſina, in fundo uno capta, pro omnibus ſufficiat. Dixi, *ab eo qui poteſtatem habet*: nam nemo, niſi utriuſque fundi, aut omnium, ſi plures ſint, dominus, unire poteſt. Imò ſunt qui putant, dominum utriuſque fundi diſcontigui, ne ipſum quidem unire poſſe in conceſſione, quam ſubvaſſallo eſt facturus, niſi ipſe unitos in unum dominium & Baroniam habeat *(b)*; quum nemo plus juris in alium tranſferre poſſit, quàm ipſe habet: &, ut vulgò dici ſolet, tot ſunt ſtipulationes, quot res in ſtipulationem deductæ; ſic quot ſunt fundi diſcontigui, nec in Charta uniti, totidem ſaſinæ debent intervenire, uti plenum transferatur dominium.

Angli autem latiùs hoc extendunt; etiam ſine expreſſa unione, imò ſine ulla, unicam ſaſinam ſufficere putant pro omnibus feudis, quæ in eo Vicecomitatu ſive diſtrictu ſunt. Sic in burgis, unius tenementi ſaſinam pro omnibus tenementis illius burgi ſufficere volunt, ſi modò ita ſe velle dominus declaraverit. Si verò fundi in diverſis Comitatibus ſiti ſint, plures ſaſinæ requiruntur.

18. *Unio* itaque eſt duorum aut plurium tenementorum, ſeu feudorum, in unum dominium, ſive Baroniam, annexio, ſive incorporatio. Sic in jure Canonico unio beneficiorum dicitur, cùm duo vel plura ita uniuntur in unum corpus, ut pro uno æſtimentur: & hæc Unio ideò tantùm fit, ut dominus vaſſallum pluribus moleſtiis liberet, ne in plura loca, ad plures ſaſinas capiendas, diſtrahatur, pluresque boves (nam ſinguli pro ſingulis ſaſinis domino debentur) præſtare cogatur. In hac unione tria ſunt conſideranda: is qui facit unionem; fundi qui uniuntur; & is qui recipit. Qui facit unionem, major debet eſſe: nam unio in minore ætate facta, reſtitutioni in integrum eſt obnoxia; & in Charta à ſe facienda debet hæc unio contineri. Fundi qui uniuntur diſcontigui eſſe debent; fruſtra enim uniuntur, quos natura univit & conjunxit. Qui verò unionem accipit, non jam duorum fundorum videtur dominus, ſed tantùm unius; neque in duplici ſervitio tenetur, ſed unico; nec boves tres aut quatuor, pro numero fundorum, domino inveſtitus debet, ſed tantùm unum.

19. *Diſſolutio* unionis fit, quando vaſſallus ex pluribus fundis unitis unum de domino ſuo tenendum alienat, & dominus conſenſerit: nam non tantùm ille fundus qui alienatur, ab unione & reliquis unitis diſſolvitur, ſed fundi reliqui redeunt ad eum ſtatum in quo fuerunt ante unionem; quod noſtri familiari exemplo demonſtrant. Si enim ſagittæ vel ligna in unum faſcem colligentur, & vinculum quo colligantur diſſolvatur, & unum eximatur, non tantùm illud unum ab unione disjungitur, ſed alia omnia ligna, vinculo diſſoluto, diſſolvi neceſſe eſt. Nec reſtituitur unio, niſi dominus ab initio licentiam alienandi dederit ſalvâ unione, vel de novo eas terras univerit & annexaverit. Per uſusfructûs conſtitutionem, licet de domino ſuperiore tenendi, ſaſinâ etiam ſubſequutâ, unio tamen non diſſolvitur. Unio autem hæc in Charta ſemper eſſe debet; alioqui unio in ſaſina non valet: ut neque unquam quando Charta pura eſt, i. e. quando nullam conditionem, nullam proviſionem habet, cùm ſaſina detur ſuper eadem Charta, non ſuper adjectis conditionibus

(a) l. 5. § 1. de leg. 1. (b) Et ſic deciſum apud nos 16. Januarii, A. D. 1623, & 16. Decem. 1628.

bus aut proviſionibus; nam conditiones hæ ſive proviſiones habentur pro non adjectis: Charta enim eſt regula & norma ſaſinæ, ad quam ſaſinæ tenor ſemper eſt conformandus.

20. In hac tamen unione hoc obſervandum eſt: quòd licet unica ſaſina diſcontiguitatis vitium ſuppleverit, & pro omnibus terris ſufficiat, non tamen mutat juriſdictionem judicis ordinarii: exempli gratiâ, ſi plures fundi uniantur, quorum unus in Lothiana, alius in Fifa, tertius in Levinia ſitus eſt, ſaſina quidem unica ad principem locum, ſaltem ad deſtinatum in Charta, pro omnibus ſufficiet, tenenteſque omnes ad domini ſui judicium ibi ſiſtere ſe debent: ſi verò judex ordinarius eos in jus citari curaverit, Fifenſis coram ſuo Fifenſi Vicecomite, Lothianus ſub ſuo Lothiano, & Levinianus ſub ſuo Leviniano judice comparere tenentur, & judicium ſuſcipere: quod etiam ſpeciali Ordinum ſtatuto cavetur *(a)*. Sic etiam ſi tributum indicatur: nam Lothiani ſuo Vicecomiti, & reliqui ſuis ſolvere tenentur; & hi poſſunt pro eis diſtringere. Quod ad teſtes attinet, eorum omiſſio aut falſorum inſertio totum inſtrumentum vitiat, & in jure Cæſareo & noſtro per locum deſignandi ſunt habitationis *(b)*, ut antea monui *(c)*, nec paucioribus quàm quatuor teſtibus, probis & fidelibus hominibus, in rebus gravioribus creditur *(d)*, quique contrahentes de facienoſcant *(e)*; licet jure Civili tres, jure Canonico duo ſufficiant: quod & nos antea ſequebamur.

21. Sic abſolutâ formâ inſtrumenti, Notarius nomen ſuum & ſignum apponere debet ex jure: imò, quod magis mirandum videri poſſit, & tamen cum æquitate convenit, non ſolùm totum negotium ipſum audire, ſed etiam totum inſtrumentum ipſius manu ſcribi debet, neque illud poteſt ex jure Notarius alii demandare. Signum autem illud literas duas nominis & cognominis Notarii continere debet. Subſcriptio autem hæc, non ſolùm omnia ſic facta eſſe, debet exprimere, ſed *ſic fieri ut præmittitur, ſe ſciviſſe, vidiſſe, & audiviſſe, notamque cepiſſe*, & inde *præſens inſtrumentum ſuâ manu confeciſſe rogatum & requiſitum* à parte, ſive partibus, in quorum favorem inſtrumentum confectum eſt. Quod tamen non ſemper apud nos obſervatur, nam frequenter illud deſcribendum aliis ſolent committere, ita tamen ut illud ſe feciſſe probent, & his verbis uti tum ſolent: *Et hoc præſens inſtrumentum, manu alienâ confectum & conſcriptum, me aliis rebus occupato, ſubſcripſi in fidem præmiſſorum, rogatus & requiſitus.* Eſtque hæc rogatio in jure adeò neceſſaria, ut ejus omiſſio inſtrumentum vitiet, i. e. niſi exprimat Notarius ſe rogatum & requiſitum fuiſſe, inſtrumentum ſuis viribus deſtituatur: non enim debent Notarii non volentibus ſe inſinuare, aut inſtrumenta captare. Neque rogatio ſolùm in Notario requiritur, ſed etiam in teſtibus, ut in inſtrumento contineatur, & illos rogatos & requiſitos fuiſſe. Tantam diligentiam majores noſtri putârunt requiſitam, ne inſtrumentorum fides vileſceret, & meritò, ut ex eventu hodie conſtat. Sed inter rogationem Notarii & teſtium hoc intereſt, quòd Notarii rogatio ſemper ſit exprimenda, teſtium verò aliquando præſumatur. Generaliter hoc tenendum eſt de Notariis, ut fides illis tantùm adhibeatur in eis quæ ſub ſenſum cadunt: nam ſi notam dederint de ea re quæ ſub ſenſum non cadebat, non creditur *(f)*; itaque hæc verba [*vidiſſe & audiviſſe*] ſolent apponi. Hæc generaliter de ſaſinis, perſonis ad ſaſinam requiſitis, earum forma.

22. Sunt tamen quædam in ſaſinis apud nos ſpecialia. Primum, in ſaſinis dandis ex præcepto Cancellariæ, i. e. quando quis deſervitus in heredem, & retornatus, præceptum ex Cancellaria impetraverit ad Vicecomitem illius diſtrictus ſive regionis, vel ad Seneſcallum; ad executionem illius præcepti, ipſius Vicecomitis aut ejus deputati præſentia opus eſt; quod in Seneſcallo obſervatur: nec illud præceptum per alium, niſi per Vicecomitem & Seneſcallum, demandari poteſt; nec alius eſſe in ejus præcepti executione Notarius, quàm illius Vicecomitatus Tabellio, ſive ſcriba publicus, nos Clericum communem (quòd ad eum ab omnibus acceſſus communis

(a) Cap. 92. Parl. 6. Jac. IV. (b) Eorumque etiam ſubſcriptio requiritur per cap. 5. Parl. 3. Car. II. (c) § 14. (d) Cùm ſciz. duo Notarii adhibentur, & obligans ſcribere neſcit, per cap. 80. Parl. 6. Jac. VI. & ita deciſum 15. Julii, 1680. (e) l. 22. § 2. C. de jure deliber. (f) Ut § 7. dictum.

nis pateat) dicimus *(a)*. Ratio eſt, nam cùm extentus retornatûs Regi debeatur, & Vicecomes teneatur pro eo reſpondere, non eſt illud officium alii committendum, quàm illi qui pro ſaſina illa tenetur reſpondere; & Vicecomites & Seneſcalli in ſingulis Scaccariis eis ſummis quæ in præcepto continentur, onerantur; nec dimittuntur, niſi ſolverint. In aliis præceptis, quæ ex reſignatione fortè feudi in manus domini Regis fiunt, talis cautio non eſt neceſſaria, cùm apertè ipſum præceptum dirigatur ad Vicecomites illius diſtrictûs, nec non relicto albo, pro alio Ballivo ex arbitrio vaſſalli eligendo: itaque in iis vaſſallus non ſolùm Ballivum, ſed etiam ſuum Notarium deligere poteſt, cujus miniſterio utatur. Rectiùs tamen fecerint, ſi in omnibus præceptis Cancellariæ Vicecomitem executorem adhibuerint, & Tabellionem illius diſtrictûs publicum Notarium, (nam lex indiſtinctè loquitur;) niſi fortè Vicecomes, aut ejus Scriba ſeu Tabellio recuſet: nam eo caſu ad alios recurrere poteſt *(b)*; & tamen præcepta quæ ex inquiſitione procedunt, nemo exſequi poteſt, niſi Vicecomes, Seneſcallus, & eorum deputati; nec alius ſubſcribere, niſi eorum Tabellio publicus.

23. In burgis, ſaſina, niſi à Ballivo burgi data, & à Tabellione burgi ſive civitatis publico confecta, in judiciis rejicitur; licet hoc novâ conſtitutione ſit cautum *(c)*; cùm apud nos aliter in aliis burgis, præter Edinburgenſe, conſtet obſervatum, ſed malè.

Sed mirum cuivis videri poteſt, cùm tam expreſsè caveatur à Regina Maria *(d)*, ut omnis ſaſina ex præcepto Cancellariæ non procedens, ſed ab alio & Ballivo & Tabellione confecta, ut intra annum & diem illa ſaſina, ſive illud ſaſinæ inſtrumentum, publico illius diſtrictûs, in quo terra ſita eſt, Scribæ ſeu Clerico communi exhibeatur, ut is illud regiſtro inſerat, ſaltem annum, diem & menſem, quo ſaſina data eſt, cum deſignatione illius tenementi, cujus ſaſina data eſt, & annotatione nominis Notarii & teſtium; quomodo, inquam, hoc ſtatutum adeo in oblivionem venerit, ut niſi à Domino Jacobo Elphingſtoun Secretario, & nunc Senatûs principe digniſſimo, memoria ejus repetita fuiſſet, ferè publicâ invidiâ, vel negligentiâ penitus exoleviſſet *(e)*; cum tamen & ab Henrico VIII. ſpeciali ſtatuto cautum ſit, & ſummam in ſe æquitatem contineat, & fraudibus viam obſtruat: in quo etiam ſtatuto cavetur, ut ille idem Clericus ante Scaccarium ſemel in anno rurſus exhibeat, ut in regiſtro maneat, omnibuſque quorum intereſt innoteſcat, & exemplar exhibeatur *(f)*.

24. Explicandus autem de ſaſinis eſt nodus, qui in nono Parliamento Jacobi I. *(g)* habetur, ubi *licere*, ait Sereniſſimus Rex, *parti adverſariæ ſaſinam, quæ de feudo & hereditate eſt, & ex deſervitione ſive inquiſitione deſcendit, intra quindecim dies infringere, in conquæſtu intra quadrageſimum diem, modò ipſi in ſaſina fuerint.* Cujus ſtatuti hic eſt ſenſus, & cum moribus Anglorum convenit, à quibus ad nos videtur deſcendiſſe, ut licet quis tanquam heres alteri in feudo antiquo deſervitus fuerit, non tamen continuò in ſaſinam ſeu poſſeſſionem mittendum: nam ſi aliquis alius ſit ſaſitus, licet etiam tacuerit in deſervitione, tamen ſi ſaſinam ſuam Vicecomiti monſtrare paratus ſit intra quindecim dies, (ſi hereditatis ſit quæſtio,) aut intra quadraginta dies, ſi conquæſtûs, non eſt ex ſaſina ſua ejiciendus: quod nos *ſaſinam frangere*, Angli *diſſaſire* dicunt; nam *diſſaſinam facere* nihil aliud eſt, quàm ſaſinam rumpere, aut poſſeſſionem impedire.

25. Sed, ut ad ſaſinas noſtras revertamur, alia eſt ſaſinarum diviſio apud nos, ut una ſit *à Præcepto Cancellariæ*, poſt inquiſitionem de morte anteceſſorum; altera, quæ *Clarè conſtat* communiter dicitur. De priore antea dixi *(h)*, nunquam concedi, niſi per inquiſitionem heres deſervitus & retornatus fuerit; quo retornatu Cancellariæ demonſtrato, Cancellariæ cuſtos præceptum ad Vicecomitem dirigit, ſive

(a) Cap. 77. Parl. 6. Jac. V. (b) Cap. 34. Parl. 6. Reg. Mariæ. (c) Cap. 27. Parl. 1. Jac. VI. niſi in caſu neceſſitatis, ut erat deciſum 21. Julii, 1666. inter Thomſonum & Mackitricum. (d) Cap. 46. Parl. 6. (e) Vid. Cap. 64. Parl. 11. Jac. VI. (f) Huic non abſimile videtur quod poſtea ſtatutum eſt, Auctore noſtro defuncto, ut ſaſinæ omnes ritè inſinuentur intra 60 dies, cap. 16. Parl. 21. Jac. VI. (g) Cap. 127. (h) § 22.

Ballivum in burgis, qui id jus habet, ut continuò ſaſinam ſecundum illius præcepti tenorem concedat: & hæc ſaſina majoris eſt roboris & efficaciæ. Altera ex nulla inquiſitione præcedente, nullâ cognitione cauſæ habitâ, ſed ex ea ſcientia quam dominus ſuperior in ſcrinio pectoris ſe habere putat, dirigitur, etiam ſine evidentiarum ſive monumentorum inſpectione; licet viri rerum ſuarum ſatagentes, anteceſſorum monumenta exigant, ut conferendo ſciant, ſi in omnibus præſentia cum præteritis conveniant. Ita *Clarè conſtat* ea ſaſina dicitur, ab iis vocibus quæ in principio narrationis continentur: *Quia nobis clarè conſtat* (ait dominus) *quòd N. pater, avus, patruus, aut ſiquis alius ſit anteceſſor, R. S. obiit ultimò veſtitus & ſaſitus, ut de feudo, ad fidem & pacem*, &c. Sed id genus ſaſinæ non tanti eſt roboris, neque efficaciæ, quantæ prior eſt: nam hæc poſterior, licet adverſus dantem & dominum ipſum valeat, tamen ad inſtruendam actionem reſciſſoriam non ſufficit: imò plerumque neque ad agendum; veluti, ſi fortè coloni ſe dupliciter moleſtatos querantur, aut duplicem exactionem ab iis fieri. In his enim caſibus hoc genus ſaſinæ non ſufficit ad excludendam alterius ſaſinam, quæ ex inquiſitione proceſſit, niſi fortè is qui tali ſaſina utitur, etiam anteceſſoris ſui ſaſinam ex inquiſitione producere velit, aut in continua poſſeſſione fuerit. Utcunque eſt, ſæpe Senatus declaravit per interlocutorias, ſi quæſtio de hereditate peragatur, tales ſaſinas vix ſufficere, & cùm robur omne ab his ſaſinis tollere nequit, quam minimum ſaltem reliquit. Itaque rectius fecerint in jus anteceſſorum ſucceſſuri, ſi per inquiſitionem jus ſuum perſequantur, quàm ſi hereditatem ex præcepto, quod *Clarè conſtat* vocatur, adeant; licet hoc genus ſaſinæ in burgis potiſſimùm uſurpetur, & hoc genus inveſtituræ cum jure Feudali potiùs conveniat, in quo vaſſallus à domino inveſtituram petere, dominuſque concedere tenetur.

26. In omnibus ſaſinis quæ in burgo dantur, hoc obſervandum Senatus cenſuit, ut ratio aliqua in ſaſina, cur ea detur, exprimatur: nam, ſi ex inquiſitione procedat, inquiſitionis in ea mentio fit; ſi ex alienatione, vel reſignatione, nec ea tacenda; ſi quod immediatè ſucceſſurus ſit ſuo anteceſſori, & hæc ratio adjicienda: quod tamen in ſaſina extra burgum non eſt neceſſarium, cùm multæ alienationes originaliter fieri poſſint, quæ de concedente teneantur; quo caſu nulla ratio, nulla cauſa in ſaſina neceſſaria eſt, ſed ſimpliciter ſaſinam dari ſufficit. Si dominus ſuo vaſſallo ſaſinam dederit, bovem in ſignum & ſymbolum ſaſinæ capit, qui ejus proprius fit: ſi aut recuſaverit vaſſallus, aut diſtulerit, aut fortè bos non ſit in fundo, pro pretio dominus diſtringere poteſt, etiam ſine citatione aut adjudicatione.

27. Effectus autem ſaſinæ eſt, ut ſaſitum dominum utilem faciat, ſi modò qui dedit dominus erat, cùm traditio tale dominium transferat, quale apud concedentem erat, ſi dominus dominium transferre intenderat: nam fieri poteſt, ut tantùm uſumfructum, vel locationem ad multos annos, per hanc ſaſinam voluerit conſtituere. Quòd ſi, duobus inveſtitis, ſaſina poſteriori inveſtito priùs tradita ſit, priùs inveſtitus à jure dominii cadit, ut dixi *(a)*. Quòd ſi ſaſitus per annum & diem integrum pacifice fundum in quo ſaſitus eſt poſſideat, poſſeſſio ei nullo modo eſt auferenda, quamdiu titulus, ex quo ſaſinam accipit, inconcuſſus manet; quod in omni poſſeſſione eſt obſervandum, ut qui annum & diem proximè ante diem motæ querelæ poſſidet, is pro vero & indubitato poſſeſſore habeatur, donec jus dominii in judicium deducatur & excutiatur. In actionibus tamen de ejectione, ſæpe dimidii anni, ſæpe menſium aliquot poſſeſſio ſufficiet.

28. Superest, ut materiam hanc ſaſinarum abſolvamus, videre quando, & in quibus, ſaſina requiſita eſt, & quando non. Et, ut à moribus vicinorum incipiamus, apud Anglos, in duorum feudorum permutatione, quod *Excambium* vocant, licet utriuſque dominium transferatur, ſaſinam illi non putant neceſſariam; nam poſſeſſionem diuturnam excambii nomine ſufficere putant. Sic in diviſionibus inter heredes aut portionarios, & in reſignatione, & quando burgalia feuda teſtamento diſponuntur. In libere tenementis tamen ſaſinam requirunt. *Liberè tenentes* eos dicimus, qui pro

(a) D. 2. § 5. in fine.

pro vita ſua, veluti ſi ipſi ſint uſufructuarii, poſſident, & jus utendi & fruendi habent. In reliquis locationibus non requirunt Angli ſaſinam. Apud nos non ſolùm in liberè tenemento, ſed etiam in locationibus pro certo annorum ſpatio, ſaſinarum uſus frequens erat; ut adhuc ut plurimùm ſolent in ſeptentrionali parte. Sunt qui putant in conſtitutione uſusfructûs ſaſinam adeò neceſſariam, ut ſi qui conſtituit præmoriatur uſufructuario, aut fundum vendiderit ante ſaſinam, conſtitutio uſusfructûs non valeat: at hodie ſaſina in nullis niſi hereditariis titulis, ubi dominium transfertur, eſt neceſſaria, ſi aliqua poſſeſſio corporalis adſit. Sanè in emphyteutis, ſi is qui primò emphyteuſin acquiſiverit ſaſitus fuerit, ejus heredes ſaſinæ ſive inveſtituræ renovationem petere non tenentur ex jure Romanorum; quod & apud nos aliquando in uſu erat. Hodie quilibet heres ſaſinam renovare tenetur. Apud Gallos in ſucceſſione ſaſina non eſt neceſſaria; mortuus enim ſaſit vivum, qui ſucceſſioni proximus eſt, & ad ſuccedendum habilis. Apud nos hereditarius titulus, ſive feudum hereditarium prædeceſſoris, ſine ſaſina in ſucceſſorem non tranſit.

Diegeſis octava,

Quid juris Vaſſallus ex Inveſtitura conſequatur.

SUMMARIA.

1. *Quamprimum vaſſallus ſaſitus eſt, conſequitur omne jus quod domino competebat, tam activum quàm paſſivum, exceptâ perambulatione.*
2. *Vaſſallo adverſus dominum competit jus ad poſſeſſionem recuperandam, & omnes fructus ex mora. Suâ auctoritate vacuam poſſeſſionem ingredi poteſt.* Vacua poſſeſſio *quid jure Feudali? Apud nos de fructibus vaſſallus diſponit, & per alluvionem acquirit.*
3. Domus & Ædificia, *non tamen* Turres *& fortalitia, ſolo cedunt, niſi aut exprimantur, aut tranſeant cum juriſdictione aut univerſitate, aut ſint cum licentia exſtructæ.* Caſtro *conceſſo, tranſit etiam juriſdictio. Apud Anglos turres omnes ad Regem pertinent. Cur non idem apud nos?*
4. Baronia, *ut eſt nomen univerſitatis, omnia ſecum trahit, licet non exprimantur.* De Viis *baſilicis & privatis,* pratis, arvis & paſcuis; *& quæ ſub iis contineantur?*
5. De Molendinis, *quæ ſub diſpoſitione non veniunt, niſi exprimantur. Cuilibet molas in ſuo exſtruere licet. Utile eſt vaſſallo ut exprimantur. Molendinum quid? Exſtrui nequit in flumine publico, ne cum Principis licentia, ſi navigatio impediatur: nec in privato, in præjudicium alterius veteris molæ. Pro reparatione multa licent, quæ denegantur exſtruenti. Quatenus molendinum præſcribitur?*
6. Molituræ *quid? Quilibet ſuos tenentes vel vaſſallos aſtringere poteſt.* Knaveship *quid? De ſiccis multuris.*
7. *Multuræ debentur vel per inveſtituram ex vaſſallis, vel per actum aut ſententiam in curia domini, quâ tenentes ſuos aſtringit. Uſus aut diutina poſſeſſio per ſe non ſufficit ad inducendam aſtrictionem, niſi in molis Regiis: ſed non idem in molis Eccleſiaſticis, ut quidam volunt. Quantitas tamen per tempus probari poteſt.*
8. *Vaſſalli qui obnoxii ſunt multuris domini, molas in ſuo ædificare poſſunt.*
9. *Statutum Gulielmi Regis de molis & multuris.*
10. *Statuti hujus corruptio demonſtratur. Quæ in uſu ſunt apud nos, Gallorum moribus conformia, & de furnis apud eos. Speciale ſtatutum apud nos de granis emptis.*
11. *Quomodo liberatio ab his aſtrictis multuris concedatur?*
12. *De* Sequelis *molendinorum.*
13. *De* Aucupationibus, Venationibus & Piſcationibns.
14. *De* Piſcationibus, *& quid ſub illis contineatur? Ejus eſt mare, cujus proximè continens regio adjacens eſt. Unde certum eſt nos Batavorum (quam maximo*

noſtro malo permittimus) *in mari noſtro piſcationem prohibere poſſe.*

15. *Bartolus duplex jus piſcationis facit, ſicut nos, ſed alio modo: unam, ſalmonum; alteram, communium, ſeu alborum. Hæc ſub generali diſpoſitione venit, ſecus quàm illa; cùm ſit quid Regale, niſi vel exprimatur, vel cum Baronia tranſeat, quæ omnia comprehendit: licet ſint qui in hoc diſſentiant. Aliorum piſcium piſcatio, etiamſi piſcationis clauſula non exprimatur, ex natura feudi tranſit.*

16. Petaria & Turbaria *quid ſint?*

17. *De* Carbonibus & Carbonariis, *an ex diſpoſitione feudi vaſſallo cedant, quæritur. In diſpoſitione contineri quid dicatur? an in clauſula diſpoſitionis, an tenoris? Alii venire credunt, licet non exprimantur, modò non excipiantur, quòd omnia comprehendantur quæ à cœlo ad inferos ſunt. Alii non, quòd carbones ſint fodinæ, quæ inter Regalia habentur. Sed hæc quæſtio duabus in Senatu deciſionibus determinata eſt.*

18. *Judicium ſuum hac in re interponit Auctor, & negat carbones in fructu eſſe.*

19. *An is cui feudum ſub reverſione eſt alienatum, poſſit illud carbonibus exhaurire?*

20. *Advertendum an, & quomodo, hæ carbonum fodinæ, ante, & in ipſa alienatione, à domino exercebantur. Ubi etiam de iis carbonibus quæ ſubtus fundo maris effodiuntur, an ii inter Regalia numerentur?*

21. *De* Lapicidinis, *an eæ cum fundo tranſeant non dubitatur, nec de cretæ fodinis, & marmorifodinis. Idem, de calcis, arenæ, picis & ſulphuris fodinis. Salis tamen fodinæ non tranſeunt, cùm inter Regalia numerentur, excepto eo, quod ex induſtria fit, quod ad eum pertinet cujus eſt fundus, & qui fieri curat. Auri, argenti, æris & plumbi fodinæ ad feudatarium non pertinent, ſed ad Regem; ſecus quàm ferri fodinæ.*

22. *De* Cuniculis & Cunicularíis, *præſentibus ſciz. quæ cum feudo tranſeunt; ſed nova inſtituere vix creditur vaſſallum poſſe. Sunt enim animalia culturæ agrorum infeſtiſſima.*

23. *De* Columbariis, *quæ cuilibet indiſtinctè non competunt: apud nos illis tantùm permittuntur qui ſex acras terræ habent. Aliter in Gallia & Normannia, apud quos columbaria non tranſeunt in feudatarium, ut neque molendina, niſi exprimantur, &c.*

24. *De* Hortis *qui cum* Pomeriis *feudo cedunt. Pomeria quid ſint?*

25. Fabrilia, Braſinæ & Brueria *exprimi ſolent, quia antiquitùs illicitum erat hæc habere, niſi expreſsè à dominis concederentur. Quid ſint?* & Polentarius *quis,* & *cerviſiæ excoctor.*

26. *De* Geniſtis, *quid ſint? Earum ſecandarum poteſtatem vaſſallus habet.*

27. *De* Silvis, *quæ feudo conceſſo cedunt, quamvis id olim controvertebatur.*

28. *De* Nemoribus, & *quid diſcriminis ſit inter ſilvam & nemus.*

29. *De* Virgultis, & *quid ſint?*

30. *De* Curiis, *earumque* exitibus, *quid ſint? Jus curiæ vaſſallus uſurpare non poteſt, niſi à domino ſpecialiter concedatur. Eo conceſſo quid intelligatur? Non gladii poteſtas, quam ſolus habet judex Regius; gladii enim poteſtatem nemo, qui ab alio quàm à Principe habet, delegare poteſt. Hæc juriſdictio delegata nunquam fit privativè, ſed cumulativè; quæ remanet etiam in delegante, tam poſt quàm ante inveſtituram vaſſallo factam. Conceſsâ curia, officiariorum creandorum poteſtas conceditur.*

31. *De* Bludwits, *quid ſint? Vaſſallus qui curiarum jus habet, de iis tantùm bludwittis ſive vulneribus cognoſcit, ex quibus neque membrum, neque membri uſus eſt in periculo: alia majora ad ſuperiorem juriſdictionem remittit. De illis cognitio tam ad dominum quàm ad vaſſallum pertinet; & locus eſt prævention. Si uterque ſimul, & ad unum diem, reum citaverit, dominus eſt præferendus. Licet vaſſallo non concedatur jus curiarum, competit ei tamen poteſtas diſtringendi colonos pro debitis feudi, qui diſtrictus naturaliter inhæret diſpoſitioni feudi.*

32. *De* Herezeldis, *quid ſint? remiſſivè.*

33. Communis paſtura *quid? Eſt vel publica, quæ eſt alicujus univerſitatis;* vel *privata, in qua, ſi quid inter partes communionem habentes conſtitutum ſit, obſervandum: ſi nihil ſit conſtitutum, exercetur proportionaliter, aut ex uſu & conſuetudine. Paſcendi modus poteſt præſcribi.*

34. *Quid per illam clauſulam,* cum communi paſtura, *intelligatur? in qua obſervandum, quòd poſt conceſſionem hujus juris arctari aut imminui non poſſit, à domino aut ullo alio communionis participe.*

35. *Jus*

35. *Jus hoc communis paſturæ omnes alias minores ſervitutes ſub ſe comprehendit. An jus hoc compaſcui dividi poſſit? affirmatur; ſciz. non ipſa ſervitus, ſed terra quæ ſervit. Quomodo hoc fiat apud nos?*

36. Liber introitus & exitus *rem ipſam comitatur.*

37. De jure patronatûs, *an feudo accedat? affirmatur, niſi excipiatur. Quædam Regi adjudicata ſunt.*

38. *Feudo diſpoſito, ſegetes creſcentes ſimul tranſeunt: ſic in lacu, piſcina, ſtagno, horto, piſces præſentes & fructus pendentes tranſeunt jure Civili, & apud Anglos: at ſecus apud nos.*

39. Pertinentiæ *duplices ſunt; proximæ, & remotæ. Quid utræque ſint? Quæ res pertinentiarum nomine veniant?*

40. *Vaſſallus ſaſitus omnes utilitates ſuas facit, & pro iis diſtringere poteſt.* Namare *quid? Vaſſallus de feudo tranſigere & compromittere in arbitrum, ſed non in arbitratorem poteſt. Locare poteſt, ſed non alienare.*

41. *Feudum diviſibile quomodo dividatur? Etiam ſine conſenſu domini fieri poteſt, non obſtante pacto inter ſe, aut prohibitione patris, etiam juratâ.*

42. *Apud nos diviſio quomodo fiat? Eſt etiam diviſio præſumptiva, quæ retractari vix poteſt.*

43. *Vaſſallus ſervitutem feudo imponere nequit, ſed acquirere poteſt. Nec uſumfructum aut uſum alii conſtituere poteſt jure Feudali: ſecus apud nos, niſi ſit feudum militare cum conſenſu domini.*

44. *Vaſſallo ſaſito actiones ad obtinendam poſſeſſionem competunt, & ad removendos colonos: de quo in titulo ſequenti.*

1. POSTQUAM vaſſallus ſaſitus fuerit, ex traditione poſſeſſionis utile dominium rei feudalis conſequitur *(a)* (quid ſit utile dominium, quid directum, antea *(b)* diximus,) &o mnes utilitates & fructus feudi, ſive naturales, ſive induſtriales, ſive in ſuperficie, ſive in viſceribus terræ, commoditates, libertates, privilegia, & ea omnia quæ directus dominus antea habuit, ipſe jure proprietatis poſſidet *(c)*, omneſque actiones de feudo, & contra feudum, vaſſallo & in vaſſallum competunt, ita ut is ſolus de proprietate feudi & agere & conveniri poſſit, etiam domino ignorante vel præterito; & dominus, licet ignarus, judicium tamen à vaſſallo ſuſceptum agnoſcere tenetur, ſi feudum ex cauſa ei poſtea aperiatur *(d)*. Itaque vaſſallus rei vendicationem habet, quæ nulli niſi domino competit ex jure *(e)*, & interdicta tam retinendæ quàm recuperandæ poſſeſſionis: aget etiam reſciſſorio judicio, quandocunque aut ubicunque quæſtio proprietatis agetur; & ſic tam petitorio quàm poſſeſſorio judicio poterit experiri, ſine conſenſu domini ſuperioris *(f)*. Judicio finium regundorum (nos *Perambulationem* vocamus) agere non poteſt: nam domini intereſſe ibi verſatur, ne fines ſui ſuperioritatis minuantur *(g)*.

2. Primum itaque jus quod vaſſallo poſt inveſtituram competit, ſi ſemel poſſeſſor fuerit, & poſſeſſionem amiſerit, eaque ad dominum pervenerit, contra dominum poteſt agere, ut amiſſam poſſeſſionem ſibi reſtituat *(h)*; & ex mora omnes fructus poteſt petere *(i)*. Poteſt etiam ſuâ auctoritate vacuam poſſeſſionem feudi apprehendere, & vi ſuâ ingredi, & uti frui *(k)*. Vacua autem poſſeſſio eſt ex jure Feudali, quæ à nullo niſi inveſtiente poſſidetur; apud nos, quæ à nemine poſſidetur. Fructus autem & utilitates ita in eum tranſeunt, ut ſine conſenſu domini de eis diſponere poſſit *(l)*. Si quid per alluvionem aut alio modo acceſſerit fundo, eodem jure quo principale cenſebitur *(m)*; & fructus illius, vaſſallo, non domino, accreſcent. Quæ tamen in ſpecie in vaſſallum tranſeunt, enumerantur in clauſula Chartæ poſt tenorem *cum omnibus ædificiis*, &c. cujus clauſulæ interpretationem rejecimus in hanc Diegeſim.

3. *Domus* ſanè, & *Ædes* ſive *Ædificia* naturaliter ſolo cedere ante diximus *(n)*: non tamen *turres* & *fortalitia* ſolo cedunt, niſi aut expreſsè nominentur, aut is, qui diſpoſitionem habet, cum juriſdictione & imperio mero diſpoſitam habeat, i. e. cum

(a) 2 F. 8. ibi, Rei autem. (b) Lib. 1. D. 9. § 12. (c) l. 23. ff. de R. V. l. 21. C. Mandati, 2 F. 28. verſ. His. (d) 2 F. 43. (e) § 1. in fine, Inſt. de actionibus, l. 23. ff. de R. V. (f) d. 2 F. 43. (g) 2 F. 8. § 1. in fine. (h) 2 F. 7. § 1. 2 F. 26. §. Si facta. (i) l. 21. § 3. ff. de act. empti. (k) l. 2. C. ſi ſervus export. veniat. (l) 2 F. 23. in fine. (m) 1 F. 4. § 6. (n) D. 3. § 30.

poteſtate gladii exercendi: itaque in omni diſpoſitione non veniunt; & ratio eſt, quia pars & inſtrumentum ſunt juriſdictionis, & juriſdictio nunquam conceſſa videtur, niſi exprimatur, ſed ſemper apud dominum directum permanet *(a)*. Turres enim ab initio, non tam ad habitandum, quàm ad caſtigandos noxios, aut patriæ defenſionem, exſtructæ ſunt: itaque, niſi transferatur juriſdictio, turres transferri non videntur, cùm ex ea pendeant. At cùm terræ in Dominio, aut Comitatu, aut Baronia ſunt, tunc cum univerſitate tranſeunt, & turres, etiamſi non exprimantur; quia hæc feuda habent annexam juriſdictionem ſive dignitatem. Si tamen turris ab emphyteuta ſit exſtructa, ſolo cedit, ſi modò licentiam ædificandi habuit: nam apud nos turres, ſine licentia ædificandi à Principe conceſſa, non fiunt, præcipuè ſi pinnas habeant. Quòd ſi caſtrum expreſsè conceſſum ſit, juriſdictionem ſecum trahit, & præcipuè cùm caſtrum conceditur cum omnibus juribus & pertinentiis, aut ſi concedens aliquid ſibi reſervavit: nam reſervatio hæc aliqua retinet ſive reſervat, reliqua excludit, quæ non ſunt reſervata, & in diſpoſitione includit, & exceptio ſemper firmat regulam in non exceptis. Itaque diſpoſitio caſtri, cum omnibus ſuis juribus & pertinentiis, non ſolùm ſecum trahit juriſdictionem, ſed etiam molas, licet non exprimantur, & etiam omnes reditus, flumina, rivos, fontes, ſilvas, & ſilveſtria omnia. Jure Anglorum turres omnes, quia ad defenſionem ſeu munitionem regni exſtructæ tantùm præſumuntur, ad Regem pertinent, ad quem & regni defenſio. Quod ſi idem & jure noſtro obſervari quis dicat, non (ut opinor) aberrabit: cur enim, qui turrim ſive fortalitium ſuum Regi denegat, crimen læſæ majeſtatis incurrat, magis quàm ſi equum, aut ædes, aut rem aliam, nulla alia ratio probabilis reddi poteſt, niſi quòd negatio hæc, ex jure Feudali, Regem & dominum videtur privare jure ſui dominii, & ſpecies quædam Purpræſturæ eſt: at alias res noſtras Principi poſcenti poſſumus negare ſine perduellionis periculo.

4. *Baronia* autem nomen univerſitatis eſt, ſive juriſdictionis; itaque omnia, quæ ex univerſitate ſunt, ſecum trahit: neque tamen minùs ædes & domus tranſeunt, etiamſi non exprimantur; ſed omnia, ut magis caveatur, ſolent exprimi. Idem de *boſcis*, *planis*, *moris*, *mareſiis*, quæ, licet de iis nulla mentio facta ſit in diſpoſitione, rem tamen diſpoſitam ſequuntur. De *Viis* & *Semitis* aliquid majus eſt; viæ enim, ſi de baſilicis intelligamus, regales ſunt & juris publici, ut antè diximus *(b)*. De privatis itaque viis hæc verba intelligenda ſunt; nemo enim privatus niſi privatas vias concedere poteſt. Viæ autem ſunt quæ ad feudum ducunt, licet in alieno ſolo ſint. Earum jus, ut ipſe concedens habuit, ſic & in vaſſallum transferre poteſt. Idem de *Semitis* intelligi puto. Neque hæc intelligenda ſunt de iis *Viis* & *Semitis* quæ per agrum concedentis patent: nam qui mihi aliquam rem diſponit, omnia illa etiam diſpoſuiſſe videtur, ſine quibus uti illâ re non poſſum; & ſi quis mihi fontem diſpoſuerit, viam etiam ad fontem per terram ſuam diſpoſuiſſe videtur, & eam, ſi aliâ uti non licet, præbere cogetur *(c)*. *Prata* non minùs in diſpoſitione continentur, quam arva, ſive (ut noſtri loquuntur) terræ arabiles. *Prata* ea dicuntur, quæ per decem annos proximos ſecta non ſunt: quòd ſi arvum factum ſit, aut arari conſuevit, ceſſat prati nomen. *Paſcua* ex conſuetudine ponderantur, & ex eorum natura. Si autem jus paſcendi in quocunque loco concedatur, & glebas & alia focalia, i. e. ad focum pertinentia, quis eruere poteſt: nam ſub hac paſcendi ſervitute, quæ magna eſt, reliquæ minores ſervitutes comprehenduntur: & ita deciſum vidi. Sed hæc non minus veniunt in diſpoſitione feudi tacita, quàm expreſſa. Paſtus ſive paſtura, & de ea actio, ponitur à Speculatore, in Tit. *De injuria & damno dato.*

5. De *Molendinis* & *Multuris*, quoniam graves quæſtiones oriuntur, pauca adjicere licet. Molendini nomen non reperitur in hac ſignificatione apud Latinos, niſi pro re ad molam pertinente, ut Paulus Juriſconſultus *Aſinam molendinariam* dicit, pro ea quæ ad molam pertinet *(d)*. Rectius *molam* ſive *moletrinam* dicimus, pro eo loco,

(*a*) l. 2. § 14. de orig. juris. (*b*). Lib. 1. D. 16. § 10. (*c*) § 30. in fine. (*d*) l. 18. § 2. ff. de inſtruct. vel inſtrum. legato.

loco, ubi frumentum ad uſum humanum teritur. Molæ ſuperior pars, *tortillus*; inferior, *meta* dicitur. *Molæ*, ſive *Molendina*, ſub diſpoſitionem non cadunt, niſi exprimantur, ſi modò aliquæ fuerint: nam ſi tempore primæ conceſſionis molæ nullæ erant, quilibet molæ condendæ in ſuo poteſtatem habet. Alia cauſa eſt cur molendina exprimi conveniat; nam ſi diſpoſitio cum molendinis & multuris fiat, ab eo qui jus diſponendi habet, liberat vaſſallum ab aſtrictis multuris, ſi forte ejus terræ antea erant multuris pendendis in molis domini concedentis obnoxiæ: nam ex hac clauſula dominus videtur eum liberare, cùm jus ei permittat ſuas molas habendi. Sanè cur molendina, cùm ſolo inhæreant, ſub diſpoſitionem fundi non veniant, ratio probabilis vix reddi poteſt, niſi conſuetudo, quæ ſemper invaluit. Itaque putat Baldus ſub nomine *pertinentiarum* contineri, præcipuè ſi caſtrum cum pertinentiis concedatur. Molendinum autem non dicitur, niſi lapides impoſiti fuerint: apud nos, non niſi viginti quatuor horas molat, & exerceatur. Molendinum in publico fluvio ſine Principis licentia exſtrui non poteſt; imò neque cum Principis licentia, ſi modò uſus navigationis, aut omnino impediatur, aut deterior reddatur: neque in flumine privato, in præjudicium alterius veteris molendini, non diruti, inferiùs exiſtentis. In præjudicium autem inferioris fieri dicitur, ſi quod de novo ædificatur, ſtagnare faciat aquam in inferiore. Pro reparando *aquæductu*, ſive *cluſa* ſua, poſſunt imponere ligna & lapides in fundo vicinorum, invito etiam domino; ſed non pro novi molendini conſtructione. De *Molendinis* & quæcunque ad ea pertinent exactè Bartolus. Molendinum autem tanto tempore præſcribitur, cujus initii non eſt memoria; ſed jus negativum non præſcribitur, videlicet ne alii liceat ædificare, etiamſi fundum habeat aſtrictum, ſivè obnoxium in multuras alterius molendini; ita tamen ne quid multurarum aliis debitarum intercipiat, ut mox dicetur *(a)*.

6. *Molituræ* (quas nos *multuras* dicimus) ſunt mercedes quæ proprie pro opera dantur; & quilibet ſuos tenentes aſtringere poteſt, ut ad ſuum molendinum veniant, & ſegetes, quæ in eo territorio vel creſcunt, vel importatæ aquam & ignem patiuntur, i. e. uſtrino vel clibano præparantur, ibi molat: res quæ à modicis initiis orta, in magnum præjudicium excrevit; nam cùm ab initio nudæ tantùm eſſent operarum mercedes, exactorum avaritia introduxit, ut certæ menſuræ pro qualibet bolla, ſive menſura ibi molenda, penderentur. Eæ cùm non exiguum fructum facerent, majores dominis viſi fructus ſunt, quàm qui molitoribus relinqui debeant: itaque domini, perſolutâ mercede molitoribus, ipſi fructus eos ſibi uſurpârunt. Inde factum eſt, ut domini ſuos vaſſallos ſibi aſtringant, nempe ad molendum in ſuo molendino, non ſine ſumma æquitate ab initio; nemo enim inficias ibit, ex æquo ipſo & bono, vaſſallos domini potiùs commodis inſervire debere, quàm extranei; & ſi fructus ex molitione ſegetum debeantur, eos potiùs domino ſuo appendere debere, quàm extraneo. Sed res in duriſſimam ſervitutem tandem evaſit, cùm domini vaſſallis ſuis, primò aſtrictis ad molendum apud dominum, certam etiam quantitatem aſſignarent, quam vaſſalli pendere debent, alii majorem, alii minorem. Itaque aſtrictæ multuræ non jam ſunt mercedes operarum, (nam molitores pro operis ſuam quantitatem, licet longè minorem, accipiunt,) quam nos KNAVESHIP dicimus, ſed certæ penſiones, quæ de molendinis & ſegetibus ibi tritis debentur, & inter maximos fructus prædiorum ruſticorum numerantur. At dominorum iniquitas non his contenta, etiam *ſiccas multuras* introduxit, quas etiam deberi volunt, ſive apud domini molendinum grana molantur, ſive non; cùm ab initio (ut dixi) multuræ tantùm deberentur, cùm molitores faciles & non gravatas ſuas operas in molendis granis exhiberent.

7. Aſtrictio autem multurarum duobus præcipuè fit modis: Primò, per inveſtituram in vaſſallis; cùm dominus vaſſallo concedit terras ſuas, ſub ea conditione, ut ad molendinum ſuum veniat, vel ut in aſtrictis multuris teneatur. Secundò, in tenentibus, ſi dominus vel quicunque alius poteſtatem habens (ut in omnibus ſervitubus conſtituendis) palam & in curia domini ſui, ſive curte, publicè actum fecerit, ſive

(a) § 8.

ſive ſententiam dixerit, quâ tenentes ſuos aſtringit, & obnoxios facit ad vehenda ſua grana ad molendinum domini, eaque ibi molenda. Aliorum dominorum tenentes obſtringere non poteſt, neque enim in eos habet juriſdictionem aut imperium. Et his modis terræ in multuras aſtringuntur: uſus autem, ſive continua poſſeſſio, ad inducendam ſive probandam aſtrictionem, ſine horum alterutro non ſufficit, non magis quàm ſi per centum annos unum iter incedam, iter efficitur meum: imò beneficii & grati tantùm officii causâ reputandum, quod per tot annos ad molam unam acceſſerim; à quo officio liberum eſt, cùm libuerit, me expedire, niſi aliqua ſervitutis conſtitutio appareat. In molis tamen Regiis perpetuus uſus pro conſtitutione eſt, cùm Rex multa jura poſſideat etiam ſine ſaſina, quia de omnibus terris ratione coronæ videtur ſaſitus: itaque diutina poſſeſſio in his pro conſtitutione ſervitutis eſt. Sunt qui idem in molis Eccleſiaſticis putant, quod non probo.

Licet autem ipſa aſtrictio per longi temporis uſum probari non poſſit, quantitas tamen aſtrictionis poteſt, ut in tanta quantitate pro molenda unaquaque menſura quis teneatur, quantam per viginti, triginta, aut quadraginta annos ſolitus eſt præſtare.

8. Quæſitum autem vidi, utrum vaſſalli terrarum, quæ multuris domini ſunt obnoxiæ; veluti, ſi in inveſtituris vaſſalli ſe obſtrinxerint expreſsè ad annuas penſiones pro aſtrictis multuris, utrùm hi poſſint molas in ſuo ædificare? Rationem dubitandi facit, quòd ii, cùm multuras de omnibus ſegetibus creſcentibus aut illatis debeant, aliorum frumentum ad ſua molendina pertrahere non poſſint. Sed prudentioribus aliter viſum, quemque in ſuo molendinum exſtruendi jus habere, & extraneorum (quos Feudiſtæ forinſecos ſive forenſes vocant) grana ad ſuum molendinum pertrahendi; modò ipſe ſuas ſegetes dominicæ molæ ſubjiciat, ſuaſque pro iis multuras ſolvat, & ſic ſervitutis priſtina onera ſubeat. Neque enim debet dominus vaſſallo ſua commoda invidere, modò in eis percipiendis vaſſallus id, in quod domino tenetur, cum fide ſolvat: itaque aliunde & extra territorium domini advectas ſegetes molere poteſt, proque molendo debitas multuras capere.

9. Quod ad noſtrum jus ſcriptum attinet, relatum video ex ſtatutis Gulielmi Regis *(a)*, *ut qui habent molendina in ſuis terris, ſimul habere teneantur magiſtrum & duos ſervientes, ſive famulos, qui jurent fidelitatem domino loci & hominibus ſuis. Et liber homo dabit decimumſextum vas, vel viceſimum, vel triceſimum, ſecundum quantitatem in inveſtitura contentam, ſed communem quantitatem eſſe unam firlotam ex viginti. Si vel molendinum fractum ſit, vel curſus aquæ impediatur gelu aut aliunde, molendinarius* (quem Latini molitorem dicunt) *ſive magiſter, ibit cum hominibus ſui domini per viciniam, & faciet conventionem, ſive conveniet cum molendinariis, de reficienda mola, ſive curſu aquæ reſtituendo. Idem in molis manualibus: Si quis emat bladum in aliqua Bothna (b), & tranſeat ad aliam Bothnam, & ibi moram faciat de taberna comedendo, vel bibendo, & ponat ſaccum ſuum ſuper firmarium domini, vel infra domum, multuram ſolvere cogetur. Item ſiquis capiat ad firmam aliquam terram in aliqua Bothna, & poſt terminum recedere voluerit, habeat ſemen ſuum quietum à multura, & totum bladum ad decimum nonum, ſive undevigeſimum vas. Si aliquis aſſuetus ſit tranſire in occulto ad aliud molendinum cum blado ſuo, abſque molendinarii licentia, & per ſervientem domini ſui ſit captus, dominus habebit equum, & molendinarius ſaccum & bladum. Item ſi aliquis firmarius reddiderit terram domino, & fecerit finem cum molendinario de multura, ipſe qui intrat duas habebit partes multuræ, & qui recedit habebit tertiam partem ejuſdem multuræ.*

10. Statutum hoc in multis locis corruptiſſimum eſt; ſed quia prima videtur fundamenta multuræ aſtrictæ continere, aliqua de ea ſunt apponenda. Quod ad *menſuras* attinet, quæ in prima parte ſtatuti pro multuris conſtituuntur, tota ea res ex ipſius inveſtituræ, aut ſaltem acti curiæ tenore pendet, alioqui uſus & conſuetudo pro lege eſt. Rectè etiam *juramentum* à magiſtro molendini Rex exigi voluit; neque enim fallacius ullum genus hominum eſt, & hoc in uſu hodie obſervandum cenſerem

(*a*) Noſtri I. cap. 9. (*b*) Sive Baronia, ex opinione Dom. Skenæi, de V. S.

ſerem. De *molendino fracto*, aut eo *cujus aquæ curſus gelu impeditur*, cur molendini magiſter in circuitu faciat conventionem neſcio : locus ſanè ſuſpectus eſt, &, ut apparet, adulteratus, cujus ſenſus vix elici poſſit. Idem in ſequenti clauſula, niſi quòd ſenſus hic eſſe videatur, ut *ſi quis emat grana in alieno territorio ſive diſtrictu*; nam *Bothena* legendum eſſe, (quod territorium ſive diſtrictum ſignificare locus ipſe evincit) nemo non videt. De *taberna*, ſive *comedendo* & *bibendo*, omnia corrupta ; puto legendum *ad tabernam*. Per *tabernam* Juriſconſulti intelligunt tabernam negotiatoriam ſive cauponariam, & quod ponitur ſuper furnum, aut clibanum ſolvet multuram, quod nos vulgariter dicimus *pati ignem & aquam*; atque *furnum* legendum puto ſive *furnarium*. De hoc multura, & ex jure, & ex uſu noſtro quotidiano, ſolvenda eſt. In alia clauſula, *Si aliquis aſſuetus tranſire*, &c. legendum procul dubio *aſtrictus*, ut ſit ſenſus ; *Si aliquis, qui alicui molendino aſtrictus eſt, occultè in fraudem ſuæ aſtrictionis, ad aliud molendinum ſine molendinarii conſenſu abiêrit, & in tranſitione deprehenſus fuerit à ſerviente ſive ſerjando domini ſui, equum & bladum cum ſacco amittet.* Quod tamen hodie, in uſu noſtro, per omnia non obſervatur : ſolent tantùm qui molendinis inſerviunt ſaccum cum granis equo dejicere, ſaccumque & quæ in eo ſunt domini ſui fiſco adjudicare, relicto equo : quem morem in univerſa Gallia & Normannia obſervari certum eſt ; nam qui molis præſunt, ſi tenentes aliò avexerint ſua grana, poterunt intra territorium domini ſui diſtringere, granaque ſua domini fiſco applicare, per declaratoriam in ſua curte pronunciandam. Si intra territorium grana non deprehendantur, ſed avecta eſſe conſtat, magiſter molendini eum qui offenderit in curia domini ſui convenire poteſt, pro multura ſolita, & mulcta propter peccatum domino applicanda. Idem apud Gallos in furnis multorum locorum obſervatur ; ſunt enim & furni in multis locis, in quibus tenentes ſuos panes, & cætera quæ per ignem humano uſui parantur, coquere tenentur, proque excoctione mercedem ſolvere. Sed ut ad noſtros mores redeamus, aliud etiam in ſcripto jure noſtro continetur *(a)*, nempe, ſi quis emerit *bladum* (Gallica vox eſt pro *granis*) in portu domini Regis ad naves, vel à burgenſibus, ad granarium ipſorum, poteſt ire per quatuor partes ubi voluerit, vel ad molendinum illud (*aliquod* legendum puto) bladum abſque contradictione liberè & quietè poterit aſportare.

11. *Liberatio* autem ab his aſtrictis multuris fit vel expreſsè, remittendo : vel tacitè, nempe cum dominus, cujus molendino terra prius aſtringebatur, eandem terram diſpoſuerit cum molendinis & multuris. Nam tacitè qui privilegium molendini & multuræ diſponit, renunciare videtur omni aſtrictioni.

12. De *Sequelis molendinorum*, quid ea vox trahat, ſunt qui dubitant : puto benevolentiam ſectatorum ſignificari, i. e. ut ii ſignificentur, qui ea molendina ſectantur, ſive quærunt ; quemadmodum & Hamesuckin dicimus de eo, qui quempiam occidendum in domo ſua quærit. Et hæc de molendinis.

13. *Aucupationes*, *Venationes*, & *Piſcationes*, cum fundo tranſire *(b)*, nemo unquam dubitavit ; ita ut qui feudum accepit, *aucupari*, *venari*, *piſcari* in eo poſſit, & etiam alium externum prohibere, ne aucupandi, venandi, aut piſcandi causâ ingrediatur *(c)*. Quòd ſi quis ignaro domino ingreſſus fuerit, & ex aucupio aut venatione ferorum animalium quid acceperit, ſuum facit : non item ſi in alieno vivario piſcatus fuerit ; nam piſces in ſtagnis & vivario ſunt tanquam animalia caveæ incluſa in dominorum poteſtate *(d)*.

14. De *Piſcationibus* aliquæ quæſtiones quotidie moveri ſolent, quid ſub illa contineatur, an aliquid majus jus, quàm competeret, ſi earum nulla eſſet mentio in inveſtitura ? & an ſub nomine *libertatum*, *privilegiorum*, & *utilitatum* veniant ? Sanè ut hujus quæſtionis origo altiùs repetatur, certum eſt ex jure, quòd in mari, aut etiam in flumine publico, quatenus publicum eſt, cuivis piſcari liceat ; adeò ut ſi quis ab alio piſcari prohibeatur, actionem injuriarum contra prohibentem habeat. Progreſſu tamen temporis factum eſt, ut neque mare, quoad piſcationes, publicum

(*a*) Cap. 35. ſtat. 2. Rob. I. cap. 44. Parl. 4. Jac. IV. (*b*) § 12 & 13. Inſtit. de rerum diviſ. vid. etiam lib. 1. D. 15. § 17. (*c*) l. 23. § 7. ff. de injuriis. (*d*) l. 3. § 14. ff. de adquir. rerum poſſeſſ.

eſſet, & ut privatorum in eo propriæ eſſent piſcationes. Nam Leonis Imperatoris conſtitutione 57. cavetur, ut ejus eſſet piſcatio in mari, cujus ſive maritima ora ſive fundus adjacens eſt; & Bartolus planè aſſerit ejus eſſe mare, cujus proximè continens regio adjacens eſt: & proinde mare Scoticum dicimus, quod littori Scotico propinquius, ſic Gallicum quod Gallico, Hiſpanicum quod Hiſpanico adjacet: itaque certum eſt nos alienigenarum ſive exteras piſcationes prohibere poſſe, quod maximo noſtro malo Batavis permittimus, cùm in eorum mari Scotos liberè piſcari non permittant, ut nec Angli in Anglico, nec Galli in Gallico. Nam ſi inſula in medio mari natâ, ejus ditionis efficitur, cujus continens adjacens, profectò & piſcationes in mari proximè adjacentis continentis eſſe debent. Neque hîc conſuetudo excuſat; nam unius gentis conſuetudo ad id tollendum, quod omnium conſenſu introductum eſt, nempe ut continentis proximè adjacentis mare eſſet, non ſufficit; licet alioqui inter privatos ejuſdem juriſdictionis, piſcationes aut permittantur, aut prohibeantur, ex uſu & conſuetudine, quæ ſemper in eis prævalet.

15. Bartolus duplex *Jus piſcationis* facit: Unùm, quod à Principe impetratur; quo quidem mihi innuere videtur, piſcationem jus eſſe Regale, quod niſi à Principe conferri non poſſit, nec in privatorum dominio eſſe. Nam quæ antiquitùs publica ſive juris publici erant, hodie Principi, qui reip. perſonam repræſentat, ceu propria, adjudicantur. Alterum, quod privati ſibi ex diuturni temporis conſuetudine, cujus inchoatæ memoriâ non extat, præſcripſerint. Nos etiam duplicem *Piſcationem* facimus, ſed alio modo diſtinctam: unam *ſalmonum*, alteram *communium* ſive *alborum*, (ut loqui ſolemus) *piſcium*. Salmonum piſcatio in feudi diſpoſitione generali non venit, niſi exprimatur; neque ſufficit generalis illa diſpoſitio [*cum piſcationibus*,] nam ſalmones non comprehendit. Et hæc eſt communis opinio, ſalmonum piſcationem inter Regalia numerari; quæ, niſi expreſſa ſit, non cenſetur conceſſa, niſi forte terræ in Baroniam dentur: nam hanc vocem *Baroniæ*, corpus univerſitatis & omnium quæ in eo territorio ſunt, referre conſtat, adeò ut non ſolum ſalmonum piſcationes, ſed etiam molas, ſilvas, turres, & ſi quæ alia ſint, quæ exprimi neceſſe eſt, comprehendat. Sunt etiam qui probabili ratione moti, nec ſub Baroniæ nomine comprehendi putant; quia quas Rex expreſsè non diſponit, ſibi retinere videtur: & proinde niſi expreſſa mentio piſcationis ſalmonum fiat, non venit ſub feudo. Novi ſane pleroſque viros nobiles ex hac generali clauſula [*cum piſcationibus*] etiam ſalmonum piſcationem præſcripſiſſe, & propriam feciſſe; à quibus eas auferre durum eſſet, quòd à jure communi non abhorret. Aliorum autem piſcium piſcatio ſub generali illa clauſula continetur: imò licet piſcationis clauſula non exprimatur, natura feudi ea eſt, ut communem piſcationem ſecum trahat, ſecundum Leonis Imperatoris conſtitutionem, ut antea diximus *(a)*. Hoc autem in piſcatione diſcriminis eſt, ut ſi quis animi causâ, & non lucri aut compendii, piſcari velit, puto ei illud etiam in privatis piſcationibus licere: ſecus ubi ordinaria inſtituta eſt piſcatio.

16. *Petaria*, *turbaria*, voces ſunt noſtrates; rara enim ſunt apud alias gentes, nulla inter Romanos fuerunt: ea, loca inter nos ſignificant, ex quibus *glebas*, & *turbas* ſive *turvas*, quæ *focalia* dicuntur, eruere ſolemus: & quoniam, ut voces, ſic res ipſæ, aliis ignotæ, nobis verò notiſſimæ ſunt, in earum explicatione non morabor.

17. De *carbonibus* & *carbonariis*, an ex diſpoſitione feudi vaſſallo cedant, major eſt quæſtio. Et ſanè ſi expreſsè in diſpoſitione contineantur, ceſſat dubitatio. In diſpoſitione contineri aliquid tum dicitur, quando ante clauſulam, [*tenendas*] apponitur; nam clauſula hæc [*tenendas*] non eſt clauſula diſpoſitionis, ut dixi *(b)*, ſed tantùm executionis, ut vult Zaſius. Alii putant ſufficere, ſi in clauſula poſt [*tenendas*] exprimantur; nonnulli etiamſi non exprimantur, modò non excipiantur, *carbones* venire credunt, quòd omnia quæ ſub illo fundo continentur, comprehendant, &, ut noſtri loqui ſolent, omnia quæ inter cœlum & inferos ſunt. Movet quæſtionem, quòd carbones ſuut fodinæ, quæ inter Regalia numerantur, nec conceſſi videntur niſi exprimantur, & quòd ſint pars fundi, non privilegium ex fundo.

Omnem

(a) § 14. (b) D. 3. § 28, 29, 30 & 31.

Omnem tamen dubitationem duæ à Senatu pronunciatæ ſententiæ ſive deciſiones excluſerunt. Una erat inter Campbellum Vicecomitem Airenſem, & Chalmerum à Gathget, qui cum in terris, antea ſibi à Vicecomite alienatis, *carbonifodinas* tandem exquirendo reperiſſet, & cum eorum fructus colligere vellet, Campbellus interpellavit, quòd in tenore *diſpoſitionis* nihil eſſet de carbonibus expreſſum, viz. neque in clauſula *diſpoſitionis*, neque *executionis*. Itaque quod non expreſsè erat in diſpoſitione, dominus ſibi retinuiſſe videtur. In Senatu tamen Gathgettius obtinuit, quòd conceſſo ſolo omnes ejus partes conceſſæ viderentur. Itaque non minus *carbones*, qui ad focum eruuntur, venire, quàm ex jure Civili *lapicidinæ*, *cretæfodinæ*, aut *marmorifodinæ* dicuntur; quas certum eſt ſub diſpoſitionem cadere, etiamſi non exprimantur. Gravior erat altera deciſio inter Roberum Setonium ſuæ familiæ principem & ejus matrem: nam cum ex jure noſtro *(a)* tertia pars omnium fructuum ex prædiis præmortui mariti, ejus conjugi ſive relictæ debeatur pro toto tempore vitæ ſuæ, illa etiam petiit tertiam partem carbonum, ex eo quòd fructus carbonarii eſſent ampliſſimi. At filius eo ſe tutatus eſt, quòd *carbones* non magis eſſent in fructu, quàm *ſilvæ cæduæ*; utraque enim erant pars ipſius fundi, & tamen in fructu non numerantur. Vicit tamen in eo judicio mater, & ei tertia fructuum carbonum venditorum attributa, non quatenus ad ejus uſum tantùm neceſſarium erat, ut in ſilvis cæduis jura præcipiunt, & fieri quotidie ſolere videmus; neque enim unquam tertia terræ impedimento fuit domino, quo minus univerſam ſuam ſilvam venderet; quod nuper inter Ramſæum de Dalhouſy & Mariam Bellendinam prædeceſſoris ſui conjugem factum vidi.

18. Sanè, ſi judicium meum interponere in re tanta auderem, neque Dominæ tertiæ, ut loqui ſolemus, neque ipſi uſufructuariæ, quæ tamen Domina conjunctæ infeudationis dicitur, permittendum putarem, ut tertiam partem carbonum lucrentur, aut aliquid ex iis ultra uſum neceſſarium habeant. Nam licet jus expreſſum de ea re non habeamus, idem jus in carbonifodinis ſervandum ratio ſuadet, quod in ſilvis cæduis nuper ex jure dixi *(b)* ſervandum. Neque ratio differentiæ facile reddi poteſt; utraque enim pars fundi ſunt, neque ſine deterioratione aut diminutione fundi ſeparari poſſunt à fundo: itaque idem jus ſequendum in utroque putarem, cum proprium jus in hac re deficiat. Nam ſi ſilvas & carbones fructus eſſe concedamus, qui cuſtodias terrarum habent, quas nos wardas dicimus, impunè eos ſuos facere, & terras eorum fidei commiſſas exhaurire poſſent *(c)*: certum enim eſt, eos durante cuſtodiâ omnes fructus ſuos facere, quos dominus, cum in tenemento ſeu feudo eſt, ſibi ſolet vendicare. Itaque immiſſis multis effoſſoribus, durante cuſtodiâ, multiplicatâque venditione, carbonarii ſive carbonifodinæ omnem uſum in poſterum exhauſtis carbonibus tollent, & proinde inutile feudum expirante cuſtodiâ heredi relinquent: cum tamen alioqui teneatur cuſtos terrarum, feudum, quod in cuſtodia habuit, heredi poſt viceſimum primum annum in eadem bonitate & qualitate reſtituere, in qua accepit. Idem, in eo, qui ex annali rebellione vaſſalli, feudi uſumfructum, tanquam domini eſchetam nactus eſt *(d)*: nam ne huic quidem permittendum fundum carbonibus exinanire, ut neque creſcentes arbores, ſive ſilvas cædere; ut nuper accidit inter Nidreum & Edmeſtonium.

19. Sed altius hæc quæſtio agitari poteſt, nempe cum feudum alienatur ſub *pacto de retrovendendo (e)*, quam *Reverſionem* vocamus, cui etiam poſt redemptionem aſſedatio novemdecim annorum adjicitur plerumque, an is poterit carbones, ſi quorum forte fodinas reperit, manente aſſedatione inanire; aut alienatione per redemptionem extinctâ, durante ſpatio undeviginti annorum, per continuam effoſſionem & venditionem exhaurire. Sanè non credam, non magis quàm ſi ſimplex locatio novemdecim annorum eſſet. Fundus enim locatur ut frui liceat, non ut minuatur, aut colono fundum locatum deteriorare liceat: ſi fecerit, in eo quod intereſt, tenebitur domino, cui perpetuò jus prohibendi competit. Idem de his æſtimandum,

(a) Cap. 77. Parl. 6. Jac. IV. (b) § 17. in fine. (c) D. 20. § 19. (d) Per cap. 32. Parl. 4. Jac. V. (e) Ut D. 4. § 3.

qui ſub pacto de retrovendendo fundum emunt, aut alio modo accipiunt : nam in his alienationibus, crederem eum qui alienationem acceperit, carbones effodere non poſſe, ut neque ſilvas cædere, arbores fructiferas aut creſcentes tollere. Ratio eſt hæc, quòd idem retrovendere & retrocedere teneatur quod acceperat, & non deterius, neque aliqua ex ſui parte diminutum : idem autem non poteſt reddere, cum aliqua ejus pars imminuta ſit ; nam carbones partem eſſe fundi diximus *(a)*, & ſolo, ut ſilvas, inhærere, tanquam ejus partes. Licet enim is qui alienationem accepit, ſit interea dominus, aut ſaltem quaſi dominus, & re ſuâ uti vel abuti pro arbitrio poſſit, & conſequenter ejus utilitates imminuere : ſcire tamen debet rem reſtitutioni obnoxiam, & aliquando rationem ſibi reddendam, ſi rem aut corruperit, aut corruptam reddiderit : fundumque qualem & quantum acceperat, reſtituere tenetur ; licet à communibus utilitatibus, durante alienatione, non prohibeatur.

20. Sed in his omnibus animadvertendum, an hæ carbonum fodinæ, ante alienationem, ſive in ipſa alienatione, exercebantur à domino : nam eo caſu, ei qui alienationem accepit, permittendum puto, ut eodem modo ipſe utatur, eoſque fructus colligat, quos dominus ſolebat. Hoc enim videtur inter eos conventum, nec fortaſsè aliàs fundum empturus tanti fuerat, quàm reſpectu carbonum fodinæ quæ jam exercebatur : dominuſque cavere debuit, cum ſciret rem ſuam præſentem agi, quid de carbonibus & carbonariis fieri voluiſſet. Sed, ſi nihil de ea re proviſum eſt, procul dubio qui alienationem accepit, carbonibus eodem modo uti poteſt, quo dominus antea ſolebat ; ſibique dominus imputabit, quòd in alienatione nihil caverit, cùm fundi conditionem ignorare non potuerit : quod tamen in Dominarum tertiis licere non puto, imò ne in conjunctis infeudationibus, aut aſſedationibus, quantumvis longi temporis. Ita tamen hæc omnia temperanda ſunt, ut ſemper ad uſum quotidianum, carbonibus vel antea inventis, vel de novo repertis, uti liceat, ſi modò aliud non convenerit. Sed non ſine ratione dubitari poteſt de eis carbonibus, quæ ſubtus fundo maris effodiuntur ; eò enim hodie proceſſit hominum induſtria, ut etiam ſubtus mari & intimis terræ viſceribus carbones inveniantur, aperto orificio juxta littus, deſcenſuque ibi facto, & ſubterraneis cuniculis ſive meatibus mare verſus, etiam ſubtus maris fundum deſcenderint, ibique abſtruſos & latentes carbones in uſum hominum producant : nam cum mare ſit juris communis, quicquid ſupra ad cœlum, quicquid inferiùs ad manes, videtur ejuſdem juris eſſe debere, & proinde, cum nullius in bonis ſit, inter Regalia annumerandum. Sed, ut aliquod induſtriæ ſit pretium, & meritis laboribus ſuus honos, carbones hi lucro effodientium cedunt, nec de eis ulla contra eos movetur controverſia ; ut nec de piſcibus quos in mari quis capit, neque de ſalinis quæ ex marina aqua exercentur.

21. *Lapicidinas* cum fundo tranſire ſine controverſia eſt, ſic & *cretæfodinas* & *marmorifodinas :* nam apud nos marmoris omnis generis fodinæ ſunt repertæ, ſic & *calcis*, *arenæ*, *picis* & *ſulphuris*. De *Salis fodinis* dubitari poteſt : nam licet ratio eadem pro ſalis fodinis faciat, quæ pro aliis ; puto tamen ſalis fodinas inter Regalia numerari, & juris eſſe publici. Id tam uſu quàm Scriptorum auctoritate probatur : nam apud Livium *(b)*, ſalis vectigal apud Romanos fuiſſe conſtat, *Altero enim* (ait ille) *anno poſt exactos Reges, ſalis vendendi arbitrium, quia impenſo pretio vænibat in publicum omni ſumptu, ademptum privatis.* Sic, ſecundo bello Punico, Claudio Nerone, & Marco Livio Cenſoribus, *novum vectigal inſtitutum eſt ex ſalaria annona. Etenim cum ſextante ſal Romæ & per totam Italiam venderetur, eoſdem Cenſores pluris in foris & conciliabulis, & alio alibi pretio præbendum locaſſe, ac pretio ſalis tribus oneraſſe* ſcribit, *unde Salinatori cognomen Livio factum (c)*. De Salinarum fodinis meminit Gaius *(d)* Juriſconſultus. Salinarum fodinæ hodie ſunt, in Gallia, in Lotharingia, & Polonia, & pleriſque aliis regionibus, ibique ſunt publici juris. Sed ſal, quod ex induſtria alicujus fit, ad eum cujus fundus eſt, & qui fieri curat, pertinet, ut dixi *(e)*. Auri, argenti, æris, plumbi fodinæ ad feudatarium non pertinent,

(*a*) § 18. (*b*) lib. 2. cap. 9. (*c*) Idem lib. 29. cap. 37. (*d*) l. 13. pr. ff. de public. & vectigal. & commiſſ. (*e*) lib. 1. D. 16. § 36 & 39.

nent, ſed ad Regem, & inter Regalia numerantur. Ferrifodinas privatorum eſſe cenſeo, quòd rari ex iis ſint fructus, neque ſine maximo impendio colligantur.

22. *Cum Cuniculis & Cunicularіis*, &c.] De præſentibus illud intelligi puto, nempe qui cunicularia ex eo tempore cujus non eſt memoria præſcripſerit, is ea retinere poteſt, nova inſtituere poſſe non creditur; neque enim ſine maximo incommodo vicinarum ſegetum fiunt. Itaque dominis cunicularia permittenda puto, quoties ea domini ſui arvis includuntur, & ejus ſegetes periculo propiores ſunt, quàm vicinorum. Cur ſic ſentiam, cùm legem ſcriptam non habeam *(a)*, nec in Senatu deciſum viderim, ratio hæc eſt: Memini me legiſſe, Joannem Regem Galliæ, circa annum 1355. ſtatuto caviſſe, *omnes extentiones veterum cunicularіorum, omniaque nova cunicularia conſtructa, quæque ſui dominii eſſent, diruenda*, cùm culturæ agrorum nulla ſint animalia infeſtiora quàm cuniculi, imò & plerumque mœnibus urbium ab eis periculum immineret, ne ſubterraneis meatibus corruant. In Balearibus inſulis, ut teſtatur Plinius *(b)*, tanta fuit cuniculorum fœcunditas, tam infeſta campis & domibus, ut Prætorem a Senatu petere cogerentur cum exercitu, ut eorum injuriis occurrerent.

23. Quod ad *Columbas* & *Columbaria* attinet, non cuilibet indiſtinctè columbaria habere licet, quoniam graviſſimæ ſunt columbæ ſegetibus alienis, ſed apud nos eis tantùm permittuntur, qui ſex acras terræ habent *(c)*. In Gallia Pappo affirmat, jus cuique eſſe in ſuo (etiamſi nihil aliud habeat niſi aream ipſius columbarii) columbarium habere, etiam invito domino feudi, nec cohiberi poſſe à vicino ſuo, etiamſi maximum ei præjudicium immineat; & ſic judicatum à Pariſienſi Senatu affirmat. At Normannicarum conſtitutionum ſcriptor contrarium aſſerit in Normannia obſervari, conſtitutionemque Normannicam anno 1276 factam, in hæc verba recitat, *De columbariis factis extra feudum ſeu membrum feudi de lorica, concordatum eſt ad quæſtionem communis patriæ*, (*communem* dicit pro *communitate*, ſive tertio ſtatu) *quòd omnia columbaria facta & exſtructa extra loca prædicta, à viginti annis & citra, diruantur, & alia eo modo non ædificentur.* Aliquot deciſiones ſcriptor ille adducit, prout in Senatu Rothomagenſi judicatum eſt. Sanè apud eos *Columbaria* non tranſeunt in feudatarium, ut neque *Molendina*, niſi exprimantur; nec cuiquam licet alio loco, niſi ſuper feudo nobili, columbaria ædificare: imò, quod majus eſt, multi rerum Normannicarum peritiores, ne in feudo quidem loricæ, plura columbaria uno, licere cenſent conſtrui; & ſi feudum loricæ inter filias & plures heredes dividatur, columbarium in partitione per ſortes veniet; nec aliis coheredibus, quibus ea ſors non obvenerit, nova columbaria exſtruere licebit; & ut plurimùm columbarium principali domui adhæret, & annexum eſt. Hæc de columbariis, quæ cur ad cunicularia trahi non poſſint non video, cùm eadem in utriſque ratio militet. Noſtri mores potiùs cum Normannicis, quàm aliorum Gallorum, conveniunt; nam columbariorum jus ab eis in Angliam, ab Anglis ad nos perveniſſe, credibile eſt.

24. *Hortos*, *Pomeria*, feudo accedere, nunquam in controverſia poſitum. *Pomeria* hic pro hortis frugiferarum arborum capiuntur: aliter apud Latinos, pro eo loco qui tam intra quàm extra muros eſt; *murum* enim antiqui *merum* dicebant, locuſque is in condendis omnibus urbibus inaugurabatur, neque in eis magis habitare licuit, quàm in ipſis muris, qui ſacri erant. Noſtri, dum nomen hoc à *pomis* deductum putant, pro loco ſpacioſo frugiferarum arborum uſurpârunt; fortaſſe quod lapſu temporis, licet in iis habitare nefas eſſet, ornare tamen & arbores ſerere permittebatur.

25. *Fabrilia*, *Braſinæ*, *Brueria*, ſolent exprimi, quia antiquitùs non licebat, ubicunque quis vellet, fabricam exſtruere, neque *Braſinam* aut *Brueriam* (utor forenſibus vocibus) exercere, niſi expreſsè à domino concederetur: nam cùm ad hoc genus hominum turbæ ſæpiſſime neceſſitate adductæ confluere ſoleant, cum eorum commodo, id ſibi domini arrogârunt, ut nemo hæc exercere poſſet, niſi cui à domino loci ſpecialiter eſſet permiſſum. Fabrorum maximus eſt in agricultura uſus, &

(*a*) Vid. tamen cap. 74. Parl. 6. Jac. IV. quo etiam nova poſſe inſtituere videtur. (*b*) Lib. 8. cap. 55. (*c*) Vid. cap. 19. Parl. 22. Jac. VI.

tam in conficiendis quàm reficiendis armis ruſticis, & ferramentis equorum ſolent adhiberi: itaque cùm uſus magnus eſſet, commodum aliquod neceſſe ſequi oportuit: quod tamen nulli dominus permittere ſolet, niſi ſpecialiter expreſſerit. Idem de *Braſiatoribus* ſive *Polentariis*, & *cereviſiarum excoctoribus*. *Braſiatores* non incommodè *Polentarios* dici puto; quæ vox & apud Plautum in Curculione reperitur. Polenta autem ita præparatur, ut teſtantur priſci auctores, cùm hordeum, aquâ priùs perfuſum unâ nocte, poſtero die frigunt, ſive torrent, poſtea molis frangunt, ſervaturque in multos dies. Hæc Plinius *(a)*, qui & *cereviſiam* definiens, ſive deſcribens, ait *potum* eſſe *ex aqua & frugibus confectum*, & præcipuè ex hordeo madefacto & rurſus clibanis ſiccato, addito *lupi ſalictarii* flore *(b)*; quo potûs genere etiam hodie pleraque Galliæ & Germaniæ loca, Britanniaque univerſa, vini inopiam ſupplent. Sic Zythus in Ægypto, in Hiſpania, & Gallia, & apud Helvetios. Hæc ideò, non minùs ad vocis explicationem, quàm ut noſtri ſciant uſum cereviſiæ pervetuſtum fuiſſe. Alio loco Plinius *(c) vinum è frugibus* vocat, ut à vino & vite diſtinguat. Quod ad vocem *Braſii* attinet, pro hordeo madefacto, & poſtea ſiccato clibano, & molis deinde trito; & ſic pro *polenta* apud nos ſumitur, vulgò MALT dicimus. At *braſiatoris* nomen, non pro ipſo confectore polentæ ſive braſii, in ſcriptis noſtris legibus ſumitur, ſed potiùs pro eo qui cereviſiam excoquit, & venum proponit, ut videre licet in *itinere Camerariæ*, & libro *De judicibus*. Nos hîc per *braſinas* loca in quibus braſium conficitur cum clibano intelligimus: nam hac voce Plinius utitur, quam nos KILL vulgariter dicimus. Itaque *braſinas* à *brueriis* vulgò diſtinguimus, quòd illæ locum ſignificent ubi hordeum conficitur; hæc, ubi cereviſia fit & excoquitur.

26. Per *geneſtas* vel *geniſtas* nihil aliud intelligo, quàm arbuſculas humiliores, quas nos WHINNES & BROOM dicimus, quarum ſecandarum in uſum braſinæ ſive bruerii poteſtatem feudatarius per inveſtituram accipit.

27. Per *ſilvas*; *nemora* & *virgulta*, omne genus arborum comprehenditur, ſive eæ ſint magnæ, ſive mediocres, ſivè omnino humiles. Apud nos tamen quæſtionem fuiſſe, ſæpe audivi à M. Davide Makgillæo, viro clariſſimo & Advocato Regis, qui ſilvas, niſi ſpeciatim nominentur, ſub generali diſpoſitione comprehendi non putavit. Exemplum adduxit inter Somervellum de Camnethen & Dominum Jacobum Hamiltonum. Hic enim, cùm multas actiones undique coëmptas corraſiſſet adverſus Somervellum, & omnes ejus terras & latifundia haſtæ ſubjecta ſibi appropriâſſet, ſilvaſque dejeciſſet; tandem, cùm Somervellus Hamiltonum in iram Regis incurriſſe animadvertiſſet, captatâ occaſione, eum convenit pro cæſa ſilva ſua, & pretio maximo arborum ibi creſcentium, quas Hamiltonius quaſi ſibi appretiatas & ſolo cedentes dono aut venum dedit, ſententiamque pro ſe ad maximam ſummam nactus, omnes eas terras rurſus ex manibus dicti Hamiltonii haſtæ ſubjectas ad ſe retraxit, quaſi appretiatis terris ſilvæ non ceſſiſſent, ſive in appretiatione non continerentur. Hodie univerſaliter obſervatur apud nos, ut ſilvæ etiam feudo conceſſo cedant, etiamſi non exprimantur.

28. Quid diſcriminis inter *nemus* & *ſilvam*, ad Grammaticos remitto; nam *nemus* pars quædam amœnior ſilvæ eſt, *ſilvæ* nomen generalius. Unde Virgilius,

Interea videt Æneas in valle reducta
Seclusum nemus, & virgulta ſonantia ſilvis.

Ex quo locò & *nemus* & *virgulta* partes fuiſſe *ſilvæ* facilè cuivis eſt colligere, & utraque in *ſilva* fuiſſe. Apud Gallos & Anglos, qui nullum ignem niſi ex cæſis ſilvis habent, multæ leges de ſilvis ſunt, ne privato cuivis eas cædere pro arbitrio liceat. Apud nos, quoniam carbones & glebæ ex terra ſufficiunt ad omnem materiam igneam, & eorum quæ per ignem conficiuntur, ſilvarum honos vilior eſt, nec niſi voluptatis aut amœnitatis causâ ſervantur, niſi fortè ad feras beſtias, capreas, ſive damas, & equorum greges paſcendos ſeparentur. Et hæc proprie ſunt *nemora*,

(a) Lib. 18. cap. 7. (b) Vulgò HOPS. (c) Lib. 14. cap. ult.

ra, ἀπὸ τῦ νέμειν à *paſcendo* dicta ; quæ quoniam ad uſum noſtrum non pertinent, prætereo.

29. *Virgulta* nihil ſunt niſi virgarum pullulantium multitudo, quæ procul dubio, etiamſi non expreſſa fuiſſent, feudo & ſilvis accederent : ſed noſtri, dum ne quid omiſſum volunt, nihil intactum reliquerunt : ſufficeret ſola *ſilvarum* mentio, pro *geniſtis*, *nemoribus* & *virgultis*.

30. De *Curiis* & *earum exitibus* aliquæ quæſtiones ſive dubitationes naſcuntur quotidie. Quod ad *Curias* ſive jus *Curiæ* pertinet, vaſſallus nunquam illud uſurpare poteſt, niſi ſpecialiter illi à domino ſuo fuerit conceſſum. Per *Curias* juriſdictionem, ſive juris dicendi inter ſuos poteſtatem ; per *exitus curiæ* mulctas, & reliquas obventiones (ut dici ſolet) intelligimus. Jus itaque curiæ tenendæ, ſive juris dicendi, cùm conceditur, illud tantùm intelligitur, quod inter tenentes ſive colonos ipſius domini dici poteſt, ſi fortè quæſtio pecoris paſcendi, pauperiei factæ per pecudes, aut mercedum ſive penſionum pro cultura agrorum ſolvendarum interveniat ; vel inter eos qui domino & ejus feudo ſubditi ſunt, vel etiam inter ipſos tenentes & dominum, ſi dilatio in ſolutione per tenentes fiat : nam in his caſibus, vaſſallus, quatenus ei conceditur, domini eſt quaſi deputatus, ejuſque vice & officio fungitur ; &, quod majus eſt, in ſua cauſa judex eſſe tunc poteſt dominus. At in re graviori, vel *gladii poteſtate*, ſolus judex Regius cognoſcit : *gladii* enim *poteſtatem*, nemo, qui ab alio quàm à Principe habet, delegare poteſt. Illud tamen generaliter obſervandum in delegata hac curia, ſive juriſdictione, quod nunquam privativè, ſed tantùm cumulativè delegari poſſit ; non enim eſt quaſi tranſlatio juris ex una perſona in aliam, ſed tantùm mandata juriſdictio, quæ, non obſtante delegatione ſive mandato, adhùc remanet in delegante, eò etiam major quòd ſubſtituere poſſit : nam hi feudatarii vices tantùm dominorum obeunt, locaque eorum ſupplent ; nec minùs dominus, poſt inveſtituram vaſſallo factam, juriſdictionem & curiam cum diſtrictu retinet, quàm ante eandem inveſtituram.

Curia autem & *Curtis* idem ſignificant, nempe locum in quo juriſdictio ſolet exerceri, qui plerumque erat in palatio domini, ſive manſo, ad quem tenentes convenire tenebantur : tranſlatitiè pro ipſa juriſdictione, ſive actu judicandi aliquando ſumitur. Cum curia conceduntur etiam officiarii, adjudicatores, & executores judiciorum, ſive eorum creandorum poteſtas : quia (ut antea monui) conceſſo uno, ea omnia concedi videntur, ſine quibus juriſdictio illa exerceri non poſſit *(a)*.

31. Sequi ſolet curias & earum exitus vox BLUIDWITS, quæ nihil aliud eſt, niſi mulcta ejus qui in rixa vulnus inflixit. WYTE enim *injuriam* ſignificat, BLUIDWYTE eum ex cujus *injuria* ſanguis eſt effuſus. Neque tamen vaſſallus, qui non habet gladii poteſtatem, de omni vulnere cognoſcit ; ſed tantùm de eo, ex quo neque membrum, neque membri uſus in periculo eſt : illud nos *mutilationem* vocamus, cùm membrum detruncatur, ac cùm inutile ex vulnere redditur. Hæc ad ſuperiorem juriſdictionem cogitur vaſſallus remittere. De his inferioris generis vulneribus cognitio tam ad dominum, quàm ad vaſſallum pertinet, & uterque citare reos apud ſe accuſandos poteſt. Sed cùm nemo, pro uno facto, duo diverſa judicia apud diverſos judices ſuſtinere debet, utri obediendum quæret aliquis, ſi uterque judicio contra vulnus inferentem agat ? Et hanc quæſtionem graviter agitatam inter Dominum de Innerleyth, & Lauſoun ejus vaſſallum, vidi : quæ tamen deciſione non eſt finita, ſed tranſactione. Quod ad me attinet, puto locum eſſe prævention i : alioqui, ſi dominus ſuperior expectabitur, donec is judicium acceperit, dilationes multæ naſcentur, in tumultibus & maleficiis, quod non eſt ferendum. Si uterque ſimul & ad unum diem reum citaverit, ſuperioris domini conditionem priorem eſſe credendum eſt. Et licet *Curias* tenere vaſſallo non liceat, niſi id expreſsè à domino habeat, feudum tamen ſemper concedi videtur cum poteſtate colonos diſtringendi pro debitis feudi ; hicque diſtrictus naturaliter diſpoſitioni feudi ſemper ineſt & inhæret.

32. *Herezeldæ* nomen nihil aliud quàm domini debitum, & à Germanis vox deducta

(a) § 4.

ducta eſt : ſolebant enim coloni, ut grati animi ſignificationem præberent, dominis ſuis optimum movens animal teſtamento relinquere. Hodie ab inteſtato domini etiam jus hoc uſurpant *(a)*, ſed ſub hac moderatione, ut qui herezeldam capit ex bonis defuncti, per annum & diem heredes defuncti in poſſeſſione terræ à defuncto poſſeſſæ retinere debeat. Plura de herezeldis qui velit, legat Dominum Skenæum *De verborum ſignificatione*, ut cuique ſuus ſtet honos illibatus ab alio.

33. Sequitur generalis clauſula [*cum communi paſtura*] quâ jus paſcendi in paſcuis communibus cum vicinis ſignificatur. Hæc autem paſcua, etiam non expreſſa, veniunt appellatione feudi aut fundi ; *Paſcua* autem ea ſunt loca, ubi pecudes ſive pecora (quo nomine omnes pecudes, quales ſunt oves, boves, equi, armenta, quæ gregatim gramine veſcuntur, comprehendo) paſcuntur. Hæc autem *paſcua*, vel ſunt *publica*, vel *privata*. Paſcua autem ea ſunt *publica*, quæ ſunt alicujus collegii aut univerſitatis. Neque tamen promiſcuè omnibus ea permittenda, ſed tantum eis qui ſunt ejuſdem collegii aut univerſitatis. De his vide quid jus Cæſareum præſcripſit *(b)*. Sed ſi ſint paſcua univerſitatis, viz. per univerſitatem empta, ſinguli ex ea univerſitate paſcere poſſunt, niſi conſtet non empta ad commodum ſingulorum. In his *publicis* paſcuis, ſive communi agro compaſcuo, quis ex uſu & conſuetudine jus paſcendi habet ; ita ut neque plura pecora, neque ultra ſtata tempora, paſcere quis poſſit. In *privatis*, ſi aliquid inter eos, qui communionem ſervitutis habent, à principio conſtitutum fuit, id obſervandum pro lege erit : & ne fraus fiat, in paſcendo ſemper obſervandum, ne morboſa pecora ex contagio reliquis paſcentibus noceant, juxta illud,

Morbida facta pecus totum corrumpit ovile :
Ne maculet reliquas, eſt removenda grege.

Si nihil in paſtura conſtituenda cautum ſit, tunc aut pro proportionalibus partibus fundorum, quibus paſcua cohærent, exerceri debent ; aut ex uſu & conſuetudine præſcripta in communibus paſcuis, paſcendi modus poteſt præſcribi.

34. Quòd ſi fundus omnino alienus eſt ; veluti, ſi dominus, qui concedit feudum, jus etiam paſcendi concedat, an etiam in fundo domini quis paſcere poteſt ? Nam ſupervacua eſſet illa clauſula, [*in proprio fundo*,] ubi paſcendi jus nulli unquam negatum fuit. Itaque cùm ſervitus in fundo alieno eſſe ſoleat, quid importent ea verba, [*cum communi paſtura*,] ſæpiùs dubitatum vidi. Pro cujus nodi ſolutione, ſciendum eſt, aut paſcendi jus in agro compaſcuo, ſive communi, pluribus feudis competente, aut in domini agro, aut ſuo, conſtitui. In ſuo, vana eſſet illius clauſulæ adjectio : in domini arvo, locum non obtinet, niſi ſpecialiter deſignetur locus domini proprius, ubi jus paſcendi exercere quis poteſt ; imò neque domini fundo, neque alieno, ſervitus unquam imponitur, niſi ea expreſsè conſtituatur ab eo qui poteſtatem habet. Nec præſcriptio ultra hominum memoriam juvabit ; & ſic deciſum vidi in actione mota inter Jacobum Dundas & Elphinſtoun de Schankie, qui prætendebat ſibi jus paſcendi in terris de Arniſtoun deberi, ex clauſula in ſuo feudo à concedente domino inſerta, nempe, [*cum paſtura ſolita & conſueta*,] cùm conſuetudinem probare in ſe recepiſſet Elphinſtonius, & temporis poſſeſſionem ultra hominum memoriam allegâſſet. Quod tamen aliter obſervatum plerique antèa meminerant, & præſcriptionem longiſſimi temporis, cujus memoria non exſtat, in his ſufficere : nam antiquitus pro lege in iis ſervitutibus erat præſcriptio, etiam ſecundum jus Civile. Sed poſteriora derogant prioribus : quanquam in concedentis fundo aliter quibuſdam videatur, quòd ſibi imputare dominus debuit, qui non apertiùs clauſulam concepiſſet : itaque clauſula illa, [*cum communi paſtura*,] tantùm extenditur ad agros compaſcuos, ſive ea paſcua quæ in communi poſſidentur. In quo & hoc obſervandum, quòd poſt conceſſionem juris paſcendi, arctare aut imminuere non poteſt, nec ipſe concedens, neque quis alius ex eis qui communionis ſunt participes ; neque illam terræ por-

(*a*) Cap. 23. Quoniam attach. (*b*) Tot. tit. C. De paſcuis publicis.

portionem quæ paſturæ deſtinata & relicta eſt, aut arare, aut colere, aut in alium uſum transferre, quàm ad eum cui deſtinatus fuit *(a)*; ut nec qui paſcendi jus habet, paſcua multitudine pecorum gravare poteſt, ſed tantùm pro rata portione ſui dominii juſtum numerum imponere, ne aliorum, qui idem jus paſcendi habent, deterior reddatur conditio.

35. Hoc autem *jus paſcendi* (ut dixi *(b)*) omnes alias minores ſervitutes ſub ſe comprehendit, veluti *glebas*, *focalia effodiendi*, *ceſpites cruendi*, *calcis coquendæ*, & *pecoris aquandi*, adeò ut qui jus paſcendi in ſuo feudo habeat, reliquis minoribus ſervitutibus pro arbitrio uti poſſit, ex illa regula generali, *Cui plus licet multò magis & minus*. Controverſum autem vidi, an hoc *jus paſcendi* in compaſcuo ſive communi agro dividi poſſit? Et ſanè ex conſenſu omnium, viz. tam domini, quàm eorum qui jus habent, indubium eſt dividi poſſe, non ipſam ſervitutem, quæ indiviſibilis eſt, ſed ipſam terram quæ ſervit. Dubitandi rationem movet, quòd in jure tam Anglorum quàm Civili, nemo in communione manere teneatur; nam commune ſolet diſcordias & diſſentiones parere. Sed longè elegantiſſima ratio redditur à Theodoſio & Valentiniano Imperatoribus *(c)*, *Naturale vitium eſt, negligi quod communiter poſſidetur, utque ſe nihil habere, qui non totum habuerit, arbitretur, denique ſuam quoque partem corruinpi patiatur, dum invidet alienæ.* Itaque pactum ne res communis dividatur, in jure reprobatur, quaſi contra rempublicam & commoda publica factum. Et, apud nos, in eis quæ in communi poſſidentur, (neque enim de iis intelligendum, qui tanquam cohæredes in unam rem ſuccedunt, qui procul dubio inter ſe dividere etiam inviti cogi poſſunt, altero, vel ſaltem uno ex cohæredibus ad judicium provocante,) & in eis quæ ad communem aliquem uſum deſtinata ſunt, & in eodem uſu continuò permanſerunt, ut ager communis & compaſcuus dividatur, non licet à communione recedere, niſi omnibus conſentientibus, qui jus in ea *Communia* habent. Sanè in jure Civili prohibentis rei communis diviſionem melior eſt conditio. Sed quod in ipſa communione fieri non poteſt, ut terra ipſa dividatur; tamen ut certis temporibus, aut certis locis paſcendi jus dividatur, poterit quis jure agere; ſic ut pro portione tantum hereditaria, aut communionis, quis utatur *Communiâ*, & ne excedat modum.

36. De *libero introitu & exitu*, certum eſt, rem ipſam ſemper comitari.

37. De *jure Patronatûs* dubitatum vidi, an feudo accedat, ſi non fuerit expreſſum? Sed & ipſe textus *(d)* & doctorum omnium ſententia monet, ut ſi jus Patronatûs ſit feudo annexum, non minus non expreſſum tranſeat, quàm expreſſum, niſi forte ſpecialiter excipiatur in diſpoſitione. Nunquam jus Patronatûs per ſe tranſit, niſi cum eis terris, aut earum ſaltem parte, quibus antea fuerat annexum. Hodie Patronatus omnes, qui antea ad Eccleſias pertinebant, ſpeciali ſtatuto Regi adjudicati ſunt *(e)*; & ſi Eccleſiæ reditus 300 marcas non excedant, ſemper Rex ad eas Miniſtros verbi Dei præſentare tenetur.

38. An autem feudo diſpoſito *ſegetes creſcentes* ſimul tranſeant, quæſtio eſt? Sic in *lacu*, *piſcina*, *ſtagno*, *horto*, an & piſces præſentes in eis, & fructus pendentes diſponi videantur? Et hæc eſt Feudiſtarum omnium ſententia, fructus creſcentes cum fundo diſponi *(f)* piſces cum lacu, ſtagno, & piſcina venire *(g)*. Sic *ſilva* in feudum conceſſa, & feræ, & jus venandi, ſimul concedi videntur. Idem de univerſis aliis rei inhærentibus, quæ perpetui usûs causâ in feudo comparata videntur *(h)*; qualia ſunt oves, vaccæ, boves, nam ad fundum ſive feudum pertinent, & ad exercendum ſive ſtercorandum agrum comparata ſunt. Hæc ex jure Civili, & etiam Anglorum, feudo accedunt, quaſi fundi inſtrumentum: apud nos non item, niſi ſpecialiter ſint expreſſa. Et quoniam res quæque cum ſuis *pertinentiis* venit, & nomine *Pertinentiarum* nihil eſt in jure Feudali, & in foro frequentius, quid eo nomine contineatur, pauca dicenda ſunt.

(a) Nupero tamen apud nos Ordinum ſtatuto actio communi dividundo cuivis ex conterminis proprietariis permittitur, cap. 38. Sell. 5. Parl. unic. Gul. & Mariæ. (b) § 4. (c) l. 2. C. quando & quibus quarta pars bon. (d) Cap. 7 Extr. de jure patronatus. (e) Cap. 29 Parl. 11. Jac. VI. (f) l. 25. pr. & § 1. ff. de uſuris. (g) l. 3. § 14. ff. de adquir. vel amitt. poſſeſſ. (h) l. 13. § 31. l. 14, 15, 16, 17. ff. de act. empt. & vend.

39. *Pertinentiæ* duplices ſunt, aut *proximæ* aut *remotæ*. *Proximæ* ſunt, ſine quibus res commodè conſiſtere non poteſt; veluti, ſi caſtrum, oppidum, aut civitas in feudum dentur, arma, bellica tormenta, & etiam annona cuſtodiendis iis, & ad eorum tuitionem deſtinata, veniunt; quia unum corpus ſunt ſimul effecta, & ſine iis caſtrum aut civitas commodè defendi non poteſt *(a)*.

Remotæ ſunt eæ, ſine quibus res commodè ſubſiſtere poteſt, ſecum tamen ſuas commoditates adferunt, ut ſunt horrea, clibanum, ſtabula boum aut equorum, & quæcunque non tam ad habitationem ipſam, quàm ad uſum & commoditatem habitationis ſunt exſtructa; etiam paſcua & nemora. Sed *Pertinentiarum* nomine propriè veniunt, quæ ut pertinentiæ cum re ipſa longo tempore ſunt poſſeſſæ. Fundus autem, qui non eſt conterminus ſive contiguus, non poteſt dici pertinentia, niſi expreſſa unio fuerit. Quòd ſi vel de alio domino teneatur, vel non ſit in territorio, ſive eodem diſtrictu, aut ſi ſpecialis aliqua ejus pertinentiæ ſit ſaſina, aut ſi ſpecialiter in Charta comprehendatur, tunc ſub nomine *Pertinentiæ* non comprehenditur, niſi poſſeſſio (quæ ſemper judex eſt quæ ſint pertinentiæ) aliud obtinuerat, poſſeſſio, inquam, immemorialis, i. e. cujus non exſtat memoria, incipiendo ut antea dixi *(b)*. Hæc ſunt itaque quæ cum ſaſina & jure ſaſinæ in vaſſallum tranſeunt.

40. Vaſſallus ſaſitus, ut omnes utilitates ſuas facit, ſic propter eas diſtringere & namare poteſt *(c)*. *Namandi* verbum unde ad nos defluxerit multi quæſtionem movent: ſed vox eſt Normannica; ab eis ad Anglos, & deinde ad nos devenit, ita ut *diſtrictum* ſemper ſignificet ſive *executionem ſententiæ* in rebus mobilibus debitoris. Vaſſallus autem poteſt de feudo tranſigere pendente lite *(d)*, modò agnatis non præjudicet, (de hoc præjudicio agnatorum poſtea dicemus in titulo *De jure Primogenituræ*;) non tamen inſcio domino, niſi in familia retineatur. Sic & compromittere vaſſallus poteſt in arbitrum, non tamen in arbitratorem *(e)*: ſic in modicum tempus locare, niſi in fraudem domini, & ut præjudicium ei fiat *(f)*, viz. ſi locatio hæc potentiori fiat, à quo tam facile ſervitia exigi non poſſunt. Ratio omnium horum pleniùs explicabitur in titulo *De Recognitione (g)*. Apud nos, ut alienatio prohibetur *(h)*, ſic omnis actus, per quem alienatio induci poteſt, ut uſusfructûs conſtitutio, & locatio pro novemdecim annis, ut ante dixi.

41. At ſi feudum ſit diviſibile inter plures heredes, hi ſine domini conſenſu, modò fraus abſit, dividere poſſunt: adeò ut ne pacta de non dividendo inter ſe feudo valeant; niſi forte paciſcantur non dividere ad tempus, quo caſu pacta ſunt ſervanda *(i)*. Quòd ſi ſocius contentioſus ſit valde & rixoſus, etiam ante tempus diviſio peti poteſt *(k)*. Adeò autem hæc diviſio inter favorabiles cauſas numeratur, ut ne pater teſtamento filios à diviſione prohibere poſſit, etiamſi eos jurare coegerit ſe non diviſuros: quo caſu non ſolum nepotes ex filiis, ſed ipſi etiam filii ad diviſionem provocare poſſunt. Ratio eſt duplex, & quòd communio omnis naturaliter diſcordias parit, & quòd commune eſt ab omnibus ſolet negligi *(l)*. Et licet ſint qui omnium portionariorum conſenſum requirunt, quod prohibentis in jure ſemper melior eſt conditio: tamen ad unius requiſitionem, aut inſtantiam, feudi alicujus diviſio fieri debet & poteſt, etiam reliquis contradicentibus. Quomodo autem diviſio hæc facienda ſit, variæ ſunt opiniones. Ex jure Civili, omnes diviſiones fiunt arbitrio judicis, qui partes dividendas faciet, parteſque inter cohæredes ſortis beneficio diſtribuuntur *(m)*. Jure Canonico, natu cohæredum maximus partes faciet, omni tamen dolo remoto, & junior eliget *(n)*.

42. Moribus noſtris in prædiis ruſticis jus ſequimur Civile, ut partes ex arbitrio judicis & quindecimvirali judicio fiant, & tum ſorti permittitur, quæ cuique pars accedat; veluti, in diviſione quæ inter Joannem Murray & Cuninghame

(*a*) Vid. D. 3. § 24. & D. 22. § 25. in fine. (*b*) D. 3. § 23. (*c*) l. 23. pr. ff. De rei vindic. (*d*) 2 F. 26. § 5. verſ. Si vaſſallus de beneficio. & 2 F. 43. (*e*) 2 F. 15. 34. pr. (*f*) 2 F. 9. § 1. (*g*) lib. 3. D. 3. § 8. ad § 21. (*h*) 2 F. 52. & 55. (*i*) l. 14. § 2. ff. com. divid. (*k*) l. 14. & 15. ff. pro ſocio. (*l*) l. 2. C. quando & quibus quarta pars bonorum debetur. (*m*) l. 21. ff. com. divid. & d. l. 2. (*n*) Cap. 1. Extra. de parochiis.

hame portionarios de Polmais intervenerat. Sic cum defuncti vidua, ad uſumfructum ſuæ Tertiæ, ſive trientis, admittitur, triens à beſſe ſic dividitur: diviſio quindecimvirali judicio per partes fit, & tum ſorti permittitur, ubi trientis uſusfructus initium capiet, & quas terras occupabit. In prædiis autem Burgalibus, junior, vel cohæredum minima (quoniam inter cohæredes fœminas, aut ex iis deſcendentes tantùm diviſionem habemus) partes faciet, ſed ſine dolo malo, & major ſive maxima natu eliget.

Præſumitur autem diviſio ex diutina poſſeſſione, etiam licet partes ſint inæquales. Nec diviſio hæc reſcinditur, niſi dolus interceſſit, vel læſio ultra dimidium: nam hoc caſu talis præſumptiva diviſio retractari poteſt, imò vera diviſio etiam juramento firmata.

43. Præterea vaſſallus invito domino ex jure ſervitutem imponere *(a)* (quia omnis deterioratio ei prohibetur *(b)*) non poteſt, acquirere tamen poteſt; imò ex jure Feudali nec uſumfructum aut uſum alii conſtituere, ſine domini conſenſu *(c)*; imò ne uxori alimenta relinquere poſt ejus mortem. Apud nos non uſque adeò uſusfructus interdicitur, neque ſi uxori detur, neque ſi alii, niſi feudum ſit militare: nam dominus apertè ejus feudi uſumfructum non tenetur agnoſcere, niſi forte, cum conſtitueretur, conſenſerit.

44. Ex hac inveſtitura duplex actio vaſſallo etiam in dominum datur. Una, ut plenam poſſeſſionem vaſſallo feudi tradat, i. e. *(d)*, ut fundum illi quatenus optimus maximus eſt præſtet. Itaque, ſi vel locationibus, ſive aſſedationibus, vel oneribus realibus annuorum redituum, feudum gravetur, dominus aut levare, aut intereſſe præſtare tenetur. Altera, ut mutuam benevolentiam vaſſallus domino præſtet, etiam ſine ulla ſolennitate, aut jurandi formula. Sed omnium jus maximum eſt, quod in vaſſallos tranſit per inveſtituram, cum is veteres colonos migrare, novos pro arbitrio ſuo, & quibus velit legibus, ſubſtituere poſſit, virtute ſuæ inveſtituræ *(e)*. Et quoniam in jus migrandi incidimus, neque ulla in foro noſtro eſt diſputatio frequentior, ratio poſtulat ut de hac actione, quæ contra colonos datur, & de migrando inſcribitur, aliquid jam dicamus.

Diegeſis nona,

De migrando, ſive actione ad removendum colonos.

SUMMARIA.

1. *Jure Civili nullus migrandi terminus conſtitutus erat, ſed ex pacto tantum agebatur: ſed apud nos præmonitio facienda eſt ante ferias Pentecoſtes.*
2. *Coloni duplices ſunt, urbani vel ruſtici. Alterutri parti de migrando denunciare licet. Id faciendum ante Pentecoſten 40 dies, qui & integri eſſe debent. Hujus juris & actionis ratio. Fructus violenti qui ſint? & quomodo dominis causâ cadentibus ſuccurratur.*
3. *Migratio duplex eſt, voluntaria, & coacta. Voluntariæ duæ ſpecies, & quid ſint? Humanitas in pleriſque locis tenentibus indulta. Coacta migratio quid?*
4. *Forma denunciationis ad migrandum apud majores noſtros uſitata.*
5. *Forma denunciationis hodie uſitata. Ea ad præſentiam coloni, vel ad ejus habitationem fieri debet.*
6. *Ubi quis habitare dicatur? Denunciatio etiam facienda eſt ſuper ſolo terrarum, & die Dominico, ad oſtium Eccleſiæ Parochialis, ibique exemplaria relinquenda.*
7. *Si colonus denunciationi paruerit, dominus ſuum habet, ſin contumax ſit, ex citatione*

(a) 2 F. 8. § Rei autem. (b) D. 5. § 3. (c) 2 F. 52 & 55. (d) l. 23. ff. de rei vindic. (e) l. 21 C. mandati.

citatione 6. dierum, per judicem ordinarium migrare cogendus est.

8. *Colonus contumax ante omnia cavere debet de fructibus violentis.*

9. *Forma denunciationis in prædiis urbanis. In piscationibus salmonum, denunciatio facienda est ad diem 15. Augusti.*

10. *De tacita relocatione, quid ea sit, & quamdiu duret.*

11. *In quo usus noster cum jure Civili conveniat, aut dissentiat? In decimis, tacitæ relocationi locus est donec inhibitio fiat. Casus sunt in quibus denunciatio necessaria non est. Omnes fructus coloni aut etiam emphyteutæ sunt tacitè domino obligati pro mercede annua; & fisco præfertur dominus. Pro colono silentium domini est interpretandum.*

12. *De precario possidente.*

13. *In usufructuario, mors terminum facit, si ipse possidebat. Sed si aliis prædium utendum concedatur, intacti remanebunt ad ferias sequentis Pentecostes, in quas colonis ut migrent, domino denunciare permittitur. Duo anni termini apud nos, sunt Pentecostes, & sancti Martini in hyeme, quibus annuæ pensiones pendi solent.*

14. *Merces à colonis, pro diversitate præstationis, diversis terminis exigitur.*

15. *Judicio potiùs agendum, quàm fundum propria auctoritate ingrediendum.*

16. *Subtenentibus etiam migrandum est, licet ipsis denunciatum non sit.*

17. *A turribus & fortalitiis migrare debet colonus absque denunciatione, ex citatione sex dierum.*

18. *Quid sit Fortalitium apud nos?*

19. *Actionis, ex denunciatione ad migrandum, præscriptio; & præterea quid speciale in hac denunciatione.*

20. *Actio hæc competit dominis pro recuperatione possessionis suorum feudorum, vel, etsi nunquam possessionem habuerint, ad jus suum assequendum.*

21. *Actio hæc competit etiam usufructuario, sive totius fundi, sive partis tantum.*

22. *In tribus casibus, actio hæc competit assedationem habentibus.*

23. *Quid sit Assedatio, & unde? Assedatarius in assignatos jus suum transferre non potest, nisi certis in casibus.*

24. *Quid sit Rentale? In Ecclesiasticis feudis præsumitur esse vitale; in aliis variè æstimatur.*

25. *Colonis non competit hæc actio nisi tribus in casibus, ut dictum § 22 & 23.*

26. *Domino rebelli non competit hæc actio, nisi relaxetur. Actio hæc ad migrandum est hereditaria, nec ad mobilia refertur, nisi per annum & diem sit rebellis, & declaratoria sequatur: tunc Regi, ut superiori, hæc actio cum fructibus competit.*

27. *Competit hæc actio aliquando & non dominis, sed custodiam tantum habentibus, cum iis omne jus competat quod antea vassallo competebat, & quid majus, sciz. removendo colonos, quos vassallus ipse removere non potuit, quorum assedationes dormire dicuntur, sed postea reviviscunt; nisi ipse minor jus custodiæ, redemerit: quæ omnia competunt absque declaratoria: secus tamen, si feudum domino aperiatur, ratione non introitûs, cum hoc casu declaratoriâ opus sit. Idem dicendum de eo qui usumfructum vassalli consequutus est, vel ex annali rebellione, aut alia causâ, vel donatione superioris.*

28. *Competit etiam heredi apparenti, in quo tamen est differentia inter mores majorum & hodiernos. Si denuncians ex alia causa inter denunciationem & ferias, proprietatem assequatur, nihil operatur ea denunciatio. Aliquando & non domino competit hæc actio, in aliis casibus.*

29. *Heredi etiam, ex denunciatione defuncti competit hæc actio, si hereditatem adierit: non tamen consequitur fructus à die denunciationis, qui ad executores defuncti pertinent, sed qui à morte defuncti tantum percipiendi erant.*

30. *Executoribus defuncti competit hæc actio pro fructibus, herede concurrente vel non, sed non ad removendos colonos.*

31. *Assignato non competit hæc actio, nisi ratione fructuum qui percipi potuerint.*

32. *Singulari etiam successori competit hæc actio, modò ipsi cedatur à denunciante.*

33. *Summa exceptionum quæ colonis competere solent.*

34. *Viz.* (1.) *assedatio certorum annorum qui nondum præterierunt.* (2.) *Si dominus servitia post denunciationem exegerit, & sint pars mercedis, & hæc exactio fiat à domino ipso, non à Ballivo, nisi speciale mandatum habeat.* (3.) *Si quid nativo tenenti promiserit, donec satisfecerit, excluditur hæc actio: aut si satisfactio conferatur in arbitrium tertii, pacto standum*

dum eſt. Et, ſi pactum ſit plurium annorum, probandum eſt ſcripturâ; ſin unius tantùm, teſtes ſufficiunt.

35. *Colonis etiam competit exceptio pro indiviſo, quæ eliditur replicatione diviſionis factæ, aut ſeparatæ poſſeſſionis: quarum replicationum hæc teſtibus, illa ſcripturâ probatur: vel ſi utriuſque partis domini ſimul denunciaverint.*

36. *Colono etiam competit exceptio locationis ab altero, cui non eſt denunciatum, & is alter fuiſſet in poſſeſſione: & quia in hac re ſæpe variatum in Senatu eſt, tutius eſt non ſolùm colono denunciare, ut migret, ſed etiam ci, à quo cauſam poſſeſſionis ſuæ habeat; ne coloni dolo inducti, poſſeſſionem quam à veris dominis ſuis acceperunt, adverſariis eorum vacuam cedant. Conductor dominium acquirens, poſſeſſionem ſuam huic ſupervenienti titulo aſcribere poteſt. Si diverſæ ſint locationes, colonus poterit quâ velit uti, & unâ electâ ab altera receſſiſſe videtur.*

37. *Qui rem ſuam conducit, à proprietate non cadit. Conjunctâ inveſtiturâ maritus uti non poteſt in præjudicium uxoris, nec colonus hic ultra mariti mortem poſſidendi jus habebit. Si alicui & ejus conjugi aſſedatio ſit facta, & heredi nominatim, & ejus heredibus; vir aut conjux jus illius aſſedationis in alium transferendæ non habent, ſed eorum heres nominatus: ſecus ſi tantùm heredibus indefinitis facta ſit, quo caſu conjugibus tantùm competit. In his colonis obſervanda eſt diſtinctio, inter corporaliter poſſidentes, & alios. Si, exacto migrandi tempore, dominus adhuc precariam poſſeſſionem colono indulſerit, non ſibi præjudicat.*

38. *Herezeldi exceptio quid? Herezeldum colonus non debet, qui aliquot annos ſuæ aſſedationis decurſuros habet. Hæc actio eſt mixta, ex proprietate & poſſeſſione; & proprietarius poſſeſſor præfertur proprietario non poſſidenti: imò coloratus titulus cum poſſeſſione prævalet adverſus denunciationem. Denunciatio certis modis extinguitur. Poſt ſententiam de migrando nulla juſta poſſeſſio eſt. Qui dolo deſiit poſſidere pro poſſeſſore habetur.*

1. INVESTITUS vaſſallus, ut ſui tituli vires undique exploret, & ſi qui ſint in ſuo feudo qui jus proprietatis ſive poſſeſſionis prætendant, ſolet omnibus colonis denunciare, ut ex ejus feudo demigrent, niſi eum pro domino agnoſcant, conditioneſque quas ille pro continuanda poſſeſſione tulerit volentes accipiant *(a)*. Quod ad migrationem, quam nos remotionem dicimus, attinet, jure Romanorum nullus quod ſciam terminus conſtitutus erat, ad quem migrare inquilini tenebantur; ſed ex pacto convento agebatur, & ex ejus vi tantùm migrare cogebantur: nam conductio tantùm erat ad certum tempus, viz. aliquot dies, menſes, aut annum. Noſtris moribus inſtitutum *(b)*, ut ante ferias Pentecoſtes præmonitio fiat, ſi qui ſint domini qui colonorum ſuorum conditionem conſtituunt mutare.

2. Horum autem colonorum duo ſunt genera; alii enim ſunt coloni urbanorum prædiorum, alii ruſticorum: illi *Inquilini*, hi propriè *Coloni* dicuntur. Et quoties alterutri parti, ſive colono, ſive domino, placuerit, ut coloni ſedes mutetur, debet is, qui ita in animum induxerit, alteri denunciare; nempe, ſi inquilinus aut colonus aliò ſedem transferre intendat, is domino denunciabit, ſe prædium quod à domino habet, ſive illud ſit ruſticum, ſive urbanum, illi renunciare; quod quadraginta dies integros ante ferias Pentecoſtes faciet, ut dominus interea de novo colono ſibi provideat. Quadraginta hi dies integri eſſe debent, in quibus nec dies denunciationis, nec is in quem denunciatus eſt, numerabuntur; cùm aliter fiat in citationibus, in quibus, ſi certus dierum numerus ſit præſtitutus, alterum diem integrum eſſe ſufficit. Contrà, ſi dominus tenentes aut colonos ſuos mutare inſtituerit, aut ſuis operis prædia ſibi colere, prioribus colonis aut inquilinis denunciabit, eodem quadraginta dierum ſpatio, ut demigrent, ut interea ſibi de aliis ſedibus poſſint providere. Et cùm nulla apud nos ſit res frequentior, neque quæ in foro acriùs peragatur, quàm hæc colonorum ſive inquilinorum migratio, cùm ex utraque parte ſpecies quædam æquitatis obſervetur; ex parte domini, ut poſſit, jure dominii, ſuo ſun-

(a) l. 11. C. mandati. (b) Cap. 39. Parl. 6. Reg. Mariæ.

do pro animi ſui arbitrio & libertate uti; ex parte colonorum, ne nativis ſedibus, quas ipſi & parentes eorum diutiſſimè poſſederant, in quo nati conſenuerunt, pellantur: totam hanc migrationis materiam diligenter examinare ſtatui, ut juniores ſciant quæ ſint adverſus hanc actionem exceptiones, maximè quando defenſio competat, & quando non; cùm dominorum denunciantium minus ſit periculum, quàm colonorum: nam hi, niſi juſtam defendendi cauſam habeant, in fructus, qui percipi poſſunt, (nos *violentos*, quaſi ex violentia debitos, dicimus,) & non in communes ſive ſolitos tantùm tenentur *(a)*. At dominorum, ſi cauſa cadunt, tantum non eſt periculum: nam priore conditione locationis contenti, ſi quid ex ea damni ſentiant ex culpa ſui auctoris, in eum, de evictione actionem, pro damno illo reſarciendo, intentabunt.

3. Migratio duplex eſt; vel enim eſt *voluntaria*, vel *coacta*. *Voluntaria*, cùm vel utriuſque voluntate res tranſigitur, vel ſaltem unius; veluti, ſi colonus aut inquilinus alibi conditionem meliorem habiturum ſe ſperans, aut priore non contentus domino, poſſeſſionem prædii renunciat: quod & ſcripto teſtandum eſt. Eſt & alia migratio voluntaria, cùm colonus, ut denunciationi domini pareat, ſtatim præteritis feriis Pentecoſtes, pecudes ſuas & utenſilia avehit ſecum in aliam ſedem, & à gramine & ædibus prioribus abſtinet, ſataque quàm primùm à ſolo fuerint ſeparata, in ſua loca ſive horrea deſtinata transfert, extra ſedes priores; & hæc migratio ſcripto non eget, ſi denunciationem præceſſiſſe conſtet: ſimplex enim obſequium voluntati domini, ſi modò de ejus denunciatione conſtet, ſufficit. Scio tamen, hoc tenentibus indulgeri pleriſque locis, poſtquam ſata ſive ſegetes à ſolo ſeparaverint, ut eas in loca priora, ubi ſolitæ erant antea ſervari, congerant; itaque & ſtabula ſervandis bobus eatenus præſtantur, donec novus tenens ſupervenerit: ſed hoc potiùs ex gratia concedi puto, quàm ex juris rigore. Alia eſt *coacta* migratio, cùm dominus colonum, ſive inquilinum, amovere à prioribus ſedibus volens, ei denunciationem facit, ut dixi *(b)*, ſub præmonitione quadraginta dierum: tunc enim colono, velit, nolit, migrandum eſt, niſi aliquod jus habuerit, unde poſſeſſionem ſuam poſſit tueri.

4. Forma denunciationis, alia apud majores noſtros fuit, alia apud nos hodie obſervatur. Antè annum ſexageſimum, forma hæc erat: dominus ante fores coloni, cui verbo denunciaret, ut ad proximam Pentecoſten migret, lancem ligneam, ſive diſcum eſcarium, in duas partes frangebat, eo ſymbolo diremptum jus fœderis & locationis ſignificans.

Secundo poſt Pentecoſten die, niſi colonus volens migraverit, vi eum ex ædibus pellebat, pecora ſive boves ex bovilibus ejiciens, ſuas pecudes ad paſcendum inducens. At cùm ſæpe fieret, ut colonus ſuis amicis fretus migrare nollet, & vi domini vim opponeret, factum eſt ſæpe, ut qui viribus plus poſſet, is in poſſeſſione eſſet potior, tantùmque de vi & violentis fructibus, domino, ſi pellere colonum non potuiſſet, ſupereſſet actio. Inde, cùm graviſſimæ ſæpe contentiones procederent, ſæpe etiam ad manus perveniretur, ex publico Ordinum ſtatuto cautum eſt, anno Domini 1555 *(c)*, ut ſolennis quædam forma eſſet omnium migrationum, in qua forma ſi peccaretur, colonus eo anno migrare non cogeretur.

5. Forma autem hæc eſt, ex parte domini colonum ſive inquilinum removere volentis; primò ut ſcriptum conficiat, (nos *præceptum denunciationis* dicimus,) eoque mandet officiario ſuo, (quilibet enim ad id munus ſufficit,) quatenus colono denunciet, quadraginta dierum interveniente ſpatio, ante ferias Pentecoſtes ſequuturæ migrandum eſſe ei, ex eo prædio, quod de eo domino habet colendum, utque ad dictum diem, ſe, familiam, ſubtenentes & bona ſua omnia removeat, & alio transferat, niſi periculum malit violenti poſſeſſoris incurrere, & in fructus, tam perceptos, quàm qui percipi potuerint, teneri. Denunciare autem colono, vel ad os, ſive præſentiam tenentis, vel ad ejus habitationem debet.

6. Habitare autem ibi quis dicitur, ubi uxorem, liberos, & familiam habet; antiquitùs,

(a) l. 20. ff. de rei vind. l. 35 & 75. ff. de V. S. Fructus etiam violenti debentur ex dicto ſtatuto Reg. Mariæ. (b) § 2. (c) d. cap. 39.

tiquitus, ubi focum & larem *(a)*: & adhuc ſane, apud nos, ibi quis habitare dicitur, ubi focum habet. Nec ſola hæc præmonitio perſonalis ſufficit; ne fraudi ullus ſit locus, denunciandum eſt ei, in fundo prædii, quod nos *ſuper ſolo terrarum* dicimus, & die Dominico ad oſtium publicæ Eccleſiæ illius parochiæ, in qua prædium ſitum eſt, tempore publicarum precum, aut concionis, ante meridiem, exemplarque hujus denunciationis colono ipſi dandum eſt, vel ædibus affigendum, & in patentiore oſtio Eccleſiæ parochialis, ut omnis cauſa ignorantiæ præcindatur. Omnia hæc quadraginta dies Pentecoſten debent præcedere *(b)*.

7. Hac denunciatione facta, ſi colonus paruerit, dominus pro arbitrio ſuo prædio utetur: ſed cavendum, ne res ſuas, aut novum tenentem inducat, donec conſtet veterem colonum migraſſe, aut declaratoriam ex denunciatione obtinuerit, & officio judicis tenentem removerit *(c)*. Si colonus contumax fuerit, nec denunciationi domini parere voluerit, dominus quàm mox, ex citatione ſex tantum dierum, coram judice ordinario actionem intentabit; ubi, niſi colonus de jure poſſeſſionis ſuæ docuerit, migrare cogendus eſt, domino & jus ſuum & denunciationem in judicio producente. Hæc omnia, ut à vi abſtineatur; & certè ex ea conſtitutione omnia tranquilliora facta ſunt, quæ plurimum turbæ antea habuerunt, totaque res ad judices tranſlata eſt, qui audito jure partium, tam actoris, quam rei, quod æquitas ſuadet, ſolent æſtimare & decernere *(d)*.

8. Antè tamen, ſi contumax in litigando colonus videatur, cavebit in judicio de fructibus, qui percipi poſſint, ſi judicio ſuccubuerit, ut dominus actione ſuâ & fructibus per pertinaciam coloni non fraudetur. Itaque, ſi refractarius ſit hic colonus, & litem continuare voluerit, ſciat ſibi pœnam præſtitutam, ut perpetuò in fructus, qui percipi poſſent, teneatur, donec voluntati domini ſui, i. e. æquitati, paruerit.

9. In burgis, ſive prædiis urbanis, eadem ſolennitas non requiritur: ſufficit, ſi officiarius urbis publicus, mandato Ballivi inſtructus, etiam ſine ſcripto, quadraginta dies ante ferias Pentecoſtes, ad ædem conductam, denunciaverit migrandum eſſe ei. Neque hic denunciatio, vel ad perſonam, vel in Eccleſia requiritur: ſufficit, ſi ad locum conductæ habitationis denunciatum ſit, aut ſi nemo adſit, ut ſignum aliquod denunciationis affigat; iniquum enim eſſet, urbani prædii domino, inquilinum ſuum per totam regionem inquirere, (ſi fortè, ut judicium ſubterfugiat, latitet,) & ad ſumptus non neceſſarios cogi. Itaque receptum eſt, ut ad ædes conductas denunciatio ſufficiat, neque quicquam ulterius requiratur. In piſcationibus ſalmonum, ſolet denunciatio ad decimum quintum diem Auguſti fieri, quòd eo tempore piſcatio ſalmonum jam deficere videatur.

10. Si nulla ab alterutra parte fiat denunciatio, in priore voluntate, tam dominus quàm colonus, perſiſtere videntur, & priore conditione locationis contenti, nihilque innovandum, licet expleti fuerint prioris conditionis anni: & hæc eſt quæ *tacita relocatio* dicitur, quæ nunquam expirat, ſed ſemper perpetuari creditur, donec per denunciationem fiat interruptio, ſive contraria mentis alterutrius partis declaratio, à conditione recedere volentis. Tacita autem relocatio cenſetur, ſi dominus eandem mercedem receperit pro terminis citationem ſequentibus, id eſt, terminum Pentecoſtes, in quem denunciatio fit.

11. In hac *tacitâ relocatione* uſus noſter cum jure Civili convenit, niſi quòd Ulpianus *(e)* putet jure Civili interruptiones voluntatis eſſe, ſi dominus vel furere cœperit, vel deceſſerit; nam ibi mutari voluntatem putat. In uſu noſtro, neque morte, neque furore, mutari domini voluntatem credimus, ſed eandem ſemper remanere, donec vel ipſe, vel in ejus rem ſucceſſor denunciaverit colono migrandum. Sic in decimis, licet tempus locationi præſtitutum præterierit, non tamen locatio expirat, donec inhibitio fiat, ſed ſemper tacitæ relocationi locus eſt. Incidere etiam ſolent caſus, ubi denunciatio neceſſaria non eſt in his migrationibus; veluti, ſi pactum interceſſerit, vel ſtipulatio de migrando ad certum tempus, vel ſi certus di-

(*a*) l. 1. § 2. ff. de agnoſc. & alend. lib. & l. 203. de V. S. (*b*) Per d. cap. 39. (*c*) 1 F. 21. ibi, Cauſa cognita. (*d*) Secundum dict. ſtat. 39. (*e*) l. 14. ff. locati conducti.

es præſtitutus ſit in locatione, quo colonus vacuam poſſeſſionem domino ſuo debet reſtituere: nam eo caſu dominus, non denunciatione, ſed judicio legitimo, cogere debet colonum, ut migret ex conventione. Omnes autem fructus, non ſolùm coloni, ſed etiam emphyteutici, feudi domino cenſentur obligati pro annua mercede ſeu canone; & in his dominus etiam fiſco præfertur. Si dominus ſilentio rem præterierit, & colonus adhuc in poſſeſſione continuaverit, nec domino ſe migraturum denunciaverit; pro colono ſilentium hoc erit, & in fructus ſolitos tantùm tenebitur, nec migrare cogetur, donec ei poſtea fuerit denunciatum. Vidi, in actione mota inter contra Gulielmum Craig, ubi aſſedatio *tantùm unius* erat *anni*, & dictio hæc [*tantùm*] ulteriorum annorum videretur excluſiva: tamen, cùm dictus Gulielmus, expleto conductionis anno, fundum propria auctoritate occupâſſet, *unde vi* actione conventum, & tranſactione ſe redimere coactum.

12. Qui *precariò poſſidet (a)*, i. e. qui ex licentia domini ſui prædium aut ædes impetraverit, non expectato Pentecoſtes tempore, aut denunciationis, quandocunque volet dominus, migrare cogetur; ita tamen ut aliquis æquitati locus ſit: nam non ita arctandus eſt, ut mox & ex imperio domini migrare cogatur, ſed dandum eſt ei tempus ex jure Anglorum, ut res ſuas commodè auferre poſſit, & interea poteſtas ei fiat liberè commeandi, i. e. ut liber exitus & introitus ei permittatur. Sunt qui putant, ſi ſata fecerit, expectandum donec ea collegerit, & auferat. Ego id non puto permittendum, niſi juſtam & probabilem habuerit cauſam ſerendi, alioqui quomodo bonam fidem prætexet, qui ſementem fecerit cùm ſciret, in alieno ſe facere, nec ab eo ſe poteſtatem habere.

13. De uſufructuario quæſtio occurrere ſolet, An ejus morte proprietarius ſive dominus denunciationem facere debeat? an verò (ut vulgò dici ſolet) mors terminum faciat? In qua quæſtione hæc diſtinctio eſt obſervanda, ut ſi uſufructuarius per ſe poſſideat, i. e. ſuis operis & inſtrumentis prædium colat, aret, & ſerat, diem mortis ejus terminum facere receptum eſt; poteritque dominus ſuâ auctoritate prædium ingredi, & colere, ſi quid ex cultura ſit reſiduum *(b)*; ita tamen ut ſementem jam factam executoribus defuncti colligere & diſtrahere pro arbitrio permittat: ulteriùs ſerere, licet arata ſit terra, poterit impunè prohibere. Quòd ſi uſufructuarius, aut quicunque alter ille ſit, qui jus vitale poſſeſſionis in prædio habuerit, aliis id utendum & fruendum permiſerit, fructuum quâdam penſione aut mercede annuâ contentus, iſque moriatur, coloni in ſequentis Pentecoſtes ferias intacti remanebunt: quod ad utilitatem colonorum introductum eſt, ne novas ſedes ante tempus ſolitum quærere cogantur *(c)*; & tum, ſi diſpliceat domino conditio priorum colonorum, denunciare eis curabit tum migrandum, fructuum interea eâ parte contentus, quæ ex termino illius anni, qui poſt mortem uſufructuarii ſupererit, pendi ſolita erat: ſolemus enim, ubi annuæ penſiones præſtari ſolent, eas ad duos anni terminos exigere, alteram partem ad *ferias Pentecoſtes*, alteram partem ad *Martini in hyeme*, adeò ut ſi uſufructuarius hic, qui colonis prædium colendum pro mercede præbuit, ante ferias Pentecoſtes diem claudat, nulla pars fructuum illius anni ejus executoribus debeatur. Si verò in ipſo die Pentecoſtes poſt meridiem, vel ante ferias Martini deceſſerit, dimidiam partem fructuum illius anni executores defuncti habebunt. Si in feriis ipſius Martini poſt meridiem, aut eas ſupervixerit, fructus totius anni executores ejus conſequentur.

14. Si merces in pecunia numerata fuerit, ſtatim præterito tempore exigi poteſt, ſi in fructibus ſoli, veluti frumento, hordeo, farina, non niſi expletis *feriis Purificationis*; nam licet hi fructus ſoli non poſſunt exigi, niſi inter ferias, Purificationis aut Nativitatis; quia eo tempore potiſſimum ſegetes in horrea congeruntur: deberi tamen incipiunt excurſo ſtatim alterutrius, vel utriuſque termini die Pentecoſtes & Sancti Martini. Secus eſt in mercede decimarum ex locatione, nam & ſtatim poſtquam collectæ fuerint fruges, debentur, & exigi poſſunt.

15. Hæc de uſufructuario decedente; nam licet dominum propriâ auctoritate fundum

(a) Tot. tit. ff. de precario. (b) Vid. § 15. (c) Cap. 26. Parl. 3. Jac. IV.

fundum ingredi & eum ſibi arrogare diximus *(a)*, tutiùs tamen fecerit, ſi judicio agat *(b)*, nempe ſi, ex ſex dierum citatione, poſſeſſores citet coram judice ordinario ut demigrent, remque potiùs omnem judicio permittat, quàm rigorem juris, qui minimo momento inverti ſolet, ſequatur.

16. Hoc generaliter obſervandum eſt, licet ſpecialis ſoleat in his denunciationibus mentio fieri, ut colonus tam ſe quàm ſuos ſubtenentes ſecum removeat de fundo, non minus tamen teneri colonum, licet ſoli ei denunciatum ſit, omnes ſubtenentes, ſive inferioris ordinis colonos, ſecum removere, ſi contra eum judicatum ſit ut migret; quàm ſi ſpecialis mentio eorum in denunciatione facta fuiſſet: vacuam enim poſſeſſionem domino ſuo debet relinquere; neque jure conqueri poſſunt hi ſubtenentes, cum cauſam poſſeſſionis à colono tantum habeant, itaque cum eo migrandum ſibi eſſe cogitare debuerunt *(c)*.

17. In *turribus* & *fortalitiis* denunciatione non eſt opus, nam cum in his nulla ſit cultura, nec quis ibi tanquam inquilinus habitet, & maximum præjudicium dominorum poſſit naſci, cum hæc ad juriſdictionem potiùs ſpectent, quàm ad fructus, reſtituenda ea ſemper ſunt domino petenti; quod niſi factum fuerit, domino actio competit pro reſtitutione ſui fortalitii ex ſex dierum præmonitione, cum nullo modo ad colonum pertinere poſſit, quod neque à colono occupari pro dignitate poteſt, neque ad fructus colligendos ſatis commodum.

18. Quid autem ſit *Fortalitium* dubitatum ſæpe vidi. *Pinnatæ turres* extra omnem controverſiam inter fortalitia numerantur, & ſic quæcunqe ædes ad vim ſuſtinendam, aut cuſtodiam rerum publicarum extructæ, & inſtitutæ, ſive foſsâ, & muro, ſive propugnaculis munitæ. Benignior etiam ſententia obtinuit, ut eæ ædes quæ contignationem haberent, inter fortalitia numerentur, ut aliquando factum vidimus in ædificio de Halzardis, inſtante domina Joanna Murray contra Jacobum Comitem Mortoniæ, qui illud tum poſſidebat. Aliæ ædes ad rem ruſticam paratæ putantur, in quibus denunciatione opus erit.

19. Hæc autem denunciatio, niſi ſuper ea actio intra triennium intentetur, expirat, ex ſpeciali Ordinum ſtatuto *(d)*, niſi in minore, & alio ex juſta cauſa impedito ad agendum. Eſt & hoc ſpeciale in denunciationibus, quoties tenentes eis paruerint, relictâ vacuâ prædii poſſeſſione, ne dominus denunciationem poſtea producere cogatur; &, ſi poſt aliquot annos tenentes contravenire voluerint, afferendo nunquam ſibi denunciatum, non poterunt: nam ſolent domini, quoties vacuam poſſeſſionem, aut ſibi retinuerint, aut alii tradiderint, denunciationes abjicere & negligere. Poteſt tamen aliquis denunciationem, vel abjectam vel deperditam, reſtituere de novo, ſi modò eidem teſtes adhibeantur, & dies, menſis, & annus, & manu ſuâ ſubſcriptio in denunciatione accedat, tamen ut de facti veritate teſtes deponant.

Hæc de forma denunciationis, & effectis, & quando denunciatione ſit opus, & quando non. Supereſt ut quibus hæc actio ad migrandum competat, & contra quos, videamus.

20. Competit autem hæc actio *Dominis* præcipuè, pro recuperatione poſſeſſionis ſuorum feudorum, & tum maximè quoties domini in poſſeſſione fuerunt fructuum à colonis exigendorum. Ibi enim difficiliores ſunt coloni partes, ſi denunciationi domini non obtemperaverit. Neque enim tam facile contra jus domini ſui, quem ſolutione fructuum agnoverat, objicere audietur; neque jus ejus, à quo poſſeſſionis cauſam acceperat, invertere poteſt. Neque minus domino competit, etiamſi nunquam in poſſeſſione fuerit, ut ſuum jus perſequatur, fructuumque percipiendorum poteſtas ei fiat, aut denique fundum ipſum ſuis operis ſuiſque inſtrumentis colat.

21. Competit etiam *Uſufructuario*, ſive uſumfructum totius fundi habeat, ſive in tertia parte, quales ſunt relictæ, ſive vaſſallorum viduæ, quibus jus ipſum tertiam partem feudi vaſſalli utendam & fruendam, dum vivunt, permittit.

(a) § 13. (b) Secundum dictum ſtatutum 39. Parl. 6. Reginæ Mariæ. (c) l. 25. C. de loc. & conduct. (d) Cap. 82. Parl. 6. Jac. VI.

22. Competit etiam *omnibus qui assedationem habent*, si modò aut sit vitalis assedatio, aut conditionem expressam contineat, ut colono tenentes removere liceat, aut saltem assedatarius sive colonus in possessione fructuum percipiendorum fuerit: nam nisi in his tribus casibus colonus neque actionem de migrando habet, nec pro debito fundi distringere potest, quod aliquando locatori competere diximus.

23. *Assedatio* vox Normannica est, alii Lombardicam putant, quasi ad certum tempus *sedatio*, sive *sedis positio*, quam nihil aliud nisi possessionem diximus. Itaque is, cui conductio fundi pro certa mercede in aliquot annos permittitur, *assedatarius* dicitur, & ipsa locatio *assedatio*: quæ, si ad vitam fuerit, vitalis est; si ad aliquot annorum curriculum, tot annorum assedatio dicitur. In his, ut nuper monui *(a)*, nisi specialis licentia à domino permittatur, assedatarius cogere tenentes ad migrandum non potest; vel si in possessione fructuum colligendorum hic assedatarius fuerit. Quod si pro vita coloni assedatio hæc fiat, & in hoc casu actionem migrandi contra tenentes habet; quasi hoc tacitè insit vitali assedationi, ut colonos possit removere. Et in his assedationibus observandum, quod eas transferre in alios, i. e. assignatos facere, non possunt assedatarii, nisi aut vitalis sit assedatio, aut id specialiter sit permissum in sua assedatione.

24. Huic *Assedationi* simile quoad effectum *Rentale*, quod semper in Ecclesiasticis feudis præsumitur esse vitale; in aliis unius anni tantum est assedatio, nisi specialis annorum sit mentio. Sed cum Rentale aliquid majus in se habere videretur, quam assedatio, hoc temperamentum Senatus olim interposuit, ut Rentale, tempore indefinitum, 5. annorum spatio æstimaretur; cum plerique antea in fundis Baroniarum ad unius tantum anni spatium assedationem traherent, alii ad vitam ipsius coloni.

25. Sed ut ad colonos, qui assedationem habent, revertar, non competit eis actio ut tenentes migrare cogant, nisi his tribus casibus; veluti, si aut specialiter eis hoc sit permissum, aut in possessione fructuum colligendorum fuerint, aut si vitalis fuerit assedatio: imò nisi aliquod horum trium intervenerit, vix pro fructibus colligendis poterit colonus distringere, sed & nomine & auctoritate domini locantis pro fructibus percipiendis cogitur uti.

26. Sed quid si dominus rebellis fuerit, an ei actio competat removendi tenentes, dubitatum sæpe vidi? Ratio dubitandi est, quòd rebellis civilibus omnibus officiis & privilegiis privari debeat; itaque nec eo privilegio uti debet, ut tenentes pro arbitrio removeat, aut à suis sedibus migrare cogat. Sed licet quamdiu in rebellione est, i. e. donec rebellionis relaxationem obtinuerit, ab agendo sit excluſus; obtinuit tamen quòd relaxatus agere potest, & priorem denunciationem legitimo judicio persequi, ut tenentes migrare cogantur; cum hæ migrationes sint accessoriæ rerum hereditariarum, & eodem jure censeantur, & non inter mobilia, quæ per rebellionem amittuntur, nisi in rebellione per annum & diem steterit, quo casu & fructus & actio hæc Regi & ejus donatariis (modò declaratio de rebellione accedat) competit: Regi, inquam, si dominus feudi sit, & non ratione coronæ; nam accessio hæc ususfructus per annum & diem amissi, domino feudi sit semper *(b)*, & non inter mulctas & pœnas censetur, quæ inter Regalia numerantur, ut postea dicemus *(c)*.

27. Aliquando & *non dominis* competit hæc actio, sed *custodiam tantum habentibus*, nos *Guardiam* dicimus. Id fit cum dominus superior, mortuo vasallo, custodiam tùm corporis pupilli, sive minoris, & cum minore feudi pupillaris jure Feudali consequutus est. Nam quod vasallus, si viveret, potest, idem dominus superior, cum feudum in manibus ejus est, ratione custodiæ, potest. Itaque, ut pro fructibus distringere ratione suæ superioritatis, sive dominii directi, potest, sic invitos tenentes sive possessores quoscunque migrare coget, præmonitione à se debito tempore præcedente. Et hoc majus; nam cum vasallus, si viveret, eos qui ab eo assedationem habent, durante tempore assedationis, à fundo removere non possit *(d)*, dominus

(a) § præced. *(b)* Per cap. 32. Parl. 4. Jac. V. *(c)* D. 11. § 17. Vid. & lib. 1. D. 16. § 27. *(d)* Cap. 17. Parl. 6. Jac. II.

minus tamen ſuperior, ratione ſuæ cuſtodiæ, eos facilè removebit, non obſtantibus omnibus aſſedationibus, quas à defuncto vaſſallo conſequuti ſunt *(a)*. Ratio eſt, quòd dominus feudum ſuum conceſſerit ſub conditione wardæ ſive cuſtodiæ, ſed non talis quæ à vaſſallo dum moritur relinquitur, ſed quale feudum erat, cum à principio fuit diſpoſitum, i. e. purum, & ab his aſſedationibus immune. Imò nec onera (qualia ſunt annuorum redituum,) aut ſervitutem realem, durante tempore Guardiæ, agnoſcere tenetur, ut poſtea in titulo *De cuſtodia* dicemus. Nec tamen inanes omnino aſſedationes hæ erunt: nam licet quodammodo dormire, durante warda, videantur, eâ tamen finitâ reviviſcunt, & initium reſumunt ab eo tempore, quales erant, cum fundus in wardam cecidit: exempli causâ, ſi vaſſallo mortuo colonus 19. annorum aſſedationem habuerit, cujus aſſedationis cum vix duo aut tres anni præteriiſſent, fundus in cuſtodiam domini per mortem vaſſalli incidit; interrumpuntur hoc caſu reliqui anni aſſedationis, nam (ut dixi) dominus, niſi ei coloni ſatisfaciant, pro arbitrio ſuo, durante wardâ, terris illis & earum commoditatibus fruetur: finitâ autem wardâ reſtituitur aſſedatio in eodem ſtatu, quo erat tempore wardæ incipientis; adeò ut ſi tempore incidentis wardæ ſexdecim aut ſeptemdecim anni ſupererant aſſedationis, totidem anni nunc reficiuntur, incipiendo à finita warda; nec in hac aſſedatione numerabuntur anni, qui tempore wardæ tranſierunt. Sed ſi ipſe pupillus, aut minor, jus hujus cuſtodiæ, aut à domino redemerit, aut donatione conſequutus fuerit, puto eum cogendum ſtare paternæ aſſedationi, nec poſſe eo tempore, quo ipſe jus in cuſtodia habet, colonum aſſedatarium removere. Competit itaque hæc actio domino ſuperiori ratione cuſtodiæ, nec juris ſui declaratoriâ ſententiâ opus eſt, nec pupillum aut minorem agnoſcere aut citare tenetur: ſemper tamen tenentes, ratione Guardiæ, prænonebit. Aliud tamen, ſi feudum ſit in manibus domini ratione non introitûs; nam antequam colonus removeri poſſit, declaratoriâ ſententiâ, feudum in non introitu eſſe, opus erit *(b)*. Nunquam enim feudum in nonintroitu cenſetur eſſe, propter varias exceptiones, quæ ſubvaſſallo aut colono competunt, donec ita eſſe officio judicis fuerit declaratum. Idem in eo qui uſumfructum vaſſalli conſequutus eſt *(c)*, vel ex annali vaſſalli rebellione, vel ex alia cauſa, in manus domini redeuntem, aut ſi quis ſit domini aſſignatus, aut ceſſionarius: nam in his omnibus, declaratoria præcedat neceſſe eſt, antequam actione de migrando poſſit agere *(d)*.

28. Competit hæc actio aliquando *non domino*, neque jus aliquod præſens in re habenti, dummodo dominus ſperatur: exempli cauſa, ſi vaſſallus nuper mortuus fuerit, & ejus heres nondum hereditatem adierit, aut in feudo inveſtitus fuerit; ſi tamen interea, dum aditionem ad hereditatem parat, denunciaverit colonis ut migrent, & ante ferias Pentecoſtes qui denunciaverit inveſtitus fuerit, in hoc caſu inveſtitura retrotrahitur, & denunciatio valebit. In quo mores hodierni parum cum veteri uſu conveniunt; nam majores noſtri hæc duo ſpecialiter in denunciatione requirebant, ut utroque tempore, viz. & denunciationis, & illarum feriarum in quas denunciatio indicitur, denuncians ſit verus dominus: at nunc ſi ſperetur in ſpe propinqua, & inveſtitus ante ferias Pentecoſtes fuerit, ſufficere voluerunt. Hodie Senatus plerumque inveſtituram retrotrahit, etiam ob alias cauſas, ad tempus præmonitionis: ſed hæc ex circumſtantiis pendent; alioqui ex jure non retrotrahitur inveſtitura, nam tum nihil ex priore denunciatione conſequentur, ſed annus ſequens expectandus eſt. Si neque heres tum apparens (ut loqui ſolemus) is qui denunciat tempore denunciationis fuerit, licet ex alia cauſa de novo emergente feudi proprietatem, inter denunciationem & ferias in quas denunciatio facta eſt, aſſequatur, etiam ſi cauſa præceſſerit; veluti, ſi de feudi proprietate contraxerit, & tum denunciaverit, poſtea verò ante Pentecoſten inveſtitus fuerit, nihil ea denunciatio operabitur: nam colonos in mala fide oportet conſtitui, niſi paruerint: in mala fide eſſe non poſſunt, niſi jus denunciandi competere ſciant tempore ipſius denunciationis, &

(a) Cap. 26. Parl. 3. Jac. IV. (b) 1 F. 21 ibi, Cauſa cognita. (c) Qui domino ſuperiori cadit, per cap. 32. Parl. 4. Jac. V. (d) d. 1 F. 21. ibi, Cauſa cognita.

alioqui denunciantem agnoſcere non tenentur, neque ejus mandato parere. Non ita eſt in herede apparente, qui fortè temporis anguſtiis intercluſus, omnia quæ ad aditionem pertinent, expedire non poteſt; & hereditas ſemper retrotrahitur ad tempus mortis defuncti, & cum ea continuatur. Aliquando & non domino competit, viz. ei qui neque dominium, neque ullum juris titulum habet; veluti, ſi quis colono fundum locaverit, eumque in poſſeſſionem induxerit, colonus is, ex ſolius locatoris denunciatione, migrare cogendus eſt, ſive is, qui eum in poſſeſſionem induxerat, jus habeat locandi, ſive non: neque enim ferendus eſt colonus, qui cum eo, à quo cauſam poſſeſſionis habet, de jure ejuſdem poſſeſſionis velit contendere, ſed ut ab eo poſſeſſionem acceperat, & ei reſtituere cogendus eſt *(a)*.

29. Præterea non ſolum domino denuncianti competit hæc actio, ſed & *heredibus*, modo feudi hereditatem adierint: nam ex denunciatione prædeceſſoris ſui, rectè aget heres, ut vacuam poſſeſſionem ſibi colonus relinquat. Sed animadvertendum eſt in hac facti ſpecie, licet jus removendi heredi competat, non tamen fructuum à die denunciationis perceptorum: nam hi, pro rata temporis, inter heredem & executores defuncti dividentur, ut heres eos fructus habeat, qui à morte defuncti percipiendi erant; qui verò fructus mortem defuncti præceſſerant, ad executores tantum pertineant.

30. An verò & hi executores ex ea denunciatione agere poſſint, quæri ſolet? Puto poſſe, cum fructuum præteritorum utilitas ad eos pertineat, maximè herede concurrente; & etiam ſine ejus concurſu declaratoriam petere poſſunt, ut ratio fructuum habeatur. Et hoc in favorem liberorum, & creditorum defuncti; non tamen ut colonos ad migrandum poſſint cogere, cum ipſi poſſidendi jus non habeant, quod heredis ſolius eſt jus, ad quem feudum (ut dixi) pertinet.

31. Alia quæſtio eſt, num *aſſignato* ſive *ceſſionario* hoc jus competat? i. e. ſi is qui denunciavit, denunciationis ceſſionem in alium fecerit, ut is colonos vi hujus ceſſionis perſequatur. Et profectò variatum in Senatu de hac re vidi: nam prius nuda ceſſio in perſonam cujuſcunque collata, ſine titulo poſſidendi, nihil operabatur, ſaltem non id, ut coloni cogerentur migrare, & erat quaſi accidens ſine ſubjecto; quorſum enim cogetur migrare vaſſallus, ad ejus inſtantiam, qui jus colendi, ſive poſſeſſionem intrandi, non habet? Ad hoc tamen hic aſſignatus rectè aget, ut fructus, qui percipi potuerunt, ratione ceſſionis ſibi adjudicentur, & in eo ſolo caſu rectè aget. Vidi tamen nuper, in cauſa domini Joannis Ker contra molitores molarum Jedburgenſium, hanc ceſſionem ſine titulo poſſeſſionis ſuſtineri: quod pleriſque mirum videbatur.

32. Supereſt diſquirere an ſingulari ſucceſſori, ex denunciatione auctoris ſui præcedente, competat? Et ſanè vulgaris hæc eſt opinio, quoties denuncians à jure dominii ſui cadit, ante Pentecoſten proximam denunciationis jus omne evaneſcere: quod non eſt ſemper verum. Quid enim ſi, poſtquam de alienando feudo cotraxerit, & ſucceſſorem inveſtiri curaverit, etiam in ejus favorem denunciationi cedat expreſsè, & emtorem ad eam aſſignatum faciat? Hoc enim caſu puto ſingularem ſucceſſorem ex ea denunciatione, quam ipſe neque fecerat, neque facere poterat, rectè agere, ſi mutuus utriuſque tam cedentis quam ceſſionarii conſenſus concurrat. Hæc de iis, quibus actiones hæ competunt; ſed fortaſsè inhumanus videbor, niſi colonis profuero, eaque expediam, quæ eos à dominorum injuria poſſunt tueri, & nativas eorum ſedes defendere.

33. Solent itaque colonorum advocati, denunciationis formam primùm intueri, ſi in aliqua ejus parte peccetur, ſi ſolennitates, ex acto *(b)* Parliamenti præſcriptæ, in ullo apice prætermiſſæ fuerint, vel non obſervatæ. Secundò, ſi quid contra jus actoris objici poſſit, i. e. contra ejus titulum, ſive jus quo ſe veſtit, aut ſi ipſe actor ſtare in judicio non poſſit, forte quia excommunicatus aut rebellis.

34. Frequentiſſima eſt illa exceptio, quâ tenentes ſe muniunt, nempe aſſedatio certorum annorum, qui nondum in eis feriis præterierunt in quas denunciatum eſt

(a) l. 25. C. de locato conducto, & l. 34. eod. (b) 39. Parl. 6. Reginæ Mariæ.

eſt *(a)*. Sed quoniam hæc exceptio in foro frequentiſſima eſt, & pluribus ambagibus implicata, ſequentem Diegeſin ei per ſe indulgebimus. Interea ad alias exceptiones, quibus ſe coloni adverſus dominos tueri ſolent, accedemus. Et primùm, ſi dominus à colono ſuo ſervitia exegerit aliorum terminorum qui denunciationem ſequuntur, & ſi ſervitia illa in aſſedatione contineantur, parſque mercedis in ea contentæ ſint, colonus excuſabitur : alioqui ſervitiorum præſtatio colonum à migrando non liberabit. Sed quid ſi colonus illius anni ſervitia præſtiterit, quo ei indictum eſt ut migret, an recepta hæc ſervitia pro tacita ulterioris anni relocatione erunt ? Quidam ſanè putant idem in ſervitiis quod in mercede, cùm mercedis ſint pars, & quoniam fructus integros illius anni ſecum colonus aufert, integram etiam mercedem illius anni & ſervitia debere. Alii diverſam putant rationem ſervitiorum à mercede, & ſi dominus quid imperaverit colono faciendum poſt denunciationem, tacitè à denunciatione receſſiſſe videri. Prior ſententia mihi magis placet. In his ſervitiis exigendis ſolius domini imperium ut interveniat requiritur ; non Ballivi aut Cameratii, qui domini poſſeſſionem invertere non poſſunt, niſi ex ejus expreſſo & ſpeciali mandato. At ſi colonus ſervitia præſtiterit domino requirenti, cùm ex lege conductionis ad ſervitia non aſtringeretur, ex ſola liberalitate præſtitiſſe præſumitur, ſibique imputabit, quòd officioſior eſſet, cùm ad ea præſtanda alioqui non poſſet cogi. Idem, ſi pro nativo jure poſſeſſionis, (nos KINDNESS dicimus,) & nativos tenentes (KINDLY TENENTS) ſe ſatisfacturum tenenti promiſerit ; donec enim ſatisfecerit, ab hac actione excludetur. Quid autem ſi ſatisfactio hæc in arbitrium tertii conferatur ? Et hoc caſu pacto ſtandum eſt, tertiuſque hic per literas Senatûs arbitrari cogendus. Quòd ſi, aut deceſſerit, aut juſtas excuſationes habuerit cur nolit, ad arbitrium boni viri recurrendum eſt, i. e. Senatûs ſupremi arbitrium : nam defectus viri boni per Senatum ſolum ſuppletur. In omnibus autem his pactis, hoc generaliter obſervandum eſt, ut ſi exceptio ſuper plurium annorum conductione, aut pacto, ſive tacito ſive expreſſo, proponatur, probatio per ſcripta eſt neceſſaria. Unius anni aſſedatio, ſive pactum de aſſedatione unius anni conficienda, vel pactum de non removendo intra anni ſpacium, teſtibus probari poteſt.

35. Aliæ autem ſunt exceptiones, quæ colonis competunt ; veluti, ſi partem unam, à qua migrare monetur, pro indiviſo cum alia parte occupent : quæ exceptio ſuam etiam rationem habet ; nam iniquum eſſet, cùm colonus duorum dominorum portiones, inter ſe adhuc confuſas & indiſtinctas, aut unius domini diverſas portiones occupet, quæ inter ſe etiam indiſtinctæ & incognitæ ſunt, ab una parte ſe cogi migrare, & non ab altera : nam quid deſerat, quid retineat, incertus omnino erit, quæ incertitudo migrationem omnem impedit ; nam ut ab una, ſi denunciatum ſit ut ſe removeat, ſic ſi ab altera ſe etiam removeat, in ſolidam mercedem tenebitur. Itaque cùm periculum in hoc caſu ſit colono, hæc exceptio pro indiviſo recepta eſt ; quæ tamen, cùm negativa ſit, per replicam diviſionis ſolet elidi ; nempe, ſi actor probaturum ſe recipiat, illam partem (à qua migrandum colono indixerat) ab altera ſeparatam, & ſeorſim coli ſolitam, fineſque illius à finibus alterius partis contiguæ ſeparatim & ſeorſum cognitos, occupationemque ſecundum eos fines hactenus fuiſſe in uſu, & adhuc fines recognoſci tanquam ſeparatos & diſtinctos. Itaque exceptio hæc pro indiviſo tali replicâ facilè eliditur, viz. ſi vel diviſio finium probetur, quod eſt juris, & ideò ſcripta ad probationem requiruntur ; vel ſaltem ſeparata unius partis ab alia poſſeſſio, quod eſt facti, & in hac ſpecie teſtium probatio ſufficit ; vel ſi utriuſque partis domini unus aut plures ſimul denunciaverint.

36. Eſt & alia exceptio in hac actione frequens in foro ; nempe, ſi colonus, cui denunciatur, alterius, ſive domini, ſive coloni prioris, ſe dicat colonum, cauſamque poſſeſſionis ab eo habere, qui in hac denunciatione, neque monitus ab initio, neque citatus eſt : nam principali colono non monito ut migret, ſubcolonus migrare non cogitur. Hujus exceptionis hæc eſt ratio, quòd iniquum videri poſſit, eum, qui nullam neque juris, neque poſſeſſionis cauſam ab actore habet, ad ejus inſtantiam

(a) Cap. 17. Parl. 6. Jac. II.

cogi migrare, cùm is à quo cauſam poſſeſſionis habet, & cujus colonus eſt, neque ad migrandum monitus fuerit ab initio, neque ad hoc judicium citatus, cùm de jure auctoris ſui nemo diſputare cogatur. Itaque, ut huic exceptioni occurrant, ſolent plerique non ſolùm ipſos colonos, ſed eos etiam à quibus cauſam habent poſſeſſionis, quibuſque mercedem ſolvere ab initio ſoliti ſunt, & ad migrandum monere, & ſimul cum eis in judicium vocare. Neque tamen ſemper huic exceptioni locus eſt: nam, niſi excipiens probaturum ſe recipiat, eum à quo cauſam poſſeſſionis ſuæ prætendat, ſive is ſit principalis & immediatus colonus, ſive dominus, in poſſeſſione fuiſſe, ita ut actor juſtam ejus prætereundi cauſam non habeat, quòd ejus jus non ignoraret, exceptio hæc locum non habet: neque enim neceſſaria eſt ejus denunciatio, niſi quis eum ſcivit, aut probabiliter ſcire debuit, poſſeſſorem eſſe. Et profectò ſuper hac exceptione in Senatu ſæpe controverſum vidi, cùm aliquando, niſi & his denunciatum ab initio fuiſſet, colonum ſecundarium abſolutum à migratione viderim; aliquando denunciationem hanc non eſſe neceſſariam Senatum interlocutum fuiſſe. Ego in re controverſa priorem diſtinctionem ſequor, nempe, ut ſecundarius colonus migrare non ſit cogendus, niſi is à quo cauſam poſſeſſionis ſuæ habet, ſive is ſit primarius colonus, ſive alius hereditarium titulum ptætendens, monitus & citatus ſimul fuerit: nam plerumque ſententias jam in Senatu latas ſuſpendi eâ ratione vidi, quòd primarii coloni, aut qui jus hereditarium ſe habere dicerent, quererentur injuriam ſibi fieri, quòd coloni ſui ad alicujus inſtantiam migrare cogerentur, cùm ipſi ad illud judicium nunquam fuiſſent citati. Et plerumque evenire ſolet, ut colonorum quædam fraus ſive colluſio interveniat, cùm pretio inducti poſſeſſionem, quam à dominis ſuis acceperant, vacuam adverſario per ſilentium ſuum tradant. Itaque nova in his ſuſpenſionibus lis oritur, juſne denunciandi, qui denunciaverit, habeat in re controverſa, an verò cauſa poſſeſſionis ad alium pertineat; & ſic novum judicium naſcitur. Semper itaque in hoc judicio obſervandum, ne colonus prætio inductus cum adverſario colludat, & ſilentio cum eo tranſigat, & ſic cauſam poſſeſſionis domini ſui veri intervertat, quod omnino non eſt ferendum: imò, ſi ipſe cauſam poſſeſſionis ſuæ ex conducto habeat, & poſtea ex juſta cauſa dominium acquiſiverit, jus non ſinit eum poſſeſſionem huic novo titulo ſupervenienti aſcribere, ſed antequam de dominio poſſit accipere, de poſſeſſione decedere quam ab alio domino nactus; & eam illi reſtituere cogetur, priuſquam de dominio agat *(a)*: quod & apud nos in uſu recipitur. Si diverſæ ſint locationes, poterit colonus quâ velit pro arbitrio uti: at ſi poſteriorem ſumat, eaque vel in mercede vel in quantitate ſit diverſa, vel ab alio ſit data, & colonus eâ uſus fuerit in judicio, à priore receſſiſſe videtur.

37. An autem, qui rem ſuam conduxit, à proprietate cadere videatur? aliquoties dubitatum vidi. Nam cùm quis ſimul & colonus & dominus eſſe non poſſit, alterutrum titulum per alium tolli neceſſe eſt. Et ſanè in his caſibus jus proprietatis à conductione non tollitur, ſed conductio, ut jus inferius, à proprietate abſorbetur: conductio enim rei ſuæ nulla eſt, nec ex ea proprietatis jus tollitur *(b)*. Hoc ſolum jus vult, ſi cùm poſſeſſionem quis ex cauſa conductionis nactus eſt, & poſtea jus dominii ſuperveneriit ex alia cauſa & alio auctore, ſi illud jus ſuperinducere, & cauſam ſuæ poſſeſſionis mutare in præjudicium domini ſui velit, hoc non eſſe ei permittendum, donec poſſeſſionem ei à quo habuit priùs tradiderit *(c)*. Et breviter, hoc in his migrationibus ſemper tenendum, ubi jus ſolidum & ſtabile adhuc poſſidendi vaſſallus habet, aut ſaltem is à quo cauſam poſſeſſionis obtinuit, & qui eum colonum conſtituit, migrare non cogendus ſit ad alterius inſtantiam. Si conjuncta ſit inveſtitura alicui & ejus conjugi facta, & ſi, poſt conjunctam hanc inveſtituram, maritus aliquam partem illius conjunctæ infeudationis aſſedaverit, eo mortuo, licet colonus in poſſeſſione fuerit aliquot annis, tamen à vidua migrare poteſt cogi, licet titulum cum poſſeſſione habeat; nam ea prohibere mulier marito ſubdita non poterat: itaque ultra viri mortem colonus hoc jus poſſidendi non habet, quod tam in Anglia

(a) l. 25. C. de loc. conducto. (b) l. 20. C. de locato conducto. (c) d. l. 25. C. eod.

Anglia quàm apud nos habet locum. Si alicui & ejus conjugi aſſedatio ſit facta, & heredi expreſſo nominatim, & ejus heredibus, vir aut conjux jus aſſedationis illius in alium tranſferendæ non habent, licet illius aſſedationis primi erant recuperatores, & fortaſſe ſuis ſumptibus; quod Senatus in cauſa Magiſtri Jacobi Gray cenſuit, ut nuper dixi: ſed ejus alienandi jus ad heredem nominatum pertinet, ſalvo jure uſusfructûs conjugibus. Aliud, ſi tantùm heredibus indefinitis facta ſit: nam plenum jus utendæ & abutendæ illius aſſedationis ad conjuges recuperatores pertinet. Hoc etiam in his colonis obſervandum, quoties eis ut migrent denunciatum eſt, ut, niſi ipſi ſibi poſſideant, i. e. corporaliter & ſuis laboribus fundum arent, ſerant, poſt denunciationem nullam partem fructuum ſecum auferant; neque in mercede tenebuntur: nam ut fructus auferant, & ſuos faciant, illis tantùm permiſſum, qui ſementem fecerant. Idque ob publicam colonorum utilitatem introductum, qui bonâ fide arant & ſerunt, incerti de denunciatione futura, quæ ſi præter ſpem evenerit, ſaltem quod ex ſemente ſua provenerit, tollere permittuntur, integrâ mercede illius anni perſolvendâ domino: aliis id beneficium non permittitur. Si, exacto migrandi tempore, dominus adhuc precariam poſſeſſionem colono indulſerit, non ſibi præjudicat, qui quando volet eum ejicere poſſit, niſi fortè mercedis termini unius, præter priores, ſolutio interveniat.

38. Dominus, qui à coloni relicta aut liberis *herezeldum*, i. e. *domini debitum*, acceperit, poſt mortem ejus (nam jure noſtro *(a)* dominus hoc jus in coloni ſui bonis habet, ut optimum vivens animal, viz. optimum equum, aut ſi nullus ſit, optimum bovem aratorem poſſit vendicare) eos annum unum in poſſeſſione continuare tenetur, nec ante expletum annum ad migrandum cogere. Herezeldum autem colonus, qui aliquot annos ſuæ aſſedationis decurſuros habet, non debet. Hæc autem actio ad migrandum mixta eſt ex proprietate & poſſeſſione, adeò ut proprietarius poſſeſſor præferendus ſit alii, non poſſeſſori, ſed proprietatem antiquiorem & jus melius prætendenti, dummodo in poſſeſſione vi ſui tituli non fuerit; nam *coloratus*, ut aiunt, *titulus* cum poſſeſſione prævalet adverſus denunciationem, donec declaratoria contra titulum in judicio obtineatur. Si terræ poſt denunciationem à proprietario appretiatæ fuerint, aut ipſe jus proprietatis renunciaverit, denunciatio extinguitur. Poſt ſententiam de migrando, nulla juſta poſſeſſio cenſetur: nam ab eo tempore violentus dicitur poſſeſſor, & in fructus qui percipi potuerint tenetur. Qui autem dolo deſiit poſſidere, ſemper pro poſſeſſore habetur, tam in jure, quàm uſu forenſi.

Diegeſis decima,

De Locationibus ſive Aſſedationibus.

SUMMARIA.

1. *Qui aſſedationes facere poſſint? & quouſque adminiſtratores rei alienæ? Regula generalis. De Prælatis, Rectoribus & Vicariis, eorumque aſſedationibus ſine conſenſu Capituli aut patronorum; & an eorum aſſedationes ultra tempus ſtatutum valeant quoad indultum?*
2. *Aſſedatio ſine mercede nulla eſt. Terræ Regiæ, ſive caſualitates ejus, ultra triennium locari non poſſunt.*
3. *Aſſedatio, abſque mentione aſſignatorum, ad tales non extenditur, ac ex eo quod aſſignatum fecerit, præcedente declaratoriâ, ad migrandum cogi poteſt colonus. Idem, ſi ſilvas vaſtaverit.*
4. *Qui greſſumas capit pro aſſedatione facienda, colonum removere non poteſt. Greſſuma quid, & unde probetur?*
5. *Aſſedatio aliquando induit naturam alienationis, ut ſi ad certos annos fiat, qui-*

(a) Cap. 23. Quoniam attach.

bus finitis duratura, dum solvatur pecunia quàm dominus mutuò acceperat à colono; & aliis etiam modis.

6. *Si duobus successivè assedatio facta fuerit, si viduæ locatio facta fuerit, & illa virum superinduxerit, quid juris?*

7. *Tacita conditio est omnium assedationum, ut merces solvatur intra biennium, aliàs exstinguatur. Si colonus dominium sub reversione acquisiverit, postea redemptioni consentiens, à priore assedatione cadit: secus si fuerit rescissa alienatio. Nec idem in usufructuario capiente assedationem. In assedationibus tempus introitûs attendendum. De generali apocha. Assedatio non extenditur ad heredes, aut assignatos, nisi nominentur. Si assedatio sit absque exitu, jure Anglorum pro vita; sed apud nos, pro uno tantùm anno, censetur.*

8. *In exceptione assedationis colonus exprimere debet se eam habere ab eo qui jus & potestatem faciendi habebat, licet ex post facto extinguatur.*

9. *Exceptio pacti conventi tuetur colonum adversus dominum paciscentem, sed non adversus singularem successorem, nisi possessione vestiatur conductor.*

10. *Pactum de assedatione facienda idem est ac ipsa assedatio: sed an pactum de colono hereditariè investiendo idem sit ac ipsa sasina, dubitatur.*

11. *In his assedationibus tempus introitûs est spectandum, ut § 7. dictum. Tuetur etiam colonum, si dominus ei debitor sit, & paciscatur eum, ante solutionem debiti, non removere. Idem, si sequentium annorum mercedes præceperit. Solutio facta domini Camerario, speciale ad id mandatum non habenti, non impedit hanc actionem: secus tamen, si vel à colono fidejussorem exegerit, vel colonum fidejussorem dederit, cùm sit quasi tacitum pactum.*

12. *Observandum, ut virtute illius assedationis colonus sit in possessione; sed si aliâ assedatione se tueatur, & actor de nullitate replicet, si in possessione aliquot annos fuerit, se eâdem tuebitur colonus, donec in rescissorio judicio de nulliitate declaratoriam actor obtinuerit: quod multò magis locum habet in possidente ex hereditario titulo. In his actionibus sufficit si aliquod modicum tempus sit decurrendum.*

13. *Colonus domino exhibere tenetur suam assedationem, imò & exemplar ejus ei præstare. Idem de Data.*

14. *Husbandia terra quid? Ut quis verus colonus sit quid requiratur?*

1. NUNC ad materiam *Assedationum*, exceptionesque super eis fundatas, quæ in hunc locum dilatæ sunt *(a)*, accedamus: neque enim exceptio vel usitatior vel fortior à colonis solet usurpari, si quando citati ad migrandum à domino fuerint. Et primò videndum, qui possint assedationem facere, vel terras locare: in quo generaliter hoc tenendum, omnes posse assedationes dare, quibus libera rei suæ administratio est; ut eadem hic observentur, quæ antea, *De iis qui in feudum dare possunt*, diximus *(b)*. Et præter eos, assedationes facere possunt, qui administrationem rei alienæ habent, sive ut coloni, sive ut tutores, curatores, œconomi, factores, procuratores, si modò speciale ad hoc mandatum habuerint, vel si sint procuratores (ut Jurisconsulti vocant) cum libera potestate. Sed hoc præcipuè animadvertendum, quòd qui alienæ rei sunt administratores, ultra tempus suæ administrationis nullam idoneam locationem facere possunt. Sunt qui tutores & curatores rectè assedationes posse facere putant, vel pro veteri mercede continuata, vel si minor inde non lædatur; ut verisimile est eum non lædi, cùm nihil ex solita mercede diminuitur. Sed profectò etiamsi nihil ex veteri mercede remittatur, minorem lædi puto, quòd rei suæ liberâ administratione prohibeatur. Itaque generalem regulam tenendam censeo, Ut qui rei alienæ administrationem habent nudam, administratione durante, assedationes facere non possint. Colonus tamen, nisi ad vitam assedationes habeat, actionem de migrando non habet, nisi specialiter ei potestas in assedatione facta sit tenentes removendi, & alios loco eorum substituendi, ut dixi *(c)*. Prælati, sine consensu Capituli, tam terras suas, quàm decimas, in quinquennium locare possunt: etiam, si interea Prælatus moriatur, successor non solùm eas infringere non potest, sed etiam de evictione tenetur. Rectores & Vicarii Ecclesiarum,

(a) Vid. D. 9. § 34. (b) Lib. 1. D. 12. (c) D. 9. § 22.

ſiarum, etiam ſine conſenſu patronorum, pro triennio ſuas terras & decimas poſſunt locare *(a)* : ſi ulteriùs locent, eatenus aſſedatio non valebit. Notandum & hoc, quòd ſi Prælatus ſine conſenſu Capituli, vel Rector aut Vicarius ſine conſenſu patroni, ulteriùs terras ſuas aut decimas locaverint, quam pro ſpatio ſupra dicto, viz. quinque aut trium annorum, veluti, ſi pro novemdecim annis locaverint, neque pro quinque aut tribus annis valere, ſi hoc expreſsè cautum ſit ex fundatione, ut cum conſenſu Capituli aut patroni aſſedationes fiant : quia non minùs conſideratur in jure quomodo quid fiat, quàm quod fiat ; nam quod voluit non fecit Prælatus, neque quod potuit ut potuit : itaque locationes tales Senatus ſolet rejicere. Aliquando tamen receptas memini pro tot annis, quot Prælati poterant locare, licet debitæ ſolennitates, & in locationibus expreſſæ, non ſunt adhibitæ.

2. Quòd ſi *Aſſedatio* facta fuerit ſine mercede, nec certam contineat, non valet ex jure *(b)*, (& ita deciſum vidi, in cauſa mota per Comitiſſam de Angus contra Dominum de Ardrie) niſi aliquid pro mercede aut loco mercedis ſit appoſitum, veluti ſervitii aut debiti compenſatio : adeò ut ſi à Prælato, etiam cum conſenſu majoris partis Capituli, fundus pro mercede ſit aſſedatus, & eadem merces aſſignata eidem colono ſit, aſſedatio non valeat. Hoc etiam addendum, quòd terræ Regiæ, ſive obventiones & utilitates ejus, (nos *Caſualitates* dicimus) ultra triennium locare non poſſunt, & in eis ſubſcriptio Principis, ac etiam ejus computorum Rotulatoris, & ſigillum privatum requiritur, ut valeant.

3. Si in aſſedationibus nulla mentio ſit aſſignatorum, aſſignatus ſive ceſſionarius jus in aſſedatione non habebit, neque eâ aut ejus beneficio in jure uti poteſt, cùm aſſedationes ſint ſtrictiſſimi juris : imò eo ipſo quòd aſſignatum fecerit, putant nonnulli colonum à jure ſuæ aſſedationis cadere, & poſſe dominum, declaratoriâ præcedente, cogere colonum ut migret : idem, ſi colonus ſilvas domini vaſtaverit.

4. Qui autem *Greſſumas* (ut vocare ſolemus) pro aſſedatione facienda capit, non ſolum tenentem removere non poteſt, ſed etiam ut quod promiſerat adimpleat cogi poteſt, & etiam ad id quod intereſt tenetur. *Greſſumas* dicimus ſummas pecuniæ, quæ in principio aſſedationis aut ſolvuntur aut promittuntur, ſupra annuam mercedem : ſed has greſſumas, aut ſolutas aut promiſſas, vel ſcripto vel juramento partis debet probari.

5. Non autem eſt aſſedatio, ſi ad certos annos locatio fiat, quibus finitis, duratura ſemper, donec pecunia, quam fortaſſe dominus à colono mutuam acceperat, rependatur ; ſed ſpecies quædam alienationis eſt, & licet valeat pro eis annis, qui nominatim expreſſi ſunt, ulteriùs non valebit, niſi ſaſina interveniat. Eſt enim hæc forma ſpecies quædam alienationis, & jus hereditarium continet. Aſſedatio pro novemdecim annis, ut & aſſedatio ad vitam, ſpecies eſt etiam alienationis, adeò ut qui alienare in jure prohibentur, neque ad novemdecim annos, neque pro vita aſſedare queant, quum factum illud periculo reductionis ſubſit.

6. Si duobus ſucceſſivè aſſedatio facta fuerit, aut pluribus in ordine ſubſequentibus, primus in ordine renuncians, ſecundo & reliquis præjudicat. Quòd ſi duobus fiat, ut poſterioris introitus ad tempus mortis prioris referatur, primo renunciante, non præjudicabitur ſecundo, quin, eo moriente, jus ingrediendi fundum locatum ei competat. Sed ſi duobus ſucceſſivè aſſedatio facta fuerit, poterit ſecundus exemplar aſſedationis à priore petere, & etiam ut det cogere. Si putet eum alienaturum, aut ſibi præjudicaturum, poterit literas prohibitionis à Senatu petere, ne in præjudicium ſecundi alienet aut renunciet. Si viduæ locatio ſive aſſedatio facta fuerit, & illa maritum ſuperinduxerit, poterit removeri ; etiam ſi fundus ei pro tota vita aſſedatus fuerit : nam cum ei ut viduæ facta ſit aſſedatio, quæ ſtrictiſſimi juris apud nos eſt, adeò ut nec aſſignatum admittat, non poteſt vidua, ſine voluntate ſui domini, novum colonum, nempe maritum ſuum, ei nolenti obtrudere. Quod & obſervandum eſt, ſive clauſula hæc [*quamdiu vidua permanebit*] in aſſedatione fuerit expreſſa, ſive non ; ne dominus eum, quem nunquam voluit, colonum habeat.

(*a*) Cap. 200. Parl. 14. Jac. VI. (*b*) l. 46. ff. locati.

7. In omnibus aſſedationibus hoc tacitè ineſſe videtur, ut ſi merces per duos continuos annos non ſolvatur, aſſedatio extinguatur: adeò ut ſi pro mercede ſervitii aſſedatio facta ſit, neque is requiſitus ſervierit, extinguatur ipſo jure; licet juris declaratoriâ ſit opus *(a)*: ut omnis aſſedatio, continens ſolutionem mercedis ad certum diem præfixum, ſi ad diem præfixum ſolutio non fiat. Si colonus pro certis annis in ſe, dum poſſidet, recipit alienationem, i. e. dominus factus fuerit fundi, ſub conditione etiam reverſionis, & ſi conſenſerit in redemptionem, à priore aſſedatione excludetur: nam ei tacitè renunciâſſe videtur, eo ipſo quòd in ſe dominium receperit. Aliud tamen, ſi alienatio reſciſſa fuerit: nam eo facto colonus regreſſum ad ſuam aſſedationem habebit; fingitur enim quod reſciſſum eſt, neque unquam fuiſſe. At uſufructuarius, ſi pro certis annis aſſedationem capiat, neque ab uſufructu cenſetur receſſiſſe, & finito uſufructu, ſive annis aſſedationis finitis, ad alterutrum poterit recurrere, cùm ſimul ſtare poſſint: idem autem & colonus & dominus eſſe non poteſt. Attendendum etiam de tempore introitûs aſſedationum, quòd ſi nullum ſit, plerique putant contra dominum colonum agere debere, ut introducat eum in poſſeſſionem, nec ante ſententiam dominum ad intereſſe teneri. Alii, cùm nullum tempus præſtituitur, præſente die dominum introducere colonum debere in poſſeſſionem putant: alii aſſedationem cadere volunt, quaſi in defectu articuli ſubſtantialis. Sed ego in priore ſum opinione. Quòd ſi introitus in indebitum tempus conferatur, veluti, ſi tempore in aſſedatione præſtituto ad intrandum colonum, dominus jure ſuo privatus eſt, ut in Eccleſiaſticis perſonis, ſi ante tempus introitûs deceſſerint, tota aſſedatio diſſolvitur: nam id tempus, quo colonus debet in poſſeſſionem induci, quàm maximè ſpectatur, ſi locator eo tempore jus & poteſtatem introducendi colonum in fundum habeat; quod ſi non habuerit, tota aſſedatio cadit: paria enim jura noſtri putant, indebitè fieri, & in indebitum tempus conferri. Sed in his locationibus generalis *Apocha* (quam *Acquietationem* vocamus) de omnibus debitis, ad mercedes conductionum non extenditur; neque locatio ad heredes vel aſſignatos extenditur, niſi nominentur expreſsè. Si quis fundum ſuum locaverit, nec mentionem termini, i. e. pro quot annis, fecerit, pro vita ſua cenſetur locâſſe jure Anglorum: noſtro autem, non niſi pro unius anni ſpatio.

8. In hac de aſſedatione exceptione, ſemper exprimendum à colono, ſe aſſedationem nondum decurſam habere, ab eo, qui, tempore hujus aſſedationis factæ, jus & poteſtatem habuit eam faciendi *(b)*. Nam licet ex poſtfacto jus illud extinctum videatur, veluti, ſi alienaverit, aut in forisfacturam inciderit, colono tamen non præjudicatur, ſecundum illam communem juris regulam: *Non eſt novum, ut quæ utiliter ab initio ſunt conſtituta in ſuo robore durent, licet ille caſus ſupervenerit, à quo incipere non poterant.* Itaque ſi nondum ſit harum aſſedationum ſive rentalium decurſum ſpatium, quod ab initio convenerat, rectè ſe eis à migrando colonus tuebitur.

9. Idem, ſi pactum quodcunque de non removendo inter dominum & colonum interceſſerit: inter dominum, inquam, non etiam ejus auctorem; nam licet auctor alienationis (quanquam tempore pacti etiam dominus) cum colono pactus fuerit, quòd eum nunquam migrare coget, pactum hoc, mutato domino, non valet, neque contra particularem ſucceſſorem poterit objici. Secus in temporalibus aſſedationibus, quoniam reales eſſe, & rem ipſam afficere videntur, præcipuè ſi, ut dixi, poſſeſſione conductor ſimul veſtiatur.

10. Pactum de aſſedatione vel rentali faciendo, ut antea dixi, nihil aliud eſt niſi aſſedatio. Hoc etiam obſervandum, quòd pacta aſſedationis, à domino denunciante conficiendæ, non minùs colonum tuebuntur, quàm ſi ipſæ aſſedationes jam factæ eſſent: nam qui promittit facturum, in ea conditione eſt, ac ſi jam feciſſet, quoties per eum mora fit, quo minus aſſedatio ſit confecta. An idem in eo cui jus hereditarium promiſſum eſt, ſi ei à domino denunciatum fuerit, ut migret, dubito; (hæc tamen omnia pacta in ſcripto eſſe debent, ſi unum annum exceſſerint:) licet hodie idem ferè obſervetur, quod à recentioribus introductum eſt; nam memini, cùm

(*a*) 1 F. 21. ibi, Cauſa cognita. (*b*) Cap. 17. Parl. 6. Jac. II.

cùm pactum de colono hereditariè inveſtiendo, eum à migratione interea non liberaret, ſalvâ contra paciſcentem actione pro pacto obſervando. Ratio diverſitatis eſt hæc, quòd in his hereditariis titulis multa ſolent intervenire, quæ pacti implectionem impediant, nec jus hereditarium niſi per ſaſinam & inveſtituram tranſit: quod tamen in nuda aſſedatione aliter obſervatur; nam pactum de aſſedatione facienda, & ipſa aſſedatio parificantur; præcipuè ſi poſſeſſio ſequatur. Et ſic in facti quæſtione variatum ſententiis in Senatu ſæpe vidi, dum hi novam, illi veterem formam tuerentur. Nuper tamen, in cauſa per Grierſon de Lag, contra Grierſon, Senatus ſuſtinuit obligationem de inveſtiendo pro ſaſina jam facta, reſpectu continuæ poſſeſſionis: & hoc in actione de migrando.

11. In his aſſedationibus ſpectandum eſt ſemper tempus introitus: nam ſi in eo tempore, in quod introitus aſſedationis deſtinatur, aſſedator ſit inhabilis ad aſſedationem faciendam, licet tempore datæ aſſedationis, i. e. eo tempore quo aſſedatio facta eſt, fuerit habilis, i. e. poteſtatem ex jure habuerit aſſedationes conficere, aſſedatio non valebit; nam reſpectus habetur potiùs ad tempus introitûs quàm confectionis: paria enim in jure ſunt, indebito tempore fieri, & in indebitum tempus conferri. Inter alia pacta quæ colonum tuentur, & hæc ſunt: Si dominus ei debitor fuerit, pactuſque ſit, donec ſatisfecerit, tenentem ſe non remoturum; nam pactum hoc, donec ſolutio facta ſit, adverſus dominum & ejus heredem colono proderit, & vice aſſedationis eſt; non tamen contra ſingulares ſucceſſores. Idem, ſi mercedes ſequentium annorum dominus præceperit (nos *ante manum capere* dicimus,) i. e. antequam debeantur, aut pro eis diſtringi poſſit: tacitè enim paciſci videtur, ne iis annis, pro quibus mercedem acceperat, removere dominus colonum poſſit. Et in hac præceptione mercedis uniuſcujuſque locationis, annotandum eſt, quòd cùm colonus totius illius anni, quo ei denunciatum eſt, fructus ſuos faciat, ſecumque auferat, pro eis totius anni ſolidam mercedem eum debere, i. e. termini, etiam ferias Sancti Martini ſubſequentis: quæ tamen ſolutio hanc actionem non impedit; ut nec, ſi ſubſequentium annorum merces domini Camerario vel Ballivo ſolvatur: nam ſine ſpeciali mandato domini, ejus denunciationi præjudicium afferre Camerarius vel Ballivus non poteſt. Sic, ſi fidejuſſorem à colono pro aliquot annorum mercede exegit, aut colonum fidejuſſorem dederit, pactus ut debitam mercedem tot annorum apud ſe retineat, donec ei plenè ſatisfiat, tacitè de eorum annorum aſſedatione pactus videtur.

12. Hoc etiam in hujus generis exceptionibus obſervari ſolet, ut virtute hujus aſſedationis, vel rentalis, colonus in poſſeſſione ſit: quanquam actor, ei ut migret denunciando, poſſeſſorem fateri videtur. Tamen, ſi actor poſſeſſorem quidem fateatur, virtute tamen illius aſſedationis neget, ſed ſcripto probaturum ſe recipiat, aliâ aſſedatione colonum uſum apud ſe, majoremque mercedem ſolviſſe, quàm in allegata aſſedatione continetur; procul dubio illius aſſedationis ſive rentalis vim elidet, colonumque migrare coget, niſi is illâ alterâ aſſedatione ſe munierit. Itaque diligens in his cautio eſt adhibenda. Quòd ſi actor de nullitate rentalis ſive aſſedationis replicet, licet nullitas ipſa ſit inexcuſabilis, & ex prima facie conſtet; ſi tamen colonus in poſſeſſione virtute illius aſſedationis aliquot annis ante denunciationem fuerit, eâ adhuc colonus ſe tuebitur, donec in reſciſſorio contra eum judicio de nullitate declaratoriam actor obtinuerit: quod multò magis in eo, qui hereditarium jus prætendit, ſi ut migret agatur, locum habet: præcipuè ſi virtute juris hereditarii ſit in poſſeſſione; nam & hic poſſeſſionem ſuam retinebit, donec de nullitate tituli ſui, reſciſſorio judicio, conſtiterit. In his rentalibus ſeu aſſedationibus, ſufficit ſi tempore, in quod denunciatio eſt facta, colonus tempus aliquod ex ſua aſſedatione reliquum decurrendum habet, licet tempore vel actionis vel ſententiæ omnino tempus decurſum fuerit.

13. In omnibus his locationibus, colonus poteſt à domino ſuo conveniri, ut ei exhibeat aſſedationem ſuam; ut dominus ſciat pro quot annis, quâ mercede & ſervitio, & ſi quæ alia ſint in clauſula illa redditionis, quæ ad eum ſpectant; ut ſciat

quibus rebus gravare poſſit colonum : imò & colonus ſuæ aſſedationis ei exemplar præſtare tenetur. Idem de Data.

14. Sed quoniam apud nos plurimus eſt uſus terrarum husbandiarum, quæ in aſſedationibus continentur, non inutile videtur ſubjicere, ex antiquiſſimis ſtatutis, quid ſub nomine *terræ husbandiæ* continetur. *Husbandia terra* dicitur ea, quæ quatuor jugerum eſt, i. e. quatenus quatuor boves poſſunt arare : tantum enim terræ putârunt majores noſtri ſufficere ad alendam familiam frugi & modeſtam, ut & Romani olim lege Agrariâ caverunt, ne quis civis ſupra duo jugera araret. Sed quantum hodie à frugalitate majorum diſtamus ! Præterea, ut quis verè colonus dici poſſit, in eo fundo debet habitare ; &, ſi à domino permittatur, ibi etiam & mori.

Diegeſis undecima,

De mutua inter dominum & vaſſallum obligatione.

SUMMARIA.

1. *Perfecto & conſtituto per ſaſinam feudo, mutua hinc inde inter dominum & vaſſallum oriuntur officia ; eaque optimâ fide, vel ſecundum tenorem inveſtituræ, vel conſuetudinem loci, vel communem feudi naturam, ſervanda. Ac vaſſalli obligatio eſt jurata, domini non : quibus non abſimile eſt obligatio apud nos quæ* MANRENT & MAINTENANCE *dicitur. Hæc in genere, ſequuntur particularia.*
2. *Vaſſallus domino tenetur fidelitatem præſtare, eamque juratam per ſe aut procuratorem. Cives præſentes & per ſe domino jurabunt.*
3. *Forma ſacramenti duplex.*
4. *Brevis forma ſacramenti.*
5. *Brevior forma apud pleraſque gentes uſitata.*
6. *Vaſſallo quædam incumbunt ut faciat ; alia ei prohibita ſunt ne faciat.*
7. *An vaſſallus, ſi probare non poterit, periculum domino detegere teneatur ?*
8. *Vaſſallus tenetur detegere quicquid fortunis domini ſui immineat, & prohibetur actu aut conſilio intereſſe, unde quodlibet damnum in caput, famam, fortunas aut inſtrumenta ſtatûs domino evenire poſſit.*
9. *Auxilium in bellis vaſſallus domino præſtare tenetur, etiam non requiſitus. Idem, ſi ſtatis diebus, aut certo anni tempore, ſervitia præſtare debet : in aliis non niſi requiſitus.*
10. *Vaſſallus cum equis & armis advolare debet domino juſtè bellanti ; ſe defendenti, ſive juſtè ſive injuſtè. Hîc Hottomannus ſe opponit Oberto & Gerardo ex jure Civili ; cujus quidem opinioni aſſentitur Auctor : at Hottomannum reprehendit, & Obertum & Gerardum explicat & vindicat.*
11. *Si dominus ſe defendat, ſive jure ſive injuriâ, vaſſallus ei adeſſe debet, niſi contra magiſtratum ſententiam executioni mandantem. Sed non ſubveniendum domino injuſtum bellum inferenti, ſi ſit manifeſtè injuſtum.*
12. *Quid ſit juſtum bellum ?*
13. *Vaſſallus juvare tenetur dominum contra omnes alios, etiam fratrem ſuum, filium & patrem : nam arctius eſt vaſſalli vinculum quàm ullum naturale ; quod exemplo Romanorum probatur. Quod de patre in textu additur, de defenſione domini intelligendum ; ſi nempe pater eum perſequatur. Si vaſſallus præferat feudum patri, licitè fit ; at ſi patrem feudo præferat, refutandum eſt feudum.*
14. *Nemo contra ſe tenetur auxilium præſtare.*
15. *De modo opis & auxilii quod vaſſallus domino præſtare debet ; & quatenus ſe periculo exponere debeat ?*
16. *Vaſſallus per ſubſtitutum ſervire poteſt, modò ſit æquè idoneus & gratus domino : ſed non ſemper. Univerſitas & Eccleſia, niſi per ſubſtitutum, ſervire non poſſunt. Non eſt juvandus dominus adverſus dominum antiquiorem. Unde Rex omnibus præfertur ; licet ſint qui exceptiones admittant. Si de antiquiore domino dubitetur,*

tetur, quid juris? Poſt Regem, Capitanei regni, ſeu domini Parliamenti, ſi de eis feudum teneatur mediatè, locum habent. In omnibus obſequiis militaribus, antiquioris domini perſona, ſi non excipiatur expreſsè, ita præſumitur. Et ſi inter dominos ſint inimicitiæ & dimicationes, ſuperior contra inferiorem adjuvandus eſt.

17. Quid juris, ſi vaſſallus plures dominos habuerit inter ſe contendentes. Si Rex, & Baro de quo vaſſallus tenet? Si dominus fuerit rebellis aut excommunicatus, vaſſallus à ſervitio militari liber eſt. Si vaſſallus proſcriptus aut rebellis, & in eo ſtatu per annum & diem remanſerit, uſusfructus ad dominum, non ad Regem, devolvitur.

18. Vaſſallus curiis domini adeſſe, ejuſque honori & ſecuritati ſtudere debet. Imperatores Germanici triplici coronâ olim inaugurabantur, quos Capitanei regni ſequebantur, eorumque vaſſalli ſub pœnâ dimidii fructûs illius anni. Si plures ſint vaſſalli heredes, & feudum ſit dividuum, vel individuum, aut ſi plures ſint domini heredes, & ſervitia ſunt diviſibilia vel indiviſibilia, quid? Apud nos dominium eſt individuum.

19. Ubi vaſſallus dominum juvare, aut quò comitari debeat? inſpicienda ſunt pacta feudalia: ſi nihil inde appareat, aliquando etiam extra territorium fit, ex neceſſitate domini in ſuis repetendis præcipuè, non ut aliena aut nova aggrediatur.

20. Cujus ſumptibus vaſſallus ſerviat? & quanto tempore? Antequam militaria ſtipendia in uſu erant, Reges vaſſallis ſuis in bellis utebantur. De Ban & Arrierban apud Gallos: ejus incommoditas mutata in melius, & tributa ejus loco populo indicta.

21. Vaſſallus, quod in bello amiſit, à domino repetere non poteſt. Eum autem extra territorium vagantem comitari non tenetur.

22. Vaſſallus dominum in primogenitâ filia elocanda opibus juvare tenetur, & ut primogenitus equeſtri cingulo decoretur. Qui mos & hodie apud Montanos noſtros ſervatur. Quidam hoc locum habere volunt in filia naturali.

23. Vaſſallus etiam dominum in relevio ſolvendo juvabit.

24. Quis modus ſtatutus in his ſubſidiis exigendis? Librata terræ quid? Dominum alere vaſſallus non tenetur, niſi tribus in caſibus: ſed id excolevit. Agri fines etiam domino monſtrabit, & tranſitum hoſtibus domini ſui per ſuum feudum denegabit.

25. Feudum meliorabit, & quomodo?

26. Dominus vaſſallos ſuos non vexabit. Quæ fuit occaſio diuturni & cruentiſſimi belli inter non ſolum Gallum & Anglum, ſed Hiſpaniarum Regem & Belgas.

27. Vaſſallus univerſitatis, non ſingulorum ſed univerſitatis eſt vaſſallus; nec ſingulis ex univerſitate, ſed adminiſtratori ſoli obligatur.

28. Pleraque alia officia, quæ à vaſſallo domino debentur, Hottomannus quatuor capitibus comprehendit.

29. Quæ vaſſallo prohibeantur? Servitutem feudo nequit imponere.

30. Vaſſallus dominum in jus vocare non poteſt, nec teſtimonium contra eum dicere, aut famosâ ullâ actione eum perſequi, &c. neque feudum invito domino alienare.

31. An obligatio perpetui ſervitii, à ſe & poſteris ſuis exigendi, ſtare debeat de jure?

32. In quibus caſibus vaſſallus ab officio ſuo excuſetur?

33. In quibus dominus vaſſallo obligetur? & vaſſallus domino? Si plures ſint domini inter ſe contendentes quid juris? Confinia feudi dominus vaſſallo oſtendet, & actionem injuriarum ſuo nomine habebit.

34. Superioritatem adire debet, ut vaſſallus de eo teneat; alioqui in fructus ex ejus facto amiſſos vaſſallo tenebitur. Si ſuperior monitus moriatur antequam vaſſallus inveſtiatur, ejus heres ex eodem præcepto cogi poteſt. Si extra regnum fuerit, & ex ſummonitione 60 dierum citatus, Senatus interponit, cum effectu.

35. Dominus directum dominium alienare invito vaſſallo non poteſt, niſi totam baroniam vel juriſdictionem ſimul vendat: ſecus apud nos, dummodo vaſſalli conditio non ſit deterior.

36. Dominus poteſt vaſſallos gravare ut ſe juvent in exercitu Regis, ceſſantibus ſtipendiis. Ban & Arrierban, apud Gallos quid? Dominus, ſi vaſſallus debita ſervitia non exhibeat, reſumit feudum ſuum. Id qua ſolennitate apud Gallos fiat?

37. Mulctas levare poteſt dominus. In Gallia, uti inconſulto domino vaſſallus feudum vendere poteſt, ſic ei 13 pars pretii debetur, ut novum vaſſallum recipiat.

1. PERFECTO & conſtituto per ſaſinam feudo, tum demum inter dominum & vaſſallum obligationes oriuntur, & mutua officiorum omnium (quæcunque ad utilitatem, ſive commodum alterius ſpectant) communio: adeò ut, quemadmodum vaſſallus domino obſequi, & ejus dignitati & commodis ſtudere & inſervire, nemine ei præpoſito, debet *(a)*; ſic & dominus vaſſallum tueri, ejus res, bona, famam, nullo alterius reſpectu habito, promovere teneatur *(b)*. Et regula hæc univerſalis tenenda eſt, ut facienda ab utraque parte fiant fide bonâ, & omittenda eâdem fide omittantur *(c)*: & hoc, vel ſecundum tenorem & conventionem inveſtituræ *(d)*, aut ſaltem ſecundum conſuetudinem loci, ſi nihil ſit expreſſum in inveſtitura. Quòd ſi neque conſuetudo appareat, tum ad communem feudorum naturam recurrendum; nam obligatio feudalis eſt reciproca, præcipuè in fidelitate; ſed vaſſalli obligatio eſt jurata, & ſacramento confirmatur *(e)*: at dominus, licet vaſſallo de fidelitate teneatur, non tamen jurare cogendus eſt: & breviter nuſquam, in quod alter alteri teneatur, meliùs & planiùs exprimi poteſt, quàm per mutuas illas obligationes hominii & tuitionis, (quæ apud nos MANRENT & MANTENANCE dicuntur *(f)* in quibus ea, quibus alter alteri obligatur, fideliſſimè continentur, niſi quòd feudorum natura majorem includere benevolentiam inter partes videatur *(g)*. Sed quoniam generalis hæc propoſitio omnibus non ſufficiet, & in quod alter alteri teneatur ſpecialiter exprimi cupiunt, ſuntque nonnulli qui quatenus hæ obligationes cum ipſo feudorum jure conveniant, cupiunt intelligere, & in quibus diſſentiant; itaque quid primævum jus feudorum in his præcipiat, quidque petat, paucis eſt explicandum: & primùm de obligationibus, in quibus vaſſallus domino tenetur. *(h)*.

2. Tenetur itaque ex jure vaſſallus, quàm primùm inveſtituram acceperit, fidelitatem domino ſuo non ſolùm præſtare, ſed & jurare eam ipſam fidelitatem inter manus domini ſolenniter: & ab hoc ſacramento obligationes inter dominum & vaſſallum incipiunt *(i)*. Juramentum autem hoc vaſſallus aut per ſe, aut per procuratorem præſtabit *(k)*; cives civitatis domino ſubditi præſentes & per ſe jurabunt.

3. Hujus *Sacramenti* forma duplex eſt in jure, una protractior, altera ſuccinctior *(l)*. Priore formâ vaſſallus jurabit, quòd ſciens & prudens, neque conſilio, neque auxilio, aderit in eo conventu, ubi domino, vitæ aut membrorum damnum aut periculum imminere poteſt; aut ubi dominus, in aliquam injuriam, quæ in ejus caput, fortunas aut famam redundabit, incidere, aut honorem quem habet habiturúſve ſit perdere poterit: quinimò ſi aut audiverit, ſciverit, aut cognoverit talia alios quoſcunque moliri, aut pro viribus impediet, aut domino revelabit, ut ipſe ſibi prævideat; domino juſtis ex cauſis bellum inferenti, aut ex quacunque cauſa ſe defendenti, aut defendere volenti ſuppetias feret, auxilio & conſilio domino aderit *(m)*: res amiſſas à domino pro viribus & omni ingenio recuperare tenetur; ſecreta domini non revelabit, & nihil eorum, quæ ad domini ſui injuriam ſive contumeliam tendent, faciet. Hujus prioris ſacramenti partes poſtea explicabuntur.

4. Alia forma ſacramenti brevior eſt & ſuccinctior, in qua vaſſallus hæc ſex jurare tenetur, *incolume*, *tutum*, *honeſtum*, *utile*, *facile*, & *poſſibile (n)*. De quibus ſingulis dicendum eſt. [*Incolume*,] nempe jurabit vaſſallus, dominum, non ſolùm à ſuo facto, ſed etiam adverſus omnes quos prohibere poterit, incolumem futurum. [*Tutum*,] ut juret domini ſecreta, & munitiones ejus, quarum præſidio præfectus erit, nemini proditurum. [*Honeſtum*,] ut quæ domino honeſta ſunt conſulat, neque honeſtum, ut ſit inhoneſtum, faciat. [*Utile*, *facile* & *poſſibile*,] hæc tria domino jurabit vaſſallus, quæ ita capiuntur, ut quæ ſunt utilia, in inutilia non convertat, neque,

(*a*) 2 F. 23. verſ. Quomodo. (*b*) 2 F. 6 & 26. § domino committente, lib. 2. cap. 67. Reg. Majeſt. (*c*) 2 F. 52. § fin. (*d*) 2 F. 18. ibi, Propter tenorem inveſtituræ. (*e*) 2 F. 4. (*f*) Quæ apud nos jamdudum prohibentur, cap. 43. Parl. 6. Reg. Mariæ. (*g*) 2 F. 6. in fine, & 58. ubi dicitur, Dominum vaſſallo conjugem eſſe, & 2 F. 33. § 1. & tot. tit. ff. quod quiſque juris in alium ſtatuerit. (*h*) Quæ habentur, 2 F. 6 & 7. (*i*) 2 F. 3. in fine, & 4, 5, 6 & 7. (*k*) 2 F. 3. § 1. ibi, Sed utrum, & 58. § 2. (*l*) 2 F. 6 & 7. (*m*) 2 F. 6. in fine. (*n*) 2 F. 6 & 7.

que quæ poſſibilia ſunt, in impoſſibilia. Jure noſtro ſcripto, forma ſacramenti, quo vaſſallus domino tenetur, quatuor continet. Primò, quòd fidelis domino ſuo & heredibus ejus erit in perpetuum. Secundò, quod fidele ei conſilium pro ingenii ſui modulo à Deo ſibi dato dabit. Tertiò, ſecreta ſive conſilia domini ſui reticebit, & non vulgabit. Quartò, ut firmas, reditus & utilitates ex feudo debitas bonâ fide, non minuendo quicquam eorum, illi ſolvat: ſacramentumque hoc, poſitis vaſſalli manibus inter domini manus, jurabitur.

5. Hodie apud pleraſque gentes brevior hæc eſt ſacramenti formula, nempe ut vaſſallus domino tantùm juret, *ſe ei fidelem futurum:* quæ licet ſit breviſſima, nempe quæ unâ voce *Fidelitatis* abſolvatur, tamen reliquas omnes comprehendere ſub ſe videtur. Nam qui in aliquo capite priorum peccat, contra fidem facere videtur; quæ ut ubique debet eſſe, certè potiſſimùm in feudis, & illa ſtrictiſſima inter dominum & vaſſallum, ſeu amicitia, ſeu obſervantia conſervanda. Apud nos (ut militaris illa feudorum natura penè exolevit, hodie & feudorum conceſſio in quæſtu & promercalis tantum eſt,) etiam & hujus ſacramenti memoria exolevit: nihilo tamen minus vaſſalli apud nos in fidelitatem, etiamſi non juraverint, tenentur.

6. Sed ut ad *Sacramenti* latiorem explicationem veniamus, duo ſunt quæ in hoc ſacramento requiruntur. Quædam ſunt quæ vaſſallo incumbunt, ut faciat; alia ſunt prohibitoria, à quibus faciendis prohibetur *(a)*. De prioribus primò dicemus. Primum itaque in vaſſallo quod requiritur eſt, ſi quid quocunque modo ſcierit aut intellexerit, in præjudicium vitæ domini ſui, aut amiſſionis membri, famæ, aut dignitatis, fieri aut machinari, obſtabit illi facto, & id omnibus viribus impediet; aut, ſi impedire nequiverit, domino revelabit & aperiet *(b)*. In quo capite multa explicanda reſtant; nam particula illa disjunctiva, alterius tantùm præſtationem requirit, nempe ut impediat, aut, ſi impedire non potuerit, ut domino detegat. Quòd ſi certò ſciat rem & machinationem illam, per ſe vel alium ita impeditam, ut omnino non ſit timenda, dominum de ea certiorare non tenetur: alioqui ſi ſciverit, & inſidias non aperuerit domino, & poſtea machinatio illa contra dominum eventum habuit, profectò à crimine non eſt alienus.

7. In ſecundo membro diſtinctionis, quòd domino periculum aperire vaſſallus tenetur, controverti ſolet, ſi vaſſallus quidem ſciverit, ſed teſtes non habuerit, aut aliunde legitimè probare non poterit, an illud detegere debeat? præſertim, cum etiam in cauſa læſæ majeſtatis, qui conſpirationem non poterit probare legitimè, neque detegere teneatur; cùm tot incommoda inde naſcantur, nempe & pœnæ falſæ accuſationis, & partium indignatio. Feudiſtæ tamen in contraria ſunt opinione, ut quoquo modo, etiamſi legitimis indiciis probare non poterit, domino detegere teneatur, ut dominus ſaltem ſibi caveat, vel altiùs inquirendi de ea conſpiratione occaſio ei præbeatur *(c)*. Neque tamen omnia conſilia, quæ contra dominum fiunt, detegere cogitur; ſed quæ contra vitam vel membrum ejus fiunt (quoniam eſt & ſemper fuit vitæ & membri par ratio) vel famam & dignitatem: nam ſi vaſſallus alicujus conſilii particeps fuit, ex quo in dominum infamia vergat, vel etiam ejus famam leviter tangat, contra juramenti formam peccat *(d)*.

8. Tertium eſt de *fortunis:* nam cum mutua inter dominum & vaſſallum obligatio intercedat, de utriuſque fortunis & ſervandis & promovendis, profectò vaſſallus ingratus æſtimabitur, ſi ei conſilio interſit, unde fortunarum domino periculum imminere poterit, & non impedierit, ſaltem domino non detexerit. Huic, ex altera parte, reſpondet prohibitiva pars, quâ vaſſallus prohibetur, *ſciens* & *prudens*, vel *conſilio* aſſiſtere, in eo actu, ubi damnum ſive læſio domino accidere poſſit; vel in ejus ſalute, vel vita, vel fama (quam nos *honorem* dicimus) vel in fortunis. *Sciens* & *prudens* adjicitur, cum excuſet ignorantia frequenter; quæ enim poteſt eſſe ejus pœna, qui ignorans quid quis facturus, eum comitatus fuerit in eum locum, ubi inimicus dominum incautum offenderit aut interfecerit? Sed in hoc caſu, quia factum aliquod vaſſalli intervenit, de ignorantia docere & probare debet, aut de facto

(a) Ut § 29. (b) 2 F. 24. § 2. & 2 F. 28. § Ad hoc, & 39. in fine. (c) d. 2 F. 24. § 2. (d) 2 F. 6.

ignarus non præſumetur, quaſi ipſe in aliqua ejus parte, ſive machinationis ſive actus ipſius fuerit: & proinde, licet in jure Civili nemo teneatur de conſilio niſi fraudulento; in jure tamen Feudali & de conſilio vaſſallus tenetur, in quod non conſenſerit, ſi illud non detexerit domino ſuo. Nam adeſſe vaſſallus domino ſuo debet, cum *conſilio* & *auxilio*: cum conſilio, ut fidele & optimum det domino, & ſecreta ejus non revelet; auxilio, in ſervitiis & obſequii præſtatione. Quod ad hæc tria attinet, *caput*, *famam*, & *fortunas*; hæc, inquam, tria paria ſemper apud omnes gentes habebantur: nam omnium bonorum metus non minor in jure æſtimatur, quàm vitæ, cum ex bonis noſtris vivere ſoleamus; & infamiæ metus, viris bonis major quàm mortis eſſe ſolet, cum ne vivere quidem cenſeamur, ſi famâ aut bonis deſtituamur. Et in his tribus omnibus, pari ratione, metus reſtitutionem in integrum producit; cui additur metus inſtrumentorum ſtatus, & eorum interverſionis. Itaque in his quatuor, viz. capite, fama, fortunis & inſtrumentis feudi avertendis, ſi vaſſallus quid peccaverit, contra fidem facit. Quod ad verba [*aliquo modo*] attinet, ea, ut vaſſalli fides ſit obſtrictior, adjecta ſunt: neque enim ſufficit vaſſallo, ut vita domini aut ejus fortunæ ſalvæ ſint tantùm curare; ſed etiam ne minimâ parte lædantur & offendantur.

9. Quod ad *auxilium vaſſalli* domino præſtandum attinet, *bona*, *vitam* & *dignitatem* domini vaſſallus tueri debet, & honeſtas operas ei præſtare; domino juſtis ex cauſis bellum inferenti, aut ex quacunque cauſa defendenti, aut defendere volenti, ſuppetias feret, & conſilio & auxilio ei aderit: illud intelligendum, etiamſi non fuerit requiſitus. Nam inter hoc genus ſervitii & alia ſervitia hoc intereſt, quòd in bellis operam debet etiam non requiſitus, cum ſciat ſe ob militare ſervitium feudum ſuum habere: nec domini bella aut inimicitiæ in obſcuro poſſunt eſſe: neque vaſſallus officio ſuo debito ſatisfacit, ſi non ubicunque dominum bellum habere contigerit, advolaverit *(a)*. Idem, ſi ſtatis diebus, aut certo anni tempore, ſervitia debeat; nam quæ ſtato tempore fiunt, ignorari non debent. Alia ſervitia, niſi requiſitus, præſtare non cogitur: nam priuſquam à domino evocetur, obtrudere ſe non tenetur, etiamſi longiſſimum temporis ſpatium interceſſerit. In jure Civili libertus (cujus officia, niſi quòd non ſint militaria, ſimillima ſunt ſervitiis, quæ à vaſſallo debentur) patrono neque operam, neque officium præſtare tenetur, niſi cum is poposcerit: *Abſurdum enim*, ait Caius *(b)*, *alio deberi ſervitium tempore*, *quàm quo is vellet*, *cui præſtandum eſt*.

10. Sed ut ad bella redeamus, vaſſallus domino, juſtum bellum inferenti, auxilio cum equis & armis adeſſe debet: defendenti autem ſe, quocunque modo, ſive jure ſive injuriâ aderit *(c)*; in cujus loci explanatione quædam difficultates oriuntur. Hottomannus, vir ſanè magni judicii, miris modis Oberto & Gerardo inſultat, quod vaſſallis licere volunt, quod nemini liceat: nam jure Civili, parenti, qui filium, & filio, qui parentem impium bellum gerentem interfecerit, præmium publicè decernitur: *Minimè* (inquit Marcellus *(d)*) *majores lugendum eum putaverunt*, *qui ad patriam delendam*, *& parentes & liberos interficiendos veniret*: quin ſi pater filium, & filius patrem occidiſſet, ſine ſcelere, etiam præmio afficiendum omnes putarunt. Sanè in hoc caſu & ego cum jure Civili & Hottomanno aſſentior, eum, qui ad patriam delendam, aut parentes & liberos occidendos veniret, ne à vaſſallo quidem ſuo juvandum: neque id unquam in animum Gerardus aut Obertus induxerunt: ſed odio, quod in jus feudorum apertè Hottomannus profitetur, paulo eum altius, quam par erat, evectum conſtat. Neque enim omnes injuſtitiæ pares ſunt, & qui patriam oppugnaverit, vel parentes aut liberos occiſurus venerit, graviore pœnâ puniendus, quàm qui de finibus agrorum, aut jure paſcendi (qualia apud nos pleraque, unde graves diſcordiæ & inimicitiæ oriuntur) cum vicinis contendit: itaque minore cum ſcelere, & leviore ſceleris pœnâ, hîc quàm illic peccatur. At Obertus & Gerardus aliter ſuam ſententiam explicarunt: nam differentiam ſingulari

(a) 2 F. 26. § Licet. (b) l. 22. pr. ff. de operis libertorum. (c) 2 F. 28. (d) l. 35. ff. de religioſ. & ſumpt. funerum.

lari judicio ponunt, dominus juſténe, an injuſtè bellum inferat alicui, an verò ſe defendat? rurſus in bellum inferente, ſi ſciatur, juſtúmne ſit illud bellum, an dubitetur? In defendendo autem domino vaſſallus fidelem operam præbebit; in offendendo alio, non niſi velit; & ſi noluerit, feudum non amittet.

Itaque ut totus locus explanatior ſit, & Obertus & Gerardus ab omni calumnia vindicentur, primò tenenda eſt hæc generalis propoſitio, vaſſallum in bello dominum juvare debere, tam in defendendo, quàm offendendo, quoties bellum eſt juſtum *(a)*. Idem de inimicitiis, ſive publicis ſive privatis: nam feudum propriè ob has privatas inimicitias ſuſtinendas ab initio conſtitutum fuit. Quòd ſi vaſſallus, dominum injuſto bello vexare vicinum, ſciverit, opem ferre non tenetur; & ita ſentiunt Gerardus & Obertus. Si dubitet vaſſallus, juſtum ſit bellum nécne, adhuc juvare dominum tenetur; non eſt enim ejus de bello, ſed domini ſui, judicium: neque enim hîc craſsa vaſſalli ignorantia eſt excuſanda, ſi illud neſciat quod omnes ſciunt. Neque diligentiam curioſam in vaſſallo omnino probo: nam, ut ait Auguſtinus, *Non eſt poteſtas niſi à Deo, vel jubente, vel ſinente: ergo vir juſtus* (ait ille) *etiamſi ſub Rege ſacrilego militet, rectè illo jubente bellare poteſt, ſi quod jubetur, contra Dei præceptum non eſſe certum eſt; vel, ſi ſit certum, tamen vaſſallo non ſit certum.* Itaque, ex Auguſtini ſententia, puto vaſſallum domino militantem, ſi certum ei non ſit; vel, ut ipſe textus loquitur, *ſi dubitaverit*, militiam ſuam contra Dei præceptum eſſe, non in eo peccare, ſi dominum juverit. Et in jure Civili, ſervo neceſſitas imponitur imperata domini exſequendi: ſed cum hac moderatione, ut ſi dominus facinus ei imperaverit, excuſetur *(b)*; in aliis verò, quæ atrocitatem criminis non habent, veluti, ſi leviter peccetur, excuſatio non admittatur *(c)*. Idem ego ad vaſſallos trahi poſſe puto, ſi omnino bellum injuſtum eſſe neſcierint, ſed dubitaverint, puto domino etiam bellum inferenti, & conſilio & auxilio adeſſe debere.

11. Quòd ſi dominus injuriam propulſaverit, i. e. ſi ſe defenderit, ſive id juſtè ſive injuriâ faciat, puto vaſſallum debere eum ex officio juvare *(d)*. Ratio duplex eſt: Quia defenſio eſt juris naturalis, itaque favorabilior; & quòd ex regulis univerſi juris conſtet, ſive illud ſit naturale, ſive gentium, ſive civile, vim vi repellere licere: nam ſi dominus injuriam alicui fecerit, jure & non bello remedium petendum; & niſi imperio magiſtratûs dominus invadatur, juſtè invadi non poteſt: contra magiſtratum autem armatum fortaſſe, ſententiam executioni mandantem, adeſſe auxilio non tenetur vaſſallus domino. Quòd ſi is qui injuriâ affectus eſt, bello juſto fortaſſe perſequi ſuas injurias ſtatuerit, vaſſallus domino ſe defendenti, quatenus in defenſione res conſiſtit, adeſſe non ſolùm poteſt, ſed debet *(e)*. Stipendiariis militibus, quamdiu ſtipendia merentur, non permittitur de factis ejus, à quo ſtipendia accipiunt, nimium diligenter inquirere; neque curioſos eſſe decet, etiamſi in injuſto bello militaverint. Cur non idem de vaſſallis ſentiemus, quorum feuda pro ſtipendiis ſunt? Et, ſi à domini cauſa tantopere abhorreant, leviter ſe, nempe refutato feudo, poſſunt liberare *(f)*. An verò quis ſoldarium militem, qui ſtipendia accipiat, de bello domini ſui, quòd injuſtum eſſet, querentem feret? Neque tamen domino, injuſtum bellum inferenti, ſubveniendum puto, ſi injuſtum eſſe omnes intelligant; alioqui quamdiu ſtipendium miles retinet, tamdiu militare cogendum; modò in craſſa ignorantia non ſit, illud nimirum ignorando, quod omnes intelligunt, & intelligere debent. Et hæc multorum eſt opinio, quam hoc loco Gerardus & Obertus per hæc verba *(g)* confirmant, [*Alii verò ſine diſtinctione ſemper debere vaſſallum juvare dominum putant.*]

12. Quid autem ſit juſtum bellum, licet propriè non ſit feudalis quæſtio, tamen Feudiſtæ, ne quid intactum relinquant, in hanc etiam inquirendam deſcenderunt, juſtum eſſe bellum definientes, quod a Principe, pro defenſione religionis, patriæ, propriæ perſonæ, aut pro repetitione rerum ſuarum, aut damni illati reparatione, ſuſcipitur, præeunte ſemper denunciatione; ſine qua, juſtum eſſe bellum, quæcun-

(a) 2 F. 28. pr. (b) l. 8 C. ad leg. Jul. de vi. (c) l. 2. C. de ſepulchro violato. (d) 2 F. 26. § 5. ibi, Licet. (e) d. loco. (f) 2 F. 38. (g) Textus, 2 F. 28. pr.

que cauſa præcedat, eſſe non poteſt, ut ait Livius. Dixi *à Principe :* nam à privata auctoritate non ſuſcipitur bellum, nec niſi cum ſuperioris auctoritate, ſi ſuperiorem habeat, & ejus copia haberi poſſit, aut res dilationem abſque præſenti periculo pati non poſſit. Defenſionem autem etiam ſine magiſtratûs auctoritate, cùm ſit juris naturalis vim vi repellere, quilibet ſuſcipere poteſt, ſive denunciaverit, ſive non. Itaque ex prædictis conſtat, vaſſallum domino contra patriam opem ferre non debere.

13. Contra alios omnes vaſſallus dominum juvare tenetur *(a)*, etiam contra fratrem ſuum, contra filium & contra patrem *(b) :* nam has omnes denominationes vaſſalli nomen prægravat, arctiuſque eſt hoc amicitiæ & fœderis vinculum, quàm ullum naturale ; cùm jura ſanguinis ſæpe aut inimicitiis non obſtent, aut etiam atrociùs exerceri faciant, ut nulla gravior inimicitia inter homines intervenire poſſit, quàm inter fratres contracta, neque majus odium quàm aliquando inter filium & patrem. Certè mos Romanorum erat, clientem in fidem receptum chariorem etiam propinquis, cognatis, affinibus aut aliâ quacunque neceſſitudine conjunctis habere ; nam ſi patronus clienti, aut cliens patrono fraudem fecerit, ejus caput *ſacrum Diti* erat, i. e. cuivis eum licebat tanquam fidei proditorem occidere. Quod autem de filio diximus, vaſſallus ejus etiam cauſam domino poſtponet : non ut filium bello perſequatur, ſed ut è familia ejiciat, aut ad dominum deducat, ut ei ſatisfaciat, ſi quam offenſam in dominum commiſerit, dominumque ei placare debet *(c)*. Contra parentem durum eſt, & putant non debere vaſſallum contra patrem dominum juvare, cùm Diis, parentibus, & præceptoribus, nunquam poſſit par referri gratia. Et hæc eſt communis opinio, licet textus manifeſtè etiam *contra patrem* habeat *(d)* : ſed de domino defendendo hoc intelligendum eſt, ſi pater eum perſequatur ; domini enim cauſa ſemper prior eſſe debet. Sanè ſi vaſſallus retinere mallet feudum, quàm pius eſſe in parentem, licitè, quamdiu feudum retinet, domino ſua jura ſervare debet : non enim ipſe vaſſallus videtur his obſequiis eſſe obnoxius, ſed ipſum feudum, quod ob officia ſimilia & præſtationes tenetur. Itaque ſi vaſſallus impius in parentem eſſe nolit, abdicare ſe feudo, & in domini manus refutare debet *(e)* ; alioqui leges naturaliter omni feudo inhærentes obſervare.

14. An autem contra ſeipſum dominum juvare teneatur ? Feudiſtæ quærunt. Dubitatio ex his verbis [*contra omnes (f)*] naſcitur : nam, qui omne dicit, nihil excipit. Sed facilis eſt ſolutio *(g) :* nam in omnibus pactis & conventionibus loquentis perſona in jure excipitur ; exempli causâ, ſi tibi promiſero caſtrum vel turrim contra omnes tueri, & tibi quando voles aperire ; & tu, poſtquam mortem meam machinatus es, mihi imperas, ut tibi caſtrum aperiam, non teneri me omnium Feudiſtarum ſententia eſt, ubi meum periculum verſatur.

15. De modo autem opis & auxilii, quod vaſſallus domino præſtare debet, ex jure *(h)* hæc ſunt quæ legimus. Cum equis & armis inſtructus eſſe debet, mandata domini exſequi paratus, in prælio ei adeſſe, ei ſuccurrere, etiamſi vitæ ſuæ periculum adeat ; nam vitam ſuam diſcrimini, pro domini vita & periculo, offerre debet. Si tamen in oculis certa mors ſit, cujus fugiendæ alioqui rationem non videat, eo caſu vitam ſuam vitæ domini præferet : quid enim ſi vaſſallus, poſtquam lethaliter, ſaltem graviter vulneratus, tum demum, nec ante diſceſſerit ? aut ſi dominum lethaliter vulneratum in acie, cùm idem ſibi immineret, ſicque non niſi ultimâ neceſſitate adductus reliquerit ? In his vaſſallus excuſatur, rebus tamen omnibus, arbitrio ipſius judicis, expendendis *(i)*.

16. Sed quæri poteſt, ſi per alium ſubſtitutum, ſeu vicarium, dominum in bello juvare poteſt ? Et melior pars tenet, dummodo hic ſubſtitutus, æquè idoneus & domino gratus ſit *(k)* ; fieri enim poteſt, ut hic ſubſtitutus tam ſit idoneus & habilis pugnæ : attamen cùm dominus ei conſilia ſua credere neceſſe habeat, & domino gratus eſſe debet. Sed non ſemper licet per ſubſtitutum ſervire, ſed tum tantùm

(*a*) 2 F. 7 (*b*) 2 F. 28. § fin. & 58. in fine, pr ubi dominus vaſſalli conjunx dicitur (*c*) 2 F. 55. § 2. (*d*) 2 F. 28. § Contra omnes. (*e*) 2 F. 38. (*f*) 2 F. 28. in fine. (*g*) l. 3. ff. de juſtitia & jure, l. 6. C. de ſervit. & aqua, l. 2. & 3. C. ad leg. Cornel. de ſicariis, & 2 F. 6 in fine. (*h*) 2 F. 7. 2 F. 26. § Licet, 2 F. 28. § Ad hoc, & 2 F. 54. (*i*) 2 F. 28. § Ad hoc. (*k*) 2 F. 55. § 1.

tùm cùm vaſſallus ipſe non poteſt *(a)*; veluti, ſi ſit fœmina in feudo fœmineo, aut ſi vaſſallus ſit pupillus, aut mancus & inhabilis, aut ſi fortè majoris dignitatis ſit quàm ipſe dominus. Idem, ſi inveſtituræ tenor ipſius vaſſalli præſentiam deſideret, aut publica utilitas ſuadeat; aut ſi forte ſit rerum bellicarum peritus, vel auctoritate & gratiâ inter milites polleat, aut ſi feudum de Rege teneatur: tunc enim per ſubſtitutum vaſſallus ſervire non poteſt. Univerſitas & Eccleſia, niſi per ſubſtitutum, ſervire non tenentur, neque poſſunt. *Contra* autem, ait textus *(b)*, *dominum antiquiorem non tenetur*; hic enim cæteris eſt præferendus: imò omnes domini antiquiores domino feudi immediato ſunt præferendi à vaſſallo. Ratio eſt, quoniam eorum beneficium ab initio fuit, & adhuc manet, neque jus ſui beneficii, à quocunque vaſſallo, denegandum eſt ſuperiori domino, etiamſi ad mille manus penetraverit; ſemper enim cum onere primi domini tranſit. Itaque, ut quiſque dominorum prior eſt, ita à vaſſallo eſt obſervandus: proinde Rex omnibus præfertur, cùm omnia feuda de eo teneantur; præcipuè in vaſſallis ligiis, qui ſuum dominum ligium, adverſus omnes ſine exceptione, tueri & defendere debent indiſtinctè, etiam contra parentes, liberos, multò magis adverſus propinquos & affines. Sunt qui exceptiones adjiciunt; nempe, quòd vaſſallus dominum non teneatur defendere adverſus ſeipſum *(c)*, aut patriam ſuam. Sed exceptio hæc, quatenus patriam reſpicit, eſt ponderanda: nam vaſſallus ligius omnia bona ſua & perſonam domini jurisdictioni ſubjicit, & proinde in quæſtione patriæ non eſt vaſſalli cognitio. Itaque donec cognoſcatur ab eis ad quos cognitio pertinet, puto ſerviendum domino: adeò autem, poſthabitis parentibus & liberis, domino ligio ſervire tenetur vaſſallus, ut licet in periculo ante ſint conſtituti domini inferiores, omnes relinquere teneatur vaſſallus, & ad dominum ligium recurrere. Quanquam etiam in hoc caſu ſunt qui moderationem hanc exigunt, ſi liberi vel parentes remp. Chriſtianam oppugnant, tum demum dominis adverſus eos auxilium ferendum: nos tamen, cum meliore parte Feudiſtarum, priorem ſententiam tenemus. Si de antiquiore domino dubitetur, (quod rarò fit, cùm nemo conditionem feudi ſui ignorare præſumatur,) quidam neutri vaſſallum opitulari debere putant, alii primo interpellanti, alii uni per ſe, alteri per ſubſtitutum, nonnulli vaſſallo electionem cui ſervire velit permittunt: quorum opiniones Schonetus habet. Poſt Regem Capitanei regni locum habent (quos nos *Proceres* ſeu *Dominos Parliamenti* dicimus) ſi de eis mediatè feudum teneatur; nempe, ut illius, niſi publica ſit cauſa, ſubſidio vaſſallus veniat, relicto domino ſuo immediato: nec vaſſallo valvaſſor fidem ſervare, domino neglecto primo, debet; & ut quiſque gradu prior in beneficio eſt, ei primus honos & prima officia debentur, etiam offenſo inferiori domino. Itaque ſemper in obſequiis militaribus, antiquioris domini perſona excipienda eſt; & ſi expreſsè non excipiatur, tamen expreſſa præſumitur & intelligitur *(d)*. Neque ſolùm perſona excepta prioris & antiquioris domini videtur, ita ut domino immediato opem ferre contra eum non debeat; ſed etiam dominum immediatum vaſſallus relinquere tenetur, ut ſuperiori domino auxilio ſit: & ſi inter dominos inimicitiæ ſint & dimicationes, ſuperiorem dominum contra inferiorem, licet ſuum immediatum dominum à quo feudum habet, juvare tenetur. Ratio eſt, quoniam feudum affectum creditur, & antiquior dominus ſemper in beneficio prior, ut dixi.

17. Si verò vaſſallus plures dominos habuerit inter ſe armis contendentes, qui æquiorem cauſam armorum habet, eum juvabit; ſi de æquitate non conſtiterit, antiquiorem. Si Rex & Baro, de quo vaſſallus tenet, ſua quiſque bella habeant, non ſolùm vaſſallus, relicto ſuo domino, verùm etiam ipſe dominus, ſive Baro, negletis ſuis injuriis, ad Regem recurret: reſpublica enim & ejus utilitas omnibus rebus eſt præferenda. Quòd ſi dominus fuerit proſcriptus, rebellis, aut excommunicatus, vaſſallus ab omni ſervitio militari liber eſt, quamdiu his vinculis dominus ſubjacet: ſi ipſe tamen vaſſallus proſcriptus aut rebellis fuerit factus, non minùs dominus ſervitia ab eo exiget, ut ſaltem per vicarium ſerviat. Quòd ſi in ſtatu rebellionis per annum & diem remanſerit, cùm à vaſſallo exigere ſervitia non poſſit, u-

(a) 2 F. 26. § 5. (b) 2 F. 28. ibi, Contra omnes. (c) Vid. § 14. (d) 2 F. 28. in fine.

ſusfructus feudi non ad Regem, (licet alioqui inter Regalia numerentur omnes mulctarum pœnæ,) ſed ad dominum, ob contumaciam vaſſalli, devolvitur *(a)*: unde dominus, durante vitâ vaſſalli, ſervitia exigere poſſit, fructuſque, ex quorum proventu alium ſervientem ſubſtituere poteſt, colligere. Et ſumma hæc cum ratione apud nos ſunt introducta.

18. Debet etiam vaſſallus præſentiam ſuam in curiis domini ſui, neque ab eis abeſſe, alioqui mulctandus. In omnibus honorem ſui domini intactum & illibatum conſervare debet, reſervato Regio ſervitio. Comitari etiam dominum debet, non ſolùm intra diſtrictum, ſed etiam extra eum, quoties domini vel periculum in vita, in honore, aut fortunis urgeat. Si Imperator Romam proficiſcatur ad imperii coronam accipiendam, (ſolent enim ibi Imperatores coronâ aureâ inaugurari; Aquiſgrani, ferreâ; Mediolani, argenteâ, Capitaneique regni eum ſequuntur,) vaſſalli dominos ſequentur: alioqui dimidium fructus illius anni præſtabunt domino *(b)*. Hæc ſervitia, ſi certa non ſint, ex continua præſtatione præſumuntur, & moderata debent præſtari. Si plures ſint vaſſalli heredes, & feudum ſit dividuum, ſinguli tenentur pro ſua virili parte *(c)*: ſi individuum, ſinguli in ſolidum tenentur, cùm ſit factum indiviſibile; ita tamen, ut ſi uni vaſſallo ſucceſſerint, per unum ſubſtitutum ſervire poſſint. Et ſemper, ſi de ſervitii vel qualitate vel quantitate quæſtio fuerit, ea per inquiſitionem terminabitur, per Pares in curia domini. Si plures ſint domini heredes, & feudum ſit diviſibile, pro portionibus hereditariis ſerviunt. Si ſervitia diviſionem non admittant, variæ ſunt Feudiſtarum opiniones, alii primo interpellanti, alii cuilibet, multi uni ex multis eligendo; ſi eligere diſtulerint, nulli ſervitia præſtanda cenſent. Nos hac moleſtiâ liberamur; nam apud nos feudum non eſt diviſum quoad dominium directum, ſed tantùm ad unum pertinet.

19. Ubi autem vaſſallus dominum juvare, quòve eum comitari debeat? quæſtio eſt. In cujus ſolutione primò pacta feudalia, & conditiones feudi inſpiciendæ; ſi quid in eis de hoc genere ſervitii contineatur expreſsè: ſi nihil inde appareat, hac diſtinctione utemur, ut vaſſallus ad curiam domini venire, & eum comitari debeat. Quòd ſi dominus in loco non valde remoto à ſuo territorio bellum gerat, (quis enim locus remotus, quis vicinus, arbitrio judicis permittitur,) aut ſi dominus ſua prædia longè diſſita defendit, aut antiqua per vim ei ablata repetit, multi putant & in his caſibus etiam extra territorium domino bellum gerenti opitulari debere vaſſallum; non, ſi aliena, aut nova opera aut oppugnationes aggrediatur, in quo caſu vaſſallus dominum juvare non tenetur, niſi vel loci vel majorum conſuetudo vaſſallum obliget.

20. Quæſtio tamen manet, cujus ſumptibus dominum debeat juvare? Et ſanè, niſi id in inveſtitura contineatur, ſi feudum ſit tenue, & quod ſumptibus non ſufficiat, vaſſallus domini ſumptibus ſerviet *(d)*; in publicis autem regni negotiis, veluti, ſi Imperator ad coronam petendam Romam proficiſcatur, aut publicum bellum gerat, ſuis ſumptibus: unde & mos noſter, ut vaſſallus ſuis ſumptibus & ſine ſtipendio ſerviat. Quanto tempore debeat ſuis ſumptibus inſervire, non minor eſt quæſtio. Sed hoc & ex uſu quotidiano & etiam jure conſtat, vaſſallum domino bellum gerenti debere ſuis ſumptibus inſervire per quadraginta dies; unde & noſtræ proclamationes emanarunt, ut quilibet ad tutelam & defenſionem regni cum viatico quadraginta dierum ad locum præſcriptum adſit. Inter vetuſtiſſimos juris Feudalis aphoriſmos reperio, vaſſallum debere domino ſervire ſuis impenſis per ſex ſeptimanas: nam tum ſtipendia militaria in uſu non erant, ſed Reges per vaſſallos ſuos ligios tantùm bella gerebant, vaſſallique dominis pro feudis ſuis ſerviebant, quemadmodum adhuc in Gallia, qui ſunt ex *Ban* & *Arrierban* ſervire tenentur. Sed cùm genus hoc ſervitii pluribus incommodis apud Gallos eſſet obnoxium, neque ſemper in tempore opportuno occurrerent, primum tributa indicta ſunt populo, ut in perpetuis belli periculis legiones præſto eſſent in locis opportunis: rariora hæc apud Anglos

(a) Per cap. 32. Parl. 4. Jac. V. Vid. D. 9. § 26. (b) 2 F. 40. ibi, Similiter, & 54. ibi, Ut autem. (c) 2 F. 77. & l. 85. § 1. ff. de V. O. (d) 2 F. 107. & l. 18. ff. de operis libertorum.

glos tributa; apud nos nulla: itaque vaſſallorum opera in bello per 40 dies uti ſolemus, ſine ſtipendiario milite *(a)*.

21. Si vaſſallus, propriis ſumptibus ſerviens, equos & arma amiſerit, an à domino repetet? quæri poteſt. Sed negant omnes, cùm ſuo periculo ſerviat: quòd ſi dominus extra territorium ſine juſta & honeſta cauſa vagari cœperit, nullo modo vaſſallus eum ſequi tenetur *(b)*. Et hæc eſt Feudiſtarum communis opinio, quo jure nos utimur.

22. Dominum in filia primogenita elocanda opibus juvare tenetur, & etiam ut ejus primogenitus equeſtri dignitate decoretur, & pro his duobus dominus pecuniarum opem exigere poteſt, & pro ea vaſſallum diſtringere. Unde, ſi nuſquam aliàs, prima hæc feudorum initia, & mores à Septentrionalibus gentibus defluxiſſe, cuivis conſtare poteſt: nam & hic mos apud omnes ferè Boreales regiones adhuc obſervatur, ut dominus pro omnibus filiabus elocandis vaſſallos gravare poſſit. Sanè juſta hæc cauſa; inde inolevit, ut Reges pro filiabus elocandis poſſint populum tributo gravare. Apud nos, in legibus noſtris antiquioribus ſcriptis, hoc jus domini in vaſſallum expreſsè continetur; ſed in primogenita limitatur, ut hoc pecuniarum ſubſidium, non ante decimum quintum annum exigatur: imò hoc cavetur, ut ſi dominus à vaſſallis ſuis opem pecuniariam exegerit, & filia innupta deceſſerit, eum ejuſque heredem, tanquam de ære alieno teneri, vaſſalliſque actionem pro ea repetenda competere; aut ſi, eo decedente, filia innupta permanſerit, filia adverſus patris heredes & executores actionem pro eis ſummis recuperandis habeat, quod in aliis liberis locum non habet *(c)*. Mos autem hic, ut dominus ſubſidium à ſuis pro filia elocanda exigere poſſit, adhuc apud Montanos noſtros manet; imò, ut vult Speculator, vaſſallus etiam in domini filia elocanda, etiamſi ſpuria ſit, contribuere tenetur, cùm ei alimenta ex jure debeantur, & dos pro alimentis ſit: ſed id puto intelligendum, ſi legitimam non habuerit.

23. In relevio pro ſua terra ſolvendo *(d)*, poſt expletam cuſtodiam, vaſſallus dominum juvare tenetur *(e)*. Ratio eſt, quia dominus, cùm in cuſtodia eſſet, nihil niſi mera alimenta habuit; & poſt expletam cuſtodiam, cùm in initio ingreſsûs ſui ad ſuum feudum domino ſolvendum eſt relevium, nec habeat unde ſolvat, à vaſſallo in hoc caſu juvandus eſt, cùm ſe ipſe ſine ſua culpa juvare non poſſit. In aliis dominum pecuniâ juvare non tenetur vaſſallus, licet ſint, qui dominum captum in bello, quod ſine ſua culpa contraxerat, à vaſſallo, ut redimatur ab hoſtibus, juvari putant debere.

24. Noſtri autem juris antiqui ſcriptores altiùs in hæc ſubſidia penetrârunt, ut modum etiam ſubſidii circumſcriberent *(f)*, ne domino ultra æquitatem in vaſſallos debacchari liceat, nempe, ut in ſingulis libratis terrarum (*libratas* voco, quarum reditus viginti ſolidis æſtimatur ab iis qui inquiſitionibus adſunt) quinque ſolidi debeantur, i. e. quarta pars fructuum; ſed uſus ulteriùs permiſit: at hodie penè arbitrarium eſt, nec fortaſſe eò minùs, cùm quilibet tenentium ſive vaſſallorum, ut grati animi in dominum ſignificationem exhibeant, inter ſe certent aliquando, qui potiores & priores in his officiis aut ope contribuenda ſint. In alia ſubſidia pecuniaria vaſſallus domino non tenetur, neque dominum inopem alere, niſi in his tribus caſibus: primò, ſi ex facto vaſſalli in inopiam inciderit; ſecundò, ſi vaſſallo liberalior & benignior, quàm par erat, fuerit; tertiò, ſi feudum ſit adeò opulentum, ut utrique ſufficiat: licet etiam in his plerique diſſentiant, & aliquando pro domino ex carcere redimendo *(g)*, ſi fortè ob debitum ibi detineatur, vaſſallus fidejuſſorem ſe ſupponere tenebatur, ita tamen ut debitum unius anni fructus & utilitatem non excedat: quia tamen innumeræ fraudes à dominis in vaſſallos prætendi poterant, communi omnium gentium conſenſu exolevit: dominum autem, ſi causâ feudi in bello captus fuerit, juvare pecuniâ tenetur; non, ſi dominus ſtipendia meruerit. Agri fines vaſſallus domino monſtrabit, ſi ſciat: quòd ſi probabiliter ignoret, fortè quòd

(*a*) Vid. infra notata ad § 36. (*b*) 2 F. 107. (*c*) Lib. 2. cap. 73. § 2 & 5. & 2 Stat. Rob. I. cap. 18. (*d*) De quo infra D. 20. § 30. (*e*) d. lib. 2. cap. 73. pr. Reg. Majeſt. & cap. 19. § 2. Stat. Rob. III. (*f*) Lib 2. cap. 71. Reg. Majeſt. (*g*) 2 F. 24. § 2. ibi, Item ſi delator.

non ita pridem jus feudi acceperit, dominus ei monſtrare tenetur; alioqui vaſſalli ignorantia ſuo ſacramento permittetur: idem in inveſtituræ inſtrumento. Hoſtes domini ſui per ſuos fines tranſitu, per ſe & ſuos, quantum poteſt, arcebit vaſſallus; hoſpitio aut comitatu non juvabit.

25. Feudum ipſum, ſive fundum in feudum datum, ita colere tenetur, ut ejus qualitas & conditio deterior non reddatur: neque enim abuti, aut illud deteriorare, vel alienare poteſt; feudi enim uſus ei tantùm permittitur, & omnis adminiſtratio, quæ feudum vel in eodem ſtatu ſervet, vel in meliorem redigat *(a)*. Itaque & ab Jacobo IV. *(b)* & Jacobo V. ejus filio, prudentibus Principibus, in omnibus feudorum conceſſionibus, expreſsè cautum videmus, ut feudum datum exornent ædibus ad hoſpites recipiendos idoneis, arboribus ſerendis incumbant & agrorum culturæ, ſilvis parcant, niſi quatenus ad uſum neceſſarium par erit; aut arbores fructiferas plantent *(c)*: unde illa continuò per tot annos agitata actio de feudo de Kincavel, inter Robertum Crichtoun de Innernetie, & Bonerum de Roſſy, nullam aliam originem habuit, niſi quòd alter ſilvarum deteriorationem & proinde feudi amiſſionem prætendiſſet; alter in integro ſtatu, & tum & antea fuiſſe aſſeverâſſet. Utcunque eſt, conſtat ex ejus actionis eventu, legitimam cauſam feudi emphyteutici amittendi fuiſſe fundi & ſilvarum quæ in fundo erant deteriorationem. Itaque vaſſallus ab eis arboribus, quæ aut ornamento aut munimento, hortis, domibus, aut agris ſunt, abſtinere debet, & præcipuè ne fructiferas arbores cædat, niſi ſeneſcentes; & tum tot aut plures in earum locum ſubſtituet.

26. Subditos ſuos vaſſallus comiter tractabit, neque in eos durus erit, imperando onera gravia & inſolita *(d)*. Extat enim apud Gallos edictum Ludovici XII. ne quis dominus ſuos vaſſallos aut ſubditos vexet, aut plus verò debito ab eis exigat, ſub gravi pœna; quòd ſi dominio ſuo abutetur, facit ſe indignum ut dominetur: itaque juſte ejus ſubditi apud dominum ſuperiorem querentur, ſi indignis modis à ſuo domino, vaſſallo ejus, apud quem querimoniam inſtituunt, haberi & tractari ſe dicant. Et hæc erant ſeminaria illius diuturni & cruentiſſimi belli inter Francum & Anglum: nam cùm Anglus in Gallia, Normaniam, Aquitaniam, Andes, Pictones, & pleraſque alias provincias de Gallo in feudo teneret, Francus in quamcunque rei gerendæ occaſionem intentus, ubi opportunitas adminiſtrabatur, & ſucceſsus alicujus majoris ſpes eſſet, telum illud in Anglum nunquam vibrare deſtitit, nempe ſuppoſitis quibuſdam Angli vaſſallis, qui de injuria ſibi à domino ſuo Anglo illata, ad dominum ſuperiorem, nempe Francum, quererentur. Hinc à Franco dies Anglo tanquam feudatario & vaſſallo ſuo dicebatur, ut ad eum compareret, ad ſubditorum ſuorum querimonias reſponſurus: & ſi is ad diem præſtitutum non adveniſſet, ſeu venire contempſiſſet, ſententia pro Franco ferebatur, Anglum ab omni jure quod in eis terris habebat cecidiſſe, terraſque illas in dominium regni Francorum recidiſſe: quam ſententiam dum Francus executioni mandat, & armis ſibi poſſeſſionem arrogat; Anglus contrà vi & armis poſſeſſiones retinere tenderet, infinitæ clades utramque gentem pervaſerunt. Eadem cauſa fuit perpetui hujus belli, quod noſtrâ ætate inter Hiſpaniarum Regem & Belgas continuatum eſt.

27. De vaſſallo autem univerſitatis dubitari poteſt, quòd hic non ſit vaſſallus ſingulorum, ſed univerſitatis, nec ſingulis ex univerſitate, ſed ſoli adminiſtratori obligetur *(e)*; itaque ſingulos offendere ſine periculo feudi poteſt, dummodo univerſitatem aut ejus adminiſtratorem non offendat: nam in univerſitate (quæ res incorporalis eſt, licet corpus repræſentet) vaſſallus, ut ab adminiſtratore inveſtituram petit, ſic ei reverentiam & obſequia cum officiis præſtare debet. Sed de hac quæſtione plura in Diegeſi ſequente.

28. Sunt & pleraque alia officia, quæ à vaſſallo domino debentur, quæ tamen omnia Hottomannus quatuor capitibus comprehendit: Primum, ut vaſſallus juret ſe domini ſui caput & fortunas, contra omnes, etiam fratrem & filium, & denique contra

(*a*) 2 F. 8. § 1. arg. Auth. Qui rem, C. de ſacroſanct. Eccleſ. & l. 2. ff. Si uſufr. peta. (*b*) Imò à Jac. II. (*c*) Cap. 80. Parl. 14. Jac. II. cap. 74. Parl. 6. Jac. IV. cap. 10. Parl. 4. Jac. V. (*d*) Lib. 3. D. 5. § 18. (*e*) l. 10. § 4. ff. de in jus vocando, juncta l. 7 § 1. quod cujuſque univerſit. nom.

contra patrem defenſurum, excepto ſuperiore patrono *(a)*; ſecundum, ut alterutro, ſive patrono ſive vaſſallo, decedente, juramentum renovetur *(b)*; tertium, ut quoties patronus poſcat, præſto ſit vaſſallus cum armis & equis, ſed non niſi requiratur *(c)*; quartum, quòd in patronum teſtimonium dicere non poſſit *(d)*. Sed hæc quatuor omnibus non ſatisfaciunt: nam non tantùm caput & fortunas domini, ſed etiam dignitatem vaſſallus tueri tenetur; nec tantùm ei adeſſe cùm requiſitus fuerit, ſed etiam ſi evidens periculum immineat, etiam non requiſitus *(e)*.

29. Ad noſtra ut redeamus, hæc ſunt quæ vaſſallus domino tenetur facere, quæ propoſuimus *(f)*. Prohibitoria verò, i. e. à quibus faciendis vaſſallus prohibetur, multa etiam ſunt: nam vaſſallus ex jure Feudali ſervitutem feudo imponere non poteſt, in præjudicium domini ſui, niſi forte durante vitâ ſuâ *(g)*. Hæc enim ſervitus cum morte vaſſalli extinguitur, non obſtante quacunque præſcriptione, niſi fortè dominus, cùm ſciret ſervitutem impoſitam, non prohibuiſſet. Noſtro autem uſu, quamdiu vaſſallus, aut ejus heredes, aut ei aliquis particularis ſucceſſor, feudo fruitur, ſervitutem valere putamus: ſi tamen, ob culpam vaſſalli, feudum ad dominum revertatur, ſive (ut forum loquitur) in forisfacturam cadat; omnes alienationes, ſervitutum impoſitiones, aliaque onera realia, ſive gravamina, quibus ſine domini prioris conſenſu gravatum feudum eſt, dominus ea omnia meritò ignorabit: nec ad ea, ſi feudum reverſum fuerit, tenebitur; tale enim reverti debet, quale ab eo receſſerat: idem ſi feudum in cuſtodia fuerit *(h)*.

30. Vaſſallus autem dominum in jus non vocabit, niſi veniâ impetratâ *(i)*; neque dominum fidejuſſione gravare, de indemnitate perſonæ, poteſt: teſtimonium contra eum non dicet *(k)*; neque contra dominum ullam famoſam actionem intentabit *(l)*, i. e. talem actionem quæ infamiam irrogat, ſi condemnatio ſequatur; nos *famam ejus tangere* dicimus: imò, quod huic proximum eſt, neque contra dominum actionem *unde vi* (nos *ejectionem* dicimus) neque actionem *vi bonorum raptorum*, quam *ſpoliationem* vocant, contra eum perſequi poterit: (utraque enim actio famæ dominicæ præjudicium adfert:) ſed tantùm actionem ſimplicem in factum jus Feudale ei permittit *(m)*, & litis victor, non quanti rem juramento æſtimaverit, ſententiam contra dominum feret, ſed tantum quantum probare poſſit. Sed in hoc uno jus commune cum jure noſtro non convenit, & ratio pro nobis ſtat, cùm in interdicto *unde vi*, bonorum æſtimatio omnino improbabilis eſt, niſi probatio ex ſacramento læſi ſive ſpoliati, aut ejus qui injuriam paſſus eſt, ſumatur: in his ſi vaſſallus quicquam peccaverit, non ſolum fidem fregiſſe dicetur, ſed etiam à feudo cadit, niſi fortè, vel in ſe tuendo vel defendendo, aut mandato Regis ſive juſtitiæ imperantis, fecerit. Hæc ſunt quæ vaſſallus in præjudicium domini facere prohibetur, ut neque feudum alienare invito domino poteſt. Sed de his poſtea, in eo titulo qui *De amiſſione feudi* inſcribitur, dicemus: nam multa ab eo titulo, quæ ad præſentis quæſtionis explicationem pertinent, peti poſſunt, & rurſus ex hoc, quæ ad illius elucidationem ſpectant, ſunt repetenda.

31. Diſputat Hottomannus, an hujus perpetui ſervitii, à ſe & poſteris ſuis exigendi, obligatio ex jure Civili ſtare poterit, nécne? Rationem dubitandi adducit, quòd ea pacta, per quæ jus libertatis imminuitur, non valeant; veluti, ſi quis paciſcatur, ut in illa civitate domicilium perpetuum habeas, aut ne à monumento recedas: nam non multum à ſervientium ſpecie differunt, quibus recedendi poteſtas non conceditur. Præterea, cùm nemo pro parte liber, pro parte ſervus eſſe poſſit, videtur hoc ſervitii genus, non ſolùm cum jure, ſed etiam cum ratione pugnare; ſed quia vaſſallus perpetuas operas non debet, ſed tantùm vel ſtatas, vel cùm rogatus & requiſitus fuerit, operas præſtat, ſimilis in hoc caſu ſervo non eſt æſtimandus; ad has enim operas quilibet liber homo ſe ſponte ſuâ poteſt obligare: & quoniam non magis vaſſallus domino, quam dominus vaſſallo, in mutua officia, dummodo

(a) 2 F. 28. § fin. (b) 2 F. 24. pr. & 40. pr. (c) 1 F. 5. pr. & 2 F. 37. § 1. (d) 2 F. 33. § 1. ibi, Similiter. (e) 2 F. 26. § 5. ibi, Licet. (f) § 6. (g) 2 F. 8. ibi, Rei autem. (h) 2 F 8. in fine pr. (i) l. 13. ff. de in jus vocan. (k) 2 F. 33. § 1. ibi, Similiter. (l) 2 F. 23. ibi, Quomodo, 2 F. 22. ibi, Salva reverentia. (m) l. 11. § 1. ff. de dolo malo.

requiratur, tenetur, nulla hæc eſt ſervitutis ſpecies, ſed potiùs mutuæ gratiæ & benevolentiæ vinculum.

32. Sunt tamen quidam caſus, in quibus vaſſallus ab officio excuſatur; veluti, ſi feudum ſuum ante neceſſitatem ſervitii aut officii refutaverit *(a)*; (de hac refutatione poſtea ſuo loco *(b)*:) aut ſi ſine ſua culpa feudum non poſſederit, neque enim ſumptus niſi ex ipſo feudo poſſunt præſtari, quo ſi careat, niſi occaſionem præbuit, æquitas ſumptus ab eo non exiget. Idem, ſi ſumptus belli pro parte ſua jam præſtiterit. Sic exculatur vaſſallus, ſi ſervitia ob præſentiſſimum vitæ ſuæ, aut eorum quæ in pari gradu cum vita ſunt, periculum, non præſtiterit; aut, ſi præſtita fuiſſent, non tamen profuiſſent.

33. Jam ad eas obligationes, in quas dominus vaſſallo tenetur, accedamus: nam in omnibus dominus vaſſallo ſuo operam mutuam reddere tenetur, & ut vaſſallus ob culpam perdit feudum, ſic dominus dominium directum, quod ad ejus ſuperiorem devolvitur *(c)*. Certum enim eſt dominos etiam vaſſallis ſuis obligari, quoque antiquior eſt dominus, eò magis obligatur & tenetur: nam & Rex in multis ſubditis ſuis obligatur, quòd populum ſibi à Deo commiſſum, ſecundum Divini verbi mandata, legeſque regni Dei verbo non adverſantes, regat, & gubernet; à ſubditis vim, injuriam & omne genus oppreſſionis, propulſet; judicia ſine corruptione exerceri curabit; quòd unumquemque in ſuo ordine & dignitate ſe habiturum jurabit. Sciendum enim eſt, mutua hæc eſſe officia inter dominum & vaſſallum, & quòd in omnibus dominus vaſſallo teneatur, in quibus vaſſallus domino, niſi quòd dominus, ut dixi *(d)*, jurare non teneatur; neque enim honorem, ut vocant, aut reverentiam, quam vaſſallus domino, exhibere tenetur. Nam vaſſallus hoc reverentiæ domino debet, ut ejus non jurati fidem ſequatur: ſic dominus vaſſallo ſui dominii titulum oſtendere non tenetur, niſi evidens vaſſalli periculum, in quod ſe non volens conjecerat, ex ſubtractione ſequatur. Neque dominus minùs obligatur, aut minùs punietur, ſi peccaverit, quàm vaſſallus: in reliquis enim paritas officiorum eſt, & vaſſallo dominus tenetur ratione dominii, aut ſuperioritatis, eodem modo quo vaſſallus tenetur domino ratione hominii, niſi, ut jus noſtrum ſcriptum vult, quod ad honores & reverentiam attinet. Nam ſemper honorare & revereri dominum vaſſallus tenetur, ſed dominus non contrà vaſſallum: itaque dominus defendet in omnibus, & tuebitur vaſſallum, contra omnes, niſi contra dominos ſuos ſuperiores: hi enim, ut dixi *(e)*, ſemper ſunt præferendi: ſic patria, & parens; non autem filius, aut frater. Quòd ſi plures vaſſallos habeat inter ſe contendentes, aut rem coram ſe judicio tractari faciet, aut, quiete utrique parti imperatâ, prudentiores conſulet, utrius cauſa juſtior erit, eumque adverſus adverſarium tuebitur. Si de æquitate cauſæ dubium ſit, antiquiorem vaſſallum tuebitur: nam is prior eſt, cum quo fidei vinculum primum contractum eſt. Sic confinia feudi dominus vaſſallo oſtendet: actionem injuriarum contra eum, qui vaſſallo injuriam intulit, etiam ſuo nomine habet.

34. Dominus etiam ſuperioritatem ſemper debet adire, ut vaſſallus de eo teneat; alioqui in fructus vaſſallo tenebitur, quibus vaſſallus ex ejus facto fraudatus eſt, niſi dominus, poſtquam monitus eſt, (nam monitio ſemper apud nos debet præcedere *(f)*,) diligentiam ſuam præſtiterit, aut fortè juſta ex cauſa impeditus fuerit; (veluti, per peſtem in ea urbe in qua deſerviri debet,) aut ipſe in warda fuerit, & ante legitimam ætatem 21 annorum intrare non poſſit. Matris conjuncta infeudatio antea impedimentum erat, ne filius poſſet adire ſuperioritatem: hodie non eſt; nam conjuncta inveſtitura hodie in nudum uſumfructum reſolvitur. Si ſuperior, monitus ut vaſſallum inveſtiat, antequam fecerit moriatur, ejus heres ex eodem præcepto cogi poteſt, ut vaſſallum intret; quia præceptum generaliter dirigitur.

Si dominus ſuperior, veluti regalitatis, ſit extra regnum, & monitus fuerit per 60 dierum ſummonitionem; viſâ hac ſummonitione, Senatus mandare poterit judici ordi-

(*a*) 2 F. 38. (*b*) Lib. 3. D. 1. § 6. (*c*) 2 F. 6. 2 F. 26. § Domino. (*d*) § 1. (*e*) § 16. (*f*) Cap. 38. Parl. 7. Jac. III.

ordinario, ut vaſſallum deſerviri curet, & vaſſallus adibit, ſive (ut nos loquimur) intrabit, per Cancellariam.

35. Neque dominus directum dominium à ſe alienare aut transferre in alium invito vaſſallo poteſt; quia intereſt vaſſalli, non mutari ex quacunque cauſa dominos, niſi ejus conſenſus accedat *(a)*. Hæc ratio eſt, cur nec Princeps, invitis civibus, civitatem alienare poſſit. Quod de domino alienante ſuperioritatem diximus, hoc temperandum eſt, ut id non poſſe credatur, niſi totum feudum vendat cum curia aut juriſdictione *(b)*, aut (ut nos ſolemus loqui) niſi totam baroniam vendat. Ratio hæc datur, non tantùm quòd vaſſallus feudum alienare non poſſit; neque enim paribus vinculis ſemper aſtringuntur vaſſallus & dominus; ſed multò magis quòd plures ſuperiores habere, difficilius jus feudi vaſſallo faciat, pluribuſque incommodis cuſtodiarum & non introitûs obnoxium. Itaque per ſe, in jure non poteſt dominus alienare ſuperioritatem ſuam: cum univerſitate poteſt; multa enim ſunt, quæ per ſe non ritè tranſeunt, quæ tamen cum univerſitate commodè tranſire poſſunt, qualia ſunt ſuperioritates ſive dominia directa, juriſdictiones, advocationes beneficiorum, ſeu jura patronatûs, quæ per ſe hereditariè vix conceduntur, niſi alicui alii rei ſint annexa, & ſi quæ alia ſint privilegia realia. Noſtro jure, alienationem ſuperioritatis permittimus dominis, dummodo vaſſalli conditio in ea non ſit deterior, i. e. dummodo alium ſuperiorem non interpoſuerit inter ſe & vaſſallum; & hoc caſu alienatio prohibetur, ne multiplicatis dominis, in quorum omnium ſervitia vaſſallus tenetur, duriores fiant vaſſalli partes.

36. Poteſt etiam dominus vaſſallos ſeu ſubditos gravare, ut ſe juvent in exercitu Regis, pro rep. non ſi quando ſtipendia capit, ſed quando ſtipendia ceſſant *(c)*. Galli *Ban* & *Arrierban* vocant. *Ban* enim indictus eſt exercitus conveniendi, i. e. ſervitium ordinarium exercitûs exigendi: *Arrierban* eſt extraordinarium, ſi quando reipubl. neceſſitas exigit: hodie tamen confunduntur. Si vaſſallus non reſpondeat ad debita ſubſidia ſive ſervitia, dominus feudum *inter ſuas manus* (ut loquuntur) capere poteſt: quod hoc modo apud Gallos fit; nempe, Ballivus vaſſalli pignora capit, ea tribus Sabbatis in Eccleſiis, tempore concionum ſive precum oſtendit, dicens ſe per ea pignora mittere feudum in manus domini, in defectu ſervitiorum, ſive hominis ſui cum ſervitio debito. Si nemo, ut pignora redimat, intra quadraginta dies adſit, ſententia fit adjudicationis feudi domino: ſi vaſſallus intra annum & diem adhuc domino non ſatisfecerit, (ſatisfacere tantùm tenetur, quatenus domini intereſt ſervitium fuiſſe præſtitum,) feudum domini proprietati conſolidatur.

37. Mulctas judiciorum levare poteſt: ea, ut apud Hottomannum, octodecim ſolidorum eſt. In Gallia, (ubi vaſſallus feudum etiam non conſulto domino vendere poteſt) decima tertia pars pretii domino, ut unum pro alio vaſſallo recipiat, debetur *(d)*. Hæc ad dominum & ejus officia.

Diegeſis duodecima,

De feudi Renovatione.

SUMMARIA.

1. *Tranſitio ab acquiſitione per inveſtituram, ad eam quæ hic fit per renovationem in perſona heredis vaſſalli, qui inde acquire-* | *re dicitur. Renovatio quid ſit? ac quæ ſit differentia hujus acquiſitionis à priori?*
2. *Alia differentia à priori; & quomodo dominus*

(a) 2 F. 55. § 1. in fine, & cap. 4. Statut. Rob. III. (b) 2 F. 34. § 1. (c) Stat. Gul. cap. 23. cap. 26. Stat. 1. Rob. I. cap. 4. Parl. 1. cap. 120. Parl. 9. Jac. I. cap. 56. Parl. 13. Jac. II. cum multis aliis ejuſmodi, loco quorum ſucceſſere ſtatuta de militia regni evocanda, viz. cap. 27. Seſſ. 3. Parl. 1. cap. 2. Seſſ. 1. & cap. 1. Seſſ. 3. Parl. 2. Car. II. (d) Vid. D. 4. § 17.

minus acquirat poſſeſſionem, ſi fortè eam non habeat ?

3. *Quando renovatio feudi fieri debeat, jure Feudali, Gallorum, aut noſtris moribus ? & quâ methodo Auctor procedat ?*

4. *De tempore petendi renovationem inveſtituræ, pœna non petitæ, & petitæ & non conceſſæ. Annus & dies conceditur omnibus, licet quidam militibus menſem ſuperaddant: Quomodo renovatio hæc petatur ?*

5. *Currit hic annus à tempore quo ſcitur vaſſallum vel dominum eſſe mortuum, & feudum eſſe delatum : quæ à conquerente probatur, cùm ignorantia præſumatur, niſi craſſa ſit ; quo caſu onus probationis in alium transfunditur. Qualitas ignorantiæ attendenda eſt. An dubitantes pro ignorantibus habeantur ? Dies cur addatur anno ? Si dominus intra annum moriatur, currit annus vaſſallo ; ſed ſi vaſſallus moriatur, ejus heres habet integrum annum.*

6. *Vaſſallus locum & tempus idoneum & oportunum eligere debet petendæ renovationis : ſin dolosè ſe ſubtrahat dominus, quolibet tempore & loco petere poteſt.*

7. *Forma petitionis, ejuſque effectus. Annus & dies à domino prolongari poſſunt.*

8. *Prioris inveſtituræ tenor ſemper ſpectandus.*

9. *Si quid difficultatis aut ambiguitatis inter primam & ſubſequentes inveſtituras oriatur, recurrendum eſt ad primam.*

10. *Feudiſtarum plerique exiſtimant tenorem inveſtituræ antiquæ, ne cum conſenſu dominorum, poſſe mutari, in præjudicium agnatorum, aut aliorum intereſſe habentium.*

11. *An ſpes ſuccedendi jus aliquod tribuat ? vel an ſit tantum juris umbra ?*

12. *Mutatio tenoris non præſumitur, niſi vel expreſsè agatur, vel fiat conſenſu agnatorum etiam tacito.*

13. *Clauſula* [Salvo jure cujuſlibet,] *licet non exprimatur, ineſſe tamen ſemper præſumitur omni renovationi. Clauſula illa* [Salvo jure noſtro Feudali] *multùm operatur.*

14. *Excuſantur à pœna non petitæ inveſtituræ : (1.) Vaſſalli heres, qui non eſt in poſſeſſione. (2.) Si juſtam cauſam habuerit, arbitrio judicis terminandam : imò, etſi vaſſalli heres poſſideat ; ſed vel pacto, vel alio modo conventum ſit, inter dominum & vaſſallum, ne renovatio interea petatur. (3.) Impubes, contra quem non currit hæc præſcriptio annalis ; ſecus quam contra puberem : ſed ſi lædatur, reſtituitur in integrum. Minor ætas apud nos 21 annis expletis, qui de momento in momentum numerandis definitur.*

15. *Contra majorem currit hæc præſcriptio ; ſed reſtituitur* Ex quibus cauſis majores *Si duo ſint fratres heredes, unus major, alter minor, & uterque neglexerit petere ; major, ob cauſæ conjunctionem cum minore, reſtituitur. Juſta eſt etiam excuſatio non petendæ renovationis feudi, ſi lis ſit inter duos dominos mota de ſucceſſione ; ſi inimicitiæ capitales interveniant ; & lis moveatur adverſus vaſſallum de feudo, aut cum extraneo, per cujus fines & loca iter facere cogitur, aut procuratorem mittere ; aut ſi dominus vaſſallum perſonaliter vocet, quod de jure poteſt ; unde belli occaſio inter Anglum & Gallum : vel ſi dominus ſit proſcriptus, rebellis, aut excommunicatus, &c. At non excuſatur vaſſallus, ſi has notas incurrat. Denique omnis metus juſtus excuſat : de quibus vaſſallo licet proteſtari. Excuſat etiam abſentia domini, ſive ea juſta ſit, ſive injuſta, niſi dominus commiſſarium reliquerit : ſed nulla abſentia excuſat vaſſallum, niſi juſta.*

16. *De domino, & qui renovationem feudi concedere poſſit, ſive ſit major, ſive minor. Si impubes ſit, à tutore ; ſi pubes, ab ipſo petenda eſt, conſenſu curatoris. Si impubes tutorem non habeat, vaſſallo tempus non currit : ſed tutiùs eſt ab ipſo petere, ſi infantiam ſuperaverit, licet non habeat tutorem. A tutore ventri dato peti poteſt ; ab infante, ſive mari, ſive fœmina ; ab conjunctim inveſtita, & à liberè tenementario.*

17. *Si plures vaſſalli heredes fuerint, conſultiùs eſt ut procuratorem mittant.*

18. *Si plures domini ſint heredes, unum ex ſe eligere poſſunt : ſed an heredes domini, an vaſſalli electionem habeant, quæſtio eſt.*

19. *Singularis ſucceſſor etiam renovationem feudi concedit, niſi feloniam vaſſallus commiſerit, eaque notoria ſit ; aliàs cogendus eſt renovationem concedere. Hæc exceptio ad poſſeſſionem non extenditur : nec dominus erit in mora, niſi declaratoria præcedat. Vaſſallus requiſitus inſtrumentum primæ inveſtituræ exhibere tenetur.*

20. Ho-

20. *Hominium & fidelitatem inter se differre quidam volunt, (de qua oritur controversia inter Imperatorem & Pontificem,) licet idem sint; sed varii apud diversas gentes ritus. Hominium semel tantùm in vita præstatur, sed fidelitas semper, & totâ vitâ præstanda est. Si plures sint unius vassalli heredes qui petunt, eligere debent unum, qui pro cæteris & petat & juret. Universitas per syndicum & petunt & jurant.*

21. *Licet domino superiori immediato præstetur juramentum, semper tamen excipitur persona mediati, & patria. Si duo sint domini de directo dominio contendentes, fidelitas præstanda est possidenti; aut si alii, sub protestatione. Si cum domino lis sit, differenda est fidelitas. Ea soli domino præstanda, & nulli alteri, ne quidem ejus filio: qui secus, nisi vi coactus, fecerit, à feudo cadit.*

22. *De omni feudo fidelitas præstanda est, licet in emphyteutico plures dissentiant.*

23. *Renovationis feudalis effectus est, ut utrinque dominus & vassallus sint de suo jure certi.*

24. *Renovatio hæc apud nos, non necessitatis, sed voluntatis tantùm est. Et primò per præceptum quod de* Clare constat *vocatur, fit; & quomodo?*

25. *De servitio per Breve ex Regis Cancellaria, quomodo fiat? & ejus effectus.*

26. *Ante Cancellariæ apud nos institutionem, nulla alia erat feudi renovatio, quàm quæ ex jure Feudali perscribitur, ex qua quædam occurrere poterant difficultates.*

1. EX ea divisione, quam in initio hujus libri proposuimus, *De modis quibus feudum acquiratur*, expedivimus primùm, de *novi feudi acquisitione per investituram*: secundus itaque modus feudi acquirendi per *renovationem* est, quando feudum in heredis vassalli persona renovatur. Nam heres non malè eo casu acquirere dicitur, cùm, qu d antea suum non erat, sed domini beneficium, per renovationem illius benevolentiæ, quam dominus defuncto dum vixit debuit, vassalli heres, in eodem dignitatis gradu & benevolentiæ officiis, continuatur, & quasi pro defuncto recipitur, cui vitam, fortunas, famam & dignitatem dominus committat. Nam *renovatio* nihil aliud est, nisi veteris juris in aliam personam, sive mutatio sive translatio, sive, ut quidam volunt, confirmatio *(a)*. Et in hoc differt à prima feudi per investituram acquisitione, quòd hic novum feudum non acquiritur, sed vetus renovatur; at in acquisitione feudi per investituram, nihil nisi novi feudi, sive feudi quod antea non erat, acquisitio à principio, & quasi nova ex patrimonio domini constitutio, sive feudi dispositio versatur; nulla inquisitione habita, quid juris hic novus vassallus, aut ejus majores in eo feudo habuerint.

2. Alia etiam est inter hanc renovationem feudi & constitutionem primitiva differentia, quòd in primigenia feudi constitutione, dominus vassallo possessionem vacuam tradere teneatur *(b)*, ut antea diximus *(c)*. At ex hac renovatione feudi, nulla vassallo acquiritur possessio, si eam ante non habuit; nec novum jus, ab eo quod prius habuit ejus prædecessor, sive universalis sive singularis, ei tribuitur: sed renovatio hæc, feudi possessionem, si quam tempore renovationis habuit, confirmat, juriſque veteris est quasi confirmatio sive continuatio, & sub eadem forma fieri debet, quâ prima & principalis investitura est facta *(d)*. Quid ergo, dicet aliquis, quomodo ex hac renovatione possessionem vassallus acquiret, si eam non habuit? Respondeo, eisdem modis aget contra dominum, si apud eum possessio sit, ut eam tradat, ex quibus de novo institutus agere potest; sic & contra alios, si apud eos sit possessio, ut eam sibi secundum jus feudi sui restituant.

3. *Renovatio* autem feudi non solùm fieri debet, quoties persona vassalli mutatur, i. e. quoties uno vassallo defuncto, alter in ejus locum jure successionis vocatur, sed etiam quoties domini persona mutatur, & novus dominus, sive per successionem, sive per alienationem, in directum dominium, sive jure singulari sive universali, succedit *(e)*. Nam utroque casu vassallus & ejus heres dominum sive novum sive veterem

(a) 2 F. 3. pr. 24. pr. & 40. (b) 2 F. 7. § 1. & 26. § 5. ibi, Si facta. (c) D. 2. § 9. (d) Ut dictum D. 2. § 27. (e) 2 F. 40.

terem recognoſcere debet, & ſervitia ſua profiteri, ne in alterutrius perſona, ingrati animi, aut negligentis nota poſſit deprehendi *(a)*. Moribus Gallicis & noſtris, renovatio feudi non eſt neceſſaria, niſi ex mutatione perſonæ vaſſalli; & licet hæc feudi renovatio apud nos non ſit frequens, noſtris tamen moribus dominus vaſſallo renovationem feudi petenti non tenetur indiſtinctè concedere, nec eiſdem neceſſitatibus vaſſallus ad eam petendam cogitur, ut in jure Feudali: in quo, ſi vaſſallus à petitione renovationis per annum ceſſaverit, à jure ſui feudi cadit; & dominus, ſi recuſaverit, niſi juſtam recuſandi cauſam habuerit, & ipſe ſuo dominio directo privatur *(b)*. Tamen cùm multa, ex jure Feudali, noſtris moribus etiam in hac diſputatione conveniant, multa ad uſum noſtrum accommodari poſſint, breviter quæ ex jure Feudali de inveſtituræ renovatione præſcripta ſunt, priùs explicabo, mox quatenus & quibus rationibus jus noſtrum ab eo diſſentiat pauciſſimis enarrabo, cùm jus hoc Feudale, ut ab initio monui, ſit locale, ejuſque partes, ut quæque ſibi commodior videbatur, gentes Europææ ad ſe traduxerint, & obſervationibus diverſis quaſi emollierint.

4. Quoties itaque vel domini ſuperioris, vel vaſſalli perſona mutatur, aliuſque *(c)* in prioris jus ſuccedit, toties renovatio hæc petenda eſt. Pœna ceſſationis à petitione, vel recuſationis cùm petitur, feudi ſive utilis dominii eſt amiſſio, poſt annum & diem; ita ut, vaſſallo non petente, dominus de feudo poſſit diſponere, aliumque de novo inveſtire. Si dominus recuſaverit juſtam vaſſalli petitionem, poſt annum & diem, vaſſallus, eo præterito, de domino ejus ſuperiore tenebit, & ſic directum ejus dominium vaſſalli commodo applicatur *(d)*. Quod de anno & die diximus, in vaſſallo locum habet, ſive vaſſallus ſit miles, ſive paganus, licet quidam in milite propter occupationes militares (quæ etiam in jure excuſationem merentur) meniem ſuperaddant *(e)*. Idem & in Barone & Nobili, ne tam arctè cum eis agatur. Nec hîc citatione opus eſt, ſed vaſſallus non admonitus, ultrò & volens dominum ſuum adibit, renovationemque ab eo, cum omni humilitate, requiret, ſervitia ſua paratum exſequi profitendo, & fidelitatem ei offerendo *(f)*, licet plerique fidelitatis ſacramentum offerri, niſi requiſitum fuerit, neceſſarium non putent.

5. Curret autem hoc anni & diei tempus, à die ſcientiæ prædeceſſorem mortuum. Scientiam autem dico, ex qua planè & certò quis cognoverit, jus feudi ad ſe devolutum: nam ex eo tempore incipit eſſe in mora, & probatio hujus ſcientiæ domino incumbit; cùm ignorantia facti alieni in vaſſallo ſemper præſumatur, niſi ea craſſa ſit & ſupina ignorantia; veluti, ſi quis id neſcire prætendat, quod omnes ſciunt; aut ſi in eadem patria, aut patriæ regione ſive vicinia vaſſallus fuerit: nam eo caſu vaſſallus pro ſciente habetur; cùm ſcire, & ſcire debere, in jure paria ſint. Et ſanè ſi hæc ignorantia ſit craſſa, probationis onus in vaſſallum transfunditur, nempe ſe probabiliter ignoraſſe; aut probabiles ignorantiæ ſuæ cauſas habuiſſe. Ignorantia autem hæc non tam ex perſona defuncti competit, i. e. ſi vaſſallus, quando, quo loco, quo caſu interierit, ignoret, quàm ex qualitate rei ipſius, veluti ſi ignoraverit probabiliter rem eſſe feudalem, cùm allodialem putaret, aut ad ſe pertinere, aut devolutam eſſe neſciat. An dubitantes pro ignorantibus habeantur, plerique controvertunt: ſed & hujus nodi ſolutio, ex præcedentibus patet: nam licet generaliter dubitans pro ignorante habeatur, tamen inquirere debuit de rei veritate; nec volens in errorem aut dubium ſe conjicere. Annus autem hîc in ignorantibus ſive juſtè dubitantibus non currit, niſi à die ſcientiæ *(g)*; in ſcientibus continuus eſt, & de momento in momentum numeratur, adeò ut etiam dies feſti numerentur, & ii, quibus petere inveſtituram de jure non potuit. *Dies* additur, ut omnes moleſtæ quæſtiones de anni tempore tollantur. Quòd ſi dominus, à quo vaſſallus inſtituit petere renovationem, intra annum, & priùſquam totum tempus excurrat, deceſſerit, non minùs tamen vaſſallo annus & dies præſcriptus currit, niſi domini ſucceſſor incertus ſit, aut alia juſta cauſa interceſſerit, ex qua vaſſallus petere non potuit: at

(a) 2 F. 24 pr. 1 F. 22. 2 F. 52. in fine, & 97. (b) 2 F. 6. in fine, juncta 2 F. 26. § 5. ibi, Domino committente. (c) 2 F. 40. (d) 2 F. 24. pr. & 31. (e) 1 F. 22. (f) 2 F. 23. verl. Quomodo enim. (g) 1 F. 22. 2 F. 97.

at ſi vaſſallus intra hunc annum & diem deceſſerit, non petitâ renovatione feudi, ejus ſucceſſori integer annus & dies conceduntur, ut de novo petere poſſit. Et hæc de tempore, intra quod peti debet renovatio hæc feudi.

6. Superſunt adhuc alia de tempore, nempe quòd idoneo tempore & loco hæc petitio fieri debet à domino. Neque enim tempore noctis hæc petitio facienda, nec etiam tempore prandii, aut cum dominus voluptatis causâ ſe exercet: neque enim moleſtus domino debet eſſe vaſſallus, aut occaſionem ei præbere cur eum averſetur; ſed tempus & locum idoneum obſervare, quibus dominus non gravatè poſſit ejus voluntati obſequi. Planè ſi dominus tergiverſando, aut ſe ſubtrahendo, in eas difficultates vaſſallum conjecerit, ut alio loco, alio tempore eum comprehendere non poſſit, quovis loco, & quovis tempore poterit renovationem petere, etiam extra territorium, ſi dominus ſe ex territorio fraude aut dolo ſubtraxerit *(a)*.

7. Forma autem petitionis hæc debet eſſe, ut cum omni reverentia & honoris præfatione fiat *(b)*, & etiam fidelitatis, ut dixi *(c)*, oblatione; & ſi dominus ſine juſta cauſa differat, non ſolùm injuriarum, ſed etiam feudi (ut antea dixi *(d)*) privatione, vaſſallo tenetur, aut in omnes fructus, à die moræ, niſi vaſſallus eos prælegerit: ſed in hoc, forma loci ſemper obſervanda eſt. Prætereundum tamen non eſt, quòd annus & dies ex cauſa poſſunt à domino differri (quod *prolongari* nos dicimus;) quo caſu, dominus legitimè à vaſſallo requiſitus, ſi juſtam differendi cauſam habeat, locum tutum, & tempus certum, vaſſalloque commodum aſſignabit; in quo vaſſallus vel ſe vel ſuum procuratorem ſiſtet, ut ibi renovationem ſui feudi accipiat, idque coram teſtibus, ſive extraneis, ſive paribus, vel uno etiam extraneo, paris loco, adhibito *(e)*.

8. Sciendum tamen eſt, dominum in alia forma renovationem feudi concedere non cogendum, quàm ſub eadem forma, quâ prius fuerat, nempe ſub eodem tenore, ſub eiſdem pactis, conditionibus & proviſionibus: nam prioris inveſtituræ tenor eſt in renovatione regula, ad quam & dominus & vaſſallus ſe debent dirigere, & quaſi radix & fundamentum hujus renovationis. Itaque apud nos hodie in renovatione hujus feudi ſemper hæc clauſula adjicitur à domino, [*ſecundum tenorem antiqui infeofamenti, ſive inveſtituræ, quam de nobis vaſſallus habet,*] idque unicè & ſummâ diligentiâ à dominis curandum, ne ullam renovationem concedant, niſi prioribus monumentis inſpectis & conſideratis.

9. In hac renovatione inveſtituræ, hoc præcipuè mente tenendum, ut ſi quid difficultatis oriatur, ſemper ad primam ſit recurrendum *(f)*, ex prima argumenta & deciſiones ſumendæ, licet in ſecunda nihil tale reperiatur: nam omnes conditiones & qualitates primæ inveſtituræ cenſentur in ea repetitæ, & poſterior ſecundum naturam prioris data cenſetur, & ſecundum eam intelligenda, licet poſterior priorem declarare videatur. Adeo autem hæc de primæ inveſtituræ tenore & virtute ſunt vera, ut ſi ſecunda primæ fuerit in aliquo capite ſeu articulo contraria, per errorem & ſubreptionem impetrata præſumatur; & prioris inveſtituræ conditio cenſetur non mutata, niſi hoc expreſsè agatur inter dominum & vaſſallum, ut à prima inveſtitura ejuſque tenore recedatur. Itaque ſi ſecunda inveſtitura primæ non conveniat, ad primam dominus ſemper poteſt provocare: ſi ea non reperiatur, dolo ſublata cenſebitur.

10. Sunt ex Feudiſtis plerique, qui neque prioris inveſtituræ tenorem mutari per renovationem poſſe exiſtimant, etiamſi hoc expreſsè inter dominum & vaſſallum agatur, niſi cum conſenſu omnium, qui ſpeciale intereſſe habent, i. e. niſi agnatis, qui vel jus vel ſpem ſuccedendi ex tenore primæ inveſtituræ habent, conſentientibus *(g)*: itaque ſi prima inveſtitura ita concepta ſit, ut vaſſalli heredes maſculi ſuccedant; per renovationem feudi, licet expreſsè contineat, *heredibus quibuſcunque*, agnatis tamen præjudicari non cenſent. Idem, ſi prima concepta ſit, ut maſculos & fœminas comprehendat, & utrique ex ea ſuccedere poſſint; & innumeræ inve-

(a) 2 F. 97. (b) 2 F. 23. verſ. Quomodo. (c) § 4. (d) § 3 & 4. (e) 2 F. 2. (f) Vid. D. 2. § 7. (g) 2 F. 39. pr.

ſtituræ ſequantur, quæ maſculis tantùm fiant, fœminis ſucceſſuris eatenus non præjudicatur. Illud ego probarem, in ſimplici renovatione, (quam nos *de Clare conſtat* vocamus) cum nihil ibi agatur, niſi ut unus in defuncti locum ſubſtituatur, eildem legibus, & eâdem conditione, qua prior. Sed ſi à vaſſallo reſignatio in manibus domini fiat, pro nova inveſtitura maſculis tantùm, cum ex tenore prioris inveſtituræ, non minus fœminæ quam maſculi ſuccederent; in eo caſu, expreſsè receſſum à priore inveſtitura videtur; cum vaſſallus, omne jus quod in feudo habet, expreſsè renunciet, pro nova inveſtitura ſibi & ſuis heredibus maſculis conficienda. Idem, ſi cum prior inveſtitura ad maſculos heredes pertinebat, poſterior, quæ ex reſignatione procedit, fiat in favorem heredum quorumcunque.

11. De hac ſpe plerique quæſtionem faciunt, júſne aliquod ſecum adducat, i. e. an pro jure habeatur, ita ut ei præjudicari non poſſit; an verò in his ſucceſſionibus aut renovationibus non ſit attendenda, & quaſi juris alicujus umbra tantùm ſit, quæ facilè, dum ſol ſe ſubducit, ex oculis evaneſcat? Sunt qui ne eis præjudicari poſſe putant, qui in ſpe proximæ ſucceſſionis ſunt; itaque in renovatione hac mutari non poſſe, in præjudicium eorum, qui proximi, licet in ſpe tantum, ſucceſſuri ſunt, modò ex tenore primæ inveſtituræ ad ſucceſſionem vocentur. Alii contra, ſpem hanc nihil operari, ſecuréque poſſe præteriri eos, qui ſpem tantum habent ſuccedendi. Sanè quod ad hanc controverſiam attinet, ſcio & in jure & in uſu Gallico in multis ſpem aliquid operari, adeò ut ſpes legati, etiam non recepti, tranſmittatur, & in praxi apud Gallos legitimatio non admittitur, in eorum præjudicium, qui in ſpe ſuccedendi antea erant: & in graviſſima illa actione, quæ inter Patricium Hepburne de Wauchtoun, & ejus ſororem, de terris de Brothertoun, mutationem inveſtituræ, & ejus renovationem in præjudicium ſororis, quæ in ſpe ſucceſſura erat, à Senatu ponderatam vidi: Bartolo tamen aſſentior, ſpem ſuccedendi patri non eſſe in conſideratione; nam ſpes jus non eſt, ſed reſpectus quidam ad jus.

12. Sed ut ad mutationem tenoris inveſtituræ redeam; hæc mutatio in renovatione non præſumitur, niſi hoc expreſsè agatur, aut niſi omnium agnatorum, qui ex tenore primæ inveſtituræ ſuccedere poſſunt, & quibus jus ex prima inveſtitura quæſitum eſt, conſenſu etiam tacito.

13. Quæri ſolet, de ea clauſula, [*Salvo jure cujuſlibet,*] quæ in omni inveſtituræ renovatione apponi ſolet: Reſpondeo, clauſulam illam, etiamſi non exprimatur, ſemper tamen ineſſe; neque enim ea mens renovantis inveſtituram eſt, ut alicujus juri præjudicet, nec ſi velit poteſt. Nam jura aliorum illibata, ex renovatione, ſervari certum eſt. Illa tamen clauſula, [*Salvo jure noſtro feudali,*] multum operari conſtat; nam ſi quod jus dominus in feudo habeat, ſive ratione cuſtodiæ, ſive non introitûs, illud intactum ei remanet: imò licet dominus hypothecanti vaſſallo conſenſerit, *ſalvo jure ſuo feudali*, licet vaſſallus hypothecam redemerit, dominus tamen eum rurſus ſibi in vaſſallum recipere non tenetur.

14. Sequitur, ut de eis jam agamus, qui à pœna non petitæ inveſtituræ excuſantur, i. e. ſi ultra annum & diem renovationem hanc inveſtituræ petere deſierint, à feudo tamen non cadent. Et primò, excuſatur vaſſalli heres, ſi in poſſeſſione feudi non fuerit. Ratio eſt, nam ſi dominus ſciens & prudens alium poſſidere patiatur, fruſtra de vaſſallo queritur, quòd renovationem inveſtituræ diſtulerit, cujus uſus minor fortaſse erit, etiamſi renovetur: nam renovato feudo ad ſervitia omnia vaſſallus tenetur; quæ facilè non poteſt ſuſtinere, ſi poſſeſſione feudi careat, & à quocunque feudi poſſeſſore dominus ſervitia exigere poſſit, in quæ feudum tenetur. Secundò, vaſſallus excuſatur, ſi ex juſta cauſa & non dolosè inveſtituræ petitionem omiſerit, veluti ſi carceris cuſtodia prohibuit, vel peſtis, vel valetudo, vel quæcunque alia juſta cauſa, arbitrio judicis terminanda, in quam vaſſallus ſe, neque ſuâ culpâ, neque negligentiâ conjecerit *(a)*. Nam in toto jure Feudali ſupina hæc negligentia, craſſa culpa, (craſſa autem culpa eſt, non illud intelligere, quod omnes intelligunt,) & dolus, dilationes vaſſalli non purgant, neque oſcitantiam excuſant. Nam

(a) 1 F. 22. 2 F. 52. § ult. & 92.

Nam rem & ſuam & domini curare debet; ejus ſervitia promovere, dignitatem obſervare tenetur: de hac craſſa culpa, & dolo, plenius, cùm *De modis amittendi feudi* poſtea agemus.

Quod de vaſſallo non poſſidente diximus, idem ſentiendum ſi poſſideat, ſed vel pacto inter dominum & vaſſallum, vel ſtatuto vel conſuetudine ſit introductum, ne interea renovatio petatur. Tertiò excuſatur impubes: nam contra impuberem ex jure Feudali nulla currit præſcriptio. At dicet aliquis, impubes pubertati proximus, doli capax in jure reputatur *(a)*, itaque dolus eum excuſare non debet. Fateor doli capacem eſſe impuberem in committendo, veluti, ſi furtum, ſi delictum faciat, denique de vi bonorum ablatorum poſſe conveniri: ſed in omittendo non idem; præſumitur enim omiſſio ejus facti, quod facere debet impubes, non ex dolo, ſed ætatis vitio procedere. Itaque etiamſi impubes ſit doli capax, in commiſſum non cadit, licet inveſtituram petere diſtulerit. Quorſum igitur, occurret aliquis, tutor ei datur, niſi ut defectum ætatis ſuppleat: nam ſi à tutore ceſſatum eſt, impubes ſuas adverſus eum habet actiones, de damno reſtituendo? Verum hoc, ſed præſtat rem pupilli potiùs ſalvam fore, quàm contra alium, eâ evictâ, de evictione agere *(b)*; itaque contra hunc impuberem, ſive pupillum, annalis hæc præſcriptio non currit, etiamſi tutorem habeat, licet vel ipſe per ſe, vel per tutorem, vel tutor cum ipſo impubere, etiam ſine ipſo, feudum recognoſcere poſſint, ſive feudi ſui auctorem agnoſcere, eique beneficium ſuum acceptum ferre, & eo nomine obſequia & ſervitia deferre. At aliud eſt in pubere; nam adverſus puberem, i. e. 25 annis minorem, modo pubertatem exceſſerit, non minus quàm adverſus majorem currit: currit, inquam, non ipſo jure; nam quia læſus & minor eſt, datur intra quadriennium utile reſtitutio in integrum. Hanc minorem ætatem nos, noſtris moribus, viginti uno anno expletis definimus, numerando de momento in momentum, adeò ut hoc ſpatio completo reſtitutio ceſſet, niſi ex eis quæ ante eam ætatem geſta ab impubere ſunt.

15. De majore, quin contra eum currat hæc præſcriptio, nulla dubitatio eſt: ſed & is reſtituetur, ex eis cauſis, ex quibus majores in jure læſi aut capti reſtitui ſolent *(c)*, inter quas ætas non numeratur. At controverti poteſt, ſi duo ſint fratres heredes, unus minor, alter major, & uterque, præterito ſpatio, inveſtituræ petitionem neglexerit? In hoc caſu minor ætas alterius alteri proderit; nam, ob cauſæ conjunctionem, major cum minore reſtituetur *(d)*, nec neceſſe habebit docere ſe, vel ſuâ facilitate, vel adverſarii calliditate læſum. Juſta etiam excuſatio in majoribus eſt, lis de hereditate vel ſucceſſione inter plures aut duos dominos mota; nam eâ pendente petitio differenda eſt: tutius tamen eſt, ut ab eo, qui poſtremus in poſſeſſione fuerit, renovatio petatur, & fidelitas præſtetur; ſub proteſtatione tamen, ne id fraudi ſibi fiat, ſi ab eo dominium evincatur. Sic ſi capitales inimicitiæ, abſque vaſſalli culpa, cum domino interceſſerint, adeò ut neque vaſſallus, eo caſu, literis ſalvi conductûs domini ſui fidere teneatur, neque procuratorem mittere. Excuſatur etiam vaſſallus, ſi intra hunc annum & diem petitioni deſtinatum, lis vel controverſia contra eum mota ſit de feudo & ejus jure. Sic ſi lis cum extraneo intercedat, per cujus fines & loca iter cogitur facere, nec viribus par huic extraneo eſſe poſſit, ut viam ſibi aperiat. Nam his caſibus tempus hujus præſcriptionis non excurrit. Sed, in hoc caſu, impeditus an procuratorem mittere teneatur, dubitari poteſt. Et profectò affirmativam partem plures tenent, niſi fortè idem impedimentum etiam procuratorem teneat, quod ipſum vaſſallum, aut ſi idoneum procuratorem habere non poſſit, aut dominus vaſſallum vocet, ut in propria perſona inveſtituram petat; quod & facere poteſt ex jure, unde & occaſiones belli inter Anglum & Gallum ſæpe natæ, quòd Anglus per procuratorem inveſtituram peteret: Gallus non niſi præſenti & fidelitatem juranti præſtare vellet. Denique multæ aliæ excuſationes ſunt, quæ vaſſallum à petitionis pœna eximunt; veluti, ſi dominus ſit proſcriptus, aut rebellis, aut excommunicatus, vel hæreticus, vel denique ſit infamis: neque enim

(a) l. 23. ff. de furtis, & l. 111. de R. J. (b) l. 5. ff. de ſuſpect. tutor. & l. 5. C. in quibus cauſis in integrum reſtitutio neceſſaria non eſt. (c) Tot. tit. ff. ex quibus cauſis maj. (d) l. 29. § 1 & 47. § 1. ff. de minoribus.

ex ſuo merito calamitoſus miſeratione dignus eſt. Sed hæc non excuſant vaſſallum, ſi eas notas incurrat; nam ſua infamia domini conditionem deteriorem facere non poteſt. Denique omnis metus juſtus, qui in conſtantem virum cadere poteſt, ſive ſit hoſtium aut latronum incurſus, ſive tempeſtates in mari, aut terrâ fluminum inundationes, bellum, peſtis & ſimilia; hæc omnia legitimum vaſſallo præſtant impedimentum, neque ſolùm, ſi hæc impedimenta à principio intervenerint, excuſatur vaſſallus, ſed etiam ſi in ipſo anni curſu: eſt enim illud tempus, quo ad impedimentum, utile, & totum vaſſallo cedit; ſed ceſſante impedimento continuum. Sed an vaſſallus de impedimento, quod intervenit, proteſtari debeat, plerique controvertunt: nam ſunt qui, niſi ea interpoſita in ſcriptis fuerit, vaſſallum non excuſari putant: alii vaſſallo non neceſſariam ferunt: utrique tamen in hoc conveniunt, utilius eſſe vaſſallo ſi proteſtetur, ſive ex facto domini, ſive caſu fortuito, impedimentum obveniat. Excuſat etiam abſentia domini *(a)*, ſive ea juſta ſit, ſive injuſta, ne vaſſallus ob non petitionem à jure ſuo cadat. Si tamen dominus commiſſarium reliquerit, cum poteſtate renovationes feudorum concedendi, ab eo vaſſallus petere debet: vaſſallum autem abſentia nulla niſi juſtâ causâ excuſat. Hæc de vaſſallo non petente, jam de domino & ejus perſona diſſerendum.

16. Dominus autem immediatè ſuperior, i. e. de quo vaſſallus immediatè feudum tenet, in hac renovatione adeundus: nam is ſolus renovare feudum poteſt, qui & illud conceſſit; ut ejus eſt leges interpretari, cujus & condere. Itaque à domino immediato renovatio hæc petenda eſt, nec intereſt, major ſit an minor *(b)*: nam non minus hic, quàm ille, renovationem feudi concedere poteſt, ſi modò ex renovatione non lædatur: imò in rem domini hæc renovatio præſumitur, quòd certum habeat vaſſallum, à quo debita officia & ſervitia poſſit exigere. Sed in minore hoc obſervatur, ut ſi impubes ſit, ab ejus tutore præſtari debeat: ſi pubes, à ſe ipſo cum conſenſu curatoris præſtanda eſt. Si impubes tutorem non habeat, vaſſallo tempus non currit, donec tutorem acceperit: ſi tamen infantiam dominus egreſſus ſit, tutiùs fecerit vaſſallus, ſi ab ipſo petat; nam à tempore abſolutæ infantiæ, non minus quàm tutoris accepti, tempus hoc currere in jure certum eſt. Quid autem, ſi dominus, uxore relictâ gravidâ, deceſſerit? Sanè ſi tutor ventri datus ſit; aut poſtquam editus eſt infans, tutor ei fuerit legitimus, ab eo tempore annalis hæc præſcriptio currit: nec intereſt dominus hic maſculus ſit an fœmina; nam & à fœmina in dominio recto conſiſtente feudi renovatio peti poteſt. Idem, ſi fœmina ſit in conjuncta cum marito inveſtitura, & maritus mortuus ſit: nam renovandæ inveſtituræ in perſona prioris vaſſalli poteſtas ei competit. Idem in domino liberi tenementi *(c)*: nam licet is propriè in feudo non ſit, nec dominus ſuperior rectè dici poſſit; tamen, quia in reſignatione feudi hæc lex à partibus dicta eſt, ut prius jus ei illibatum & intactum relinqueretur & ſervetur, hic etiam renovandæ inveſtituræ in vaſſalli perſona poteſtatem habet. Sed cum duobus eam poteſtatem competere durum ſit, cum duo domini ſimul unius & ejuſdem rei eſſe non poſſint, quæri poteſt an hic qui directi dominii proprietarius, reſervato patri vel prædeceſſori ſuo libero tenemento, an & hic renovationem inveſtituræ poſſit concedere? Senatum interloquentem audivi, & hunc, licet reſervata ſint jura liberi tenementi auctori ſuo, tamen renovationem inveſtituræ poſſe concedere, idque in favorem vaſſallorum, ne alterius pervicacia ei noceat. Ad quem igitur accedet vaſſallus, ut hanc renovationem petat? Ad quem velit: neque enim intereſt, à quo recipiat, ſi modò receperit; & ab alterutro conceſſa, ejuſdem eſt roboris & efficaciæ. Sed quis interpellandus eſt, an liberi tenementi, an feudi dominus, an verò uterque, ut feudi renovationem vaſſallus conſequatur? Sed feudi dominum interpellandum puto: tutiùs tamen fecerit, ſi ab utroque vaſſallus renovationem hanc petierit.

17. Sed facilis fortaſſe controverſia eſt, ſi una ſit vel vaſſalli, vel domini, perſona. Sed dubitari poteſt, ſi vaſſallus plures heredes reliquerit, an omnes petere hanc

(*a*) 1 F. 22. (*b*) 2 F. 3. pr. (*c*) Vid. D. 17. § 42.

hanc renovationem debeant, an ceſſantis culpa aliis noceat? & ſi dominus plures heredes reliquerit, à quo inveſtituræ renovatio petenda eſt, an ab uno, an à pluribus? licet ad uſum noſtrum parum hæc res conducere videatur, apud quos feudum dominans aut ſerviens non dividitur, ſed unus tam in directo dominio, quàm utili ſuccedit; niſi pluribus heredibus fœminis vaſſalli relictis, quo caſu feudum ſerviens dividi poteſt, non dominans. Sed de hoc poſtea *(a)*. Quod ad primam quæſtionem attinet, ſi vaſſallus plures heredes reliquerit, ſive feudum pro diviſo ſive indiviſo poſſideant, omnes renovationem à domino tenentur petere *(b)*. Sed utrum ſimul, an quiſque per ſe? poterit enim dominus eis objicere, niſi ſimul veniant & conſentiant, ſe feudum ſuum in partes nolle dividere. Sed ſufficit, licet ſimul non veniant; nam feudum in partes ex jure dividitur: itaque dominus cuicunque heredi petenti, & ſe ad fidelitatem offerenti, renovationem hanc concedere tenetur *(c)*, licet alii abſint, quos incertum eſt an renovationem hanc petituri ſint; quibus ſe ſatisfacturum dominus ſpondere poteſt, cùm quod de jure ei facere debent fecerint: itaque in eis alterius ceſſatio alteri non obeſt, neque moræ excuſationem domino præbet.

At, cùm hæc plurium petitio multas ſecum aliquando difficultates habeat, è re vaſſallorum erit, ſi unum ex ſe elegerint, qui poteſtatem ab aliis ad hoc etiam habeat, ut tanquam curator omnium nomine renovationem inveſtituræ petat, & fidelitatem promittat.

18. Sed ſi plures heredes ſint domini, (ut ad ſecundam quæſtionem reſpondeam,) ab omnibus ſimul peti hæc renovatio & poteſt & debet, ut uno actu totum negotium expediri poſſit *(d)*, quod tum maximè fiet, cùm omnes ſimul convenerint: alioqui, ſi ſimul occaſio conveniendi nulla ſit, aut domini ſe ſubtraxerint, aut callidè diffugerint, ut vaſſalli petitionem eludant, ſeparatim requiri poſſunt; & ſi vaſſallus omnino non fuerit negligens, tempus interea non curret. Poſſunt tamen heredes domini unum ex ſe eligere pro omnibus, à quo hæc renovatio peti poſſit, & fidelitas recipi. Sed à quo electio hæc facienda ſit, an ab heredibus vaſſalli, an domini, diverſæ ſunt Juriſconſultorum opiniones. Sanior tamen opinio eſt, ſi domini heredes, à vaſſallo requiſiti, ut eligant unum, & conſtituant pro ſe omnibus, qui renovationem hanc concedere poſſit, & moram nectant, electio vaſſalli heredibus permittitur; aliàs non. In vaſſalli heredibus idem obſervandum.

19. Hæc de domini heredibus; ſed quid de ſingulari ſucceſſore dicendum, cum eis nullo feudali vinculo videatur aſtrictus, ut inveſtituram concedat? Sed profectò cùm idem ſit vinculum inter prædium ſerviens & dominans, quod inter dominum directum & utilem, non minus & hic requiſitus renovationem concedere debet, quam heres, quia in jus dominii directi ſuccedit, nec alius ab eo inveſtituram præſtare poteſt. Sed neque dominus, neque ejus ſucceſſor, ſive univerſalis, ſive ſpecialis, vaſſallo renovationem petenti tenetur parere ex jure, ſi vaſſalli felonia intervenerit; veluti, ſi vaſſallus quippiam commiſerit in dominum, quod eum ex jure à feudo poteſt excludere. Quæ autem feloniæ vaſſallum feudo privent, poſtea dicemus, cùm *De modis amiſſionis feudi* poſtea agetur. Itaque ex jure Feudali, exceptio feloniæ, per eum commiſſæ, vaſſallum excludit à petitione hujus renovationis, modò felonia hæc ſit notoria, vel ſi in continenti (ut aiunt) probari poſſit, & dominus ſe paratum ad probationem offerat. Quòd ſi hæc felonia altiorem cognitionem requirat, nec in continenti probari poſſit, nec dominus ſe ad probationem offerat, tunc, non obſtante hac feloniæ objectione, dominus ad renovandum inveſtituræ tenorem cogendus, quia petitio inveſtituræ, ſive ea nova ſit, ſive antiqua, eſt ſummaria, nec requirens libellum, nec proceſſum ordinarium; reſervatâ tamen ſibi facultate, ut poſſit vaſſallum poſtea propter illam feloniam & convenire, & privatione ſui feudi mulctare, ob injuriam domino illatam. Sed hæc feloniæ exceptio, utcunque notoria, non tamen ad poſſeſſionem extenditur, ſi quam vaſſallus ex morte defuncti habuit, veluti, ex quacunque cauſa alienationis, vel titulo donationis,

(*a*) D. 14. (*b*) 2 F. 26. § Omnes filii, 2 F. 55. § Præterea Ducatus. (*c*) 2 F. 77. (*d*) 2 F. 77 & 102.

vaſſallus poſſideat : nam poſſeſſio hæc non ei auferenda eſt ; ſufficit enim, donec de crimine cognoſcatur, ne novum aliquod beneficium, ex domini voluntate, adipiſcatur. Jure noſtro, ſententiâ declaratoriâ ſemper opus eſt, nec dominus moram vaſſallo facere poteſt, niſi ea præceſſerit *(a)* : ſed, ut dixi *(b)*, ſi nolit dominus in tempore præſenti facere, & legitimè requiſitus fuerit, vaſſallo locum certum & tutum, tempuſque commodum aſſignabit, quando ei inveſtituram faciet. Requiſitio hæc non niſi ſcripto probari poteſt, niſi coram Paribus fiat ; & vaſſallus, a domino requiſitus, inveſtituræ primæ inſtrumentum exhibere tenetur, ut dominus ex ejus collatione, quid de novo conferat, poſſit intelligere *(c)*. Poterit tamen, ſi aliquas poſteriores inveſtituras habeat, quæ omnia capita ſubſtantialia prioris contineant, eas exhibendo ab ulteriori exhibitione liberari, ut quidam putant : quod tamen parcè admittendum puto ; quid enim, ſi pacta & conventiones in prima contineantur, quæ domini favorem reſpiciunt, & poſteriorum ſolarum exhibitione poſſunt ſupprimi?

20. In hac renovatione feudi petenda, fidelitatis præſtatio requiritur, quæ nihil aliud eſt, niſi quod vulgò dicitur *Hominium*, ſive *Homagium*. In quod quoniam incidimus, aliqua dicenda ſunt ; nam plerique *Hominium* a *Fidelitate* diſtinguunt, quod hominium majore cum reverentia & veneratione fiat, quàm fidelitas ; quod qui hominium præſtat, flexis genibus id facere debeat, manuſque quaſi ſupplices inter domini manus inſerere : denique & in re aliquid differentiæ putant ; quòd qui homagium debet, corpus & bona pro domino hypothecare poteſt, & debet ; non autem qui fidelitatem ſolam. Non ſum ignarus nobilis illius controverſiæ inter Fridericum Imperatorem, & Pontificem Romanum, in qua fidelitatem præſtare ſuperbiſſimus Pontifex ſuos Eccleſiaſticos domino ſuo Cæſari permittit, non etiam hominium, prout ex eo tempore, Eccleſiaſticæ perſonæ, pro ſuis feudis, tantùm fidelitatem in tota Europa jurant, non etiam hominium. Sed his omnibus non obſtantibus, ex peritiſſimorum Feudiſtarum ſententia, *Hominium* nihil aliud eſt, niſi ipſius fidelitatis præſtatio, ſive juramentum de fidelitate, in quo varii apud pleraſque gentes & in diverſis perſonis ritus erant. Alii enim non niſi genibus flexis, & manibus inter domini manus inſertis jurabant ; alii non cum tanta veneratione, Hominium tamen, i. e. ſe hominem *(d)* domino ſuo devenire jurabant. Pontifices à juramento excuſabantur, quòd illi non niſi domino ſuo Papæ jurarent ; &, ut alii dicunt, hominium præſtare non tenerentur : at ad fidelitatem non minus tenebantur, quam qui jurant ; ut & apud nos juramentum hodie remittitur : non minus tamen ad fidelitatem vaſſallus tenetur, quam ſi juraverit, &, ut breviter & uno verbo comprehendam, hominium ſemel tantum in vita præſtatur : neque enim repetere juramentum quis cogitur, etiamſi dominus moriatur, ſi ſemel vaſſallus fidelitatem domino & ejus ſucceſſoribus juraverit, ſi laicus dominus fuerit. In Eccleſiaſtica perſona plerique putant vaſſallum ad repetitionem ſacramenti poſſe cogi : fidelitas tamen totâ vitâ præſtanda eſt, ita ut hominium nihil aliud ſit, quicquid alii ſentiant, quàm ipſius fidelitatis ſacramentum, licet varii ejus, ut dixi, ritus in multis regionibus obſervarentur. Et hæc de Hominio. Jurabit itaque vaſſallus, in renovatione inveſtituræ, domino ſuo fidelitatem *(e)*, i. e. hominium ſive homagium faciet. Si plures ſint vaſſalli heredes, qui inveſtituram petant, omnes jurare tenentur, aut unum pro cæteris eligere, qui & renovationem petat & juret. Univerſitas, communio, vel ſocietas aliqua, ut renovationem inveſtituræ per Syndicum petunt, ſic per eundem jurant. Idem in omnibus licitis collegiis, ſive communitatibus, ut vulgo loquuntur.

21. Licet domino ſuperiori immediato præſtetur juramentum, tamen ſemper antiquioris domini & mediati perſona, & patria, quæ communis omnium eſt domina, excipiuntur : & licet non exprimantur, aut ſpecialis de eis mentio fiat, non minùs tamen ſubintelliguntur ; adeò ut vaſſallus domino ſuo, contra mediatum ſuperiorem, aut patriam, conſilio aut auxilio adeſſe non teneatur : & præcipuè domini ligii perſona ſemper excipienda, cujus prima ratio ſemper habenda ; non tantum quia pater patriæ

(a) 1 F. 21. ibi, Cognita culpa. (b) § 7. (c) Cap. 25. Quon. attach. Stat. 36. Rob. III. (d) 2 F. 99. (e) 2 F. 3. in fine.

patriæ eſt, ſed etiam ex ratione feudali, quòd omnia feuda & beneficia ab eo proficiſcantur, & de eo teneantur *(a)*. Si duo domini de directo feudi dominio inter ſe contendant, poſſidenti præſtanda fidelitas, aut ſaltem ſuſtinenda, ſub proteſtatione donec de cauſa cognoſcatur. Sic, ſi lis cum domino intercedat; nam dum durat, deferri poteſt petitio hæc. Alteri autem fidelitatem nemo præſtare tenetur, niſi ſuo domino, imò ne filio quidem domini, eo vivente: quod ſi faciat, à feudo ſuo cadet, niſi vi aut metu ab eo coactus fuerit, cui reſiſtere non poterat.

22. De omni autem feudo fidelitas præſtanda eſt, ſive ſit magnum, ſive parvum, ſive militare, ſive francum *(b)*, ſive emphyteuticum, aut ad libellum datum; licet in emphyteutico plerique diſſentiant.

23. Effectus hujus renovationis feudalis eſt, ut utrinque dominus de ſuo jure, & vaſſallus de ſuis ſervitiis certioretur; & cùm antè apertum domino feudum fuerat per deceſſum vaſſalli, jam apertura illa videtur quodammodo claudi, & feudum reviviſcere in perſona vaſſalli, & non-introitus in futurum ſiſtitur: nam quoad id tempus, quo vaſſallus à petitione ceſſaverit, ejus omnes fructus domino debentur, ut ſemper, quoties per vaſſalli mortem feudum domino aperitur.

24. Hæc omnia, quæ partim ex ipſo textu, partim ex juris Feudalis interpretibus, decerpta ſunt, apprimè noſtris moribus & uſui noſtro forenſi conveniunt; niſi quòd renovatio hæc apud nos non ſit neceſſitatis, ſed voluntatis tantùm. Neque enim apud nos dominus cogitur, ad petitionem vaſſalli, feudi renovationem concedere: neque vaſſallus ex neceſſitate cogitur petere, cùm utrumque ſit voluntarium, nec in domini recuſatione, aut vaſſalli ceſſatione, pœna amiſſionis feudi ſequatur; nam mitiores pœnæ nobis ſemper placuerunt. Hæc igitur feudi renovatio apud nos ſic fit *(c)*: vaſſallus dominum reverenter adit, petit præceptum (quod de *Clarè conſtat* apud nos dicitur, a verbis initialibus) ab eo ſubſcribi & ſignari, quo domini Ballivo (ſæpe hic arbitrio poſcentis inſeritur, cùm parum domini videatur intereſſe quis ſit Ballivus) præcipitur, ut ſaſinam petenti de ſuo feudo det ſecundum tenorem antiquæ inveſtituræ, quam nos *Infeofamentum* dicimus. Hoc facto, dominus, exacto quod ſibi ex non-introitu debetur, aut etiam condonato, præcepto ſive mandato ſe ſubſcribit, aſſerens *ſibi clarè & per monumenta manifeſtè conſtare, quòd K. ſive pater, ſive patruus, avus, aut abavus, N. latoris præſentium, obiit ultimò veſtitus & ſaſitus de tali fundo, ut de feudo, ad fidem & pacem S. D. N. Regis; & quòd N. eſt legitimus & propinquior heres dicti K. patris, ſive avi, aut patrui, aut alterius conſanguinei, in dicto fundo, aut prædio; & quòd ſit legitimæ ætatis, & quòd de ſe tanquam domino immediatè teneatur: itaque mandat Ballivo, ut, quamprimum ei de dicto feudo ſtatum & ſaſinam concedat.* Et hæc veteris ſive primogeniæ inveſtituræ forma erat, hæc inquam, ſi placidè inter ſe pro nova hac inveſtitura priùs tranſegerint. Quòd ſi non convenerint, tunc dominus concedere hoc præceptum non tenetur: ut neque, ſi duriores conditiones à domino adferentur, cogitur vaſſallus eo modo inveſtituram ſuam renovare: ſed ex uſu noſtro aliud utrique remedium competit; nam dominus, ſi vaſſallus ceſſaverit, fructus feudi interea lucratur, & eorum privatione vaſſallus punitur, ut poſtea in Diegeſi *De non-introitu* dicetur.

25. Quòd ſi dominus renovationem negaverit, vaſſallus Regis *Cancellariam* petit, Breveque ad judicem ordinarium impetrabit, ut cognitio fiat, quis de feudo illo poſtremo inveſtitus obiêrit, & quis ſit proximus de illo feudo heres. Hoc Brevi, ut nos loquimur, deſervito, i. e. declaratoriâ ſuper hoc Brevi emanante, rurſus vaſſallus adit *Cancellariam*, & mandatum Regium ad dominum ſuperiorem impetrat, quo ei præcipit omnium dominus ſuperior Rex, ut quamprimùm ſaſinam ſui feudi vaſſallo det. Si trinâ vice monitus dominus recuſaverit, Rex ſuperiori ejus domino mandat, ut is defectum ſui vaſſalli, i. e. domini immediatè ſuperioris, vaſſallo impetranti ſuppleat, ſaſinamque ei tribuat ejuſdem feudi, de ſe in futurum tenendi, quæ ſaſina, quoad vixerit ille qui quod debuit facere recuſavit, valebit. Sed de hac forma poſtea *(d)*.

(a) 2 F. 7 & 28. in fine, cap. 62. lib. 2. Reg. Majeſt. (b) 2 F. 3. in fine. (c) Vid. D. 17. § 22. (d) Dicto loco.

26. Hæc à noſtris hominibus potiora viſa ſunt, quàm illa, quæ & ſtrictè in jure Feudali continentur, ut neceſſariò dominus cogatur inveſtituram vaſſallo petenti concedere, niſi mallet directum dominium amittere, & vaſſallus eâdem neceſſitate & ſub eadem pœna cogatur intra annum & diem inveſtituram petere: nam in his multæ fraudes poſſunt occurrere, quæ per illam declarationem & deſervitionem Brevis facilè evitantur, ſiquidem dominus, ſi dubium ſit quis debeat ſuccedere, alicui poterit pro ſuo arbitrio gratificari, in præjudicium veri heredis, & qui ex jure immediatè debet ſuccedere; unde plurimum moleſtiæ vero heredi orietur in eo retractando, quod dominus, nullâ declaratione præcedente, ſed ex ſui capitis ſenſu, & fortè perverſo, fecerat. Ante tamen *Cancellariæ* apud nos inſtitutionem *(a)*, quæ ab Jacobo I. optimæ memoriæ Principe, ab inſtitutis Anglorum ad nos traducta eſt, nulla alia erat renovatio hujus feudi, quam quæ ex jure Feudali præſcribitur, nempe ut vaſſallus dominum ſupplex adiret, ab eoque renovationem inveſtituræ impetraret: an ſub eadem tamen pœna amiſſionis feudi, incertus ſum; quatenus autem conjecturâ aſſequi poſſum, eadem ceſſantis, aut non petentis, quæ hodie, tum pœna fuerat, nempe ut dominus ob ceſſationem à Senatu in judicio declaratam, dum viveret, directo dominio privaretur, quod mortuo eo ad heredes tamen ejus rediret; vaſſallus verò non petens, fructus illius temporis amitteret, qui domino cederent.

Diegeſis decima tertia,

De Succeſſionibus.

SUMMARIA.

1. *Succeſſio eſt modus antiqui feudi, non novi, acquirendi, non amittendi, ut quidam volunt.*
2. *Mortuo vaſſallo, varia oriuntur jura, viz. alia heredi, alia domino, quædam relictæ, & denique alia viro.*
3. *De ſucceſſione ab inteſtato, quæ ex jure naturali ſit.*
4. *De ſucceſſione ex legibus XII. Tabularum. Succeſſionis jus illibatum ſervari debet non ſolùm in ſummis magiſtratibus, ſed apud ordines inferiores, cùm nihil magis imperiis aut regnis damnoſum, quàm hoc modo juſtitiam violare. Hinc pro legibus ſucceſſionum tanquam pro aris & focis contendendum.*
5. *Heredis definitio. Heres apud nos quis? & quis pro herede habeatur?*
6. *Heredes etiam ſunt particulares, vel generales.*
7. *Quilibet heredem habere poteſt: & quis tantùm in mobilibus? Baronis nomine quid intelligatur hîc?*
8. *Succeſſio eſt quadruplex. Præter eam quâ conjuges ſibi invicem ſuccedunt, eſt & alia univerſalium ſucceſſorum apud nos, jure Romano bonorum poſſeſſores dicti.*
9. *Methodus ab auctore in hac materia ſucceſſionis propoſita.*
10. *Prima regula ſucceſſionis directæ eſt, ut, mortuo patre, ejus filii & filiæ in capita ſuccedant.*
11. *Succeſſio ex jure Divino: ubi eſt edictum ſucceſſorium perpetui usûs.*
12. *Quæ fuit ſucceſſio ex legibus XII. Tabularum, & in quo differat à jure Divino?*
13. *Diverſa filiorum genera diverſa in ſucceſſione producunt jura. Inter ſuos & emancipatos nulla differentia ex jure Divino, ſed in jure Romano maxima, ex legibus XII. Tabularum, mediâ juriſprudentiâ, & conſtitutionibus Imperialibus, eſt differentia. Patria poteſtas exolevit; ſic & exheredatio.*
14. *Cùm ſui inviti heredes eſſent, abſtinendi poteſtas eis à Prætoribus indulta eſt. Idem ab Imperatoribus conceſſum, ſed facto inventario. Secus apud nos, ubi Auctor conſilium ſuggerit, quatenus jus Civile juri Divino congruit.*

15. *De*

(a) Vid. D. 2. § 18.

15. *De poſthumis, & qui ſint?*
16. *Legitimati ex ſequenti matrimonio legitimis & naturalibus ſimul, jure Divino, Civili & Pontificio, parificantur. Legitimationem per oblationem curiæ non agnoſcimus.*
17. *De adoptivis, qui jure Divino, XII. Tab. & jure Civili eodem modo in bona patris adoptivi, atque naturalis, ſuccedunt. Adoptio eſt juris Divini. LL. XII. Tab. & mediâ juriſprudentiâ ſuccedebant ut legitimi & naturales ſimul: ſed conſtitutionibus Imperialibus nonnihil eſt immutatum. Sed adoptionis hujus nulla ratio jure Feudali, aut apud nos; ſed tantùm legitimorum & naturalium.*
18. *De monſtroſo partu.*
19. *In primo gradu ſucceſſionis filiorum, nulla differentia inter filios diverſorum matrimoniorum.*
20. *Secunda regula ſucceſſionis deſcendentium eſt, filiis deficientibus nepotum ſucceſſio; iis deficientibus, pronepotum.*
21. *Jus repræſentationis quid? In ſtirpes ſuccedere quid?*
22. *In capita ſuccedere quid?*
23. *Tertia regula ſucceſſionis eſt quæ fit matri. Jure Canonico rara heredum aut ſucceſſorum mentio, nullæ ab inteſtato ſucceſſionis regulæ.*
24. *Jus Feudale, proprium hujus regni jus: ideoque ſucceſſio feudi eſt ſecundum jus Civile, niſi quatenus in jure Feudali aliter diſpoſitum legimus.*
25. *Quid ſit ſucceſſio in feudis? & cur dicatur actus legitimus? Quidam nomen heredis non merentur.*
26. *Prima regula ſucceſſionis ex jure Feudali eſt, mortuo vaſſallo, filiis in capita, i. e. quot filii, tot partes.*
27. *An legitimati per ſubſequens matrimonium admittantur jure Feudali? Apud Anglos non admittuntur, licet communi interpretum juris Feudalis ſententiâ ſint admittendi; nec cujuſvis Principis ſtatuto contrarium fieri poſſit. Legitimati per oblationem curiæ, aut per Principem ſpuriorum nomine habentur. Apud nos, legitimati per ſubſequens matrimonium in eodem ſunt gradu cum legitimis; exemplo Familiæ de Sempil. Filii ſuccedentes in feudo agnoſcunt hereditatem paternam, ſed agnati, non niſi feudum ſit novum, vel omninò maſculinum. Sunt tamen quædam exceptiones ab hac regula.*
28. *Filii ad Morganaticam nati non ſuccedunt. Qui tales ſint? Ea prima eſt in ſucceſſionibus exceptio.*
29. *Secunda eſt in feudis dignitatum, in quibus nulla ſucceſſio, nec jure Feudali, nec apud Anglos. Secus in Comite, cujus primogenitus eſt, ut apud nos, Comes.*
30. *Tertia exceptio eſt in adoptivis, qui jure Feudali non ſuccedunt, & apud nos pro extraneis habentur.*
31. *Secunda regula ſucceſſionis ex jure Feudali, eſt quòd matri ſuccedant filii in capita, eodem modo, ac patri, ex quocunque ſint matrimonio. De jure primogenituræ, quæ non ſolum apud nos, ſed apud pleraſque gentes nobiliſſimas obtinet. Unde hoc jus originem duxerit.*
32. *An jus primogenituræ in republica expediat, tam in dignitatibus, quàm in feudis privatorum? Hæc primogenitura in maribus tantum obtinet, non in fœminis, niſi aliter caveatur.*
33. *Diviſio feudorum in Wallia erat eorum reipublicæ exitialis.*
34. *Ubi primogenitura obtineat? Quid ſi gemelli naſcantur?*
35. *Si primogenitus ſit inhabilis, an jus primogenituræ amittat?*
36. *In adminiſtratione Regalis feudi, diverſæ ſunt opiniones. De primogenitura ulterius remiſſivè.*
37. *Tertia regula ſucceſſionis feudalis eſt, deficientibus filiis, nepotes, pronepotes, &c. in ſtirpes ſuccedunt, ſervato jure repræſentationis.*
38. *Conſuetudo ſucceſſionis apud nos, primogenituræ, atque repræſentationis juri favet, unde cruentiſſima bella.*
39. *Foriſfamiliatio in hereditatibus apud nos eſt ignota, nec patria poteſtas locum habet. Sed jus primogenituræ inviolabiliter obſervatur. Jus noſtrum quod ſub nomine Regiæ Majeſtatis tranſit, reprehenditur.*
40. *Apellatione liberorum, nurûs, natorum, & filiorum quid intelligatur?*
41. *De ſucceſſione aſcendentium ex jure Civili, ſciz. LL. XII. Tab. & mediâ juriſprudentiâ, quæ* Triſtis *vocatur. Sed parentes hic eodem modo, ac filii, ſunt diſtinguendi.*
42. *Prima regula ſucceſſionis aſcendentium, eſt patris naturalis tantum.*
43. *Secunda regula aſcendentium eſt quâ pater naturalis & legitimus concurrit cum fratribus*

fratribus & ſororibus germanis in hereditate liberorum ſuorum in capita, ſi nullos deſcendentes reliquerint. Nec pater matri, nec mater patri præfertur, niſi in iis bonis, quæ ab iis reſpectivè proceſſerunt.

44. *Tertia regula ſucceſſionis aſcendentium eſt, quod legitimati parentes eodem modo ſuccedant ac legitimi*

45. *Quarta regula ſucceſſionis aſcendentium eſt in adoptivo; ſi deſcendentem adoptaverit, ſuccedit; ſecus ſi extraneum.*

46. *Jure Feudali, eſt regula generalis, quòd aſcendentes nunquam deſcendentibus, etiam ſine liberis decedentibus, ſuccedant. Apud Anglos eſt quid ſingulare etiam jure Feudali ut pater ſuccedat filio mediatè, ſed non immediatè. Duo tamen caſus excipiuntur in jure Feudali, in quibus pater filio ſuccedere poteſt, excluſis collateralibus. Jure noſtro frater excludit patrem, cum apud nos, niſi in fœminis, non eſt niſi unus ſucceſſor.*

47. *An apud nos locum habeat hoc jus, ut perpetuò prohibeantur aſcendentes deſcentibus ſuccedere? Duo exempla afferuntur quibus hoc jus aſſeritur, quibus coincidit auctoris opinio, quòd jure noſtro pater filio ſuccedere non poſſit, niſi cum nulli deſcendentes ex patre ſuperſint.*

1. TERTIUS modus feudi acquirendi eſt ſucceſſio, quam licet inter modos amittendi feudi plerique nominent *(a)*, tamen a nobis acquirendi modus potiùs videtur, cum aperto per deceſſum prioris vaſſalli feudo, ejus heres immediatus illud à domino de novo acquirat. Illud tamen hic repetendum, quod in renovatione diximus *(b)*, ſucceſſionem eſſe modum feudi antiqui, ſeu paterni acquirendi, non novi.

2. Mortuo itaque vaſſallo, ex feudo jacente diverſimodi jura pullulant: aliqua enim ad heredem pertinent, veluti feudi ſucceſſio, & alimenta ex eo; alia ad dominum, nempe non introitus, cuſtodia tam ipſius feudi, quàm corporis ipſius heredis, relevium, maritatio heredis; quædam ad relictam ſive viduam, nempe tertia, & conjuncta, ſi quæ eſt, inveſtitura, ſive uſusfructus; quædam viro, ſi ejus conjunx, cum heres eſſet, decederet, nempe curialitas. De his ſingulis dicendum.

3. Quod ad ſucceſſionem attinet, de ea hic loquimur, quæ ab inteſtato eſt: hæc & jure Divino, & naturali & gentium, & Civili cujuſque regionis jure, denique & noſtro jure Feudali, non ſolum ſtabilita & confirmata, ſed nobiſcum quaſi à natura ingenita eſt. Nam, præterquam quòd ex ſacra pagina conſtat, *filius eſt, ergo heres (c)*: & præter tot formas ſucceſſionum à Moſe & judicibus Pop. Iſraelitici inſtitutas *(d)*, ne inter quidem animalia muta cura prolis ceſſat; videmus enim ſæpe fera animalia, etiam volucres, ut prolem ſive pullos diſcrimine eximant, ſe in manifeſtum non ſolùm periculum, ſed etiam mortem conjeciſſe, dum ſobolem ſupereſſe ſibi, quàm ſe illi mallent. Hominum non tantùm ea cura eſt, ut liberi educentur, ſed etiam, ut poſt ſua fata, eis quam maximè conſulatur. Hinc illæ in vita curæ, anxietates, labores, fatigationes, diſcrimina etiam vitæ, non ut ſibi ſolis, ſed poſteris etiam provideant: arbores etiam ſerunt, quarum fructibus nunquam veſcentur; ædificant etiam, quibus brevis habitandi uſus relictus eſt; opes cogunt, quibus nunquam uſuri ſunt; ſupellectilem parant, cujus viliori parte ipſi, dum vivunt, fruuntur, melior pars ad heredes perventura: neque enim, ut nobis tantùm conſulamus, tam miſerè cogendis opibus immorimur & tabeſcimus, ſed ut poſteris benè ſit, quibus proſpectum anxiè cupimus. Hæc itaque ſucceſſio ex æquitate naturali, & charitate ſanguinis deſcendit *(e)* & per omne jus, quod inter homines colitur, tam altas radices agit, ut difficulter quaſſari, difficiliùs evelli poſſit: citiùs enim naturam ipſam ex animis hominum expellemus, quam jus & curam ſucceſſionis; nam jus hoc ſucceſſionis, tanquam omnis juris fundamentum & cauſa, ſupra alia omnia colendum & obſervandum eſt, quippe cujus gratiâ omnia alia jura penè inſtituta ſunt; neque ulla gens in toto terrarum orbe eſt, quæ ſucceſſionis præcipuam non habeat curam, apud quam leges de ſucceſſione & multæ & ſacroſanctæ non ſint.

4. Pri-

(*a*) Lib. 3. D. 1. § 3. (*b*) D. 12. § 1. (*c*) Galat. iv. 7. (*d*) Per exempla Abrahami Geneſ. xxiv. 35 & 36. & xxvii. Numeror. de filiis Zelophehad. (*e*) l. 15. ff. de inoff. teſtam. l. 7. pr. ff. de bonis damnatorum.

4. Primùm enim leges XII. Tabularum, quæ juris antiquiſſimi nomen hodie meruerunt (cum neque Solonis, neque Draconis aut Lycurgi leges exſtent,) de ſucceſſione tam teſtamentaria quàm ex inteſtato diſertè caverunt, nempe in teſtamento, ut hereditates, teſtamento jure facto datæ, ratæ eſſent, ut, *uti quiſque legaſſet rei ſuæ, jus eſſet (a)*; ab inteſtato verò, ut hereditates primò ſuorum heredum, velint nolint, eſſent *(b)*. Si ſui non ſint, agnatus proximus familiam habeto *(c)*, ne tota cognatio ſimul in bona irrumpat. Ex quibus, quæ Romanorum in ſucceſſione fuit politia; quæ Græcorum, ex quibus Romana jura defluxerunt, ſatis appareret. Nam ne hodie, cum multitudine & legum & librorum obruamur, vix quicquam ad has addi poteſt, niſi quòd jure Prætorio (quod corrigendi juris antiqui causâ introductum eſt) hereditatem ſubire nemo invitus teneatur *(d)*; neque teſtamento liberos, ſeu in poteſtate, ſive emancipatos, cuivis negligere aut præterire permittitur *(e)*. Utcunque eſt, ſatis conſtat, nullam aliam conſervandæ reip. rationem eſſe, niſi jus ſucceſſionis illibatum ſervetur, non minus in ſummis magiſtratibus & imperiis, quàm apud ordines inferiores. Neque eſt quod quis mihi objiciat, imperium ipſum, & nonnulla regna, qualia ſunt Polonorum & Danorum hodie, electione continuari, & non ſucceſſione. Quis tamen hujus electionis fructus fuerit, omnium gentium hiſtoriæ teſtantur; quot nefandæ cædes, quot cruenta bella, quàm impiæ conjurationes inter electos Imperatores, dum quiſque ad ſe trahere imperium niteretur, quot proditiones, lanienæ inde extiterint, qualiter publicum patrimonium exhauſtum, opes diminutæ. Et quod adhuc reſtaret, periiſſet, niſi in electione Imperatorum ratio ſæpius ſucceſſionis habita fuiſſet, ut hodie in familia Auſtriaca videmus, in qua dignitas Imperialis, licet ex electione fieri caveatur, decem aut undecim Cæſarum perpetuâ ſerie ſucceſſionis continuata eſt. Una ſit teſtis vicina Anglia, quanta ſit hujus ſucceſſionis vis, quæ, cum injuſtè Regium ſanguinem Eboracenſem regno ſpoliaſſet, ſubſtituto Henrico IV. Duce Lancaſtrio, in infinita bella & calamitates incidit, undecim præliis vix finita eſt controverſia, præter cruentiſſimam illam dimicationem, quæ inter Henricum IV. & Percium Northumbrum contracta eſt, donec Eboracenſi familiæ regnum reſtitutum, poſtquam ſupra 120. Anglorum millia in præliis trucidata, 38. Principes Regii ſanguinis aut præliis aut ſuppliciis exhauſti: cum interim his ſeditionibus impediti in publicum nihil conſulerent, totâ Galliâ, quam non ſolum jure ſucceſſionis, ſed armis feliciſſimis obtinuerant, amiſsâ. Nec in Edwardo IV. finis fuit, ſed etiam ſeditio inter Henricum VII. & Richardum III. recruduit, donec extincta penè utrâque regiâ familiâ Henricus VII. unicus tum familiæ Lancaſtriæ heres, Eboracenſis familiæ & etiam totius regni heredem in conjugem accepiſſet, regnumque in qua debuit familia ſtabilitum. Hoc ergo præmoneo vicinos noſtros, & longâ jam pace conjunctos, penè concives, juxta Virgilianum illud,

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos.

Cum pulsâ optimi Regis Edwardi, qui in Divorum numerum relatus eſt, progenie, cui jure regnum debebatur, Gulielmum Ducem Normanniæ, Conquæſtorem dictum, in regnum admiſiſſent, quot cladibus & miſeriis ab eo & ejus filio Rufo afflicti ſunt? quot Angli patrimoniis ſpoliati, ut Normanni ditarentur? leges Normannicæ, abolitis veteribus Saxonum inſtitutis, vi inductæ: neque erat tum ex Anglis, qui aut ſuum ferè patrimonium ſibi aſſerere, aut liberi ferè hominis vocem efferre auderet. Itaque cavendum illis ſupra omnia, ne in idem incommodum recidant, ſed ſacroſanctas illas, & quaſi omnium gentium communi conſenſu confirmatas de ſucceſſione leges in futurum, ſuo malo ſapientes, ament, venerentur, & cuſtodiant, proque eis, tanquam pro aris & focis contendant. Jam ad ipſam ſucceſſionem veniamus; in qua videndum primò, quid heres? quis heredem habere poſſit? quid

(a) Pr. Inſtit. de lege Falcidia. (b) § 1. Inſtit. de heredit. quæ ab inteſt. defer. (c) Pr. Inſtit de legit agnat. ſucceſſ. de qua D. 15. § 1. (d) § 2 & 5. de hered. qualit. & differ. l. 57. ff. de acquir. vel omit. heredit. (e) Pr. Inſtit. de exhered. liberorum

ſit ſucceſſio? quot ejus genera, quibuſque legibus ſucceſſionis, omnes utantur?

5. *Heres* autem is in jure dicitur, qui in univerſum jus defuncti ſuccedit *(a)*, i. e in omne id, quod defunctus tempore mortis habebat: ſed hoc nomen homonymum eſt, & diverſimodè, tam in jure, quam in uſu forenſi, uſurpatur. Apud nos, heres is ſolus eſt, qui in feudum rerum immobilium aut rei alicujus immobilis ſuccedit. Rerum etiam moventium eſt quidam heres, veluti, qui ex mobilibus optimum quodque capit, & qui apud nos *Executoris* nomine contentus eſt: neque heredis eum nomine, niſi (ut Dialectici loquuntur) ſecundum quid, dignamur, ita tamen ut pro herede habeatur, quoties eo nomine convenitur: nam ſi agat aut conveniat, titulo perfecto opus erit, ut mox dicemus. Sic in aſſedationibus & conductionibus eſt quædam hereditas, quæ etiam ſine deſervitione tranſit; ſed pro deſervitione eſt, ſi immediatè ſucceſſurus titulo aſſedationis, prædeceſſori ſuo factæ, ſe veſtiat.

6. Sunt & particulares heredes, qui non in totum jus, ſed in partem ſuccedunt; veluti ſi hereditas ad maſculos & non ad fœminas pervenerit. Nam ſi maſculi heredes ſingulares ſive particulares tantùm ſunt, ſi modo propinquior heres ſit, nempe fœmina, aut ſi quis heres ex ſecundo, aut tertio matrimonio ſit, quem nos *heredem ex proviſione* dicimus, qui non in univerſum jus ſuccedit, ſed in id tantum, in quod convenerat, ut is ſuccederet; cum heres generalis non ex conventione ſed ex legitima juris diſpoſitione ſuccedat.

7. Quilibet autem heredem habere poteſt. Nam licet vulgatum illud circumferatur, neminem heredem habere, præter Baronem, Prælatum, aut Civem ſive Burgenſem *(b)*; hoc tantum intelligendum de herede bonorum mobilium: licet enim res omnes moventes ad Executorem pertinere diximus, tamen ſi quis Prælatus, Baro, (*Baronis* nomine intelligitur quicunque in rei immobilis ſive annui reditus feudo ſuccedit) aut ſi civis alicujus regii burgi decedat, non omnia moventia bona ad Executorem deveniunt, ſed aliqua ad eum qui immediatè ſucceſſurus eſt, pertinebunt, ut antea dixi, ita ut in unaquaque ſpecie bonorum, quod optimum eſt ei debeatur. De hoc herede poſtea in Diegeſi, quæ, *Communia ſucceſſionum* inſcribitur.

8. Succeſſio autem quadruplex eſt: aut enim eſt *linealis*, quâ qui in directa ſunt linea, deſcendentes ſive aſcendentes, ſibi invicem ſuccedunt: aut *collateralis*, quâ qui ſunt à latere directæ lineæ ad ſucceſſionem vocantur: tertia eſt *talliata*, quam nos aliquando *conventionalem (c)*, aliquando *proviſionalem* dicimus: quarta, qua, reliquis deficientibus, *dominus vaſſalli*, tanquam ultimus heres, in feudum ſuccedit *(d)*, ſive potius, ad quem jus feudi redit: nam, quod ad illam ſucceſſionem attinet, quâ conjuges ſibi invicem ſuccedunt, jure Feudali non agnoſcimus *(e)*. Eſt & aliud genus heredum, qui in jure Romanorum ſive media juriſprudentia *bonorum poſſeſſores* dicuntur, apud nos *univerſales ſucceſſores*, qui heredum loco ſunt quoad creditores, de quibus ſuus mox erit dicendi locus *(f)*.

9. Sed ut ad ſucceſſiones redeamus, quas nos *hereditates* dicimus, in juniorum gratiam, & ut eorum ſtudia promoveamus, qui, differentias cujuſque juris ab alio cupiunt dignoſcere, hunc ordinem ſequemur, ut primò, qui jure Divino, aut lege Moſaicâ (quæ omnibus aliis legibus prior tempore eſt) ad ſucceſſionem vocentur, proponamus; tum, quid leges XII. Tabularum in ſucceſſione præſcribant, quæ juris antiquiſſimi nomen apud Romanos merentur; tertiò, quid media juriſprudentia obſervaverit; quartò quid Imperiales conſtitutiones voluerint: denique quid jus Feudale in hac quæſtione præcipiat, & quid ex noſtro jure & noſtris moribus & Anglorum, qui penè in omnibus nobiſcum conveniunt, in uſu ſit: ita ut primum, de directa lineali ſucceſſione; deinde, de collaterali tam hereditatis quam conquæſtus; tum de talliata ſive feudo maſculino; poſtremò de ea hereditate, quam dominus & ultimus heres accipit, aliqua proponamus.

10. Pri-

(*a*) l. 59. ff. de R. J. l. 34. ff. de judiciis, l. 37. ff. de acquir. heredit. (*b*) Per cap. 125. legum burgorum, & cap. 54. Parl. 7. Jac. III. (*c*) Vid. D. 16. § 19. (*d*) Cap. 55. lib. 2. Reg. Majeſt. (*e*) 2 F. 8. § ult. (*f*) D. 17. § 4.

10. Prima itaque hæc ſit regula generalis in recta linea, mortuo patri ejus filii in viriles partes ſuccedunt & in capita. Quod de filiis dixi, de filiabus etiam intelligendum, ſed diverſimodè, ut mox apparebit. Hæc regula, ut naturalem præ ſe fert æquitatem, ſic nullum jus eſt, ſive ſit Divinum ſive humanum, cum quo regula hæc non convenit. Naturalis enim æquitas liberos ad ſucceſſiones parentum vocat, licet aliquas reſtrictiones ſive limitationes in jure Feudali & noſtris moribus patiatur, de quibus poſtea *(a)*.

11. Et primò, quod ad jus Divinum attinet, manifeſtè hæc regula apud Moſen proponitur his verbis: *Quumque filiæ Zelophehad conqueſtæ apud Moſen, Sacerdotes & Principes tribuum eſſent, quod cùm pater earum nihil admiſiſſet, cur ſuâ portione inter familias Manaſſis privaretur, & is ſine maſcula prole deceſſiſſet, ut in ejus poſſeſſionem ſive portionem filiæ admitterentur*; ardua quæſtio viſa Moſi, itaque de ea cùm Dominum conſuluiſſet, ita reſpondit Dominus: *Rem æquam petunt filiæ Zelophehad, itaque poſſeſſionem, quæ patri vivo contigiſſet, eo ſine maſcula prole mortuo, ad filias ejus transfer: ſitque lex inter Iſraëlitas hæc perpetua, Si quis ſine maſcula prole decedat, ejus hereditas ad filias deſcendat: ſi neque filias habeat, ad fratrem ſucceſſio pertinebit: ſi neque fratres habeat, ad defuncti patruos hereditas redibit; quibus deficientibus, ad proximos ex linea ſive familia paterna devolvetur: eritque hæc lex perpetua, quoties de ſucceſſione alicujus diſceptatio oriatur.* Hæc ad verbum, in quo hoc notandum, ordinem ſucceſſionis à Deo inſtitutum, æquumque pronunciari, ut maſculi in primo gradu fœminis præferantur, ſic ut deficiente lineâ rectâ maſculinâ, & non aliàs, fœminæ ſuccederent, primoque gradui collateralium præponantur; collaterales verò, ut quiſque gradu propior, ſic ad ſucceſſionem vocetur. Itaque ex jure Divino, in omnibus ſucceſſionibus deſcendentes collateralibus præferuntur; ita tamen, ut quiſque propior gradu defuncto poſteriores antecedat: ſic filius nepotem, nepos pronepotem præcedit in ſucceſſione. Sic de reliquis deſcendentibus in infinitum, neque enim collaterali ullus locus à jure Divino eſt, quamdiu aliquis deſcendentium ex recta linea ſupereſt.

12. Leges autem XII. Tabularum in hæc verba de ſucceſſione ſtatuunt: *Inteſtatorum hereditates primò ſuorum heredum velint nolint ſunto (b): his deficientibus, agnatus proximus familiam habeto (c).* Et ſic leges XII. Tabularum cum lege Divina, in deſcendentum ſucceſſione, conveniunt, niſi quòd jus Divinum filias non admittat, niſi deſint maſculi; at leges XII. Tabularum parem utrorumque habent rationem, & filios cum filiabus indiſcriminatim admittunt.

13. Sed non eſt eadem ratio omnium filiorum: alii enim *ſui* ſunt, i. e. in poteſtate & familia defuncti, cùm moreretur; alii emancipati, & manu ſive poteſtate patris liberati: rurſus alii filii ſunt naturales & legitimi; alii naturales & legitimati; alii naturales tantùm; alii legitimi tantùm; alii vivo patre nati; alii poſthumi: & ex diverſitate horum filiorum, diverſa jura in ſucceſſione oriuntur. Quod ad ſuos & emancipatos attinebat, nullum ex jure Divino inter eos in ſucceſſione eſt diſcrimen, parique modo ad ſucceſſionem in capita admittebantur, ſervatâ primogeniti prærogativa, de qua poſtea dicemus *(d)*. An autem emancipati, ſive qui poteſtate parentum liberati erant, ex jure veteri Romanorum æqualiter cum ſuis ſuccederent, magna erat inter leges XII. Tabularum, mediam juriſprudentiam, & Imperiales conſtitutiones differentia. Nam emancipati, & ſui juris effecti, ſuæ etiam fortunæ permittebantur à parentibus, nec in quicquam ſuccedebant; tantùm enim patriâ poteſtate liberabantur, & tunc, ex beneficio parentum, quatenus eis viſum erat, conſequebantur. Hoc ex jure XII. Tabularum, quod antiquum dicebatur *(e)*. At in media juriſprudentia, cùm durum videretur, emancipatos ſine ullo vel ſuo vel naturæ crimine à ſucceſſione paterna excludi, viſum eſt Prætoribus, ut hi cum eis qui in poteſtate erant conjungerentur: non ut heredes eſſent, (illud enim nequiverunt Prætores facere, cùm hereditas tantùm lege deferatur,) ſed ut bonorum poſſeſ-

(a) § 13. (b) § 1. Inſt. de heredit. quæ ab inteſt. defer. (c) Pr. Inſt. de legitim. agnat. ſucceſſ. (d) § 31. (e) § 9. Inſt. de heredit. quæ ab inteſt. defer.

ſores; & Prætores, quod ex jure deerat, ſupplebant *(a)*: nam emancipatis, ſi non hereditatem, bonorum tamen poſſeſſionem tribuebant; nec minor ratio erat in nepotibus emancipatorum, quàm ipſis emancipatis. Ex conſtitutionibus Imperialibus, quæ in locum legum XII. Tabularum ſucceſſerunt, rejectâ Prætoriâ bonorum poſſeſſione, ſublatâque differentiâ inter ſuos & emancipatos, omnes liberi, ſive in poteſtate, ſive extrà poteſtatem, pariter ad ſucceſſionem admittebantur *(b)*. Et ſanè hodie jus patriæ poteſtatis in toto pene orbe Chriſtiano antiquatum eſt: nam ſi verecundiâ aut pietate liberi in officio non contineantur, minúſve fuerint obſequentes, licet vitæ & necis poteſtas exoleverit, bonorum tamen diſponendorum remanet poteſtas; poſſuntque parentes, ex liberorum merito, ea in quæ liberi, ſi in officio manſiſſent, ſucceſſuri erant, in alios transferre, aliis, aut ſuis, aut extraneis diſponere, neque filiis in alimenta, neque filiabus in dotem aliquid præſtare, liberâ interim filiis aut filiabus rerum ſuarum adminiſtratione permiſsâ. Neque hodie exheredationem novimus *(c)*, niſi quam pater vivens, dùm ſua bona aliis promerentibus diſponit & alienat, facit; nam optimè meritorum filii in ſe, conſcius cùm ſit, & judex eſſe poteſt.

14. Quod autem leges XII. Tabularum ſuos voluerunt eſſe heredes, ſive velint, ſive nolint, id periniquum viſum eſt mediæ juriſprudentiæ: itaque Prætores eis abſtinendi poteſtatem præbuerunt, ſi damnoſa videbatur hereditas *(d)*; quod Imperatoribus adeò æquum viſum eſt, ut, poſtquam ſemel hereditatem agnoverint, & magnum æs alienum emerſerit, quod non ſperabatur; reſtitutis omnibus in integrum, abſtinendi adhuc poteſtatem præbuerint: nam iniquum putabant, hanc ignorantiam, in quam ſe heres non conjeciſſet, ei damnoſam fore: inventarium tamen cogebatur facere, quo facto, & judici exhibito, abſtinendi poteſtas dabatur *(e)*. Noſtri, ſi quis ſemel adierit hereditatem, reſiliendi poteſtatem tollunt; & poſtquam adierit, ſuſtinere omnia onera hereditaria etiam invitus cogitur *(f)*, ut Senatus ſæpe cenſuit: non tamen reſtitutionem unquam petitam & denegatam vidi. Et ſanè ſi quis, cùm ſemel adierit, liberari oneribus cupiat, quæ præter opinionem emerſerunt, actione reſtitutoriâ in tali negotio opus eſt; & meo judicio rectè fecerint, qui tali heredi ſuccurrendum putant. In reliquis, quoad legitimos & naturales, jus Civile Romanorùm, tam antiquum, quàm media juriſprudentia, & Imperiales conſtitutiones, cum jure Divino conveniunt, quatenus ad ſucceſſionem attinet; ſervatâ primogeniti ſemper prærogativâ. De aliis autem generibus filiorum hoc ſervatur; nam ex jure Divino filii naturales & legitimi ſoli ſuccedunt. Naturales & legitimos voco eos, qui ex juſtis nuptiis ſive juſto matrimonio ſtante nati ſunt: neque inſpicitur tempus conceptionis in his legitimis, ſed tantummodo nativitatis; hinc illud Pauli, *Si filius, ergo heres (g)*.

15. Poſthumi autem ſunt, qui poſt humatum patrem nati ſunt; & eadem eſt de eis ratio *(h)*, quæ de jam natis, licet apud veteres aliqua eſſet de hac re dubitatio, quaſi cognatione patrem (qui priùs quàm naſcerentur deceſſerat) non attingerent, neque in ejus unquam fuiſſe poteſtate dici poterant, & proinde nec ſui. Rectè tamen Paulus *(i)*, *Qui in utero eſt, perinde ac ſi in rebus humanis eſſet, cuſtoditur, quoties de commodis ipſius partûs quæritur: quanquam alii, antequam naſcatur, nequaquam proſit.* Nam cur ex patris inſperato obitu poſthumi calamitas augeretur? aut in quo peccâſſe cenſeri poterat, qui nondum natus patrem amiſit?

16. Liberi autem naturales & legitimati, propter juris auctoritatem, eodem modo ſuccedunt quo naturales & legitimi, *Legitimatos* vocamus, qui in concubinatu nati, juſtis nuptiis inter utrumque parentem poſtea ſequentibus; & jure hi legitimi cenſentur *(k)*: quod ex jure Divino originem traxiſſe videtur, cùm expreſs. Dominus juſſerit, *Si quis vitium virgini Iſraëliticæ intulerit, ut eam in uxorem ducat (l)*: quod

(a) Dict. § 9. Inſt. (b) Nov. 118. cap. 1. (c) 1 F. 8. pr. cap. 19. lib. 2. Reg. Majeſt. D. 18. § 32. (d) § 2 & 5. Inſt. de hered. qualit. & differ. l 57. ff. de adquir. vel omitt. hered. Vid. D 17. § 18. (e) l. 22. C. de jure deliberandi. (f) Nuperrimo tamen ſtatuto, ſciz. 25. Seſſ. 5. Parl unic. Gul. & Mariæ, heredibus conceditur beneficium inventarii. (g) Galat iv. 7. (h) De quibus & eorum circa nativitatem cura, ne falſus ſupponatur partus, vid. cap. 27. Stat. 2. Rob. 1. (i) l. 7. ff. de ſtatu hominum. (k) § 2. Inſt. de heredit. quæ ab inteſt. defer. (l) Deuter. xxii. 28 & 29.

quod fruſtra præcepiſſet, ſi ex illo congreſſu liberi nati non ſuccederent, aut eſſent illegitimi. Pontificii certè, qui ſe juris Divini interpretes eſſe volunt, legitimatos cum legitimis conjungunt, & eodem modo ad ſucceſſionem vocant: tanta enim vis eſt matrimonii ſubſequentis, ut de priori delicto inquiri non ſinat, & illud omnino tollat, & purget *(a)*. Quod ad jus Civile attinet, legitimati præſumuntur legitimi, licet inter eos quædam ſit differentia; quæ quoniam ad uſum noſtrum non pertinet, ſummatim tantùm & breviter percurrenda eſt. Nam, quod ad legitimationem per oblationem curiæ ſpectat, eam non agnoſcimus, ſola ea recipitur apud nos, quæ ex ſubſequente matrimonio naſcitur *(b)*. Neque enim, ſi quis ex concubinatu ejus, quam in uxorem habere tum poterat, natus ſit, ſi cum matre ejus ſequatur poſtea matrimonium, minùs legitimus cenſebitur, quàm is qui poſt contractum matrimonium natus eſt, ob præſumptionem juris. Nam jus præſumit, hunc ex ſequenti matrimonio legitimatum eſſe legitimum, & contra hanc præſumptionem probatio non admittitur, ut poſtea, in Diegeſi, *Quæ impediunt ſucceſſionem*, fuſiùs dicemus.

17. Filii autem legitimi tantùm, quales ſunt omnes adoptivi, & non naturales, jure Divino, XII. Tabularum & jure Civili, eodem modo ſuccedunt in bona patris adoptivi, atque naturales. Hæc autem adoptio videtur ex jure Divino originem primùm traxiſſe. Nam Jacobus filios Joſephi adoptavit, & filia Pharaonis Moſen: etenim cùm patria poteſtas ex legibus XII. Tabularum ſtabilita ſit, & adoptivi in numero ſuorum reputentur, ſuique dicantur, ut ſui etiam ſuccedebant æqualiter cum naturalibus *(c)*. Nam ſacroſancta illa antiquitas continuandæ familiæ curam ſuſceperat: ſi quis filios malè affectos aut animo aut corpore genuiſſet, in quibus timebat familiæ & nominis abolendam memoriam, & dignitatis ruinam, alium majoris animi & melioris indolis ex aliena proſapia adoptabat, qui domûs ruinam aliquando poſſet ſuſtinere. Sic Africani majoris filius, cùm infirmâ eſſet valetudine, Pauli Æmilii filium in adoptionem aſciverat: ſic Julius Cæſar, Octavium; Octavius, Tiberium; Tiberius, Germanicum patrem Caligulæ; Claudius, Neronem: & plerique alii ita in alienam proſapiam tranſibant, ut nomen ſuæ familiæ deponerent; eujuſque, in quam adoptabantur, nomen aſſumebant, niſi quod aliquam generis veri notam ſecum etiam ducerent. Sic Pauli filius, à Pub. Scipione adoptatus, Æmiliani; Octavius Julii Cæſaris nomini etiam Octaviani adjunxit: & ſic in reliquis. Itaque meritò horum cura quàm maxima debuit eſſe patribus qui adoptabant, ne adoptio illis fraudi eſſet. Ex legibus ſanè XII. Tabularum & media juriſprudentia, adoptivi æquè atque eodem modo cum naturalibus ſuccedunt: in conſtitutionibus autem Imperialibus, ſive jure novo, aliquid immutatum cernere licet. Adoptivi, qui tantùm legitimi dicuntur, ex conſtitutionibus Imperialibus, avo materno vel proavo in adoptionem dati, non aliter ſuccedunt iis à quibus adoptantur, tam ab inteſtato quàm teſtamento, quàm naturales & legitimi: nam hîc duo vincula concurrunt; unum naturale, quod avo aut proavo ſuo in adoptionem dati ſunt; alterum civile, nempe adoptio, itaque ad ſucceſſionem avi aut proavi admittuntur. Quod ſi in adoptionem dati fuerint extraneo, tunc ex jure Civili ſuccedunt ab inteſtato patri adoptanti æqualiter cum naturalibus & legitimis *(d)*. Quòd ſi pater adoptivus nullos filios naturales habeat, ſuccedunt patri adoptivo in omnibus bonis. Hoc tamen diſcriminis eſt inter legitimum naturalem & adoptivum, quòd legitimus naturalis querelam inofficioſi teſtamenti habeat; adoptivus autem non admittitur ad querelam *(e)*. Nam patri adoptivo libera permittitur teſtandi, ut volet, facultas; tantùm ab inteſtato (ut dixi) adoptivi cum legitimis & naturalibus concurrunt. Sed tam anxiâ in filiis his legitimis tantùm & adoptivis diſputatione, ad eam rem quam paramus, non eſt opus. Nam in jure Feudali, unde & noſtrum deſcendit, & cum quo conſentit, nulla adoptionis *(f)*, ſed tantùm legitimorum liberorum & naturalium ratio in ſucceſſione habetur.

(*a*) C. Tanta 6. Extr. Quilfilii ſunt legitimi. (*b*) Sed olim apud nos ſecus erat, ſi liber iſte Reg. Maeſt. jus noſtrum continere cenſendus ſit. (*c*) § 2. Inſt. de heredit. quæ ab inteſt. defer. (*d*) § 2. Inſt. e adopt. l. 10. C. § 1, 2 & 3. de adopt. § 4 & 5. Inſt. de exhered. lib. (*e*) d. l. 10. C. de adopt. (*f*) 2 F. 26. § 4. verſ. Adoptivus.

18. Quæri autem poteſt de monſtroſo partu, iſne in hereditatem ſuccedet, an non? Movet difficultatem, cùm nulla ei poſſit culpa imputari, cur privatione paternæ hereditatis ſit puniendus: naturæ enim vitium nemini debet imputari, cùm naturam in poteſtate non habeamus. Sed propius vero eſt, eos non ſuccedere; ſervandaque eſt illa Pauli juriſconſulti diſtinctio *(a)*, *Non ſunt* (inquit ille) *liberi, qui contra formam humani generis, converſo more procreantur: veluti, ſi mulier monſtroſum quid aut prodigioſum ſit enixa. Partus autem qui membrorum humanorum officia tantùm ampliavit, aliquatenus videtur effectus: & ideo inter liberos connumerabitur.* Puto & priori alimenta deberi, licet in ſucceſſione non admittatur. Quod ad naturales tantùm attinet, de his ſuus erit locus, cùm ad ſpurios ſive baſtardos veniemus *(b)*.

19. Notandum autem eſt, in hoc primo gradu ſucceſſionis filiorum, nihil intereſſe, utrùm filii hi ex uno matrimonio, an verò ex diverſis nati fuerint *(c)*; pariter enim & in capita jure Civili ad ſucceſſionem admittuntur, niſi fortè aliter in dotalibus inſtrumentis fuerit proviſum de ſucceſſione in ſtirpes. Et quoniam filios, ex regula ipſa, in capita patri, ex jure Civili, ſuccedere diximus *(d)*, ſupereſt ut de hac duplici ſucceſſione diceremus, niſi quod commodiùs in explicationem ſequentis regulæ poſſit differri.

20. Secunda regula ſucceſſionis deſcendentium itaque hæc eſt: Deficientibus filiis, nepotes ex eis ſuccedunt; & eis deficientibus, pronepotes; & ita deinceps in abnepotibus & trinepotibus in ordine deſcendentium in infinitum: ſed non in capita, ſed in ſtirpes, ſervato ſemper jure repræſentationis *(e)*. Pro cujus regulæ facilioni intellectu conſiderandum eſt, quid ſit repræſentatio, ſive repræſentationis jus, quid ſit ſuccedere in capita, quid in ſtirpes; nam hîc in ſtirpes ſucceſſio ſucceſſioni in capita opponitur.

21. *Jus repræſentationis* eſt, quoties poſterior non ex ſua, ſed ex prioris perſona, quam repræſentat, jus ſucceſſionis petit: veluti, præmortuo filio, cùm nepos aut neptis ad ſucceſſionem vocantur; non enim ratione ſui, ſed patris eorum, i. e. filii defuncti, ſucceſſio ad eos pertinet, neque hi ex ſua perſona hereditatem aut ejus partem poſſunt petere, ſed tantùm ex perſona patris, (nam ex ſua non admitterentur, cùm filii ex eodem parente ſuperſint, qui horum ſunt patrui, & ſic agnati propiores defuncti;) & hoc eſt ejus perſonam repræſentare: ſic nepos repræſentat filium, pronepos utrumque, ſi uterque præmortuus fuerit, ita tamen ut ſi plures ſint nepotes ex uno filio, aut ſi plures pronepotes ex nepote, unum tantùm filium & nepotem repræſentant. Inde provenit ſucceſſio *in ſtirpes*, quæ nihil aliud eſt, quàm cùm plures nepotes aut neptes, unius filii perſonam in ſucceſſione repræſentantes, avo ſuo, i. e. patri filii ſuccedunt: nam tum non per capita dividetur hereditas, ſed per ſtirpes.

22. *In capita* autem ſuccedere, eſt in viriles ſive æquas partes ſuccedere, ut non minus unus quàm alius accipiat, ut ſemotâ omni prærogativâ ætatis, aut ſexus, in tot partes hereditas dividatur, quot ſunt capita eorum qui ad ſucceſſionem vocantur. Per ſtirpes itaque ſuccediturr, quoties non fiunt tot partes hereditatis, quot ſucceſſorum capita, ſed quot ſucceſſorum ſtirpes, nempe ſi tres aut quatuor nepotes ſuccedant in eam partem in quam filius, ſi vixiſſet, fuiſſet ſucceſſurus. Exempli causâ, ſi quis ex juſto matrimonio quatuor filios ſuſcepiſſet, ipſi quidem filii in capita ſuccedunt, i. e. in quatuor partes æquales ſive quadrantes dividetur hereditas, & quilibet ſuum quadrantem, i. e. quartam partem habebit, quod eſt in capita ſuccedere: ſi verò ex his quatuor liberis, uno aut altero præmortuo, ex eiſdem defunctis nepotes ſuperſunt, fortè, ex primo filio, duo nepotes; ex ſecundo, quatuor: duo poſtremi filii, adhuc patri ſuperſtites, duos quadrantes, i. e. ſemiſſem hereditatis habebunt; reliquus ſemis, inter nepotes, ex duobus fratribus præmortuis, dividetur, non in capita, ut unuſquiſque æquam partem habeat; ſed per ſtirpes, ut primogeniti filii ſtirps, i. e. nepotes duo, unum habeant quadrantem, quantum ipſorum pater,

(a) l. 14. ff. de ſtatu hominum. (b) D. 18. (c) D. 15. § 5. (d) § 10. (e) 1 F. 8. pr. Vid. D. 17. § 21.

ter, ſi vixiſſet, habuiſſet: alii quatuor nepotes ex altero fratre, ſuum tantùm quadrantem, i. e. quartam partem hereditatis habebunt, licet ſint quatuor; unum enim tantùm patrem repræſentant, nec plus ex ejus hereditate conſequentur, quàm parens eorum habuiſſet, ſi adhuc viveret. Et hoc eſt in ſtirpes ſuccedere; nempe ut ex trunco diverſæ ſtirpes pullulant, & unaquæque ſuos ramos agit, licet una non tot ramos fecerit quot alia, non tamen minus ſtirps dicitur. Idem in repræſentatione pronepotum; nam tres pronepotes, ex nepote, unum nepotem repræſentant, & in eam partem ſuccedunt, in quam nepos, ſi vixiſſet, fuiſſet ſucceſſurus. Et ſic confirmatur regula tertia linealis ſeu directæ ſucceſſionis, ut liberi ſecundi, aut tertii gradus, i. e. nepotes, pronepotes, avo, proavo, abavo ſuccedant in ſtirpes, & non in capita, ſervato ſemper jure repræſentationis.

23. Tertia regula ſucceſſionis, tam ex jure Divino quam Civili hæc eſt: Matri *(a)* eodem modo filii ſuccedunt ab inteſtato, quemadmodum patri, in capita. Nepotes verò, pronepotes, abnepotes & trinepotes in infinitum deſcendentes, in ſtirpes, non in capita ſuccedunt: nam nulla eſt differentia, in ſucceſſione matris & patris; filii enim æqualiter ſuccedunt matri, æque ac patri. Nec intereſt utrum ſint ex eodem matrimonio procreati, an ex diverſo: nam licet ex quatuor diverſis matrimoniis filii naſcantur, eadem tamen ratio erit primi atque ultimi, niſi quòd in dotibus & lucellis nuptialibus filii non æqualiter ſuccedunt, ſed quiſque in ſui matrimonii dotibus & lucris ſuccedit. Idem ordo in nepotibus, pronepotibus, & abnepotibus ſervandus, qui in ſucceſſione patris. In omnibus his regulis hoc notandum, quòd eodem modo filiæ ſuccedunt, atque filii *(b)*. Hæc de ſucceſſione directa deſcendentium, quatenus ex jure Divino, & Civili Romanorum conſtat. Quod ad jus Pontificium ſive Canonicum attinet, rara heredum aut ſucceſſorum mentio, nullæ ab inteſtato ſucceſſionis regulæ *(c)*.

24. Sequitur jus Feudale, quod jus proprium hujus regni ab initio diximus *(d)*, quod non eſt ita abſolutè intelligendum, ut nulla ſit inter mores noſtros & jus Feudale diſſenſio. Nam Mediolanenſes, Cremonenſes, Veronenſes, Papienſes, jure Feudali, ut proprio, utuntur, & uti dicuntur, qui tamen in graviſſimis quæſtionibus & argumentis ſæpe inter ſe diſſident: itaque quoties mores noſtri à jure Feudali differunt, obiter tantum notandum putavi. Itaque in hac Feudali ſucceſſione, primò memoriâ tenendum eſt, ſucceſſionem feudi ſecundum juris Civilis diſpoſitionem fieri, niſi quatenus in jure Feudali aliter diſpoſitum legimus.

25. Succeſſio autem feudi definitur actus legitimus, per quem, vaſſallo defuncto, qui proximus eſt ei agnatus, feudi jus nanciſcitur, aut in quem jus illud continuatur. Dixi *actum legitimum*, cum is propriè heres non dicatur, niſi qui à lege ad ſucceſſionem vocatur: ſunt enim, ut nuper monui *(e)*, plerique, qui non ex lege, ſed ex conventione partium ſuccedunt; ſed hi nomen heredis non merentur, neque ad hereditatis petitionem admittuntur, quoties alius, cui hereditas ex lege debetur, ſupereſt.

26. Prima itaque ſucceſſionis ex jure Feudali regula eſt: Jure Feudali, mortuo vaſſallo, filii *(f)*, quorum prima ratio ſemper eſt in ſucceſſione, omnibus aliis excluſis, ſuccedunt in capita *(g)*, filii inquam, tam in patria poteſtate, quàm emancipati. Quod de filiis dixi, de filiis naturalibus & legitimis intelligendum eſt; & hoc æqualiter & in æquas partes, ita ut quot fuerint filii, in tot partes feudum dividatur, & cuilibet in ſucceſſione ſua pars attribuatur.

27. An autem legitimatus per ſubſequens matrimonium, ex jure Feudali admittatur, gravis eſt diſputatio inter Feudiſtas. Nam generalis regula eſt, legitimatum in feudo non ſuccedere, neque ſolum, neque cum aliis; ubi gloſſa exceptionem facit, ſi dictum fuerit in legitimatione, ut in feudo ſuccederet: ſed exceptio hæc in jure Feudali non habetur. An autem textus *(h)* ille loquatur de legitimatis per ſubſequens matrimonium, penè incertus ſum, licet gloſſa de eo legitimato tantummodo

(a) § 31. (b) § 10. (c) Vid. tamen Extr. de Succeſſionibus ab inteſtato. (d) Lib. 1. D. 4. pr. (e) § 6. (f) 1 F. 14. § 1. (g) 1 F. 1. § 1. ibi, Ad omnes æqualiter. (h) 2 F. 26. § naturales filii.

do intelligere videatur, qui beneficio Principis, aut per oblationem curiæ legitimatus eſt. Nam, ex textu, *filii naturales legitimati*, nec ſoli, nec cum aliis, ſuccedunt; ſed locus eſt proximo cognato. Et ſane mirum eſt hos à ſucceſſione excludi, &, cum, ex jure Eccleſiaſtico, eodem cum legitimis jure cenſeantur, non eodem jure in ſucceſſionem admitti. Sed eo tempore quo jus Feudale ſcribebatur, nondum ordo Eccleſiæ eas vires habuit, quas hodie habet; quod ex Anglorum conſtitutionibus vel maximè patet: neque enim, apud eos, legitimati ad ſucceſſionem admittuntur, etiam maximè annitentibus Pontificiis, qui tertium ordinem in comitiis publicis conſtituunt. Utcunque eſt, ex ſententia juris Feudalis interpretum, hi legitimati hodie ſuccedunt, adeò ut nec Princeps hodie ſtatuto cavere poſſit, ne legitimati ex ſubſequente matrimonio ſuccedant *(a)*. Quod ad legitimatos per Principem, aut curiæ oblationem, multo minus hi admittuntur ad ſucceſſionem, ſed numero ſpuriorum habentur, de quibus mox dicemus. Noſtris autem moribus, legitimati ex ſubſequente matrimonio in eodem ſunt gradu cum legitimis, licet in hoc diſſentiamus à vicinis noſtris, qui legitimatum ex ſubſequente matrimonio non admittunt, ſed *mulierem* per contemptum appellant: memini enim ante annos 34. Robertum Magiſtrum de Sempil, patrem Roberti nunc principis illius familiæ, cum ex concubinatu Joannæ Hamiltoniæ hunc ipſum filium ſuſcepiſſet, & ei impensè faveret, in articulo mortis, cum ſibi decedendum videret, ad ædem ſacram ſe in lectica deferri curaſſe, ibique nuptiis ſolenniter peractis, cum domum rediiſſet, octavo poſt die fatis conceſſiſſe: ex quo ſubſequente matrimonio, licet in lecto ægritudinis, in quo deceſſit, ſolenniter peracto, filius antea ſuſceptus non minus in hereditate ſucceſſit, quàm ſi ex legitimo matrimonio natus fuiſſet. In hac prima regula ſucceſſionis feudalis hoc eſt obſervandum, quòd filii ſuccedentes in feudo, agnoſcere etiam videntur hereditatem paternam. Aliud tamen in agnatis, qui licet ſuccedant in feudo, non tamen ex jure Feudali cenſeri poſſunt heredes defuncti, niſi fortè feudum ſit novum, aut omninò maſculinum. Ratio differentiæ eſt, quia agnatus non videtur ſuccedere defuncto, ſed primo vaſſallo inveſtito, & ex lege inveſtituræ; itaque hereditatem agnoſcere non tenetur, licet in feudo ſuccedat *(b)*. Patitur tamen hæc regula, de ſucceſſione filiorum, aliquas exceptiones.

28. Prima, quòd filii *ad Morganaticam nati* non ſuccedant in feudo cum aliis fratribus, & hoc ex conventione Morganatica, quâ convenit ne ſuccederent. Filii autem, ex matrimonio ad Morganaticam contracto, ii ſunt, qui ex ſecunda conjuge ſuſcepti ſunt, & ut illius temporis erant mores, ſecunda vix putabatur juſta uxor; cum qua ſecunda conjuge convenit, ut filii ex eo matrimonio ſuſcepti non ſuccederent, nec plus haberent, de bonis paternis, quam pater diceret tempore ſponſaliorum. Hoc Mediolanenſes vocant *ad Morganaticam uxorem accipere*; itaque hi ex conventione non ſuccedunt *(c)*.

29. Secunda exceptio eſt, in feudis dignitatum, quales ſunt Ducatus, Marchionatus, Comitatus, in quibus ex jure Feudali nulla eſt ſucceſſio *(d)*; non enim filii fiunt Duces, Marchiones, & Comites, imò ne primogenitus quidem naſcitur Dux, aut Marchio, ſed per novam inveſtituram ab Imperatore denuo eadem feuda à liberis & proximis agnatis recipiuntur. Quod & hodie in Anglia obſervatur: nam Duce vel Marchione decedente, filius ceſſat dici Marchio, vel Dux, niſi idem de novo à Principe impetraverit. Comitis tamen nomen, & apud illos & nos, cum primogenito Comitis manet.

30. Tertia exceptio ab hac regula eſt, de adoptivis; qui licet nomine filiorum, ut antea dixi *(e)*, cenſeantur, jure tamen Feudali non ſuccedunt, neque eis in ſucceſſione locus eſt *(f)*, etiam in præjudicium collateralium in ulteriori gradu. Hos adoptivos ante diximus *(g)* legitimos tantùm dici, (cum adoptio ex lege deſcendat) & non naturales, qui ad ſucceſſionem non admittuntur: & licet adoptio apud nos ſit rara, nunquam tamen, ex jure, adoptivo ſucceſſio permittitur. Id ut nonnulli

(a) Ob rationem in § 16. adductam. (b) 2 F. 45. (c) 2 F. 29. & 26. § 5. verſ. Filii. (d) 1 F. 13. in fine. & 14. in pr. & § 1. (e) § 17. (f) 2 F. 26. § 4. verſ. Adoptivus. (g) § 17.

nulli præveniant, ſi charum habeant hunc adoptivum, ſolent eum, dum vivunt, inveſtiendum curare, cum alioqui pro extraneo habeatur.

31. Secunda itaque regula ſit hæc: Matri defunctæ, ex jure Feudali, ſuccedunt filii, eodem modo atque patri, & in capita *(a)*: nec intereſt filii hi ex eodem matrimonio nati ſint, an ex diverſis; nam ultimi matrimonii filius in eandem partem ſuccedit matri, in quam ex primo matrimonio progenitus; neque ullum diſcrimen eſt inter eos, qui ex diverſis conjugiis nati ſunt, cum inter eos ex æquis partibus hereditas dividatur; & in hac regula mares ſemper excludunt fœminas; adeo ut, quamdiu maſculus ex ullo matrimonio eſt, omnes filias etiam ex primo matrimonio excludat à ſucceſſione feudi materni. Si deſint filii, ut dixi, in æquas partes ſuccedunt filiæ. Jure noſtro primogenitus, ex quocunque ſit matrimonio, non ſolum reliquos fratres, in feudo materno, ſed etiam ſorores excludit, ſoluſque in feudum maternum ſuccedit. Hæc quoad jus Feudale; & licet in uſibus feudorum, liberi, ſi plures ſint, in æquas partes feudi ſuccedebant, tamen in non exigua parte Normanniæ & tota Britannia, ſi plures ſint filii, primogenitus ſuccedet ſolus, nec ulla pars feudi ad reliquos fratres pertinebit. Sic, ſi ſint ex primogenito plures nepotes, ad maximum natu filium primogeniti feudum devolvitur, excluſis aliis, ſive filiis, ſive nepotibus, ita ut ſemper primogenitus ex nepotibus aut pronepotibus patrem repræſentet. Hæc autem eſt primogenituræ prærogativa, quæ non ſolum apud nos, ſed pleraſque alias gentes nobiliſſimas obſervatur. Unde autem prærogativa primogeniti, ut is cæteris fratribus in feudi ſucceſſione præferatur, originem ſumpſerit, non omnibus clarum eſt: nam magnam fuiſſe primogenituræ prærogativam, etiam apud Patriarchas, ex jure Divino conſtat. Abraham enim, cum plures liberos ex Ketura ſuſcepiſſet, primogenito tamen primæ conjugis quodcunque erat hereditatis dedit *(b)*; alios in alias regiones, cum ſuis donis, amandavit. Eandem fuiſſe rationem primogenituræ in ejus nepotibus conſtat ex illa venditione inter Eſaum & Jacobum facta, & cenſurâ Domini ſubſequente, quæ etiam locum habuit in bonis terreſtribus *(c)*. Moſes etiam à Domino jubetur, in diſtribuenda hereditate, uti duplam portionem ex bonis paternis habeat primogenitus, etiam ex ea natus, quæ non uſque adeo dilecta ſive chara marito ſuo fuerat, atque aliæ conjuges: nam apertè Dominus ait, *non poſſe patrem, primogenitum ex priore conjuge, licet odioſa, præterire, ut ejus portionem dilectæ filius habeat (d)*. Sic primogenitus Domino ſacratus eſt, lege eâdem Moſaicâ *(e)*. Hinc primogenituræ jus ad alias gentes emanaſſe puto. Bartolus tamen jus hoc primogenituræ ex jure gentium originem ſumpſiſſe credit, ſicut & omnes inſtitutiones heredum, & teſtamenti factiones ex jure gentium provenerunt: & ſanè Tacitus, cum de moribus Germanorum ſcribit, eos refert ad primogenitos omnia prædia deferre, reliquis liberis, more Abrahami, pecuniam tantum ſolitos legare. Itaque plerique Feudiſtæ jus primogenituræ ab humana conſuetudine ſtatutum & ſtabilitum affirmant; licet Zaſius illud de lege Divina negare videatur. Canoniſtæ autem (ut antea dixi) ex verſiculo eo Pſalmi cxv. *Cœli cœlorum Domino, terram autem dedit filiis hominum*, colligunt, quod à Domino hominibus ſit conceſſum, ut leges de feudorum ſucceſſionibus ſtatuant *(f)*, pro diverſitate regionum diverſas forte; ut diverſa, ſive localia eſſe feudorum jura antea monui, ſervanda etiam in foro poli; & proinde caveri poſſe, ſi uſus reip. exigat, ut primogenitus in totum feudum ſuccedat, (licet jus Civile Romanorum quam maximè repugnet, ut teſtatur Juſtinianus,) nec primogenitum peccare putant, qui beneficio legis uſus, totam hereditatem occupet & retineat. Ego ſanè eum, qui ſecundum leges patriæ quid acquirit, peccare in foro conſcientiæ non putarim, ſi vel lege jubente, vel ex uſu perpetuo (qui inſtar legis, imò aliquando lege potior & prior habetur) id faciat: neque enim cuiquam ſucceſſio meritò exprobrari poteſt, etiam in foro conſcientiæ, qui leges ſuæ conſcientiæ, ſive teſtes, ſive judices habeat.

(a) Ut § 23. dictum. (b) Geneſ. xxiv. 35 & 36. & xxv. 5 & 6. (c) dict. Gen. xxv. 29. ad fin. & xxviii. ad verſ. 6. (d) Deuteron. xxi. 15, 16, 17. (e) Exod. xiii. 1, 2. (f) Vid. D. 16. § 10 & 14.

32. Quæri tamen poteſt, an reip. expediat, ut primogenitus in univerſam hereditatem ſive feudum univerſum ſuccedat, excluſis non ſolùm ſororibus, ſed etiam fratribus? Et ſanè inter omnes convenit, quòd in imperiis, regnis, ducatibus, marchionatibus, comitatibus, baroniiſque, & aliis omnibus feudis, quæ annexam dignitatem habent, hæc feuda non debeant dividi in plures partes ſive heredes *(a)*; ne dignitates paulatim collabantur, & ſic contemnantur, cum alioqui multitudo imperantium reip. non expediat.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς, ——————

ait Homerus. In feudis privatorum major dubitandi ratio eſt; nam ſi primogenitus in omne jus defuncti ſuccedat, fratres alimentis, ſorores dotibus pro dignitate fruſtrabuntur. His tamen non obſtantibus, prævaluit conſuetudo perpetua cujuſque regionis, quæ ut ſibi commodum videbatur, hæc, aut illa, ex jure Feudali, in ſuum uſum tranſtulit; nonnulla etiam mutavit. Quod ad nos attinet, puto expedire, ne feuda dividantur, ne nomina magnarum familiarum (quibus ſolis veluti regni columnis, & quaſi fulcris, cum ſtipendia deſunt, onera belli ſuſtinentur) corruant. Sed hæc primogenitura in maribus tantum locum habet; fœminæ enim heredes æqualiter ſuccedunt, niſi aliter in lege feudi fuerit cautum, de quo poſtea *(b)*, cum de feudo fœmineo dicemus, locus erit.

33. Hæc itaque de primogenitura raptim & quaſi per tranſennam: ſuffeciſſet enim ad noſtrum inſtitutum dixiſſe, primogenitum filiorum in Britannia univerſa *(c)*, in feudis tam novis quàm antiquis, i. e. (ut nos loqui ſolemus) tam hereditate quàm conquæſtu ſuccedere. In Cambria ſive Wallia, feuda antiquitùs dividebantur in capita; ſed illud toti ſuæ reip. damnoſum tandem agnoverunt, cauſamque eam aſſignant, cur tam facile in ditionem Anglorum venerint; cùm Magnatum familiæ, quibus eorum reſpublica ſuſtentabatur, dividerentur *(d)*: nam vaſſalli pro militibus ſunt, quorum ordines, ſi in partes minutas diſcerpantur, corruunt facillimè; ſi integri permaneant, facíliùs vim hoſtilem poterunt ſuſtinere.

34. Ex hac tamen primogenitura, diverſæ quæſtiones poſſunt intervenire; veluti, ſi gemini naſcantur, nec conſtet uter prior, neque ex teſtimoniis, neque judiciis, nec alio quovis modo: alii enim utrique ſimul permittendam ſucceſſionem volunt; alii in hoc caſu gratificationi eſſe locum, veluti cui dominus velit gratificari.

35. Alia: ſi primogenitus ſit inhabilis ad ſuccedendum ad ſervitia, an jus primogenituræ amittat, & locum ſecundò genito faciat; quod plerique negant, niſi primogenitus prior renunciaverit, vel jus ſuum ceſſerit; vel alioqui conſuetudo loci, vel feudi natura id diſponat. Quid ergo fiet, dicet aliquis? Inhabili primogenito dabitur curator, præcipuè ſi ex caſu, & non natura factus ſit primogenitus inhabilis (iniquum enim eſt caſum vel fortunam alicui obeſſe,) cum primogenitura ſit jus perſonale, nec in alium tranſmittatur.

36. In adminiſtratione autem Regalis feudi, ſunt qui putant primogenito curatorem dandum, ei nempe, qui non naturâ, ſed ex caſu factus eſt inhabilis. Alii patrem, cum domini conſenſu, providere poſſe putant, ut ex ejus liberis, qui magis idoneus eſt, eligatur. At ſi impubes heres fuerit, & ob ætatem adminiſtrationi non idoneus, tutor ei dandus eſt, non ex patris elogio, ſed ex proximis heredibus ab inteſtato maſculis; quia hi ſoli ſpem ſucceſſionis in feudo habent: itaque & tutelæ onus ad eos pertinet, nec patri ne ad tempus de feudo diſponere permiſſum, nec agnatis jus ſuum auferre. Plura de primogenitura qui velit, legat Tiraquellum de primogenituræ jure, legat item Martinium Laudenſem, Joannem le Cerier, qui omnes ſuos tractatus de primogenitura & ejus jure ediderunt. Fateor equidem multa ſecum primogenituram incommoda adferre; ſed plura tamen commoda, quæ illa, ſi rectè omnia æſtimentur, longè prægravant. Et hæc de primogenitura.

37. Tertia

(a) 2 F. 55. § 1. ibi, Præterea. (b) D. 14. § 7. (c) Vid. lib. 1. D. 4. § 7. (d) Caradocus in hiſt. Walliæ.

37. Tertia regula eſt: Deficiente primo filiorum gradu nepotes, aut iis deficientibus pronepotes, non in capita, ſed in ſtirpes ſuccedunt. Hæc regula juris Feudalis eſt, nempe ut ſi primus gradus deſcendentium deficiat, tum nepotes, pronepotes, vel etiam abnepotes, avo, proavo, atavo ſuccedant in ſtirpes, & non in capita *(a)*: neque enim quot erunt perſonæ aut capita ſuccedent, ſed pro numero ſtirpium. Itaque computandum à ſtipite eſt, quot ille ſtipes ramos ſive ſtirpes produxerit, & in tot partes hereditas dividetur, ſive in æquali gradu fuerint, ſive inæquali; nam tres ex uno filio pronepotes, cum uno nepote ex alio ſuccedent, ſemper ſervato jure repræſentationis, ut hi tres locum patris præmortui obtineant, & ſic quot fuerint defuncti filii, totidem hereditatis partes fiant.

38. Quod ad mores noſtros attinet, filii non ſuccedunt in capita, ut nulla eſt maſculorum apud nos in capita ſucceſſio; nam primogenitus filius, reliquis fratribus excluſis, ſuccedit in aſſem. Quòd ſi primogenitus præmoriatur, relictis ex ſe pluribus nepotibus, ſolus primogenitus nepotum eum repræſentat, neque ſucceſſioni in ſtirpes ne tum quidem locus eſt. Adeò autem nepos ex filio primogenito ſuccedit, ut ſi neptem tantùm habuerit, & feudum ſit fœmininum, i. e. in quo fœminæ ad ſucceſſionem admittuntur, hæc una neptis, jure noſtro, patruos excludet. Quòd ſi primogenitus nullos ex ſe reliquerit liberos, locum ſecundò genito in ſucceſſione facit, & ita deinceps de tertiò genito. Scio antiquitùs graviſſimas quæſtiones ortas, non ſine cruentiſſimis prœliis, utrùm, primogenito præmortuo, relicto ex ſe nepote, iſne in ſucceſſione avi præferendus ſit patruo ſuo ſecundò genito, an verò ſecundò genitus nepoti? Et habet quæque partes ſuos aſſertores, viros graviſſimos & doctiſſimos, exemplaque extant plurima, tam apud veteres quàm recentiores, de ea controverſia. Nam & eo jure Henricus IV. regnum Angliæ, ejecto Richardo II. ſibi arrogavit; & contentio illa atrociſſima inter Ducem Britanniæ & Joannem Comitem Montisfortenſem, quæ ex eadem cauſa oriunda, non niſi multorum cladibus expiata eſt. Qui plura de hac quæſtione velit, legat Bodinum de rep. *(b)*.

39. Jus noſtrum ſcriptum, quod ſub nomine *Regiæ Majeſtatis* comprehenditur, ita ambiguè de hac quæſtione loquitur, ut nihil ex eo elici poſſit, quod judicium alicujus confirmet: ait enim, *Si primogenitus, vivente patre, foriſfamiliatus fuerit, & in aliqua parte hereditatis infeudatus, & patri præmoriatur, nepos eo caſu nihil ex hereditate avi poteſt petere; reliqui filii poſt primogenitum ſuccedent (c)*. Sed apud nos foriſfamiliationis nomen in hereditatibus ignotum eſt, nec patria poteſtas locum habet: quid ergo dicemus? profectò, jure noſtro, perpetuò hoc obſervandum eſt, ut non ſolùm nepos ex primogenito, ſed etiam neptis, ſi feudum ſit fœmininum, excludat patruos omnes, & hoc virtute repræſentationis & primogenituræ, quæ apud nos inviolabiliter obſervatur. Sed multa alia ſunt in eo libro reprehendenda; ſiquidem auctor illius vult, *Si plures ſint filii, primogenitum ſuccedere, in feudo militari; in ſoccagio verò omnes filios æqualiter, principali tamen meſſuagio relicto primogenito, pro dignitate primogenituræ, pro quo tamen ſatisfaciet reliquis (d)*: quod eſt falſiſſimum, ut pleraque alia illius libri, in materia ſucceſſionis, ſunt.

40. Et hæc de directa linea deſcendentium, quâ omnes liberi ad ſucceſſionem vocantur: nam *liberorum* appellatione nepotes & pronepotes comprehendi, cæteroſque qui ex his deſcendunt, notat Calliſtratus *(e)* ex legibus XII. Tabularum, & alii Juriſconſulti; ſic *nurûs appellatio ad pronurum & ultra porrigenda* eſt *(f)*; & *natorum & filiorum appellatio ad nepotes (g)*: ſic neptis & proneptis maritos *generos* vocamus *(h)*. Sic è diverſo patris nomine & *avus*, & *proavus*, & cæteri ſuperiores *(i)*. Hæc addidi, ad retundendas quorundam Anglorum calumnias, qui *liberorum* nomine filios in primo gradu tantummodo comprehendi volunt, ut eo prætextu ſereniſſimi Regis noſtri jus ſucceſſionis in regnum Angliæ inverterent, de quo poſtea pleniùs.

41. Abſolutâ itaque alterâ parte lineæ directæ, nempe de deſcendentium ſucceſ-

(a) 1 F. 8. pr. (b) Lib. 6. cap. 5. (c) Lib. 2. cap. 33. Reg. Majeſt. (d) Lib. 2. cap. 27. Reg. Majeſt. (e) l. 220. ff. de V. S. (f) l. 50. ff. ibid. (g) l. 104. ff. ibid. (h) l. 136. ff. ibid. (i) l. 51. ff. ibid.

ſione, quatenus ex jure Civili Romanorum conſtat; ſupereſt altera pars rectæ lineæ, nempe de ſucceſſione aſcendentium. Neque enim ſolùm deſcendentes in directa linea, ex jure Civili, ſuccedunt aſcendentibus; ſed etiam aſcendentes deſcendentibus: in quo non ſolùm jus vetus à media juriſprudentia, ſed & media juriſprudentia à jure Feudali, & jus etiam Feudale à ſe ipſo, pro diverſitate locorum & regionum, in quibus uſurpatur, differt. Et quoniam hæc ſucceſſio aliquas apud noſtrates difficultates peperit, & adhuc parere poteſt, non eſt res hæc perfunctorie tranſigenda. Ex antiquo jure XII. Tabularum nulla erat parentum ſucceſſio in bonis liberorum deſcendentium: in media juriſprudentia *(a)*, ſi filius, teſtamentum faciens, patrem præteriiſſet, dabatur inofficioſi querela patri, eodem modo ac ſi pater filium teſtamentò præteriiſſet *(b)*. Non obſcurè ſignificabant Prætores Romani per hoc, non minùs jus patribus in filiorum hereditatibus eſſe, quàm liberis in parentum ſucceſſione: itaque ſuccedebant parentes ſuis liberis, ſi nulli ex defuncto deſcendentes eſſent, quorum ſemper in ſucceſſione potior erat conditio; nam, ut rectè notat gloſſa, ita demum patrem ad querelam admitti, ſi ſuccedere potuerit, in qua querela prior erat cauſa deſcendentium quàm patris. Sic patri contra tabulas teſtamenti filii, dabatur bonorum poſſeſſio à Prætore. Cùm enim Prætor videret, ex veteri jure, filiis, aut deſcendentibus, iiſque tantùm qui eſſent in poteſtate, locum eſſe in hereditate defuncti; patrem omnino præteritum, etiamſi nulli deſcendentes eſſent, jus antiquum correxit, & patri, contra tabulas, bonorum poſſeſſionem filii præbebat *(c)*. Itaque hæc ſucceſſio, quâ pater filio ſuccedebat, *triſtis ſucceſſio* ſive *turbata* dicebatur, ſecundum illud tritum in ſcholis:

Ordine turbato ſuccedis, Bulgare, nato.

Sed, ut res tota clarior fiat, uti liberos antea *(d)* diviſimus, in naturales tantùm, in naturales & legitimos, in naturales & legitimatos, & legitimos tantum, ſic parentes eodem modo diſtinguemus.

42. Alius enim eſt pater naturalis tantum, alius naturalis & legitimus: naturalis pater tantùm filio ſpurio non ſuccedit, niſi pro ea parte, qua ſpurius patri ſuccederet, ſi pater naturalis præmortuus fuiſſet, (nam eſt quædam inter eos relatio *(e)*,) i. e. in duabus unciis, ſive in ſexta parte hereditatis, unà cum matre ſua, ut antea dixi.

43. Naturalis & legitimus, in hereditate liberorum ſuorum, omnibus cognatis præfertur, ſi filius nullos poſteros ex ſe reliquerit, exceptis defuncti fratribus & ſororibus germanis; nam hæ nomine fratrum aliquando comprehenduntur. Germanos autem fratres & ſorores voco, qui ex eodem patre & matre ſunt, & hos germanos fratres patres admittunt ſecum ad ſucceſſionem, ſive filii, de cujus hereditate quæritur, ſint in patris poteſtate, ſive non. Itaque in hac ſucceſſione pater cum fratribus & ſororibus germanis defuncti concurrit *(f)*. Sed utrùm ſuccedent in capita, an in ſtirpes, quæſtio eſt. Puto in capita, quamdiu frater aut ſoror eſt, ut in totidem partes dividatur hereditas, quot perſonas pater cum omnibus ſuis liberis vivis faciat. Nec pater hodie matri præfertur, ut olim; & regula hæc intelligenda eſt de bonis filii adventitiis: nam ſi quæ bona habeat, quæ à patre profecta ſunt, vel per lineam paternam deſcenderunt, pater in his excludit matrem; ſic in eis bonis, quæ à matre ſunt profecta, aut materna linea, mater patri & paternæ lineæ præferetur. *Quæ enim invidia eſt*, ait Imperator *(g)*, *quod à patre profectum eſt, ad eum reverti?*

44. In parentibus legitimatis, eadem ratio ſucceſſionis obſervatur, quæ in legitimis: nam jure Civili legitimatus pro legitimo habetur; hoc ſolùm intereſt, quòd mortuo legitimato filio per oblationem curiæ, quarta pars ſucceſſionis ſervabatur curiæ.

45. Pater

(a) Vid. D. 14. § 9. (b) l. 14 & 15. ff. de inoff. teſtam. (c) § 1. Inſt. de bonor. poſſeſſ. (d) § 13. (e) Nov. 89. cap. 13. (f) Nov. 118. cap. 2. (g) § 1. Inſt. Per quas perſonas cuique acquiritur,

45. Pater legitimus tantùm & non naturalis, qualis eſt adoptivus, ſi extraneum ſibi adoptaverit, non ſuccedet : nam habetur loco extranei. Si tamen aliquem ex deſcendentibus adoptaverit, veluti ex filia nepotem, ei mortuo ſine liberis ſuccedet pater adoptivus. Hæc de ſucceſſione aſcendentium ex recta linea in jure Civili; nunc videndum, an in jure Feudali, aliqua etiam ſit parentum ſucceſſio in recta linea.

46. Generalis itaque hæc propoſitio, pro axiomate certiſſimo, ex jure Feudali tenenda eſt, *Parentes nunquam filiis, etiam ſine liberis decedentibus, ſuccedere poſſunt.* Nam aſcendentium ordo in feudis, ſive ſit laicus ſive Eccleſiaſticus, quoad ſucceſſionem non admittitur; nunquam enim ſuperiores in recta linea, licet etiam ex jure ſint proximi agnati, deſcendentibus ſuccedunt, ſed ſoli deſcendentes ſuperioribus *(a)*. Apud Anglos *(b)*, licet pater nunquam filio ſuccedat, nec aſcendentium in recta linea ratio habeatur, filio tamen præmortuo ſine liberis patruus ſuccedit, ut etiam in jure Feudali : quod quamvis mirum cuivis videri poſſit, cùm pater patruo uno gradu ſit filio propior, tamen illi prohibent patrem a filii ſucceſſione, patruumque defuncti, i. e. patris fratrem ei præferunt. Quòd ſi is patruus ſine liberis deceſſerit, ei in omnibus ſuccedet ejus frater, qui defuncti erat pater : & ſic pater ad hereditatem & ſucceſſionem filii pervenire poterit, ſed non ut pater, ſed ut frater patrui, cujus primus erat locus in ſucceſſione; &, quod dicere ſolemus, mediate quidem fieri potuit, ut filio pater ſuccedat, nempe alio agnato propinquo priùs ſuccedente; at ut immediatè, tanquam heres immediatus, filio ſuccedat, jura Feudalia non permittunt. Duo tamen caſus in jure Feudali excipiuntur, in quibus pater filio ſuccedere poteſt : unus, ſi ob bene merita patris filius fuerit inveſtitus *(c)*; ſecundus, ſi pater priùs in feudo exiſtens *(d)*, illud idem in favorem filii ſui renunciaverit; nam præmoriente filio, ſuccedit pater in illud feudum, quod in favorem filii demiſerat; neque hoc abhorret à ratione, & his duobus caſibus, pater in feudo filii ſuccedit, excluſis collateralibus. Sed jure noſtro *(e)* frater patrem excludit, nec cum patre concurrit, ut aliquando interpretes juris Feudalis volunt; nam apud nos, præterquam in fœminis, nullus eſt niſi unus ſucceſſor *(f)*. Quod de fratre dixi, non idem de patruo, licet & is jure Anglico patrem excludat.

47. An autem hoc jus & apud nos etiam locum habeat, ut aſcendentes in recta linea perpetuò prohibeantur à ſucceſſione deſcendentium, ambigi poteſt. Ex jure noſtro ſcripto, ſi nulli ſint deſcendentes, tunc pater filio ſuccedit; ita tamen, ut fratribus defuncti omnino poſtponatur, & cum eis non concurrat, vocaturque *triſte lucrum*. Sed auctor ejus libri parùm ſibi conſtare videtur. Sanè à viris doctis accepi, non ſuccedere apud nos aſcendentes in recta linea deſcendentibus. Primus, qui contrarium apud nos tentaverat, fuit Archibaldus Comes Anguſiæ : nam cùm ille filium biennem in feudo totius Comitatûs inveſtiri curâſſet, filiuſque ei præmoreretur, facti pœnitens, voluit ad feudum redire : itaque cùm Breve de morte anteceſſoris ex Cancellaria procurâſſet, & executioni ad certum diem mandari feciſſet, die adveniente, omnibus modis annixus eſt, deſervitionem per inquiſitionem fieri, quâ ipſe heres proximus filio ſuo in Comitatu declararetur. Cujus judicii quis fuerit eventus, incertum planè me faciunt virorum doctorum diverſæ ſententiæ : alii enim deſervitum dixerunt; alii planè non fuiſſe deſervitum, ſed diem deſervitionis dilatum, & interea dictum Comitem, re non ſequutâ, mortem obiiſſe; alii rem compoſitam inter ejuſdem familiæ primores ferunt. Puto ego non fuiſſe deſervitum patrem filio; cùm Archibaldus Comes Anguſiæ (qui anno Domini 1588 mortuus eſt Smetoni) in heredem huic ipſi infanti deſervitus ſit, quaſi ille de Comitatu ultimò veſtitus & ſaſitus obiiſſet; quod factum nunquam fuiſſet, ſi priùs ejus pater in eodem feudo filio ſuo ſucceſſiſſet : cùm tamen ratio aliqua ex jure Feudali dari poterit *(g)*, quare Archibaldus ſenior filio ſuo ſuccedere debeat, quia in ejus favorem feudum Comitatûs totius inter manus Reginæ dotariæ renunciaverat. Quicunque eventus il-

(a) 2 F. 50. pr. & 2 F. 84. (b) Vid. D. 15. § 13. & lib. 1. D. 7. § 14. (c) Arg. l. 6. ff. de collat. bon. & l. ult. in fine, C. de uſufr. (d) 2 F. 14. (e) Id eſt, antiquâ conſuetudine. (f) Cap. 30. lib. 2. Reg. Majeſt. (g) Ut § præcedenti, literâ (e).

lius judicii fuit, ab eo exemplum multi traxerunt, ut parentes in heredes filiorum decedentium deſervirentur; inter quos, illuſtris Dominus Colvillus de Eaſter Weymes, cùm filio feudum totius dominii ſui procurâſſet, eo præmortuo, nuper ſe in heredem ei deſerviri curaverat. Sed ſunt qui illud putant factum, quòd expreſsè in inveſtitura filii cautum erat, ſi is ſine liberis deceſſiſſet, ut feudum ad patrem rediret: lex ergo inveſtituræ fecerat licere, quod jure non licebat. Neque enim, ſi meam opinionem afferre liceat, puto fieri poſſe, in tam expreſſa juris prohibitione, ne aſcendentes deſcendentibus ex eadem linea ſuccedant: & licet ſæpius factitatum viderim, nunquam tamen à Senatu approbatum memini; cùm alioqui legem aut conſuetudinem inducere, contra expreſſas juris regulas, inferioribus judicibus non liceat, neque eorum ſententiæ vim conſuetudinis habere queant. Sed, ex noſtro jure, pater nunquam ſuccedit, niſi cùm nulli deſcendentes ex patre ſuperſunt; nam fratres defuncti & ex eis omnes deſcendentes ei præferuntur in ſucceſſione, licet ex jure Civili pater cum fratribus defuncti, i. e. ſuis filiis, debeat concurrere; cum in eodem, ſaltem popiori gradu, ſit defuncto. Et ſæpe cum viris doctis, qui in contraria erant opinione, ſermones conferens, illud tantùm pro ratione adductum vidi, nempe, fieri non poſſe, ut patruus, in fratris filii ſucceſſione, ipſi patri præferatur; cùm ſæpe occaſio, cur filius hereditatem acquiſierit, à patre deſcendat; itaque omnino ſuo munere privari durum eſſet. Deinde, quòd uno gradu propior pater eſt quam patruus; & nullam inquiſitionem reperiri poſſe, quæ ſalvo ſacramento & conſcientiâ aſſerere audeat, patrem propinquiorem heredem eſſe fratris ſui filio, quamdiu propior, i. e. pater, ſupervixerit. Hæc itaque mea eſt ſententia, patrem ex jure Feudali non poſſe ſuccedere filio, cùm expreſse aſcendentes à ſucceſſione prohibeantur *(a)*: quæ ideo magis mihi arridet, quòd idem jus à vicinis Anglis obſervari video, à quibus jus noſtrum non minima ex parte defluxerit; emendaturus meam opinionem, ſi quis mihi aliter cum ratione perſuaſerit. Et hæc de linea directa, tam deſcendentium, quæ omnibus præfertur, omneſque alias excludit, quàm aſcendentium, quæ ſi qua apud nos eſt, à fratribus & ſororibus defuncti, de cujus feudo agitur, excluditur: nam fratres, ſorores, & eorum omnes liberi, in feudo fratris ſui parentibus præferuntur; ſed nunquam, niſi ex hoc fratre deſcendentes defuerint, quorum ſemper prior ratio eſt.

Diegeſis decima quarta,

De Succeſſione fœminea, tam directa quam collaterali.

SUMMARIA.

1. *In feudis regulariter nulla fœminarum ſucceſſio: ſed quatenus ea moribus noſtris permittatur, ſequentes ſunt regulæ.*
2. *Prima regula eſt, quòd fœminæ in feudo non ſuccedant, qualecunque ſit; ideoque heredum generalium nomine mares tantùm intelliguntur, ſive feudum ſit francum ſive emphyteuticum. Quod de filiabus dictum, idem de omnibus ex filia deſcendentibus.*
3. *A regula præcedenti excipitur, niſi tenor inveſtituræ nominatim contineat, tam fœminas quàm mares, aut heredes quoſcunque: fœminæ tamen tantùm, ſi mares deficiant, admittuntur. Earum ſucceſſio ſit in capita, niſi aliter proviſum ſit, ut primogenita ſola ſuccedat, quod publicè interſit feuda non dividi. Licet jure Feudali generali heredum nomine mares intelligantur, & dictio* quibuſcunque *ſecundum juris Feudalis diſpoſitionem capiatur; moribus tamen noſtris contrà ſit, & fœminæ nomine heredum intelliguntur. Dictio* quibuſcunque *adeò fœminas*

(a) 2 F. 50. & 2 F. 84.

minas comprehendit, ut si omittatur pro expresso habeatur, cui convenit Baldus. Semper tenor investituræ observandus; & fœminæ nunquam admittuntur, sive tenore investituræ, statuto, vel consuetudine, nisi deficientibus masculis.

4. *Secunda exceptio ab hac regula est in bonis non feudalibus, in quibus fœminæ cum maribus succedunt.*

5. *Tertia exceptio est, ubi fœminæ maribus præferuntur.*

6. *Quarta exceptio est, si feudum sit fœmininum. Quid sit feudum fœmininum? remissivè: vel si feudum concedatur ob ea servitia, quæ vel non minus honestè exerceri possunt à fœmina quàm viro; vel quæ honestè exerceri non possunt nisi à fœmina; vel feudum sit ita concessum ut alienare liceat, vel heredibus, vel assignatis.*

7. *Secunda regula successionis fœmineæ est, si nulli sint filii, & feudi natura fœminas admittat, eæ in capita succedunt, sive ex diversis matribus, sive una sint, & unica filia, ut unicus mas, in assem succedit. Si plures, superioritas ad primogenitam pertinet cum omni ejus prærogativa, dominium utile cum omnibus ejus emolumentis inter reliquas dividitur, tenendum non de primogenita, sed de domino omnium superiore. Principale messuagium primogenitæ cedit, pro quo cæteris satisfaciet, nisi sit burgense, quod dividitur.*

8. *Tertia regula successionis fœmineæ est, si filiæ præmortuæ sint relictis nepotibus aut neptibus, hi succedunt in stirpes jure Feudali; sed apud nos primogenitus excludit reliquos. Controversia inter Brussium & Balliolum.*

9. *Mater eodem modo liberis succedit quo pater jure Civili, ex media jurisprudentia; at aliter ex constitutione Justinianea. Sed jure nostro mater nunquam succedit, neque per se, neque cum aliis.*

10. *Linealis successio sæpe variatur provisione; & ex diversis resignationibus, in favorem diversorum matrimoniorum, provisiones variant: ubi ex utraque parte multum laboratum est, in certo casu, qui non ex decisione Senatûs, sed transactione terminabatur.*

11. *Sequitur causa trium sororum Aikmannarum, Senatûs decisione finita.*

12. *Diversum tamen obtinuit in alia causa, in qua vis obligationis, non conjunctæ infeudationis, prævaluit.*

13. *Quæstiones aliquot de hac fœminea successione, ubi prima & secunda.*

14. *Quæstio tertia.*

15. *Quæstio quarta.*

16. *Quæstio quinta.*

17. *Quæstio sexta. Quæ dicatur fœmina in capillitio?*

1. DE fœminarum successione in feudis etiam aliqua videntur subjicienda, licet regulariter nulla sit successio fœminarum in jure Feudali *(a)*, ob rationes, quæ tam in textu, quàm à Doctoribus allegantur. Itaque ut intelligatur, quatenus, ex moribus nostris, successio hæc permittatur, regulas aliquot generales de hac successione fœminea, tam directa, quàm lineali, adjiciemus.

2. Prima itaque regula feudi in hac successione est prohibitoria. Fœminæ in feudo non succedunt, sive sit magnum, sive parvum, rectum an degenerans; neque enim ad munera militaria, pro quibus solis feuda dabantur, earum opera dominus uti potest: nec arma tractare norunt, quod proprium est vassallorum: neque in consilia domini admitti mulier potest, cum quæ audit reticere nesciat, ut volunt plerique. Itaque fœmina ab omni feudo tanquam inutilis sive inhabilis excluditur *(b)*. Nam & Romanorum legibus, ab omnibus officiis & muneribus civilibus prohibentur fœminæ *(c)*; adeoque in eis rerum gerendarum prudentia desiderabatur, ut semper sub tutela aliena essent, veluti vel viri, vel patris. Generaliter itaque filius, exclusâ sorore, in feudum succedit, non obstante Justinianeâ constitutione *(d)*, quâ cavetur, ut idem jus in filiarum successione, quæ & marium sive masculorum esset; licet, ex media jurisprudentia, masculorum in multis melior conditio esset, quàm fœminarum *(e)*. Uxorius tamen Imperator vitium illud antiquitatis corrigens, eos *naturæ accusatores* vocat, qui aliam conditionem succedendi in maribus, aliam in fœminis facerent, quasi natura peccasset, quod non omnes masculos generaverit,

(*a*) 1 F. 8. § ult. in medio. 2 F. 11. ibi, Ad filias, & ibi, Proles. 2 F. 36. (*b*) Per dictos textus, vid. lib. 1. D. 14. § 2. (*c*) l. 2. ff. de R. J. (*d*) Nov. 118. (*e*) l. 9. ff. de statu hominum.

raverit, ut, unde poſtea generarentur, non eſſet *(a)*. Sed alia ætas alios mores poſtulabat; nam in eruptione gentium Borealium, nulla fœminarum habebatur ratio, neque aliqua earum erant miniſteria, cum feuda ob ſervitia militaria tantùm acquirerentur, & hodie videmus, apud omnes gentes, majorem eas rationem habere maſculorum quàm fœminarum, quas ſolâ dote contentas eſſe oportere putant (ſi quæ tum erant dotes, quæ verſimiliter apud Boreales antiquitùs nullæ erant,) relictis virorum fortium præmiis eis, qui demereri poterant. Sanè cum feudi ſucceſſio non tam in voluntate vaſſalli, quàm domini concedentis eſſet, graviſſimum ille præjudicium in ſervitiis ſuis patiebatur, ſi mulier, ad omnia ſervitia militaria inepta, domino ſeu nolente ſive volente in feudo ſuo ſuccederet. Itaque ex jure Feudali, *heredum generalium* nomine mares tantum comprehenduntur *(b)*, adeo ut ſi Titius Mevio & ejus heredibus feudum conceſſerit, heredes maſculi tantum ſuccederent, & non fœminæ, etiam ſi arma tractare didicerint, ut antiquitùs Amazones ſolebant, ut de Joanna Puella Aurelianenſi, & quadam hodie Hibernica narratur: ratio eſt, quia, ad ea quæ rarò fiunt, voluntates contrahentium non rectè accommodantur; imò neque in feudo franco, nec emphyteutico, licet ſervitia non debeant, fœminæ ſuccedunt. Nam licet feudum francum in hoc degeneret, quòd ſervitia nulla debeat, & emphyteuticum, quòd non ſit gratuitum; in reliquis, in quibus non degenerant, communem feudi naturam ſequuntur: ſed in feudo emphyteutico, multi contrarium ſentiunt. Nos poſteriorem ſententiam ſequimur; alioqui, ex jure, ne tum quidem fœminæ ſuccedent, licet dicatur Titio, & ejus liberis, generi, poſteris ſeu poſteritati, feudum conceſſum. Quod de filiabus diximus, idem de omnibus ex filia deſcendentibus, ſive mares ſint, ſive fœminæ: nam ne mares quidem per fœmininam lineam deſcendentes, ad ſucceſſionem admittuntur *(c)*.

3. Hæc niſi aliter in inveſtitura proviſum fuerit *(d)*, i. e. niſi tenor inveſtituræ, ſive ſolennis illa feudi conceſſio contineat nominatim, ut heredes tam mares quam fœminæ, aut *heredes quicunque* ſuccederent; neque tamen, ne hoc quidem caſu, fœminæ ſuccedunt, niſi nullus ſuperſit maſculus *(e)*. Quamdiu enim unus maſculus filius extat, fœminas excludit; & hoc propter armorum paratiorem expeditionem. *Proviſum in inveſtitura* dicimus, ſi ita concipiatur, *heredibus ſuis quibuſcunque*: nam vocem hanc [*heredes quicunque*] fœminas etiam comprehendere neceſſe eſt. Itaque talis clauſula, quoties in inveſtitura expreſſa eſt, facit ut feudi ſucceſſio, non minus ad fœminas quàm ad mares (fœminas, inquam, quæ gradu ſint propiores) pertineat; filiæque omnes ex æqualibus portionibus in ſucceſſionem paternam admittantur *(f)*, i. e. in capita patri ſuccedant; niſi forte & hîc aliter in inveſtitura proviſum fuerit. Nam in pleriſque Eccleſiaſticis emphyteuſibus, & etiam Regiis, Vallis Ierniæ, & pleriſque aliis Seneſcallatibus totius Scotiæ, expreſsè cavetur, ut, deficientibus maribus, primogenita filiarum tantùm ad ſucceſſionem admittatur. Neque enim putarunt majores noſtri, ex re vel Regis vel Eccleſiæ eſſe, ut feuda inter filias dividantur: idque etiam pro primogenituræ jure facit vel quam maximè; cur enim magis in filiabus primogenitura locum habebit, quàm in maribus? Sed ratio illa generalis obſtat, quâ mores noſtri à jure Feudali diſſentiunt, non expedire feuda dividi. Hinc facilè etiam alia differentia inter jus Feudale & mores noſtros conciliatur. Nam, ut monui *(g)*, generali *heredum* nomine, jus Feudale tantum mares ſignificari vult, & dictionem hanc [*quibuſcunque*] intelligunt ſecundum juris Feudalis diſpoſitionem. At noſtri mores, per generalem heredum mentionem, etiam fœminas ad ſucceſſionem, non extantibus maribus, admitti putant. Hoc eo evenit, ex adjectione vocis [*quibuſcunque*,] quæ determinatio etiam indubiè fœminas comprehendit. Itaque eſt pronomen quod differentiam inducit, quod in omnibus inveſtituris adeo frequens eſt, ut etiam, cum omiſſum eſt, pro expreſſo habeatur *(h)*. Et hæc cauſa diſſidii eſt, inter mores noſtros, & veteres feudorum uſus, cum revera tamen conſentiant: nunquam enim admittitur apud nos, ad ſucceſſionem fœmina,

(*a*) l. 4. C. de liberis præteritis vel exheredatis. (*b*) 2 F. 11. junct. 1 F. 13. in fine. (*c*) 1 F. 1. § 3. (*d*) 2 F. 104. (*e*) 1 F. 8. § 1. in fine, 2 F. 30. (*f*) Cap. 28. lib. 2. Reg. Majeſt. (*g*) § 2. (*h*) Vid. D. 16. § 16.

na, quamdiu non ſolum maſculus, ſed unus ex maſculina linea ſupereſt : imò poſtremi maſculi filia etiam ſorori in priori gradu, in ſucceſſione avi aut proavi, præfertur. Non negabo tamen, eſſe ex Feudiſtis, qui per hanc adjectionem [*heredibus ejus quibuſcunque*] etiamfœminas vocari ad ſucceſſione mvolunt, ut & moribus noſtris convenit, & præcipuè Baldus, licet ſibi contradicens. Hæc autem exceptio generalis eſt, neque hîc tantum, ſed & in omnibus aliis regulis locum habet : immorandum itaque in ea non putavi ; illud tantum tranſeundo admonens, in omnibus feudis, tenori inveſtituræ primum locum dari, non tantum in ſucceſſione, ſed etiam in aliis quæ ſub legibus inveſtituræ cadunt *(a)* ; & hoc pro repetito in omnibus regulis ſequentibus haberi cupio. Quòd ſi quando fœminæ, ex tenore inveſtituræ, ad ſucceſſionem admittantur, id tantùm ſub ea conditione fit, ſi deſint maſculi in eodem gradu *(b)* : maſculi enim, ſive unus ſive plures ſint, ejuſdem gradûs fœminas excludunt, etiam ſi feudi tenor ita concipiatur, ut Titio & ejus heredibus maſculis & fœminis concedatur : nam ne hoc quidem caſu fœminæ ſucceedunt, quamdiu maſculus ſupereſt, qui poteſt ſuccedere. Idem in ſtatuto : nam ſi ſtatutum fœminas ſimpliciter ad ſucceſſionem admittendas dicat, intelligitur deficientibus tantummodo maſculis. Idem etiam dicemus de conſuetudine : nam ubi conſuetudo permittit, fœminæ ſuccedunt, quod de generali totius provinciæ conſuetudine intelligendum, non unius familæ ; licet ſint, qui idem putant in unius familiæ conſuetudine, quæ ſciente domino in uſum abiit.

4. Secunda exceptio eſt : In bonis non feudalibus, i. e. allodialibus aut mobilibus, fœminæ cum maribus ſuccedunt. Quæ bona eſſent *feudalia*, quæ *allodialia*, quidque *feudum*, & quid *allodium*, in lib. 1. Diegeſi 9. diximus ; & *quomodo omnia bona moventia allodialium nomine cenſeantur*. Hinc inolevit, apud nos, conſuetudo, ut filiæ cum filiis pariter ad bonorum mobilium partitionem ſive diviſionem admittantur.

5. Tertia exceptio à prima regula eſt, ubi fœminæ maribus præferuntur, cum neptis ex filio, jure repræſentationis, nepoti ex filia præferatur : ut enim illa patrem, ſic hic matrem tantùm repræſentat ; neque jure maris, ſive maſculi utetur, quia linea, ut dicimus, maſculina interrupta eſt per ejus matrem, filiaque, quæ ex poſtremo mare prognata eſt, nepotibus maſculis ex ſororibus præferetur : quamdiu enim ſupereſt deſcendens ex fratre, is omnibus deſcendentibus ex ſorore præfertur. Idem in deſcendentibus ex ſorore ; nam hi præferentur in ſucceſſione patruo. Si nulli ſint, recurritur ad deſcendentes ex patruo, qui eodem modo præferentur deſcendentibus ex amita.

6. Quarta exceptio eſt, ſi feudum ſit fœmininum. Quid autem ſit *feudum fœmininum*, diximus in Diegeſi 10. lib. 1. *De feudorum diviſionibus*, nempe quoties feudum ad aliquem per matrem devolvitur. Hanc ſpecialem exceptionem addunt Feudiſtæ ; mihi tamen videtur ſub prima comprehendi poſſe : neque enim mater, aut ulla alia ex linea fœminina fuiſſet admiſſa, niſi id vel à principio cautum fuiſſet, vel in renovatione feudi ita proviſum. His itaque quatuor caſibus, ad lineam fœmininam feudum deſcendit. Sunt qui alios caſus adjiciunt, veluti, ſi feudum concedatur ob ea ſervitia, quæ non minus honeſtè fœmina *(c)*, quàm vir præſtare poteſt ; qualia ſunt, dominum ad domum, aut ædem ſacram, comitari. Quid autem ſi feudum generaliter ſit conceſſum, ob ea ſervitia, quæ honeſtè non poſſunt exerceri niſi à fœmina, veluti *obſtetricis*, ſive *lotricis* ſervitium? In eis caſibus fœminæ ſuccedunt, ex vi taciti pacti ; quia illud pactum videtur interpoſitum, ut fœminæ ſolæ ſuccederent. Sunt etiam, qui putant fœminas ſuccedere in eo feudo, quod ita conceſſum eſt, ut liberè poſſit vaſſallus alienare, veluti ſi conceſſum fuerit vaſſallo & heredibus ejus, & aliis cauſam ab eo habentibus.

7. Secunda regula ſucceſſionis fœmineæ eſt : Si nulli ſint filii maſculi, & feudi natura fœmineam ſucceſſionem patiatur, tunc fœminæ ſuccedunt in feudo in capi-

(a) 2 F. 2. § 2. & 2 F. 18. ibi, Propter tenorem inveſtituræ. (b) 1 F. 8. § ult. verſ. Filia. 2 F. 17, 18, 104. § 1. (c) 2 F. 11 & 104. pr.

ta *(a)*, nec intereſt ex diverſis matribus ſint procreatæ, an vero ex una. Quod ſi unica tantùm fuerit filia, eodem modo ſuccedit atque unicus filius, nempe in aſſem: ſi plures ſint, in tot partes dividetur hereditas, quot ſunt filiæ *(b)*, niſi quod ſuperioritas, quam nos directum dominium dicimus, jure noſtro, ad ſolam primogenitam pertinet; expedit enim ne vaſſalli per plures dominos ſuperiores diſtrahantur, & ſic eorum conditio deterior fiat: itaque illa ſola, relevium, maritagium, & ſi quæ aliæ ſint domini ſuperioris prærogativæ, habebit *(c)*, & ei ſoli bos ex ſaſina vaſſallorum patris ſui debebitur. Ad dominium verò utile, quod erat defuncti, (nos *proprietatem* dicimus) omnes filiæ æqualiter admittuntur, nec de primogenita tenebunt ſuas partes, ſed de domino omnium ſuperiore, de quo vaſſallus tenebat. Itaque ſi ſit emphyteuticum feudum, pro quo merces debebatur annua, in partem mercedis ſuccedent omnes filiæ æqualiter; non enim hic eſt nuda ſuperioritas, ſive dominium directum, ſed etiam dominium utile, cum utilitatum pars, aut integra æſtimatio ad dominum pertineat. Aliud etiam excipitur, nempe principale meſſuagium, quod ſemper ad primogenitam pertinebit, pro quo tamen cæteris ſororibus ſatisfaciet, niſi fuerit Burgenſe feudum, in quo æqualiter omnes ſuccedunt *(d)*.

8. Si filiæ præmortuæ ſint, relictis nepotibus aut neptibus, nepotes aut neptes ſuccedent in ſtirpes jure Feudali. Apud nos tamen primogenitus nepos omnes nepotes & neptes ex eadem filia excludet. Si duæ tantum fuerint filiæ, & ſecundò genita marem habuerit, primogenita verò fœminam, putat Gerardus marem ſolum in hereditate avi ſuccedere: Obertus verò, utrumque ſimul jure repræſentationis. Et ex hac deciſione orta eſt quæſtio inter Bruſium & Balliolum; cum Balliolus, quòd ex primogenita filia originem deduceret, ſibi regnum aſſereret; Bruſius contrà, quòd eſſet primus mas ex ſecundò genita, itaque ei deberi regnum, quod dividi non poterat *(e)*, aſſerebat. Sed de hac inter Bruſium & Balliolum controverſia, ſatis fusè in lib. 1. Diegeſi 6. *(f)*. Noſtro jure, hodie in feudis indiviſibilibus ſucceſſio primogenitæ prævalebit. Et hæc de directa linea deſcendentium ex fœminea ſucceſſione.

9. Jure civili, quod ad aſcendentium ſucceſſionem attinet, mater eodem modo liberis ſuccedit, ſi non ſit pater, quo patrem antea ſucceſſiſſe diximus *(g)*, & hoc ex Senatuſconſulto Tertylliano, quod tempore Divi Hadriani factum eſt, nempe ut mater in bona defuncti filii ſuccederet, non item avia *(h)*, & hæc, ſi liberi nulli defuncti fuerint, ſive ſui ſint, ſive ſuorum loco reputentur, ſive primi gradus ſint, ſive ulterioris. Sed & filiæ ſuæ mortuæ, filius, vel filia, præponebatur matri defunctæ, i. e. aviæ ſuæ; pater verò utriuſque, non etiam avus & proavus, matri anteponebatur, ſcilicet cum inter eos ſolos de hereditate ageretur: frater autem conſanguineus, tam filii quàm filiæ excludebat matrem; ſoror autem conſanguinea, pariter cum matre admittebatur; ſed ſi fuerint frater & ſoror conſanguinei, & mater liberis onerata, frater quidem matrem excludebat, communis autem erat hereditas ex æquis partibus fratribus & ſororibus *(i)*. Hæc ex media juriſprudentia. Sed ex conſtitutione Juſtinianea *(k)*, mater omnibus perſonis legitimis antebatur, exceptis fratre & ſorore, ſive conſanguinei eſſent, ſive ſola cognationis jura haberent, ita quidem ut ſi ſolæ ſorores agnatæ vel cognatæ, & mater defuncti vel defunctæ ſuperſint, dimidium quidem mater, alterum dimidium omnes ſorores haberent *(l)*. Quod ſi matre ſuperſtite, & fratre vel fratribus, ſolis, vel etiam cum ſororibus, inteſtatus quis moriatur, in capita diſtribuebatur ejus hereditas: & hæc locum habebant, etiamſi vulgò quæſitus fuiſſet filius, vel filia *(m)*. Et hæc de jure Civili; jure autem noſtro, mater nunquam ſuccedit, neque per ſe, neque cum aliis. Hæc ſunt quæ ad linealem ſucceſſionem fœminarum pertinent.

10. Sed accidit ſæpe, ut ex proviſione, jus in hac lineali ſucceſſione varietur; exempli

(*a*) Vid. D. 13. § 32. (*b*) Cap. 28. lib. 2. Reg. Majeſt. (*c*) Vid. D. 20. § 38. (*d*) Cap. 28. lib. 2. Reg. Majeſt. vid. etiam D. 13 § 39. (*e*) 2 F. 55. § 1. ibi, Præterea. (*f*) § 3. (*g*) D 13. § 41. (*h*) § poſtea, 2 Inſtit. de SCto Tertylliano, & deinceps (*i*) § 3. Inſtit. dict. tit. (*k*) l. 7. C. ad SCtum Tertyllianum. (*l*) Nov. 118. c. 2. (*m*) l. 2 & 4. ff. unde cognati.

exempli causâ, ſi pater in favorem matrimonii cum prima conjuge, ſe cum illa inveſtiri curaverit in feudo, & liberos ex eo matrimonio procreandos, relictâque unicâ ex ea conjuge filiâ uxor deceſſerit, pater ex ſecundo & tertio matrimonio filium ſuſceperit; filius patri in eo tenemento non ſuccedet, quia pars illa ex hereditate videtur abſciſſa, & liberis ex primo matrimonio ſuſceptis tantùm deſtinata. Itaque in eo caſu, filia ex eo matrimonio omnibus aliis filiis, ex ſecundo vel tertio matrimonio genitis, præferetur in ſucceſſione illius tenementi; cùm tamen filius, ex ſecundo matrimonio genitus, ſit heres univerſalis patri. Sed major dubitatio moveri poteſt, ſi pater idem tenementum poſtea reſignaverit in favorem alterius matrimonii, ex quo filius vel filia ſuſceptus eſt: nam cùm pater, non obſtante priore conjunctâ inveſtiturâ ſeu infeodatione, alienare poſſit; cur non & filium præeligere ſive *providere* (utor hoc verbo forenſi, licet parum in hac ſignificatione Latino) ad idem tenementum poterit, favore matrimonii ſecundi, quod non minus favorabile eſt quàm quævis alienatio, aut quàm prius matrimonium, & utrumque cauſam oneroſam continet; & in his ſecundis nuptiis magnas dotes viderim conſtitutas? Sanè in hac quæſtione ſæpe laboratum novi: nam ſunt qui putant, cùm pater, non obſtante priore conjunctâ infeodatione, feudum adhuc retineat, poſſe etiam extraneo diſponere: cur minus & filium vel filiam ex altero matrimonio ad idem poterit præeligere ſive providere? cùm jura ſanguinis prodeſſe ſæpe, obeſſe nunquam ſoleant: & iniquum eſſet, ſi quod pater extraneo concedere poteſt, filio quidem ſuo, præſertim ex cauſa oneroſa, non poſſit diſponere; præcipuè causâ matrimonii, in quo non minùs proviſio prolis & ſobolis ſpectatur, quàm ipſius conjugis. Alii putant feudum fuiſſe affectum ratione prioris matrimonii, & inveſtituræ ex eo ſequentis, ita ut conditio ei annexa, in favorem alterius matrimonii, aut aliorum liberorum, mutari non poſſit; neque eandem conditionem filii, quæ extranei, eſſe; nam filius etiam de evictione tenetur, factumque patris in priore matrimonio aut repræſentare aut luere: & niſi proviſiones prioris matrimonii intactæ & illibatæ ſerventur, fraus fieret parentibus primæ conjugis, qui dotem fortaſſe magnam etiam numerârunt, ut proviſio in favorem ſobolis illius matrimonii fieret: alioqui nemo filias ſuas elocabit, ſi quæ in favorem illius matrimonii ſint contracta ex poſt facto unius contrahentium fiant irrita: itaque planè tenebant, patrem, licet alienare potuerit, tamen neque propter favorem filiorum ex alio matrimonio priori præjudicare poſſe, neque jus quæſitum liberis prioris matrimonii tollere cenſebant. Sanè quid Senatus in hac re ſtatuerit, incertus adhuc ſum: vidi enim acriter certatum, inter virum nobilem Patricium Hepburnum de Wauchton, & ejus ſororem Dominam de Pitfirren, de hac ipſa quæſtione. Nam cùm pater ejus in conjugem accepiſſet Iſabellam filiam Domini de Lundie, in eoque contractu providiſſet, ut liberi ex eo matrimonio ſuccederent in terris de Brothertoun, ſolaque eſſet filia ſuperſtes; ex conſenſu omnium parentum contractus novatus fuit, & quod in favorem illius filiæ introductum fuerat, ut ad familiam reverteretur, cautùm ſive proviſum, ut ejus frater ex priore matrimonio, & heres dictæ familiæ, conjugem, illi filiæ conſanguineam, ex eadem familia Lundea duceret. Et licet Iſabella ex bonis patris ſui poſtea elocata fuerit, tamen ratione contractûs matrimonialis, prius initi inter parentes ſuos & avum maternum, cùm adverſus fratrem actionem pro hereditate terrarùm de Brothertoun intentâſſet; iſque exciperet, eodem modo contractum diſſolutum, & ab eiſdem perſonis à quibus fuerat contractum, & etiam ex cauſa oneroſa, tantumque priorem actum in nudis finibus contractûs ſine ſaſina ſubſequente conſtitiſſe: replicavit illa, eos in ſui præjudicium nihil potuiſſe facere, cùm jus ſibi, ex ſua nativitate, illarum terrarum fuiſſet acquiſitum; itaque, ſe invitâ, conditionem ſuam deteriorem fieri non potuiſſe. Cùm multis argumentis in utramque partem contenderetur, tandem tranſactione res finita eſt, mulctato dicto Patricio decem marcarum millibus.

11. At ſanè idem Senatus, in cauſa trium Aikmannarum ſororum, quarum una ex primo matrimonio ſuſcepta, in cujus matrimonii favorem conjuncta infeudatio primò erat confecta, & liberorum ex eo matrimonio ſuſcipiendorum; cùm ſecunda ex ſecundo matrimonio genita, in cujus dotali contractu contentum erat, ut liberi

ex eo matrimonio ſuccederent, & eo nomine inveſtitura conjuncta utrique conjugi facta : poſtea, ſecundâ conjuge mortuâ, pater tertiò nupſit, eandemque cautionem ſive proviſionem iteravit cum tertia, ut ejus liberi ſuccederent ; licet in tertiis nuptiis pater eidem tenemento de novo renunciâſſet, in favorem illius tertii matrimonii, & liberorum ex eo ſuſcipiendorum ; ideoque quæ ex tertio matrimonio relicta filia erat, heredem in ſolidum ſe prætendebat, & etiam deſervita fuerat. Senatus tamen omnes in æquas partes, ut heredes eſſent, admiſit ; ita ut in trientem hereditatis unaquæque ſuccederet, reſciſsâ priore deſervitione. Ratio redditur in ea ſententia, quòd non obſtante conjunctâ infeodatione primæ conjugi datâ, & liberis ex eo matrimonio ſuſcipiendis, poterat, qui dederat feudum, alienare extraneo ; itaque non minùs ex novo matrimonio filiabus providere. In qua ſententia, ſi hæc ratio certa fuiſſet, duæ poſtremæ ſorores in totam hereditatem ſucceſſiſſent, rejectâ eâ quæ ex primo matrimonio ſuſcepta eſt ; nam poſterior reſignatio vim habebat alienationis : omnes tamen tres in æquas partes ſuccedere cenſuit Senatus. Ego ſanè putarem, quamdiu quis eſt in tenemento, ejus liberam diſponendi & providendi poteſtatem eſſe cui velit, alioqui non eſſe verè dominum.

12. In cauſa tamen Iſabellæ Barroun aliter factum vidi : nam cùm ea ex primo matrimonio ſola relicta eſſet, & ex ſecundo matrimonio filius genitus in univerſam hereditatem ſucceſſiſſet, recuperavit contra dictum heredem tenementum, in quo parentes ſui in primo matrimonio conjunctim inveſtiti erant, & liberi ex eo matrimonio procreandi. Id tamen non tam vi ipſius conjunctæ infeodationis factum, quàm proviſionis in contractu, ex quo prædicta inveſtitura proceſſerat, quo pater Jacobus Barroun obligaverat ſe matri dictæ Iſabellæ, ut ejus liberi, ex eo matrimonio ſuſcepti, in omnia feuda ſuccederent, quæ, conſtante dicto matrimonio, acquirerentur ; & ſic vi obligationis tenementum illud acquiſivit.

13. Multæ tamen nobiles quæſtiones naſci poſſunt ex hac fœminea ſucceſſione. Et primò, ſi fœminâ per maſculum ſemel exclusâ, iſque maſculus poſtea decedit ſine liberis, an adhuc etiam fœmina excludatur ?

Alia, an quæ paternæ hereditati per juramentum renunciavit, à bonis feudalibus excludatur ? Utrumque plerique negant : nam ſi ſtatuto caveatur, exſtantibus maſculis, fœminas excludi, id tantùm intelligendum eſt, quamdiu, aut donec, aut quoad exſtent maſculi *(a)*.

14. Quid verò, ſi in inveſtitura comprehenſum fuerit, ut Titia vel Mævia per ſua nomina expreſsè ſuccederent, an etiam aliæ earum ſorores ſuccedent, quæ non ſunt nominatæ ? In hac quæſtione Feudiſtæ ſentiunt, Titiam primùm, & tum Mæviam, eâ deficiente, ordine ſucceſſorio ſuccedere ; ſed pactum perſonale earum perſonas non egredi, cùm, eis deficientibus, maſculi ſoli ad ſucceſſionem admittantur.

15. Quid verò, ſi proviſum ſit, ut, deficientibus maſculis, fœminæ ſuccedant ? Sunt qui putant, ut quæque proxima eſt ordine, ſuccedere : nobis tamen hoc non placet, ſed omnes in eodem gradu in capita ſuccedent *(b)*.

16. Quid autem, ſi ita proviſum fuerit, ut, deficientibus maſculis, una fœmina ſuccedat, & plures ſint ejuſdem gradûs, quæ præferetur ? Multi ſunt qui primogenitam præferendam putant, quod & nos ſequimur ; licet ſint, qui id vel arbitrio domini vel patris permittant : quidam ſorte dirimendum putant : alii, omnes debere ſuccedere conſentiunt ; quod tamen eſt contra inveſtituræ tenorem.

17. Hoc autem ſpecialiter in pluribus heredibus fœmineis feudi militaris obſervatur, ut ſi quæ corpus ſuum polluerit (nos *foriſfacere corpus* dicimus) eam partem ſui feudi, in quam ſuccedere debet, amittet ; eaque pars ejus ſororibus, quæ illibatam pudicitiam ſervarunt, accreſcet. Si omnes corpus polluerint, omnium partes domino accreſcent *(c)* : ſed hoc de iis fœminis intelligi puto, ſi quæ *in capillitio* ſunt, i. e. nondum elocatæ, & non de viduis.

Diegeſis

(a) 2 F. 17. in med. (b) l. 38. ff. de pactis. (c) Cap. 49 & 55. § 9. lib. 2. Reg. Majeſt. Vid. D. 20. § 39. in fine. & D. 21. § 9.

Diegeſis decima quinta,

De Succeſſione collaterali, & Conquæſtu.

SUMMARIA.

1. *Directâ lineâ deſcendentium deficiente, locus eſt collateralibus; ſicut legibus XII. Tabularum proximus agnatus familiam habere debet.* Proximus *quare exprimatur?*
2. *Quid* Familiæ *nomine intelligebatur jure veteri? Eâdem methodo procedit Auctor in hac lineâ, quâ in priori.*
3. *Regula prima ſucceſſionis collateralis legibus XII. Tabularum eſt, ut deficientibus liberis, proximus agnatus admittatur. Proximus quis ſit? Agnatus quis? Soror agnata eſt, licet ex ea deſcendentes ſint cognati.*
4. *Quid mediâ juriſprudentiâ, quid Imperialibus conſtitutionibus hac in materia ſtatutum?*
5. *Licet lex XII. Tabularum ſingulari numero utatur, pluralitatem tamen intelligit. Sorores cum fratribus ad ſucceſſionem admittuntur. Fratres ſunt diverſorum generum, & in ſucceſſione collaterali diverſitas ſanguinis attenditur.*
6. *In ſucceſſione conſanguineorum & uterinorum, eorumque filiis, ſtatus hereditatis non minùs conſiderandus eſt, ac perſonæ ſuccedentium. Naturalium & legitimatorum eadem eſt ratio, quæ legitimorum. Fratres adoptivi, qui ſunt legitimi tantùm, & non naturales, ſi adoptati fuerunt ab avo, ſuccedunt ſibi mutuò; ſi ab extraneo adoptentur, ipſi ſibi non ſuccedunt.*
7. *Secunda regula ſucceſſionis collateralis eſt, Deficientibus fratribus, ſucceſſio in eorum filios devolvitur. In hac regula, ex jure antiquo, ſororum filii non admittebantur: poſtea tamen, ex media juriſprudentia & Imperialibus conſtitutionibus, tanquam cognati ſuccedebant. Deſcendentes hi numerantur ad ſeptimum gradum, licet alii ad decimum extendant; in qua materia Interpretes diſtinguunt. In regnorum ſucceſſionibus, & juriſdictionum feudis, agnati in infinitum ſuccedunt. Si defunctus nullos agnatos aut cognatos habeat, ex jure Civili ſucceditur, vel fiunt bona vacantia, & fiſco cedunt.*
8. *Affinitatis ratione nulla ſucceſſio ex jure Civili.*
9. *Cùm jus Feudale in uſu eſſe cœperit, multa ex prioribus diſplicebant, & quæque provincia varia ac diverſa ſtatuta habuit de ſucceſſione. Qui apud Britannos mores hac in materia fuerint?*
10. *Antiquum feudum ſive hereditas quid? Novum feudum ſive conquæſtus quid? Nulla collateralis ſucceſſio in feudis novis jure Feudali; &, deficientibus liberis, ad dominum redit. Nec collaterales in antiquo feudo ſuccedunt, niſi qui à primo acquirente deſcenderunt; nec tales hereditatem paternam agnoſcere videntur.*
11. *Exceptiones quædam ſunt à regula generali præcedenti, ſciz. ſi aliter ſtatuto aut tenore inveſtituræ conventum ſit, aut ſi duo fratres communibus armis aut equis feudum acquiſiverint.*
12. *Alii etiam ſunt exceptiones: In feudis indiviſibilibus frater fratri ſuccedit. Sic in feudo fratri, & ejus heredibus in ſacris exiſtenti, conceſſo, frater etiam fratri ſuccedit, non ut frater, ſed ut filius primi vaſſalli, ut etiam in antiquo feudo. Jure Feudali nulla eſt differentia inter fratres; & filius defuncti fratris præfertur patruo.*
13. *Succeſſio collateralis noſtris moribus eſt, quâ frater fratri in aſſem ſuccedit, & mortuo primogenito, ſecundò genitus ſuccedit; & ſic deinceps, ſervato natalium ordine, in quo germanus excludit conſanguineum, & conſanguineus uterinum; & ex jure paterna paternis, & materna maternis cedunt.*
14. *Anglorum jus ſpeciale in ſucceſſione collaterali, ubi præcipuè attenditur, an ſucceſſor ſit ex toto ſanguine, an ex altera parte tantùm: ſed diverſum in conquæſtu.*
15. *Apud nos frater conſanguineus patruo præfertur, ut ex jure Civili, deficiente ju-*

re Feudali. Apud Normannos, in linea collaterali, propinquior præfertur, ſive ex parte matris, ſive patris: & indiſcriminatim, ſive in hereditate, ſive conquæſtu, proximus ex linea paterna ſuccedit, niſi proximus nominatim excludatur tenore inveſtituræ, ut apud nos fieri ſolet.

16. *Hereditas ſemper deſcendit, conquæſtus aſcendit. Conquæſtus unde? & quale circa conquæſtum jus? Quod de duobus aut pluribus fratribus dictum, idem de duobus aut pluribus patruis & eorum liberis dicendum: ſed hoc jus conquæſtûs non obtinet in mobilibus hereditariis.*

17. *Inter aſcendentes & deſcendentes non eſt conquæſtus, ſed præceptio hereditatis: at in linea collaterali eſt conquæſtus, niſi aliud dicatur.*

18. *Speciale ex jure Anglorum in conquæſtu.*

19. *De ſucceſſione in conquæſtu inter plures ſorores vel fratres, & inter fratres conſanguineos; ubi caſus ſpecialis de conquæſtu inter eoſdem.*

1. SECUNDUM genus ſucceſſionis eſt ex collateralibus: nam, deficiente lineâ directâ deſcendentium, ita ut nemo ex ea ſuperſit, aut ſupereſſe ſperetur, proximus agnatus, ut ex legibus XII. Tabularum antea monui *(a)*, familiam ſive hereditatem habere debet *(b)*, *proximum*, inquiunt, ne omnes agnati ſimul putent ſibi locum in ſucceſſione, & ita bona aliena invadant, aut diripiant. Nam poſteriori in ordine agnationis nunquam locus eſt, quamdiu aut eſt, aut eſſe ſperatur agnatus propinquior; neque ulli agnatorum, quamdiu ſupereſt unus ex liberis defuncti, aut eſſe ſperatur, quod fit, cùm conjux defuncti uterum fert; donec enim enixa fuerit, differtur interim cognitio de ſucceſſione agnatorum.

2. Per *Familiam* autem hereditas intelligitur: ſic pupillum patrem familias dicimus, nempe cùm ad eum hereditas pervenit *(c)*. In hac collaterali ſucceſſione eodem modo inſiſtemus, quo in explicatione prioris lineæ uſi ſumus, ut primò, quid veteres ſenſerint, quid media juriſprudentia, quid Imperiales conſtitutiones, dicamus; tandem quid jure Feudali & noſtris moribus conveniat, breviter percurremus.

3. Leges XII. Tabularum, ad ſucceſſionem, ſi non ſint liberi, agnatos vocant, non omnes, ſed proximum, ut antea dixi *(d)*. Quis ſit proximus, licet cuivis alicujus judicii ignotum eſſe non poſſit, tamen ſi quis incertus ſit, legat Juſtinianum, in titulo illo Inſtitutionum *De legitima agnatorum tutela & ſucceſſione*; & ut ea, quæ ibi dicuntur, contraham, proximus eſt qui gradu propiore defunctum attingit. Agnati verò ſunt, qui per virilis ſexûs cognationem deſcendunt, (*nomen familiæ retinere* dicimus,) veluti fratres, fratrum filii, qui & *patrueles* dicuntur, & ſi qui ex eis maſculi deſcendant. Soror ipſa inter agnatos numerabatur *(e)*, cùm illa nomen familiæ paternæ retineat; at qui ex ea deſcendebant, cognati tantùm vocabantur; quia licet ſanguinis & cognationis jura intercederent, ex ſorore tamen deſcendentes in aliam familiam tranſibant, nomenque ſui patris induebant: itaque ſoror ipſa, ut agnata, ſuccedere poterat fratri & fratrum filiis, ſi non eſſent propiores agnati, qui etiam in longiſſimo gradu ſororum filiis præferebantur, cùm antea fratrum filii etiam in longiſſimo gradu ſorori ſuccederent, ex titulo *Unde agnati*. Et profectò pronius erat jus XII. Tabularum in deferendis hereditatibus maſculis quàm fœminis *(f)*.

4. At media juriſprudentia, quæ legibus XII. Tabularum erat poſterior, licet ſororum liberos ad ſucceſſionem agnatorum vocare non poterat, (neque enim agnatos qui non erant facere potuit;) at ex titulo *Unde cognati* bonorum poſſeſſionem tribuebat, ut quicunque ex eo patre deſcenderent, ſive per maſculinam ſive fœmininam lineam, ut unico cognationis vinculo, pariter ad ſucceſſionem vocarentur. At Imperiales conſtitutiones, ut mediâ juriſprudentiâ poſteriores, omnes ex paterna linea deſcendentes pariter ad ſucceſſionem vocabant indiſtinctè *(g)*; ut quo gradu quis propior defuncto erat, & in ejus ſucceſſione præferretur. Rationem reddit Juſtinianus: *Neque enim maſculus per ſe, neque fœmina ſola ad procreationem ſufficit; ſed quemadmodum Deus utrumque ad procreationis miniſterium conjunxit, ita nos eandem*

(*a*) D. 13. § 4. (*b*) Pr. Inſt. de legitima agnat. ſucceſſione. (*c*) l. 195. § 1 & 2. ff. de V. S. (*d*) § 1. (*e*) § 3. Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ. (*f*) Ibid. Vid. D. 16. § 7. (*g*) l. 14 & 15. C. de legitimis heredibus. Vid. D. 16. § 7 & 11.

eandem utrique æqualitatem conſervabimus, ait Imperator. Adæquavit itaque in omni ſucceſſione maribus fœminas Juſtinianus, conſilio puto Theodoræ conjugis ſuæ mulieris imperioſiſſimæ, cujus nutu totus regebatur.

5. Sed ut ad leges XII. Tabularum redeamus; licet lex XII. Tabularum in ſingulari numero loquebatur de proximo agnato, pluralitatem tamen intelligit, i. e. ut ſi plures in eodem gradu ſint, veluti tres aut quatuor fratres, aut quatuor aut ſex fratrum filii, pariter ad ſucceſſionem vocentur. Fratrum nomine ſorores veniunt; itaque fratri mortuo ſuperſtites fratres & ſorores in capita ſuccedunt. Non tamen omnium fratrum eadem eſt ratio; alii enim (ut prius dixi) *germani fratres* ſunt, qui ex utroque parente ſunt conjuncti; alii *conſanguinei*, qui per patrem ſunt agnati tantum, alii *uterini*, qui per matrem tantùm conjuncti ſunt; alii *naturales* dicuntur & *legitimati*; alii *adoptivi* tantùm. De his ſingulis dicendum, & licet in jure Civili, tam antiquo, quam mediâ juriſprudentiâ, eadem erat omnium filiorum ex eodem parente deſcendentium ratio *(a)*, etiamſi ex diverſis nuptiis fuiſſent ſuſcepti; tamen in ſucceſſione collaterali aliud jus obſervabatur: frater enim germanus fratri germano ſuccedebat, nec in partem fratrem conſanguineum tantùm, multo minus uterinum admittebat; ſic germana ſoror fratri conſanguineo tantùm, in ſucceſſione fratris germani præferebatur. Conſanguinei autem fratres in ſucceſſione fratris ſui conſanguinei, ſi nullus germanus frater, nec ex eo deſcendens extet, per capita admittuntur *(b)*. Uterini autem fratres nullo modo conſanguineis ſuccedunt, ſibi tamen invicem, viz. uterinus uterino ſuccedere in bonis maternis poteſt, æqualiter & eodem modo, quo conſanguinei ſibi ſuccedunt.

6. Quod ſi defunctus tam habeat conſanguineos quàm uterinos fratres, & fortaſsè quorundam præmortuorum filios, qui patres ſuos repræſentant, tunc non minus ſtatus hereditatis conſiderandus, quàm perſonæ ſuccedentium: nam in bonis paternis, i. e. in iis bonis quæ ad eum ex linea paterna deſcenderunt, fratres conſanguinei, & iis præmortuis eorum filii præferentur. In bonis tamen materni generis, aut quæ per maternam lineam deſcenderunt, uterini & eorum filii præmortuis conſanguineis præferentur, ita ut paterna paternis, materna maternis tribuantur: fratrum autem naturalium & legitimatorum eadem eſt ratio in ſucceſſione, idemque per omnia effectus, qui & legitimorum; nam in toto jure Civili pro legitimis habentur. Fratres adoptivi, qui ſunt legitimi tantum & non naturales, ſi ab avo fuerint adoptati, ſuccedent ſibi mutuò cum duo ibi vincula concurrant, unum naturale, alterum civile: ſi verò ab extraneo adoptentur, quanquam adoptivi parentis ſucceſſionem habent (ut ſupra dixi *(c)*), ipſi tamen ſibi non ſuccedunt.

7. Secunda regula ſucceſſionis collateralis hæc eſt: Deficientibus fratribus in primo collateralium gradu, ſucceſſio ad fratrum filios devolvitur, ut ii defuncto ſuccedant, ita ut quiſquis gradu propior defuncto fuit, ad ſucceſſionem admittatur ſucceſſorio ordine, ita tamen ut omnes à primo acquirente deſcendant: & hi, ſi in pari gradu ſint, in capita; ſi in impari, in ſtirpes ſuccedunt *(d)*. In hac regula, ex jure antiquo, ſororum filii non admittebantur ad ſucceſſionem; poſtea tamen, ex media juriſprudentia & Imperialibus conſtitutionibus, tanquam cognati ſuccedebant, parque ratio facta eſt & agnatorum & cognatorum *(e)*; ita ut qui proximus fuerit decedenti, is in ejus ſucceſſione præponeretur: quod tamen non ſemper erat verum; fit enim ſæpe, ut cognatus remotioris gradûs excludat gradu propiorem, ut declarat Juſtinianus: id autem fit, quoties filius aut nepos patris aut avi perſonam repræſentat, qui, ſi viveret, in ſucceſſione præferretur. Itaque in hac ſecunda regula deſcendentes, cujuſcunque gradûs ſunt, ſemper ad fratrem aut ſororem, à quo deſcenderunt, revocandi ſunt, ut hi deſcendentes in ſucceſſione fratris præferantur, quorum ſtirpes, i. e. frater aut ſoror defuncti, ſi viveret, prælatus fuiſſet, ſervato ſemper jure repræſentationis. Sic trinepos ex fratre germano, filio fratris conſanguinei in ſucceſſione fratris communis præponetur: ratio eſt, quia ſi germanus ille à

(a) Vid. D. 13. § 19. (b) l. 3. C. de legitimis heredibus, Nov. 118. cap. 3. & 127. c. 1. (c) D. 13. § 17. (d) Nov. 118. c. 3. (e) Nov. 118. c. 4.

quo trinepos deſcenderat, viveret, conſanguineum & omnes ex eo deſcendentes excluderet *(a)*. Deſcendentes autem hi, uſque ad ſeptimum gradum numerantur *(b)*, quoniam, inquit Modeſtinus, ultra eum fere gradum *natura cognationem conſiſtere non patitur (c)*. Alii tamen ad decimum gradum extendunt *(d)*. Interpretes feudorum hac diſtinctione utuntur, ut ſi ſemel feudum ad deſcendentes pervenerit, ſucceſſio in infinitum ad collaterales pertineat: ſi nunquam ad deſcendentes pervenit, ſed tantum erat feudum novum, quod ex conditione ad collaterales pertinere debet, collaterales tantum uſque ad ſeptimum gradum incluſivè admittuntur, & non ultra. In regnorum ſucceſſionibus, & juriſdictionum feudis, agnatos in infinitum ſuccedere certiſſimi juris eſt; & ſi tota proſapia Regis interierit, & ſuperſit aliquis agnatus, etiam ultra milleſimum gradum ſuccedet. Quod ſi defunctus, neque liberos, neque parentes, neque cognatos, aut agnatos habuerit; tunc ſucceſſio, ex jure Civili, ad conjuges defertur, ſcilicet ut vir uxori ſuccederet, uxor viro, ex capite, *Unde vir & uxor (e)*. Si neque vir aut uxor ſit, tunc bona cenſentur vacantia, & fiſco cedunt *(f)*.

8. Affinitatis autem in ſucceſſione nulla habetur ratio; neque enim affinis affini ſuccedit, ſed ea perſona, per quam affinitas contrahitur, quæ eſt cognata, ſuccedit, & per eam fortè affinis etiam. Affines autem non dicuntur vir & uxor, licet cauſam affinitati præſtent; nam Modeſtinus affines definit, *viri & uxoris cognatos (g)*, non ipſum virum aut uxorem. Hæc ſunt quæ ex jure Civili, tam XII. Tabularum & media juriſprudentia, quàm Imperialibus conſtitutionibus, de ſucceſſione collaterali dicuntur.

9. Sed poſtquam feuda in uſu eſſe cœperunt, juſque Feudale in præcipuis Europæ regionibus coli, multa ex prioribus diſplicebant, ſeu quia non intellecta, ſeu quia multa duriora videbantur, quam æquitas pateretur. Sed pro varietate regionum, quæque fere provincia varia ſtatuta de ſucceſſione habet, de quibus ſingulis operoſum eſſet dicere: ſufficiet ſi quid jus Feudale in his ſucceſſionibus voluerit, quoſque mores Britanni in hac ſucceſſione ſequantur, breviter explicemus. Et ut melius hæc collateralis ſucceſſio animis concipiatur, revocanda eſt in memoriam illa feudi diviſio, quam in Digeſt. 10. lib. 1. propoſuimus, in *Antiquum, ſive paternum, & novum (h)*.

10. *Antiquum* ſive *paternum* vocamus id feudum, in quo pater, avus aut aliquis anteceſſorum, inveſtitus fuit. Nos id genus feudi *hereditatem* vocamus. *Novum* autem feudum dicitur, quod in eo qui mortuus erat cœperat: nos *conquæſtum* dicimus, Angli & Normanni Pourches. Id fit, quando quis non tanquam heres in feudo illo ſuccedit; ſed vel beneficio donationis; vel liberalitate patris aut cognatorum; vel ex ſuis, opera, pecunia, vel labore ſibi illud acquiſivit, aliquo juris titulo præcedente: veluti vel emptione, permutatione, inveſtiturâ, aut aliquo alio titulo. Et de hac collaterali ſucceſſione in feudo novo diſſentientes doctorum opiniones ſunt; nam melior pars in feudis novis nullam eſſe collateralium ſucceſſionem volunt, hoc eſt, ſi is qui acquiſivit ſuâ operâ feudum à domino moriatur ſine liberis, frater ejus, etiam germanus, ei non ſuccedet in illo feudo *(i)*, etiam ſi feudum eis communiter ab initio à domino datum fuerat. Ratio hæc erat, cum ab initio tantùm ob militares operas darentur feuda, dominuſque vaſſallo, qui eas navaverat, & ejus ſoboli tantum conſultum cuperet, alios tanquam extraneos, etiam vaſſalli ſui fratres, ab ejus ſucceſſione abigebat. Hinc factum putant, ut in conquæſtu, ſive in novo feudo, liberi quidam parenti ſuccederent, frater tamen fratri non ſuccederet: itaque in toto jure Feudali, nulla eſt fratrum ſucceſſio in feudo novo; exempli cauſa, Titius feudum vel ex donatione vel diſpoſitione acquiſierat, ſi liberos habeat, illi in feudo ſuccedent: ſi non habeat liberos, ſed tantùm fratres aut ſorores, hi omnes à ſucceſſione excluduntur. Quid ergo fiet de feudo, dicet aliquis?

(a) Nov. 118. c. 3. (b) 1 F. 1. § 4. & 1 F. 8. § 1. (c) l. 4. pr. de gradibus & affinibus. (d) Vid. lib. 1 D. 16. § 30. & D. 17. § 11. (e) l. unic. ff. unde vir & uxor, & l. 1 C. d. tit. (f) l. 114. § 2. de leg 1. l. 11 & 17. ff. de jure fiſci, & l 4. C. de bonis vacantibus. (g) l. 4. § 3. ff. de gradibus & affinibus. (h) § 13. (i) 1 F. 1. § 2. ibi, Sin autem, & 1 F. 20. 2 F. 12.

quis? Feudum, deficiente herede, ad dominum concedentem revertitur, eique aperitur; cum ea cauſa, propter quam conceſſerat, ceſſet, nempe vaſſalli & poſterorum ejus utilitas & promotio *(a)*. Hoc tamen ad intellectum juris Feudalis conducit in hac ſucceſſione collaterali, quòd in feudo etiam antiquo collaterales non ſuccedant, niſi qui ex eo deſcenderunt qui primus feudum acquiſiverat, & ita in feudum ſuccedant, ut propter hanc ſucceſſionem hereditatem paternam non videantur agnoſcere, neque oneribus hereditariis ſubjacere *(b)*; quia non videntur hi jure defuncti ſuccedere, ſed tantum ex vi & tenore inveſtituræ, & quaſi inveſtiti quodammodo cum defuncto, tanquam hæc inveſtitura ſola cauſa & fons ſit, quare collaterales ſuccedant *(c)*, &, ut nos loqui ſolemus, videtur eis à principio feudum fuiſſe talliatum: itaque cum quaſi jure inveſtituræ talliatæ ſuccedant, heredes generales non videntur.

11. Sunt tamen quædam exceptiones ab hac generali regula, Fratrem fratri in novo feudo non ſuccedere. Una generalis, niſi aliter vel ſtatuto, vel in tenore inveſtituræ ſit expreſſum, i. e. niſi talis conditio in inveſtitura inſerta ſit, ut fratri ſine liberis decedenti frater ſuccederet *(d)*, vel ſi fratres, in Regis exercitu militantes, equis & armis communibus id ſimul acquiſiverint *(e)*: nam alterum alteri mortuo in eo feudo, quod propter conjunctum ſervitium acquirebant, ſuccedere æquitas requiret.

12. Sunt & aliæ duæ exceptiones in eodem capite *(f)*; nempe ſi ſimul habitaverint, aut communi pecuniâ a domino ſciente acquiſiverint, in quibus tamen diverſas Feudiſtarum opiniones invenio. Sic in feudis indiviſibilibus frater fratri ſuccedet, ſi duobus fratribus fuerint conceſſa. Sunt qui idem putant, ſi dominus, alicui in ſacris exiſtenti, feudum & ejus heredibus conceſſerit ſciens: nam cum ſciret eum legitimos ex corpore ſuo heredes habere non poſſe, quia in ſacris erat, & heredibus ſit conceſſum, ex ejus præſumpta voluntate, de collateralibus heredibus intelligitur. Præterea ſi hic ipſe Titius, qui feudum acquiſiverat, deceſſerit, pluribus relictis liberis, primuſque, poſtquam in feudum ſucceſſerit, moriatur, frater ei ſuccedit, in eo caſu, non tanquam frater, ſed quaſi filius primi vaſſalli, cui & ejus liberis facta fuit inveſtitura: nam mens ea præſumitur fuiſſe domini, ut vaſſallo & omnibus liberis ex eo deſcendentibus proviſum vellet, & non aliis à latere primi vaſſalli. Itaque certum eſt, ex jure Feudali, in paterno ſive antiquo feudo, ſi quis plures liberos reliquerit, unum alteri ſuccedere poſſe; non autem in feudo novo fratri acquirendi frater ſuccedit, quia concedens nullam ejus rationem habuiſſe, dum concederet, præſumitur, niſi aliter ab initio cautum ſit, ut dixi *(g)*. Et hæc de jure Feudali, ubi differentiam inter germanos & conſanguineos non invenio: nam eodem modo ſuccedunt utrinque conjuncti, quo conſanguinei tantùm, & ſuccedunt in capita: fratrum tamen filii ſuccedunt in ſtirpes, ſive invicem ſive cum patruis ſuis. Sic jure Feudali & noſtro filius defuncti fratris, licet ſit in eodem gradu cum patruo, in ſucceſſione tamen ei præfertur.

13. Quod ad noſtram praxin attinet, frater fratri ſuccedet in aſſem hereditatis ſemper, ſed ordine naturali, adeò ut, primogenito mortuo, ſecundò genitus ſuccedat ſolus: ſic ſecundò genito tertius, & illi quartus, ſervato ſemper natalium ordine; & ſic frater in ſucceſſione feudi paterni, ſive hereditatis, præferetur patruo: de feudo novo ſive de conquæſtu poſtea dicemus *(h)*. Si plures ſint fratres, quidam conſanguinei, quidam uterini, germanus frater præferetur conſanguineo & uterino in ſucceſſione fratris germani, eique in ſolidum ſuccedet. Si nulli ſint germani, conſanguinei fratres ex jure ſuccedunt ſibi invicem, ſervato ordine natalium, ut quo quis propior, eo magis præferatur. Uterinorum nulla habetur in patrimonio paterno ratio: rurſus, ſi hereditas à matre proveniat, uterinus uterino, excluſis fratribus conſanguineis, ſuccedet. Sed nec frater conſanguineus ex parte patris ſolius, ſuccedet fratri ſuo defuncto, in ea hereditate, quæ per matrem aut matris lineam ob-

(a) 1 F. 20. (b) 2 F. 45. vid. D. 17. § 16. in fine. (c) 1 F. 14. § 1. & 2 F. 18. in fine, & 31. (d) 1 F. 1. § 2. 1 F. 14. § 2. & 1 F. 20. (e) 2 F. 12. (f) 1 F. 20. (g) § 10. (h) § 15.

venerat, quamdiu unus ex materna linea ſupereſt; ut neque ullus ex materna linea ſuccedet uni ex deſcendentibus per lineam paternam: nam ex jure, materna maternis, & paterna paternis obvenire debent. Conſanguinei fratres & ſorores ad invicem ſuccedent, ſi nulli ſint germani, qui eis præferantur.

14. Et mirum eſt, quod ab Anglis obſervatur: Si quis, cum duas conjuges haberet, ex una filium, ex altera plures filios, & poſt mortem patris hic filius hereditatem paternam agnoverit, deſervituſque in heredem patri fuerat, poſtea & ipſe moriatur, non tamen ei ſuccedet frater conſanguineus in hereditate; neque enim eſt ex toto ſanguine (ut illi loquuntur) ſed tantùm ex altera parte, nempe patris mortui, conjunctus; ſed hereditas ad patruum pertinebit, quia ille primus ex toto ſanguine eſt, (pater enim (ut antea diximus *(a)*) ſemper in ſucceſſionibus apud illos præteritur) aut ad alium ei proximum qui ex toto ſanguine eſt. Quòd ſi is patruus, qui fratris filio ſucceſſerat, & ipſe ſine liberis moriatur, pater filii defuncti, qui antea ut aſcendens excluſus erat, patruo, i. e. ſuo fratri ex pleno ſanguine germano primus ſuccedet, & illi mortuo, filius ex ſecunda conjuge patris, qui antea erat à ſucceſſione fratris ſui conſanguinei excluſus, quia non erat ex toto ſanguine, patruo in eandem hereditatem ſuccedet; nam patrui cognatus eſt poſt patrem primus (ut aiunt) ex toto ſanguine: fratres enim ex utroque parente conjuncti, præferuntur conſanguineis tantum, vel uterinis: & ſic de ſororibus. Itaque diligenter in ſucceſſionibus apud Anglos ponderandum eſt, cum quis moritur, ſi ſine liberis deceſſerit, an non; ſi ſine liberis, quis ei primus in pleno ſanguine à latere conjunctus occurret. Quamdiu enim ſupereſt quis ex pleno ſanguine, etiam remotior, ſuccedet, fratremque tantùm conſanguineum excludet; nulla enim admittitur collateralis ſucceſſio in hereditate, quam quæ ex toto ſanguine. Aliud tamen in conquæſtu, ſeu feudo novo: nam ſi quis feudum novum acquiſiverit, & ſine liberis moriatur, in eo caſu frater etiam conſanguineus ſuccedet, ex jure Anglorum. Et hæc eſt una, apud Anglos, ex differentiis inter hereditatem & conquæſtum. Apud eos ſi pater ex duabus uxoribus diverſos liberos habuerit, his, qui ex primo matrimonio ſunt, ſine liberis decedentibus, patruus, ut dixi, præferetur aliis omnibus, ſive conſanguinei ſive uterini tantum ſint; nempe ſi feudum ſemel acquiſiverint aut hereditatem agnoverint. Si tamen poſt patris mortem, filius ex primo matrimonio, nondum aditâ hereditate etiam moriatur, conſanguinei fratres patruo præferentur in hereditate communis patris, imò & ſorori germanæ ejus, quia ipſi, ſi reſpectus ad patrem communem habeatur, ſunt ei proximi ex toto ſanguine, licet germana ſoror fratri ſuo germano ſit proxima, cum non de ejus hereditate agatur, ſed patris. In tranſverſali enim linea hoc proprium eſt, ut hi tantùm ſint heredes, qui de toto ſanguine participant.

15. Nos non tam curiosè hæc obſervamus, ſed quia jus Feudale, quod ſciam, ſuper hac quæſtione nullum ſit, jus Civile ſequimur, ut frater etiam conſanguineus patruo, & aliis etiam collateralibus præferatur; neque enim negari poteſt, quin ſit proximus agnatus: itaque tam ex legibus XII. Tabularum, & media juriſprudentia, quàm Imperialibus conſtitutionibus, omnibus remotioribus ex latere præferendus *(b)*. In linea collaterali, apud Normannos, qui eſt propinquior, ſive ex parte matris ſive patris, ſuccedet, nullâ habit ratione conquæſtûs aut hereditatis; quod in ſenatu Pariſienſi obſervatum eſt, nullo diſcrimine lateris habito: ſecus in hereditate. Apud nos, indiſcriminatim, ſive in hereditate, ſive conquæſtu, proximus ex linea paterna ſuccedet, nullâ habitâ ratione ad maternam. In hoc tamen à jure Feudali diſſentimus, quòd jure Feudali remotior, etiam in inveſtitura nominatus, non excludit proximiorem: ordo enim ſcripturæ non attenditur, quando res certa eſt, aut ex conſuetudine, aut ex diſpoſitione contrahentium. Aliud tamen apud nos, ubi ſucceſſio in aliquem nominatim & expreſsè confertur.

16. Si plures ſint apud nos fratres, veluti quatuor, & tertius feudum acquiſierit, & deceſſerit, qui proximus eum natalibus antecedit, i. e. ſecundus ei in conquæſtu ſucce-

(*a*) D. 13. § 46. (*b*) Auth. poſt fratres C. de legitimis heredibus.

ſuccedet. Et hæc eſt alia differentia inter hereditatem & conquæſtum; nam hereditas ſemper deſcendit, conquæſtus ſemel dicitur aſcendere, & poſtea ſemper deſcendit: ſiquidem poſtquam ſemel aſcenderit, nomen *conquæſtûs* amittit, & *hereditatis* nomen tum induit, quoties qui ſemel ex conquæſtu ſucceſſerit moritur. Hoc jus de conquæſtu apud nos non eſt natum, licet etiam in jure noſtro ſcripto multa de conquæſtu reperiantur *(a)*; ſed apud Normannos primò uſurpatum, ab iis ad Anglos, ab Anglis ad nos, ut pleraque alia, promanavit. Itaque ſi quatuor ſint fratres ex eodem patre, Titius primogenitus, Seius ſecundus, Mevius tertius, quartus Sempronius, Semproniuſque hereditatem aliquam ſive feudum acquiſierit, & ſine liberis moriatur, Mevius ei ſuccedet, quippe gradu proximus. Si verò ipſe Mevius hujus feudi acquiſitor fuerit, & moriatur ſine liberis, ille conquæſtus non ad Sempronium quartum, (licet deſcendentem,) ſed ad Seium ſecundò genitum pertinebit, quia conquæſtus ſemel aſcendit. Quòd ſi is Seius rurſus ſine liberis moriatur, non ei ſuccedet Titius primogenitus, quanquam immediatus frater in aſcenſu, ſed Sempronius quartus frater, qui natalibus eum ſequitur: nam cùm feudum illud non fuerat conquæſtus in perſona Seii, ſed hereditas; neque enim Seius acquiſierat ſuâ operâ vel pecuniâ feudum, ſed tantùm fratri Mevio in eo ſucceſſerat; itaque deſcendet per ejus mortem feudum, tanquam ejus hereditas, ad proximum deſcendentem, ſciz. Sempronium. Itaque frater gradu ſenior, non ſolùm ſuis fratribus, ſed etiam patri, à quo fortè conquæſtus ille profectus eſt, in eo præferetur. Quod de duobus aut pluribus fratribus dixi, idem in duobus aut pluribus patruis, & eorum liberis & collateralibus ulterioris gradûs obſervandum erit: adeò ut ſi filius ex ſecundo fratre natus, aliquid per ſe acquirat, & ſine herede deſcendente aut fratre moriatur, non ſuccedet ei in conquæſtu ſuo patruus immediatè patrem ejus ſequens, ſed qui immediatè eum præceſſerit; & ejus liberi, ſi ille in fata conceſſerit: ſed hoc ſemper ſervatâ ratione maris & fœminæ, ut nec fœminæ, nec earum liberi ſuccedant, ſi frater, aut ex eo liberi ſuperſint. In ſucceſſione bonorum mobilium, quæ hereditaria ſunt, ſervatur ordo juris Civilis, nempe ut immediate ſequens in eis præferatur: iſque etiam in fratris præmorientis liberorum tutela ſuccedet.

17. In hoc conquæſtu notandum eſt, conquæſtum non dici quod quis ex avo vel patre capit, ſi eo tempore quo capit erat proximè ſucceſſurus; non enim tum dicitur conquæſtus, ſed tanquam præceptio hereditatis, & qui accipit, pro herede, ſaltem univerſali ſucceſſore habebitur; & hoc inter aſcendentes & deſcendentes. Sed in collaterali ſucceſſione alia ratio eſt; nam ſi frater fratri quid dederit, licet is ei immediatè ſucceſſurus videatur, tamen non cenſetur præceptio hereditatis, ſed merus conquæſtus, & quaſi alienatio in extraneum facta, niſi id expreſsè dicatur, alienationem factam in fratrem tanquam ſucceſſurum; nos *heredem apparentem* dicimus.

18. In hoc jure ſucceſſionis in conquæſtu, Angli à nobis in hoc differunt: nam ſi ex quatuor fratribus, quartus aut tertius moriatur ſine liberis, feudum ab alterutro acquiſitum non pertinebit ad immediatè præcedentem, ad tertiò genitum vel ſecundum; ſed aſcendet ad primogenitum, præteritis reliquis, qui inter primogenitum & quartum interponuntur. Rationem illi adducunt, ob prærogativam primogenituræ & ætatis, & ſanguinis dignitatem: princeps enim eſt primogenitus familiæ, cui obventiones debentur. Præterea notandum eſt, ſi ex his quatuor fratribus ſecundus aut tertius moriatur, tutelam legitimam liberorum mortui ad quartum deſcendere, ſecundum juris communis regulas, quæ volunt (*ubi tutela ibi & hereditas*) neque ſolum tutelam, ſed bona etiam moventia, quæ hereditaria dicuntur, i. e. optimum in unaquaque ſpecie mobilium deſcendere ad proximum natu ex deſcendentibus fratribus. Feudum tamen acquiſitum aſcendere ſemel debet: quod ubi factum ſit, non jam acquiſiti feudi ſive conquæſtûs nomine gaudet, ſed hereditatis ſive feudi paterni.

19. Si plures ſint ſorores, & una vel feudum vel annuum reditum acquiſiverit, & ſine liberis mortua fuerit, omnes ſorores ad ejus ſucceſſionem per capita; nepo-

(a) Cap. 32. § 4. lib. 3. Reg. Majeſt. cap. 88 & 97. Quoniam attach. cap. 3. Rob. III.

tes verò & neptes per ſtirpes admittentur. Si non ſint ſorores, ſed tantùm fratres plures, is in ſucceſſione ſororis apud nos præferetur, qui proximus ætate eam antecedit. Si plures ſint fratres ex una uxore, veluti Titius, Sempronius, Seius, & unus ex ſecundo matrimonio Mevius, & is feudum acquiſierit, & ſine liberis deceſſerit, quis ei in feudo ſuccederet, cùm quæſtio ſemel mota eſſet, inter Gulielmum Oliphantium & Alexandrum Regium, Advocatos juris patrii peritiſſimos, & me; putabant illi Seium, tertiò genitum ex priore conjuge, Mevio ſucceſſurum, quòd ille immediatè Mevium præcederet, & conquæſtus eſſet. Ego contrà, quòd aliam rationem inter germanos fratres (inter quos qui immediatè præcedit ſemper in conquæſtu ſuccedit) & conſanguineos putarem: nam in hac facti ſpecie, Mevius, qui ex ſecundo matrimonio ſolus natus erat, Seio non erat junctus, ut germanus frater; ſed in illa junctura primus erat Titius, ex primo matrimonio primogenitus, & ſic, deficiente linea fratrum germanorum, ille præferendus videbatur, per quem ad alios pervenitur; neque enim à Mevio pervenietur ad Seium, niſi per Titium: itaque Titium præferendum in ſucceſſione conquæſtus Seii cenſebam. Habebam etiam pro me jus Anglorum, quod ſequendum putabam, quoties proprio deſtituimur: (at illi negabant;) nam in hac facti ſpecie, jure proprio deſtituti, regulam illam communem de conquæſtu ſequendam puto.

Diegeſis decima ſexta,

De Succeſſione talliata.

SUMMARIA.

1. *Succeſſio talliata præfertur lineali & collaterali, cùm procedat ex tenore primæ inveſtituræ. Quis ſit origo & fons feudi talliati, quæ præcipuè in Britannia obtinet? Methodus ab Auctore propoſita in hac Diegeſi.*
2. *Unde nomen talliæ?*
3. *Feudi talliati definitio.*
4. *Origo talliæ à Parliamento Weſtmonaſterienſi eſſe videtur, non à jure Civili aut Feudali.*
5. *Ex legibus XII. Tabularum talliarum uſum fuiſſe apud Romanos facilè eſt colligere.*
6. *Idem de media juriſprudentia eſt dicendum.*
7. *Idque etiam per ipſum Juſtinianum probatur.*
8. *Jus Feudale non ſolùm talliis non adverſatur, ſed iis maximè favet. Prælati etiam in feudis Eccleſiaſticis ſucceſſionem maſculorum fœminarum præferunt. Principis etiam feuda hoc confirmat, ne dividantur in incommodum domini.*
9. *An ex jure Divino talliæ licitæ ſint? Quidam negant.*
10. *Alii affirmant, talliaſque non ſolùm jure Divino permitti, ſed probari.*
11. *Legibus etiam XII. Tabularum idem probari poteſt, per agnatos ad ſucceſſionem vocatos, & non cognatos. Lex Voconia etiam, quæ ad Juſtiniani tempora permanſit, idem teſtatur. Theodora, Juſtiniani uxor, mulier ambitioſiſſima.*
12. *Talliarum apud nos ratio, & quòd odioſæ admodum ſunt, & revocationi obnoxiæ, etiam à Principe majore conceſſæ.*
13. *Ratio vera cur Princeps tallias revocet, quòd in præjudicium & enormem læſionem concedentis ſint factæ.*
14. *Concluduntur argumenta quæ pro & contra tallias adducuntur; nec ſuam opinionem adfert Auctor, ſed rem cujuſvis conſcientiæ relinquit.*
15. *Feudum talliatum apud nos quid ſit? Vicinis noſtris Anglis aliud eſt feudum talliatum in genere, aliud in ſpecie.*
16. *Feudum in liberum maritagium conceſſum, talliatum apud Anglos dicitur, & heredes talis feudi nihil domino præſtant, uſque in quintum deſcendentium gradum; ſed in quinto tenebunt per idem ſervitium quale ejus dominus ſuo domino præſtat. Gradus apud nos & Anglos eodem modo numerantur.*

17. *Alia*

17. *Alia ſpecies feudi talliati apud Anglos eſt, ſi detur Titio & Meviæ, & heredibus eorum quibuſcunque.*

18. *Tertia ſpecies talliæ eſt, ſi concedatur Titio, & heredibus ex corpore ſuo procreatis: & apud Anglos omne feudum talliatum dicitur, ubi hereditas providetur. Feudum ſimplex eſt, ſi detur alicui & ejus heredibus ſimpliciter; ſed verba inveſtituræ nec ſunt extendenda, nec negligenda.*

19. *Feuda talliata apud nos quæ ſint? In iis maſculi communiter ſuccedunt, & fœminæ & qui ab iis deſcendunt excluduntur; & feudum talliatum apud nos idem eſt ac feudum ſimplex in jure, quod ad fœminas nunquam deſcendit. Tallia etiam poteſt fieri in baſtardos, imò etiam in familias, ut in familiarum primogenitos: & heredes hi talliæ alio nomine* heredes proviſionales *dicuntur.*

20. *Tallia fieri non poteſt abſque conſenſu ſuperioris; nam præterquam quòd utilitates domini ſuperioris minuantur ex feudo talliato, alia etiam eſt ratio feudalis, ne vaſſallus ſucceſſionem ad alios transferat, quàm quos dominus voluit, niſi in ſubinfeudatione de ſe tenenda. Tallia à minore facta, ab eo jam majore facto, ratificari poteſt.*

21. *Tallia etiam mutuo conſenſu diſſolvitur, cùm reſignatio fit in manus domini feudi talliati, pro nova inveſtitura ſibi & heredibus ſuis concedenda, abſque mentione talliæ, & inde ſequitur ſaſina. In his reſignationibus cautè omnia ſunt facienda, ne aut imperitiæ, errori aut falſitati, feneſtra aperiatur. Idem dicendum, ſi alienatio à vaſſallo fiat, vel filio, vel extraneo, & confirmatio ſuperioris ſequatur.*

22. *Si feudum reſignatum ſit in favorem heredum talliæ, & nulla in ſuperioribus inveſtituris ſit tallia, tallia non eſt; ſed heredibus quibuſcunque debetur. Qui feudum ſibi & heredibus ſuis in genere habet, ſi illud diſpoſuerit extraneo & heredibus ejus maſculis, talliatum feudum non eſt: ſed ſi filio & ejus heredibus maſculis, & iis deficientibus alii filio, &c. quibus omnibus deficientibus, dicto reſignanti & ejus heredibus maſculis quibuſcunque; talliatum feudum cenſetur. Heres talliæ deſervitus in heredem in genere, non reſcindit talliam, & proximus ab eo heres deſerviri poteſt in heredem talliæ.*

1. DE diviſione feudi in *naturale* & *talliatum* diximus in D. 10. *(a)*, lib. 1. Per hanc autem ſucceſſionem talliatam, utrique ſucceſſioni, tam lineali quàm collaterali, præjudicatur: ea enim utrique præfertur, quaſi ex tenore primæ inveſtituræ procedens, cujus, ut dixi *(b)*, verba ſemper ſpectantur, ut ſciatur quis in unoquoque feudo ſuccedere debeat. Et ſanè in hac ſucceſſione declaranda, alium ordinem ſequi neceſſe eſt, quàm in duabus prioribus Diegeſibus ſequuti ſumus; neque enim hîc à legibus XII. Tabularum incipiendum eſt, neque à media juriſprudentia, neque à nova, quæ ex Imperialibus conſtitutionibus conflata eſt; cùm in his omnibus non minus nomen *talliæ*, quàm ipſius feudi incognitum ſit: imò in ipſo jure Feudali, ſi verba ſpectemus, niſi quòd feudum dicatur *maſculinum* & *fœmininum*, quid feudum talliatum, quid ipſa tallia, non reperitur. Itaque hujus talliati feudi prima origo repetenda ex mente & ſenſu juris Feudalis, quo cavetur, ut in omni ſucceſſione tenor inveſtituræ ſpectetur; præcipuè verò ex moribus Britanniæ, in qua penè ſola feuda talliata habentur ſub eo nomine maximè, cùm ab Anglorum inſtitutis, ut pleraque alia, talliata feuda ad nos pervenerint, ut & eorum feuda & leges feudorum à Normannis. Neque tamen negandum, tenorem feudi, ſive ejus verba, ab aliis gentibus etiam obſervari; an autem ſub nomine *talliæ* incertus ſum. Primò itaque videndum, undè nomen *talliæ* ſive *feudi talliati* ſit deductum, quæque ejus ſit definitio, quæque & apud quos horum feudorum talliatorum origo, quæ cauſa originis fuerit, quo tempore primùm cœperint, & ſiquid his ſimile in jure Civili aut Feudali occurrat, & an talliæ hæ ex jure Divino & in foro conſcientiæ ſubſiſtere poſſint: tandem de variis generibus feudorum talliatorum dicemus.

2. Quod ad nomen ipſum attinet, certum eſt eſſe vocem Gallicam, ut pleraque alia feudorum nomina quibus hodie utimur, & apud Normannos primò uſurpatum,

(a) § 6 & 24. (b) Vid. lib. 1. D. 9. § 36. & textus ibi allegatos.

ab eis ad Anglos, ab Anglis ad nos defluxiſſe. *Tallier* enim Gallicè *abſcindere* ſignificat, ut in lib. 1. D. 10. *(a)* monuimus; & talliata feuda [*dicuntur*], quæ, præcisâ & neglectâ rectâ & lineali ſucceſſione, ad certos heredes, etiam ex tranſverſo, qui ex proviſione hominum inſtituuntur, perveniunt. Neque eorum omnino opinionem probo, qui ab adjectivo *talis* deductum putant, quaſi id ſit talliatum, quod ad *tales* heredes, & non veros, ex tenore diſpoſitionis, pertineat: nempe, cùm feudum non acquiritur Titio & ejus heredibus in genere, ſed *talibus* tantùm heredibus in ſpecie, qui, niſi in ſpecie continerentur, non eſſent ſucceſſuri. Et licet hæc opinio cum vocis ipſius definitione imprimis conveniat, & ſignificanter rem ipſam exprimat, & nihil incommodi ſecum trahat; tamen & vocis ipſius orthographia, & earum gentium mores, à quibus ad nos hæc feuda defluxerunt, faciunt, ut à voce Gallica *tallier* deductum putem.

3. Hinc facilis eſt feudi talliati definitio, nempe id eſſe, quod, præcisâ directæ & linealis ſucceſſionis regulâ, ad alios heredes ex proviſione & tenore infeofamenti devolvitur. In qua definitione hæc obſervanda ſunt, nempe, feudum talliatum non minus eſſe feudum, quàm illud quod ſimplex dicitur; imò eſſe verè ſimplex feudum, ſi ex jure Feudali rem æſtimemus, quod maſculos tantùm ad ſucceſſionem admittit, & non fœminas. Sed cùm, moribus noſtris, antea monuerim *(b)* illud apud nos dici feudum ſimplex, quod ad heredes quoſcunque poſt mortem defuncti pertinet, talliatum feudum neceſſe erit illud eſſe, quod, excluſis fœminis, licet veri heredes ſint, hereditatem ad maſculos vi proviſionis trahat.

4. Originem autem feudi talliati Angli à Normannis acceperunt, aut ipſi ſibi dederunt, in comitiis regni apud Weſtmonaſterium ſecundò habitis, tempore Edwardi, ejus nominis poſt conquæſtum Primi, circa annum Domini 1280. nam cùm æquum videretur omnibus regni Ordinibus, uti quis pro arbitrio ſuo poſſet de feudis ſuis cum conſenſu domini ſuperioris diſponere, heredes quos velit in eis inſtituere, extraneis alienare, quocunque jure feuda ad eos perveniant, ſive ea ex jure ſucceſſionis, ſive ex propria induſtria aut aliena liberalitate devenerunt, (& ut noſtri in revocatione præſentis Regis retulerunt, *liceat quibus velimus & quomodo velimus feuda hereditaria acquirere*;) eorundem comitiorum Weſtmonaſterienſium & omnium in comitiis Ordinum conſenſu ſtabilitum & ſtatutum eſt, quòd quilibet in feudo exiſtens, ſive id feudum eſſet antiquum, ſive paternum, aut novum, cùm ſuum verè dicere poſſit, in eo quem velit (modò ſano corpore & ſanâ mente ſit) licere ei inſtituere aut ſubſtituere, ſuccedendi leges quas velit cum conſenſu domini præſcribere, ſucceſſionis tempus & perſonas limitare. Nec ante ea tempora talliam aliquam fuiſſe, ex alicujus familiæ monumentis, demonſtrari poteſt. Et hæc prima talliarum origo fuit, & originis occaſio, quæ profectò à jure Feudali non diſſentit, ut mox dicemus. De talliis in jure Civili nulla mentio; imò, quod magis mirandum, ne in jure Feudali, cùm tamen omnes talliæ feudorum ſint qualitates annexæ.

5. In legibus XII. Tabularum, licet expreſſa talliæ mentio non contineatur; neque enim earum ſuccincta brevitas omnia explicare & oculis ſubjicere poterat; tamen, ſi non talliam ipſam, certiſſima tamen pro tallia argumenta deducere poſſe nos affirmo: nam agnatorum, qui in familia manebant & (uti illi volunt) nomen familiæ & patrum ſoli repræſentabant, ratio prior erat in ſucceſſione, quam cognatorum: neque de cognatorum ſucceſſione quicquam cavebatur; agnatis enim ſolis providebant. Præterea conſtat ex legibus XII. Tabularum, primam illam legem eſſe in ſucceſſionibus, *uti quiſque legaſſet, rei ſuæ ita jus eſto (c)*. Quod ſi in teſtamento, cum forte decumbentium judicia corrumpuntur, aut aſſentatione, aut nimiis circumſtantium officiis, aut forte falſis criminationibus, ſi, inquam, eo tempore de rebus ſuis tam moventibus, quàm non moventibus, liberè diſponere, extraneos, præteritis ſuis, inſtituere; denique ſi liberè omnem ſucceſſionem, non ſolùm ſuorum, ſed etiam agnatorum & cognatorum tollere licuit; cur non in vita, cum ſanioris eſſent judicii, cum tot fictis criminibus non eſſent obvii, cur, inquam, in vita,

(a) § 24 & 25. (b) Lib. 1. D. 10. § 24. & lib. 2. D. 14. § 3. (c) Pr. Inſt. de lege Falcidia.

vita, non poterant, etiam ordinem in ſucceſſione inſtituere, quis in ſucceſſione prior, quis ſecundus, quis tertius eſſet?

6. Idem in media juriſprudentia: nam in ea erat locus, & inſtitutioni, & ſubſtitutioni; & Juſtinianus de numero ſubſtitutionum queritur ſuo tempore, eumque ad pauciores gradus redegit *(a)*. Neque in his inſtitutionibus proximitati ſanguinis locus ſemper erat: nam alioqui neque inſtitutio, neque ſubſtitutio requirebatur, cum ut quiſque propior ex ſanguine, ita prior admittebatur; ſed libera erat & inſtituendi & ſubſtituendi à jure permiſſa poteſtas: cui ergo majus licebat, dum qui ſanus animo & corpore eſt, neque cuivis infirmitati mentis obnoxius, ordinem ſucceſſionis facere, hunc inſtituere, illum ei ſubſtituere, & huic ſubſtituto alium etiam ſubſtituere poſſit; cur non & talliare, ſive ſubſtituere, uti in foro loquimur?

7. Præterea & Juſtinianus majorem apud antiquos juriſprudentes rationem fuiſſe maſculorum quàm fœminarum aperte teſtatur *(b)*; quodque maſculorum in ſucceſſionibus conditio erat potior quàm fœminarum, quòd fratrum filii in infinitum ſororum ſuccederent, at ſororum filii ſoli fratribus & eorum ſoboli. Quod vitium Juſtinianus uxorius, Theodoræ conſilio & imperio, ut pleraque alia antiquitatis corrigere volens, in quibus non erat par ratio fœminarum & maſculorum in ſucceſſione, per omnia mares & fœminas in ſucceſſionibus æquavit *(c)*. Neque tamen credendum, id vitium antiquitatis correxiſſe Imperatorem, quo mares, ſecluſis fœminis, in hereditate præterebantur. Nulla enim talis apud antiquitatem lex erat; veteres omnes id jus ignorabant, & fratres & ſorores ad patris communis ſucceſſionem pariter vocabant, & bonorum poſſeſſionem fœminis etiam Prætores permittebant: ſed quòd non eadem eſſet ratio in ſubſtitutionibus fœminarum quæ mariuni, indignabatur Imperator: nam veteres faciliores ad ſucceſſiones marium fuiſſe queritur, quàm fœminarum, cum natura omnes æquaſſet *(d)*.

8. Quod ad jus Feudale attinet, illud non ſolum talliis non adverſari, ſed maximè eis favere conſtat, non ſolùm quòd nullas fœminas ad ſucceſſionem admittat, (quod nihil aliud eſt, quàm rationem primam maſculorum, ſive talliæ eſſe voluiſſe;) ſed multo magis, quòd tenorem conceſſionis ſemper ſervandum, hereditatemque ſecundum eum deferendam expreſsè jubeat *(e)*; & nihil utroque hoc talliis magis convenire poteſt: quid enim aliud eſt tallia, ſi loquamur cum vulgo, quàm maris ſucceſſio exclusâ fœminâ? aut feudum talliatum, quàm maſculinum? aut tenor conceſſionis, quàm lex ipſius conceſſionis, ut illa lex in tenore concepta legi communi ſucceſſionis ſemper præjudicet, ut in poteſtate potiùs domini eſſet, quàm vaſſalli, quibus heredibus feudum provideri velit? multo magis quotieſcunque utriuſque conſenſus accedit *(f)*, ut in reſignationibus fieri ſolet? In feudo verò novo, nemini dubium eſt, quin dominus, qui ſibi bene eſſe quàm alteri mavult, quo ad ſervitia, non in meliori longe conditione ſit ex ſervitio maſculi, quàm fœminæ, & ejus potiſſimùm [illegible] dis rationem habendam in diſpoſitione & lex & ratio ſuadet. Adde, quod etiam in multis feudis Eccleſiaſticis, Prælati, qui forum poſi vel conſcientiæ ſequi videri volunt, ſucceſſionem maſculorum fœmineæ prætulerunt, & cum diſpoſitioni juris communis jus ſucceſſionis relinquere poſſent, providiſſe tamen ut feudi ſucceſſio ad maſculos tantùm pertineret; quod nunquam feciſſent, ſi illo gravari conſcientiam putaſſent: & in omnibus Principalibus feudis vallis Erniæ (*feuda Principalia* voco, quæ de Principe aut Seneſcallo tenentur) non ſolùm mares fœminis præferuntur, ſed etiam inter filias & ſorores primogenita *(g)*; ut ea nubendo feudum integrum conſervaret, ne in partes divideretur, quia diviſionem feudi majores noſtri putarunt verti poſſe in incommodum domini: neque id unquam caviſſent, ſi contra leges & jura regni, talia feuda eſſent prohibita.

9. Sequitur nunc, ut de jure Divino aliquid dicamus; utrum ex eo talliæ poſſint in foro conſcientiæ ſubſiſtere, an verò tanquam veræ & naturalis ſucceſſionis præjudicia excludi debeant. Et ſanè primâ facie intuentibus, deficientibus filiis,

(a) Nempe 4. Nov. 159. (b) Vid. D. 15. § 3. (c) Nov. 118. (d) Ut D. 15. § 4. dictum. (e) Vid. lib. 1. D. 9. § 36. & textus ibi allegatos. (f) Vid. D. 18. § 12. (g) Vid. D. 14. § 3.

videtur dominus præcipere, ut filiabus hereditas permittatur. Sic enim in ſupplicatione filiarum Zelophehad continetur, cum ex communi patre filii deficiſſent, ut filiæ ad ſucceſſionem admitterentur: hanc earum petitionem, cum ardua videretur, Moſes ad Dominum detulit, qui petitionem æquam & rationi conſentaneam pronunciavit, legemque eam ſucceſſionis in perpetuum ſtatuit, ut ubi filii deficerent, filiarum eſſet hereditas. Quòd ſi talliarum licentia permitteretur, fœminæ excluderentur, mareſque ulterioris gradûs præferrentur. Contra enim naturam videtur, ut fœminarum conditio deterior quàm marium eſſet; cum, ut ait Juſtinianus, neque maſculus per ſe, neque fœmina ſola ad procreationem liberorum ſufficiat; ſed quemadmodum utrumque Deus ad generationis miniſterium conjunxit, ita & eandem utrique utilitatem conſervavit *(a)*: itaque plerique non ſolum tallias noſtras contra naturam, ſed etiam legem ipſam Divinam inſtitutas eſſe non dubitant affirmare; præcipue cum nulla lex, nulla mentio talliarum in aliquo jure reperiatur.

10. Sunt tamen plerique non minoris auctoritatis, qui contrarium tenent, talliaſque non ſolum permitti ex jure Divino, ſed etiam probari aſſeverant, eaſque non ſolum ex lege naturæ, veterumque omnium inſtitutis, ſed etiam ex ipſo jure XII. Tabularum & media juriſprudentia deſcendere probare nitantur. Nam licet præceptum Divinum, quod Moſes à Domino retulit, hereditatem Zelophehad ejus filiabus diſtribui mandaverat; rationem tamen ſubjungit, quia nulli erant maſculi, quaſi diceret, quamdiu ſupereſſent maſculi, ad hereditatem admittendos: at neque omninò etiam deficientibus maſculis, ſed eâ lege & conditione, ut non niſi familiæ ipſi, i. e. alicui ex familia agnato nupſiſſet; quod & apud Græcos itidem fuiſſe ſcribit Demoſthenes, in oratione contra Boerum, ut *nulli mulieri liceret hereditatem ad extraneos deferre, ſed agnato & gentili ex ſua familia nubere per leges cogebatur.* Præterea leges ſucceſſionis, quæ ex ſacra Scriptura traduntur, non ſunt ad neceſſitatem trahendæ; nulla enim eſt reſpublica, nullum imperium, quod non ſpeciales ſuas leges de ſucceſſione habeat, ab iis, quæ in Divina pagina traduntur, aliquatenus differentes *(b)*. Nam ſi ad amuſſim regulæ Divinæ in ſucceſſionibus omnia dirigantur, neque primogenito locus erit, ut omnino excluſis fratribus ſuccedat.

11. Quod ad jus antiquum attinet, tallias à jure XII. Tabularum etiam probari, iidem contendunt, cum ad ſucceſſionem agnatos vocent, & non cognatos; agnati enim familiæ nomen retinebant. Et ſi Floro credendum eſt, in ſua epitome, quam libris Livianis præfixerat, lex Voconia apud Romanos lata eſt, rogante Voconio Saxâ Tribuno plebis, ſed inſtigante Catone Cenſorio, quâ, non ſolum fœminæ ab omni ſucceſſione, extantibus cujuſcunque gradus maſculis, arcebantur; ſed etiam, ne ex alieno teſtamento plus quam quadrantem hereditatis accipere poſſint: manſitque lex Voconia diutiſſime, imò usque ad ipſius Juſtiniani tempora, qui, quanquam Princeps omni laude alioqui digniſſimus, uxoris tamen Theodoræ ſuaſu, per omnia mares & fœminas adæquavit *(c)*, ut quod in uno genere, liceret & in altero. Nam Theodora, mulier ambitioſiſſima, ſola poterat omnia apud maritum, eumque, quoquo vellet, impellebat; imò virilis animi fœmina tantum non imperabat; cui, ut viam perſtrueret, impotentem ſexum, non ſolum ſucceſſionis, ſed etiam dignitatum & juriſdictionis capacem voluit declarari; & niſi rei inſolentia, & ex admiſſo ſcelere dedecus prohibuiſſet, marito in monaſterium incluſo, ipſa imperii gubernacula ſuſcepiſſet, ut nonnulli ſcriptum reliquerunt. Alii tamen omnes gentes in ſucceſſionibus æquiores & ſunt & fuerunt maribus.

12. Apud nos *talliæ* nomen, quàm apud ullos alios, frequentius eſt. Ratio eſt, quòd antiquarum familiarum ſplendor & continuatio cum dignitate in maribus potius conſiſtat quàm in fœminis. Quod, licet maxima nobilitatis pars & ſentiat & cupiat, noſtro tamen jure talliæ odioſæ reputantur, & ſtrictiſſimam interpretationem recipiunt, ſemperque in dubiis pro generali ſucceſſione interpretatio voluntatis ſive tenoris fit, & etiam ſub revocationem cadunt, non ſolum minorum qui alienaverunt, ſed etiam minorum ſuperiorum, qui tales tallias conceſſerunt; nam ſine ſuperioris conſenſu,

(a) l. 4. C. de liber. præter. vel exhered. & Nov. 18. cap. 4. (b) D. 13. § 31. (c) Vid. D. 15. § 4.

conſenſu vix talliæ locus eſſe poteſt. Itaque, ſive vaſſallus, ſive dominus ſuperior infra ætatem ſit, tallia ſive infeofamentum talliatum non rectè conficitur; nam utrique, quaſi eo facto læſo, poſt expletum viceſimum primum annum, & intra quadriennium utile, reſtitutio competit: imò, quod gravius eſt, in revocationibus Principum poſt viceſimum primum annum, (nam quæ poſt fiunt, ſub revocationem ſive reſtitutionem non cadunt) expreſsè in uno capite continetur *(a)*, regem jam perfectæ ætatis etiam revocare omnes diſpoſitiones talliatas, non ſolum quia inde graviter ſit læſus, ſed quaſi in præjudicium conſcientiæ factas (cujus prima ratio ſemper debet eſſe) & quod majus eſt, contra ipſas leges. Sed facilem hujus nodi putant aliqui ſolutionem eſſe; nam quod ad conſcientiam attinet, cujus, ut dixi, ſemper prima ratio debet eſſe, ſi feuda talliata eam gravarent, non minus peccarent Reges, qui majores facti talliata feuda concedunt, quàm qui minores; imò & gravius multo, nam ætas minor fortè aliquam admitteret excuſationem, juris nempe ignorantiam, aut tutorum vel curatorum incuriam, aut quòd ſurreptione id factum ſit; majores autem, quibus ſuarum rerum adminiſtratio eſt permiſſa, nullum velum, nullam umbram prætendere poſſunt, cur hæc talliata feuda admiſerint; itaque tam quæ à majoribus Principibus, quàm quæ à minoribus talliata feuda conceſſa ſunt, revocari ſic poſſunt, quaſi Principum conſcientias gravantia. Neque contra leges facta dici poſſunt, ex eadem ratione; nam ſi contra leges eſſent, licet a Principibus juſtæ ætatis facta, tamen ipſo jure & exceptionis tantùm ope tollerentur, & pro nullis eſſent; cum jus ipſum non patiatur, quod contra leges fit, id pro valido haberi. Itaque in eis revocationibus, ea verba, quibus Princeps *conſcientiæ ſcrupum*, aut, quia *contra leges* ea facta dicat, prætendit, puto malè inſerta, & pro non inſertis habenda.

13. Ergo, inferet aliquis, hæc feuda talliata ſub revocationem non cadent, cum alia ratio cur id fiat reddi non poſſit. Imò longè major & melior ratio facit ut hæc feuda revocentur, quaſi in præjudicium & enormem læſionem concedentis confecta; quæ prima fere & ſola ratio in revocationibus minorum eſt, & in ipſis revocationibus prætenditur. Quis enim neſcit gravius præjudicium Principum commodis fieri, quando cuſtodia maſculi ad eum devolvitur, quàm ſi cuſtodia ſive warda fœminæ fuiſſet? Nam fœmina heres ſi in wardam cadat, ſecum etiam totam hereditatem plerumque trahit; cum maritagii heredis maſculi plerumque non magna fiat æſtimatio: itaque maximum in his gravamen & incommodum Principis verſatur, & eâdem ratione ſub revocationem cadunt, quâ uniones Baroniarum, in quibus tamen levius eſt præjudicium. Sic alienationes, ſuppreſsâ veritate, quæ à ſectis curiarum liberant, & infinita alia. Illud etiam perceperunt, qui noſtri ſereniſſimi Principis revocationem ſcripto expreſſerunt, cum revocationem in conquæſtu locum non habere decreverunt, (etenim qui feudum acquirit, cuicunque velit id poteſt providere.) At rationem non exactè ponderarunt; nam ſi in novo feudo talliæ ſint permiſſæ, cur non in antiquo? & ſi primus conquæſtor, ſive acquiſitor, cui velit poſſit providere, cur non & ſucceſſor in antiquo, cum non minus hic quàm ille liberam rei ſuæ adminiſtrationem habeat, & ea uti vel abuti poſſit? Quòd ſi aliis in vita diſponere non minus hic quàm ille poteſt, cur non in vita, quid fieri velit poſt mortem, declarare? Itaque feuda talliata contra legem, ſive regni, ſive conſcientiæ qui putat, à vero, meo judicio, longè abeſt: ſed in his non ſtatui immorari; nam tallias neque contra leges regni, neque conſcientiæ eſſe, cenſuit Senatus in cauſa Lauchlani Macklauchlan contra Dominum de Lawmound *(b)*.

14. Hæc ſunt quæ contra tallias, & pro talliis ſolent adduci ab utriuſque partis patronis. Quod ad me attinet, nunquam committam, ut, in re tanta, meam ſententiam ulteriùs interponam, quàm ut illud teſter, eum qui jus commune patriæ ſequitur, legeſque ipſas teſtes conſcientiæ ſuæ habeat, meo judicio non errare. Talliatum autem jus, publico totius regni conſenſu, receptum, non ſolum in maribus, ſed etiam in fœminis, &, ut Canoniſtæ *(c)* volunt; *Cœli cœlorum domino, terram autem,*

(a) Viz. 31. Act, Parl. 11. Jac. VI. (b) 1. Martii, 1548. (c) Ut D. 13. § 31. dictum.

& jura omnia quæ de terris & feudis habentur, dedit filiis hominum, ut liberè, ſi in poteſtate conſtituti ſint, pro cujuſcunque regni commodo, de ſuis rebus poſſint diſponere (a).

15. Reſtat, ut quæ ſint genera talliæ diſcutiamus: nam cum feudum talliæ id apud nos dicatur, quo non ſolum feudi ſucceſſio à principali linea, ſive ea ſit directa, ſive collateralis, interrumpitur; ſed etiam, quando principalis lineæ perſonæ cohibentur & coarctantur intra certos cancellos, aut certa tempora, denique quando ita heredibus, ex feudo ſimplici alioqui ſucceſſuris, præjudicatur, ut ab eorum linea, jure interverſo, feudum ad alios devolvatur, quàm ad eos, qui ex jure naturæ ſuccedere debuiſſent, aut domino aperitur; hinc fit, ut diverſa talliarum genera naſcantur. Nam vicini noſtri, talliatum feudum aliud *generale* vocant, quando feudum alicui conceditur & heredibus ex corpore ſuo procreatis; nulli enim alii heredes admittentur in illud feudum, niſi qui ex ejus corpore procreati. *Speciale* vocant, ſi viro & fœminæ & heredibus ex eorum corpore procreatis detur: nam licet ille, ex alia conjuge, priore mortuâ; vel illa, mortuo marito, ex alio viro, liberos ſuſceperit, non tamen hi ſuccedent.

16. Siquidem & illud feudum talliatum eſt, quod in liberum maritagium conceditur: exempli causâ, ſi Sempronius feudum conceſſerit Titio & Meviæ, ſive exprimatur clauſula illa, *& heredibus inter ipſos procreatis*, ſive *ex eo matrimonio procreatis* (nam idem eſt;) imò, ſi tantum Titio & Meviæ in liberum maritagium feudum fuerit conceſſum (harum enim trium clauſularum idem in hoc genere feudi, quod in liberum maritagium dicitur, eſt effectus,) feudum talliatum dicitur. Nam nulli heredes ſuccedent, niſi qui ex eo matrimonio nati ſunt, reliquis omnibus excluſis: adeo ut, ſi Titius ex alia conjuge liberos ſuſceperit, hi tamen non ſuccedant, cum ſpecialis illa tallia, in favorem heredum ex eo matrimonio ſuſcipiendorum, tantum ſit concepta, multò minus heredes Meviæ: ea enim videtur mens concedentis fuiſſe, ut nolit alios quàm ex eo matrimonio natos ſuccedere. Quid enim, ſi dominus conſanguineam ſuam, aut aliqua neceſſitudine ſibi conjunctam, in matrimonium tradiderit, feudumque ei nomine & reſpectu illius matrimonii tantùm conceſſerit? Iniquum ſanè videretur, & à mente domini concedentis alienum, ſi, conſanguineâ ſuâ ſine liberis defunctâ, commodum illius feudi ad extraneos pertineret. Id autem præcaveri poteſt, ſi clauſula hæc, quæ frequentiſſima eſt, adjiciatur [*Quibus deficientibus, legitimis & propinquioribus heredibus dicti Titii aut Meviæ*] nam alioqui feudum liberos illius matrimonii, reſpectu cujus conceſſum eſt, non egreditur. Noſtri, non dubito, licet clauſula hæc [*quibus deficientibus*, &c.] non eſſet adjecta, eam pro expreſſa habuiſſent, erroremque ſcriptori, vel librario, vel notario imputarent *(b)*, & feudi ſucceſſionem liberis, à Titio etiam ex alio matrimonio ſuſceptis, concederent, ut in ſequenti talliæ ſpecie apparebit; in quo quidem meo judicio graviſſimè peccarent. Hoc etiam non eſt prætereundum, in hoc feudo in francum maritagium dato, (quod apud vicinos noſtros frequentius eſt quam apud nos) quod talis feudi heredes nihil domino præſtent uſque in quartum deſcendentium gradum; in quinto gradu, tenebunt per tale ſervitium, quale dominus ejus ſuo domino præſtare tenetur *(c)*. Gradus autem apud Anglos, ut antea monui, eodem modo numerantur atque apud nos, ut frater & ſoror unum tantùm gradum efficiant.

17. Aliud feudum talliatum dicitur, ſi feudum Titio & Meviæ ſit conceſſum, & heredibus eorum quibuſcunque: nam hoc feudum Angli affirmant talliatum, & jure quidem, quia à natura feudi ſimplicis divertit; cum in feudo ſimplici ad Titii heredes pertineret ſucceſſio, etiam ſi heredum tantùm in genere mentio fieret. At in hâc ſpecie, Titius & Mevia ſi nullos ex eo matrimonio liberos ſuſcepiſſent, & mortui eſſent, feudum pro æquis partibus ad heredes utriuſque deveniret; ita enim in ipſa diſpoſitione cavebatur, *Titio & Meviæ, & heredibus eorum.* Itaque diviſionem ex verbis diſpoſitionis feudum recipiet: nam in feudis eorum verbis inhærendum eſt,

(a) De quibus vide nuperrimum apud nos ſtatutum 22. Seſſ. 1. Parl. 1. Jac. VII. (b) Ut D. 14. §3. (c) Vid. cap. 57. lib. 2. Reg. Majeſt.

eſt, cum ſint ſtricti juris; & numquam ad mentem legis recurrendum, cum verba menti prævaleant, niſi quando in verbis ambiguitas continetur. Hæc Anglorum expreſſa eſt deciſio, quam egò libens ſequor; cùm tamen ſciam aliter in Senatu ſæpe judicatum, & clauſulam illam [*heredibus eorum*] ad heredes viri, (quâ vi, quâ interpretatione incrementi) tractam.

18. Sic tallia eſt, ſi quid detur Titio & heredibus ex corpore ſuo procreatis: nam fratri, aut aliis ex collateralibus, in hac ſucceſſione locus non erit. Sanè Angli omne feudum putant talliatum, ubi hereditas providetur (utor verbo forenſi) per eam clauſulam [*quibus deficientibus heredibus:*] feudum enim ſimplex definiunt, quod uni ſimpliciter & ejus heredibus conceſſum eſt; nam heredes ſemper proximè ſucceſſurum reſpiciunt *(a)*. Equidem hoc genus feuda ut talliata non negaverim: nam quodammodo interciſum eſt jus heredum dicti Titii, niſi in uno eo caſu matrimonii, & prolis in eo ſuſceptæ. Sed de hoc feudorum genere tractare hic non eſt animus; tantùm illud admoneo (quod licet ſæpius antea monuerim, nunquam tamen ſatis monitum puto,) verba ipſius inveſtituræ non eſſe extendenda, cùm ſint ſtrictiſſimi juris, eaque verba legem ſucceſſionis in omni feudo facere; adeò ut ſi feudum ſit alicui conceſſum & heredibus ejus ex ſexu fœminino, maſculi nunquam ſuccedant.

19. Feuda autem apud nos talliata ſunt, cùm certæ perſonæ inveſtitura fit, & heredes ex ejus corpore maſculi tantùm deſignantur; quibus deficientibus, alius & ejus heredes maſculi ex ejus corpore ſuſcepti ſubſtituuntur; & illis deficientibus, tertius & ejus heredes maſculi adjiciuntur; quibus omnibus deficientibus, heredibus dicti Titii, ſive primæ perſonæ maſculis quibuſcunque, idem nomen familiæ & ejus inſignia ferentibus. Hæc communis eſt feudorum talliatorum natura, ut in eis maſculi tantùm ſuccedant; & in jure Feudali maſculina feuda dicuntur. In quibus hæc duo ſunt conſideranda: Primùm, in his feudis fœminas omnes & ex eis deſcendentes excludi: neque ſufficit, ſi quis ex filia nepotem habeat, ut is, quaſi jure repræſentationis in avi locum, tanquam ejus proximus heres maſculus, ſuccedat; neque enim heres maſculus proximus rectè dicitur, qui non ex integra linea maſculina, nuſquam per fœminam interciſa, deſcendit: itaque ex filia nepos, licet mas, maſculus tamen heres non eſt; neque ad feudi maſculini ſucceſſionem admittitur. Denique, ut breviter rem totam abſolvamus, feudum, quod nos talliatum dicimus, illud pene eſt quod feudum ſimplex in jure eſt, quod ad fœminas nunquam deſcendit, neque debetur; quanquam apud nos tallia hæc aliquando ſpecialis eſt, ut non ſolùm proximè ſucceſſurus talliæ heres putetur, ſed etiam quis alius, cujus perſonam dominus præelegerit, etiamſi remotior ſit: nam & in baſtardos talliam ſive proviſionem fieri poſſe Senatus cenſuit, in ea cauſa quæ inter Dominum Andream Hayum Arroliæ Comitem *(b)*, & Hayum de Cokſtoun controvertebatur; qui, licet ſpurius, in inveſtitura tamen heres deſtinatus, cum hanc ſubſtitutionem Arrolius oppugnâſſet, quod ſpurii ne ſucceſſionis quidem talliatæ eſſent capaces; aliter tamen Senatui viſum eſt, licereque cuiquam æquum cenſuerunt, ut feuduni ſuum quibus velint perſonis talliarent, ſive heredes ſubſtituerent. Sic Jacobus Moravius Comes, Jacobo Melroſenſi & Calcoënſi Antiſtiti, ex vi proviſionis ſive talliæ, ſucceſſit: ſic Franciſcus Bothuelius, Jacobo Comiti Moraviæ. Ex eo tempore nullum impedimentum in perſonis talliæ factum, quin quis uti feudum ſuum talliaſſet, ita jus eſſet. Nec etiam in ſolis perſonis nominatis talliæ conſiſtunt, ſed ſæpe etiam in familiis; nam in familiarum primogenitos ſæpe vidi talliam conferri, ſic ut, deficiente concedentis familiâ, primus ex altera familia ſuccederet: hi autem ex tallia heredes, alio etiam nomine *heredes proviſionales* dicuntur *(c)*. Si quis enim rectè expendat, *heres talliæ & proviſionalis* (quem vocamus) in idem concurrunt; nihil enim aliud eſt tallia quàm proviſio, qua directa linea deſcendentium, aut collateralium, interſecatur, locuſque aperitur alii ſucceſſori. Apud nos, heredes proprie talliati ii communiter habentur, qui ad ſucceſſionem ex linea maſculina proximi vocantur, & ex Senatus ſententia heredes talliati in genere maſculos proximos denotant; proviſionales,

(a) Vid. § 21. (b) D. 18. § 11. (c) D. 13. § 8.

nales, ſi quis ex alterius ſubſtitutione (nos *proviſionem* dicimus) ſuccedat, quàm is maſculus qui proximus eſſet: itaque proviſio nihil aliud in effectu eſt, quàm tallia.

20. Nunc quid in tallia requiratur, quoque modo diſſolvatur, videndum. Talliari feuda ex jure noſtro non poſſunt, niſi ex conſenſu domini ſui ſuperioris *(a)*; & id in eis feudis quæ de Rege tenentur expreſsè cenſuit Senatus, & in aliis dominis ſuperioribus eadem ratio eſt. Nam, ut antea utilitates Regis quàm maximè minui ex feudo talliato diximus *(b)*, cùm majores multo commoditates proveniant ex herede fœmina, quàm maſculo *(c)*; ſic & in aliis feudis, quæ non de Rege, ſed de aliis ſuperioribus tenentur, idem dici poteſt: nec Rex in hoc caſu, niſi privilegio juris communis fruitur; in quo expreſsè cavetur, vaſſallum domini ſui ſuperioris conditionem facere deteriorem ſine domini conſenſu non poſſe, & hoc ratio ipſa poſtulare videtur. Alia ratio juris Feudalis eſt, quòd cùm dominus ſucceſſionem legitimam totius ſobolis in genere vaſſalli elegerit, vaſſallus ad alios heredes, quàm quibus dominus provideri voluit, jus feudi transferre non poſſit: nam & hæc ſola eſt ratio in recognitionibus, quòd cùm dominus vaſſallum, ejuſque deſcendentes, eorum fidem ſequutus, elegerit; vaſſallus, ingrati animi judicio, ſucceſſionem contra domini voluntatem intervertere, & in alios heredes transferre deſtinârit. Ego tamen, ſi vaſſallus ſubinfeudaverit quempiam in feudo de ſe tenendo, in eis caſibus, quibus ſubinfeudatio permittitur, in eiſdem etiam feudum talliare poſſe puto, motus eis rationibus quæ in revocatione Jacobi VI. continentur. Ratificatio autem talliæ, à domino minore conceſſæ, ſemper fieri ab eo jam majore facto poteſt, antequàm, pro reſcindenda tallia, reſciſſoria ab heredibus linealibus intentetur; etiam licet legitime illa tallia fuerit à domino revocata, dummodo in nudis finibus ſimplicis revocationis conſtiterit, nec dum actio intentata fuerit. Nam licet, quod nullum eſt, ratificari non poſſit; tamen confirmatio ab eo procedens, qui jus concedendi ab initio habuit, pro nova conceſſione, ſive tallia, ſæpe habetur.

21. Rumpitur autem ſive diſſolvitur tallia, ex mutuo conſenſu domini ſuperioris & vaſſalli, eodem quo conſtituebatur modo; *cùm nihil ſit tam naturale, quàm unumquodque eodem modo diſſolvi, quo colligatum ſive contractum fuit (d)*. Mutuus autem conſenſus tum dicitur, cùm vaſſallus reſignationem facit in manus domini ſui illius feudi talliati (etiam ſine mentione talliæ) pro nova inveſtitura ſibi & heredibus ſuis concedenda, licet non exprimat *quibuſcunque*; cùm tamen heredis nomen, per ſe relictum, proximos ex linea tam maſculina quàm fœminina comprehendat *(e)*, eamque novam inveſtituram in effectum deducit, per ſaſinam conſequentem. Hæc itaque appoſui, quia ſæpe fraus fieri poteſt in his novis inveſtituris, dum vel Notarius, qui inſtrumentum reſignationis facit, non ſatis fuerit rei gerendæ peritus, aut erraverit (ut facilis eſt in ſimilibus error) putans in favorem generalium heredum reſignationem factam, cùm tantùm in favorem heredum talliatorum facta eſſet; ſaſinaque per actornatum, ignorante plerumque vaſſallo, capi poterit. Itaque in his reſignationibus cautè omnia ſunt facienda, ne aut imperitiæ, aut errori, aut etiam falſitati feneſtra aperiatur. Nec intereſt in hoc genere reſignationum, utrùm inveſtitura hæc nova reſignanti in genere & ejus heredibus fiat, an alii extraneo, cui prior vaſſallus feudum vendendum contraxerit; nam in utroque caſu, ſi nova inveſtitura fiat alicui & heredibus ejus in genere, ſaſinaque & poſſeſſio ſequantur, non dubium quin feudi tallia rumpatur, & ſucceſſio ad proximos heredes redeat, ſive hi ſint maſculi ſive fœminæ; facilè enim res quæque ad ſuam priſtinam naturam, à qua diſceſſerat, revertitur. Quod autem diximus, tallias diſſolvi per reſignationem vaſſalli in manibus domini, pro nova inveſtitura ei & heredibus quibuſcunque danda; idem erit, ſi alienatio à vaſſallo, vel filio vel extraneo fiat, & ejus heredibus quibuſcunque, & ſequatur confirmatio ſuperioris.

22. Hoc autem generaliter tenendum eſt, ſi feudum per vaſſallum reſignetur in favorem heredum talliæ, ſine ulteriore additione, & nulla ſit in ſuperioribus inveſtituris tallia, talliam non cenſeri, ſed heredibus quibuſcunque deberi. Talliatum feudum

(*a*) Ut § 12. dictum. (*b*) § 13. (*c*) Vid. D. 21. § 28. (*d*) l. 36. ff. de R. J. (*e*) § 18.

feudum reſpicit perſonam accipientis : nam ſi quis, cùm antea feudum ſibi & heredibus ſuis in genere haberet, illud poſtea alteri extraneo diſpoſuerit, & heredibus ejus maſculis, talliatum vix videri poſſit, cùm extraneo liceat, quibus velit heredibus, acquirere. Sed ſi filio fortaſſe ſecundò genito (primogenito mortuo, relictâ ſolâ filiâ) feudum per reſignationem impetraverit, & ejus filiis maſculis ; quibus deficientibus, alteri filio & heredibus maſculis, & fortaſſe tertio & ejus heredibus ; quibus omnibus deficientibus, dicto reſignanti & ejus heredibus maſculis quibuſcunque : licet videatur ea diſpoſitio, quæ ſecundò genito facta eſt (quia non erat ſucceſſurus,) in extraneum collata, itaque & licita ; tamen, quia poſtrema clauſula in heredes primi concedentis reſolvitur, feudum talliatum meritò cenſebitur. Annotandum igitur in feudo talliato, mortuo vaſſallo, qui non ſolùm heres ex linea deſcendens erit, ſed & idem maſculus fuerit, ſi deſerviri ſe faciat in heredem in genere patri ſuo, talliam non reſcindere ; cùm heres idem ſit & talliæ & lineæ : nec obſtare, quin proximus ab eo heres maſculus, in heredem talliæ deſerviri poterit ; licet ejus anteceſſor, cùm eſſet filius, & proinde omnimodo heres, ſe tantùm pro herede generali agnoverit.

Diegeſis decima ſeptima,

Communia de Succeſſionibus.

SUMMARIA.

1. *Ut ſucceſſio apud nos eſt duplex, ſic & ſucceſſor, unus immobilium, alter mobilium, qui* Executor *vocatur.*
2. *Executor quis ? Eſt ex teſtamento, vel ab inteſtato, qui* Executor dativus *vocatur. Uterque inventarium facere debent ; & confirmandi ſunt antequam debitores defuncti conveniant. Licentia quandoque iis ante confirmationem conceditur. Si fraus in inventarii confectione fiat, aut quid viliùs æſtimatum, quid ?*
3. *Intromiſſor univerſalis quis ? Agere non poteſt, ſed conveniri poteſt. Tenetur rationem reddere ſuæ immiſtionis executori confirmato. In ſolidum tenetur creditoribus hereditariis ; ſed executor tantùm pro viribus hereditatis, donec liberetur ab hoc onere ſententiâ judicis. Aliquando plures ſunt intromiſſores.*
4. *In immobilibus ſucceſſor etiam eſt duplex, ut in mobilibus ; vel heres, vel univerſalis ſucceſſor. In hunc omnes actiones competunt : ipſe autem agere non poteſt, donec deſervitus fuerit ; & tunc ei, & in eum omnes actiones transferuntur.*
5. *Secunda differentia eſt, ſi heres damnetur, actionem habet adverſus executorem, quam ſucceſſor univerſalis non habet donec deſervitus fuerit ; at executor heredem indemnem ab evictione rei immobilis ſervare non tenetur. Nec aſſedationum evictiones, aut aliæ quæ hereditatem ſapiunt, in executorem dantur. Executor in mobilibus defunctum repræſentat, ſed heres in rebus hereditariis.*
6. *Tertia differentia eſt, quòd heres non niſi elapſo anno conveniri poſſit, ſed executor quocunque tempore rectè convenitur.*
7. *Ex rebus mobilibus hereditariis optimum quodque heredi debetur. Quæ paraphernalia dicuntur, nec in inventarium veniunt, nec, ſi plura uxor habeat, ex iis aliquid exigetur, vel jure Anglorum, vel apud nos : ſed vel filiabus, vel eis qui proximi ſunt, debentur. Non quæ ſub pignore apud defunctum ſunt, ſed ſummæ pro quibus jacent, ſunt in inventario exprimendæ. Si res optima à defuncto pignori data fuerit, ſi heres illam elegerit, executor eam luere debet ſuis ſumptibus. Primogenitus mas, ex quocunque ſit matrimonio, electionem habet. Si plures ſint filiæ, omnes ex æquis partibus ſuccedunt, nec primogenituræ eſt locus. Si cuiquam fœmina heres ſit, & moriatur, ad ejus primogenitam tranſit hereditas mobilium ; nec in eo genere hereditatis teſtator ſucceſſori præjudicare poteſt.*

8. *Defunctus in lecto ægritudinis præjudicare nequit heredi apparenti in successione bonorum mobilium hereditariorum, nisi maxima inopia aut necessitas urgeat.*

9. *Primum commune omnium feudorum est, ut semper inquiratur quis obierit ultimò vestitus & sasitus? & quæ sit investituræ conditio? & an illa salvis ejus verbis possit ad petentem accommodari? an sit paternum, an maternum?*

10. *Secundum commune est, ut in omni successione feudali consuetudo loci semper servetur, & loci in quæ feudum situm est.*

11. *Tertium commune omnium successionum, sive linealis, collateralis, vel talliatæ, est, quòd deficiente lineâ rectâ, collaterali vel talliâ, feudum ad dominum redeat, à quo profectum est. Apud nos plerique fisco locum esse putant. In feudo alicui & heredibus concesso, collaterales veniunt ad septimum gradum; & si nemo sit intra septimum, redit ad dominum, quasi ultimum heredem: alii in infinitum ad successionem admittunt.*

12. *Dominus feudi est ultimus heres. Fiscus bastardo non est ultimus heres, nec Rex ex crimine damnato. Qualiter in his casibus succedat Rex, aut fiscus. In feudis, aut mobilibus, si lis sit inter heredes de feudo, dominus retinet feudum donec decidatur; & cùm feudum victori restituit, fructus retinet.*

13. *Quartum omnium feudorum commune est, ut institutio in iis locum non habeat, sed ex successione heredes veniant, non obstante praxi Gallorum aut nostrâ. Præceptio hereditatis quid? Non est votum captandæ mortis, nec aufert facultatem testandi.*

14. *Quis dicatur extraneus? De eo qui investitus per resignationem patris, & possidet, & inde fit obnoxius creditoribus.*

15. *Quintum commune omnium successionum est, ut quilibet successor obnoxius sit creditoribus defuncti.* Cum omni causa *quid? Executor invitus non tenetur recipere actiones; & reddendo rationes suæ administrationis liberatur. Quomodo id fiat?*

16. *Intromissor ultra vires in solidum creditoribus tenetur. Executore ac intromissore discusso, qui heredes sint conveniendi? & quo ordine? Omnes uno libello debent contineri. In successione collaterali feudi antiqui, agnati ad debita hereditaria non tenentur, ex jure Feudali, licet in feudo succedant: sed hoc non obtinet apud nos.*

17. *Sextum commune est, tam heredum quàm executorum, ut si plures sint, ut in fœminis heredibus, una sine aliis non rectè conveniatur: sed aliud in executoribus. Quæ hujus diversitatis causa?*

18. *Septimum commune est, quòd qui semel heres aut executor factus est, nec renunciare possit, nec jus suum in alium transferre. Abstinendi tamen beneficium Justinianus introduxit, quoad heredem; quod & apud nos plurimum optandum est. Licet neuter jus suum (ut dictum) in alium transferre possit, uterque tamen assignatos in re particulari facere potest.*

19. *Heres talliæ & generalis inter se differunt, in hoc, quòd nunquam detur actio in heredem talliæ, donec facultates heredis generalis excutiantur, licet pars feudi talliati sit in debito.*

20. *Octavum commune omnium feudorum est, ut heres pro dignitate alatur.*

21. *Nonum commune omnium etiam est repræsentatio. An ea obtineat in linea collaterali, ut in directa, quæ nunquam ambigebatur?*

22. *Decimum commune omnium feudorum est, quòd heres ad successionem admittatur per Brevia, & eorum deservitionem. Ubi de præcepto quod de* Clare constat *vocatur, & remedio per Cancellariæ Brevia invento. Si dominus ipse ideo non intraverit vassallum, quod non sit de directo dominio investitus, potest ex summonitione 40 dierum à vassallo moneri, ut intret; si sit extra regnum, ex summonitione 60 dierum citari.*

23. *De Brevibus remissivè.*

24. *Querimoniæ viduarum, pupillorum & extraneorum, Brevibus originem dederunt.*

25. *Brevis definitio. Unde voces* Clamores, Clamei, Clamantes & Clamati *ad nos pervenerint? Breve de dissasina in jure nihil aliud est quàm interdictum recuperandæ possessionis, apud nos spoliationis & ejectionis actio. Alia multa Brevia sunt, quæ à Normannis ad Anglos, ab iis ad nos pervenerunt; sed Senatûs institutione omnes præter sex exoleverunt.*

26. *Forma processûs in Brevi, de* morte *antecessoris, quâ mandat Rex (cujus persona per Cancellariam suppletur) judici ordinario, ubi feudum situm est, aut alii delegato,*

delegato, ut ſolenniter inquiſitionem fieri faciat, &c. Ordinarii judices qui ſint? Inferiores magiſtratus de hoc Brevi non cognoſcunt; & is ſolus de eo cognoſcit ad quem dirigitur.

27. *Inquiſitio quid? & quot perſonæ in inquiſitione ſint neceſſariæ?*

28. *Qui ſint* probi & fideles patriæ? *& patria non eſt regnum, ſed vicinia.*

29. Magno ſacramento interveniente, *quid intelligatur? Jurati, ſi iniquè ſententiam dixerint, & eorum ſententia reſcindatur, pœnam perjurii incurrunt. Capita de quibus hi inquiſitores cognoſcunt, & quorum reſponſa ad Cancellariam remittunt. Aliàs retornatus non admittitur, nec dirigetur præceptum pro ſaſina capienda.*

30. *Quis obiit ultimò veſtitus & ſaſitus, & quomodo Angli diſtinguant? Heres documento aliquo docere debet defunctum veſtitum fuiſſe; & res vel feudum eſt ſpecialiter deſignandum.*

31. *Quis ſit ei legitimus & propinquior heres?*

32. *De quo teneatur, aut quis habeat dominium directum?*

33. *Per quod ſervitium? Servitium militare ſemper præſumitur, niſi aliud qui petit poteſt demonſtrare. Licet infeofamento contineatur canon certus annuus, cum clauſula,* pro omni alio ſervitio, & quæſtione ſeculari ſeu demanda, *aut illa,* pro omni alio onere, *niſi expreſsè dicatur, pro annuo cenſu, aut canone in feudifirma, cuſtodia & relevium non excluduntur.*

34. *Quid nunc valeat* per annum, *quid* tempore pacis? *Cujus capitis origo fuit, ut dominus certus eſſet, quid ſit ei præſtandum à vaſſallo relevii causâ, & etiam ob publica regni onera & exactiones.*

35. *Antiquus extentus quid? item novus extentus. Si valor pecuniæ creſcat, locus erit tertio.*

36. *Per illa verba,* nunc, & tempore pacis, *antiquus & novus extentus ſignificatur.*

37. *An ſit legitimæ ætatis? quæritur tantùm in feudo militari; in aliis feudis ætas non attenditur. Perfecta ætas quid apud nos? & Anglos?*

38. In cujus manibus nunc exiſtat? *non ratione domini intelligendum, ſed ratione uſusfructûs, cum conſenſu domini, alii conſtituti, veluti uxori defuncti, vel ejus parentibus, vel ratione curialitatis: ſed ſi uſusfructus ſit baſſus, nec dominus nec inquiſitores tenentur agnoſcere.*

39. A quo tempore fuerunt? *ſciz. à tempore mortis vaſſalli vel uſufructuarii.*

40. Qualiter, per quod ſervitium, per quem, & ex qua cauſa? *Et inquiſitio hæc retornari debet ad Cancellariam, ſub ſignis, tam judicis ordinarii, quàm inquiſitorum.*

41. *Rex, cujus vices Cancellaria ſupplet, præceptum dirigit ad judicem ordinarium loci, ut ſaſinam quàm celerrimè heredi jam deſervito & retornato det, capiendo ſecuritatem, & reſpondendo pro eo.*

42. *Si feudi dominantis pater ſit uſufructuarius, filius proprietarius, à quo inveſtitura petenda ſit?*

43. *An dominus ſine cenſûs præteriti ſolutione teneatur vaſſallum inveſtire? In omnibus infeofamentis dandis, quæ de Rege tenentur, intervenire debent Vicecomes, ejus Clericus, & Mari: in iis quæ baſſa dicuntur, non item.*

44. *An in his feudis Carboniano edicto locus ſit? affirmatur. Carboniana poſſeſſio quid? Ea autem non obtinet apud nos, ſed ſtatûs quæſtio ad judices Chriſtianitatis ſtatim diſcutienda remittitur, pendente interim quæſtione de ſucceſſorio edicto.*

1. DUPLEX cùm apud nos ſit ſucceſſio, altera quæ rerum mobilium, altera quæ immobilium ſit, duplices inde heredes naſci neceſſe eſt: neque enim qui in bona immobilia ſuccedit ſemper heres eſt, cùm ex empto vel alio titulo particulari ſuccedere poſſit; neque qui in mobilibus locum occupat, heredis omnino nomine caret: executor enim heres in mobilibus dicitur, quanquam heredis nomen alteri potiùs tribuatur.

2. Quod ad heredem mobilium attinet, is ex teſtamento, vel ex inteſtato ſuccedit. Ex teſtamento, cùm ei & ejus fidei adminiſtratio omnium rerum mobilium a teſtatore permittitur *(a)*: ab inteſtato tunc, cùm vel nullum teſtamentum factum, aut illud ruptum aut irritum fuerit, recuſante herede mobilium (quem *Executorem* nominavimus)

(a) Cap. 38. § 2. lib. 2. Reg. Majeſt.

navimus) onus ſibi commiſſum; neque enim neceſſitas cuiquam incumbit, ut invitus illud in ſe recipiat: imò nec is, qui in hereditatem immobilium ſuccedit, officium executoris in ſe invitus recipere cogendus eſt, licet ejus maximè interſit *(a)*, ut mox apparebit. Itaque, ſi vel nullum ſit teſtamentum, aut irritum aut ruptum recuſatione executoris fuerit, ad Eccleſiaſticam juriſdictionem recurritur, ut qui ei præſunt executores dativos dent *(b)*; quorum officium, poſtquam fuerint confirmati, à curatore bonis dando in jure Civili non multùm differt. Nam & hi curatores à creditoribus defuncti rectè conveniuntur, & à debitoribus rectè exigunt, bonorumque omnium mobilium adminiſtrationem habent *(c)*. Hoc tamen monendum eſt, neque executores ex teſtamento, neque ab inteſtato, rectè quicquam judicio perſequi, aut in eo hoc nomen conſiſtere poſſe, donec inventarium à ſe confectum, &, interveniente ſacramento, Commiſſariis oblatum fuerit, confirmationemque ſui officii ſive adminiſtrationis ab illis acceperit *(d)*: niſi fortè, cùm dubia eſt inventarii confectio, & debitorum vel inopia, vel difficultas, vel debiti incertitudo aliquando occurrat; nam in his caſibus ſolent executores, vel nominati, vel dativi, veniam à Commiſſariis Eccleſiaſticæ juriſdictionis, vel, ut ſæpe fit, ab ipſo Senatu licentiam, ad tempus, quo commodè poſſint judicio experiri, verúmne ſit debitum nécne, impetrare; præſtitâ priùs cautione, ſe illo tempore judicio legitimo litem contra debitorem dubium moturos & tentaturos, verum ſítne debitum nécne. Nec ultra tempus veniæ indultæ (quod ſæpe ad ſententiam extenditur excluſivè) licet actionem continuare aut proſequi, niſi ex nova cauſa licentia hæc ſeu venia continuetur. Quòd ſi fraus in inventarii confectione facta fuerit, aut aliquid fuerit in inventario omiſſum, aut vilius quàm par eſt æſtimatum, ad id petendum executori actio non datur: quia juramenti religio obſtat, niſi ipſe qui juravit probabilem ignorantiæ cauſam habuerit, priorque quàm ullus alius ad Commiſſarios detulerit; alioqui alius dativus ei præferetur.

3. Ante hanc confirmationem, ſi ſe bonorum adminiſtrationi immiſcuerit, univerſalis tum habetur intromiſſor, in eumque non minùs quàm in verum executorem omnes actiones competunt: ipſe tamen agere non poterit, donec in executorem fuerit confirmatus. Quòd ſi alius fuerit executor confirmatus, is contra eum qui ſe immiſcuit, pro eis bonis omnibus quibus ſe immiſcuit repetendis, actionem habebit; is verò, qui ſe immiſcuit, ſoli executori de rationibus ſuæ immiſtionis reddendis tum tenetur, ab aliis creditoribus liberatur: itaque *Executor* nomen juris eſt, *Intromiſſator* nomen facti; hic in ſolidum pro debitis hereditatis tenetur, ille tantùm pro viribus hereditatis *(e)*; neque enim executoris officium cuiquam damnoſum (ut poſtea *(f)* dicemus) eſſe debet *(g)*. At qui ſe alienis bonis immiſcuit, cùm culpâ carere non poteſt, (nam in jure *culpa eſt rei ad ſe non pertinenti ſe immiſcere (h)*,) cùm convenitur à creditoribus, nunquam vires ſuæ intromiſſionis exhauſtas cauſabitur, neque pro rata tantùm intromiſſionis convenietur jure noſtro, ſed in ſolidum tenetur *(i)*. Itaque cautè providendum, cùm quis ſe alienis rebus immiſcere velit. Sed vires hereditariæ nunquam creduntur exhauſtæ *(k)*, donec executor judicio legitimo confirmatus, debitiſque emergentibus gravatus, rationes apud judicem Eccleſiaſticum reddiderit, ſecundum vires inventarii, omnibus citatis quorum intereſt, & eis præſentibus, aut ſaltem contumacibus, à judice fuerit eo onere liberatus *(l)*: neque enim poſtea creditoribus ſatisfacere tenetur, niſi ejus manifeſta fraus in rationibus reddendis appareat, ut mox dicemus. Si plures ſint intromiſſores quos vocamus, hæc exceptio ei, qui ut intromiſſor convenitur, hodie proderit, ſi eos nominet *(m)*, & intromiſiſſe ſe bonis jacentibus probet: adeò periculoſum eſt ſe immiſcere bonis jacentibus, niſi auctoritas aut licentia judicis præcedat.

4. Ad

(*a*) Cùm ſubſidiariè teneatur, cap. 18. § 3 & 4 Stat. 2. Rob. I. Cap. 35. lib. 2. Reg. Majeſt. cap. 76. Parl. 6. Jac. IV. (*b*) Cap. 2. lib. 1. & cap. 38. § 5 & 6. lib. 2. Reg. Majeſt. cap. 22. Stat. Gul. I. (*c*) l. 2. § 1, 2 & 5. & l. 3. ff. de curatore bonis dando. (*d*) l. 22. C. de jure delib. § 5. Inſt. de hered. qualit. & differ. (*e*) l. 22. § 4. C. de jure delib. (*f*) § 15. (*g*) l. 7. quemadmodum teſtam. aperiantur. (*h*) l. 36. ff. de R. J. (*i*) d. l. 22. § 14. C. de jure delib. (*k*) l. 36. ff. de bonis libert. & d. l. 22. § 12. de jure delib. (*l*) Vid. § 15. (*m*) Vid. lib. 3. D. 2. § 7. in fine.

4. Ad eundem modum ſucceſſores in rebus immobilibus dividuntur: alii enim ſunt qui *heredes* dicuntur, qui in univerſum jus defuncti, quod tempore deceſsûs ſui habuit, ſuccedunt *(a)*; nam *hereditas* eſt nomen juris: alii qui *univerſales ſucceſſores* ſunt, quod eſt nomen facti; neque enim heredes ab hominibus jure noſtro fiunt, cùm illud ſolius eſſe Dei dicamus *(b)*: ut neque jure Civili Prætor heredem facere poterat, cùm à lege hereditates deferantur *(c)*: at homines (quod antea Prætores facere ſoliti) bonorum univerſales ſucceſſores faciunt, veluti, cum quis eum, qui immediate eſt ſucceſſurus, in feudis ſuis, aut eorum uno, inveſtit; nam is, ut in jure Civili bonorum poſſeſſor, eſt pro univerſali herede ſive ſucceſſore habendus. Diſcrimen idem eſt inter hunc heredem & univerſalem ſucceſſorem, quod antea inter executorem & eum qui ſe immiſcuit bonis hereditariis, quòd licet in hunc omnes actiones competant, quæ in defunctum poterant competere *(d)*, non tamen agere poteſt, donec legitimè & ſolenniter hereditatem adierit, i. e. in heredem deſervitus fuerit *(e)*: eodem modo atque qui bonis ſe immiſcet, omnes actiones in ſe recipere tenetur; ipſe agere, donec nomen juris acceſſerit, non poteſt: at heredi & in heredem omnes actiones ſine ullo diſcrimine competunt, nec minus ille agere contra omnes creditores, quam conveniri ab illis poterit.

5. Alia differentia inter eos eſt, quæ tamen aliqua in parte in priorem incidit; nempe, ſi heres à creditoribus hereditariis conveniatur, & damnatus ſit, actionem habet contra executorem pro rationibus ſuæ executionis ſive adminiſtrationis reddendis, & debitis quæ ſolvit, ſi facultates rerum mobilium ſuppetant, repetendis *(f)*. Succeſſor, licet univerſalis, gravatus debitis, repetitionem non habet, donec ſe in heredem deſerviri curaverit; at executor heredem immobilium indemnem ab evictione rei immobilis ſervare non tenetur: imò ne aſſedationum evictiones, ut neque ullæ actiones, ſive acquirendæ, ſive retinendæ aut recuperandæ hereditatis ſint, aut hereditatem ſapiunt, in executorem dantur. Jure noſtro itaque executor, aut qui ſe bonis immiſcet, in mobilibus tantùm repræſentat defunctum: in rebus immobilibus, aut eis quæ immobilium loco ſunt, heres; nam hunc ſolùm poſtea eo nomine deſignabimus.

6. Tertia differentia eſt, quòd heres non niſi elapſo anno conveniri poteſt, idque expreſſa conſtitutione trium Ordinum hujus regni *(g)*: executor verò, vel qui ſe immiſcet bonis mobilibus, aut qui pro univerſali ſucceſſore eſt, quocunque tempore rectè convenitur. Datur tamen aliquando, ſi petatur, & juſta cauſa videatur, tempus deliberandi, idque ex ſumma æquitate.

7. In hereditate bonorum mobilium, non omnia mobilia executori, licet heres mobilium videatur, deberi certum eſt: nam unius cujuſque rei mobilis optimum in ſpecie debetur ei qui in feudo ſuccedit, aut qui in heredem generalem retornatur. Quid autem ſit in unaquaque ſpecie optimum, extat titulus, ſive potiùs catalogus rerum, quæ ſub hereditate bonorum mobilium cadunt; & lectorem ad illum remitto *(h)*. Illud tamen monendum eſt, neque ornamenta mulieris aut viduæ, quibus ſe ornaverit vivo marito, deberi: neque, ſi plura habeat, ex iis aliquod ab ea exigetur, vel jure noſtro, vel Anglorum. Itaque ſi quos torques, gemmas, annulos, armillas, & id genus ſimilia, tempore primi mariti habuerit, quibus corpus ſuum ornare ſolita erat, neque in inventarium veniunt, neque, ſi plures habuerit, earum aliqua, ſed vel filiabus, vel eis qui proximi ſunt, debentur *(i)*. Præterea, ſi quid apud defunctum ſub pignore vel hypotheca fuit, quod nos *invadiatum* dicimus, illud inter hæc bona hereditaria non numerabitur: nam ut ex bonis his hereditariis quid ſit, duo concurrere debent, titulus nempe & poſſeſſio, i. e. ut is qui deceſſit in titulo fuerit, & in poſſeſſione tempore mortis ſuæ: neque enim propriè poſſidere dicitur, qui non ut ſuum ſive ſuo nomine poſſidet. Pignus enim alieno nomine poſſidetur,

(a) l. 59. ff. de R. J. (b) Cap. 20 § 4. lib 2. Reg. Majeſt. (c) Pr. Inſt. de bonorum poſſeſſionibus. Vide D. 18. § 12 & 13. (d) l. 28. ff. de rebus auct. jud. poſſid. (e) l. 23. pr. ff. de acquir. vel amit. poſſeſſ. (f) Cap. 76. Parl. 6. Jac. IV. (g) d. cap. 76. Parl. 6. Jac. IV. & cap. 106. Parl. 7. Jac. V. (h) Cap. 125. legum Burgorum, & cap. 54. Parl. 7. Jac. III. (i) Arg. l. 8. C. de pactis conventis.

ſidetur, ſed ſummæ, pro quibus pignora ſubjacent, eæ ſunt in inventario exprimendæ *(a)*; alioqui in eis locus erit dativo executori. At ſi res optima, quæ ad heredem pertinere debeat, à defuncto, dum vixit, pignori data fuerit, pignus illud luere ſuis ſumptibus heres mobilium ſive executor debet, ut heredi immobilium præſtetur, ſi modò illud quod oppigneratum eſt præelegerit. Si ex pluribus uxoribus plures ſuſceperit liberos, primogenitus tamen, ſive is ex prima, ſive ſecunda aut tertia conjuge prognatus fuerit, bonorum hereditariorum mobilium electionem habebit: nam ſemper eſt electioni locus, ut id non debeatur quod in unoquoque genere optimum eſt, ſed quod ut optimum heres elegerit. Si plures ſint filiæ, omnes ex æquis partibus ſuccedent; neque primogenituræ in hoc caſu inter fœminas locus erit, etiamſi ex diverſis conjugibus fuerint ſuſceptæ. Si cuiquam fœmina heres exſtiterit, & moriatur, ad ejus primogenitum, ſi ex juſtis nuptiis fuerit, aut heredem, bonorum mobilium hereditas pertinebit, ut etiam in primogenito maſculi; neque in eo genere hereditatis, ſucceſſori præjudicare poteſt, neque ea vel extraneo, vel remotiori, neque marito ſuo prælegare, & heredem fraudare poteſt: cum tamen magna dubitationis ratio ſit, cùm uxor nulla bona habere in jure præſumatur, quæ non ſint mariti, aut à marito acquiſita; nam fœmina, conſtante matrimonio, honeſte non præſumitur acquirere, niſi ex bonis mariti; & licet hereditariarum rerum mobilium legatum nullum ſit, tamen pretium rei legatæ ex bonis teſtatoris debetur, ita ut res ipſa ad juſtum heredem devolvatur.

8. Quod autem diximus, in lecto ægritudinis defunctum non poſſe heredi apparenti in ſucceſſione bonorum mobilium hereditariorum præjudicare, intelligendum eſt, niſi inopia aut neceſſitas urgeat; cùm in caſu neceſſitatis etiam bona feudalia liceat alienare *(b)*. Idem puto in cauſa ingratitudinis, ſi declaratoria, vel per actionem vel per exceptionem, ſequatur *(c)*. Multæ aliæ quæſtiones de executore, & eo qui ſe bonis immiſcuit, quotidie occurrunt; quas tamen libens prætereo, ſuiſque judicibus relinquo, cùm noſtri tantùm ſit inſtituti feudorum qualitates & uſus deſcribere. Hæc de primo genere ſucceſſionis mobilium & immobilium, in quibus hi ſucceſſores ſecum, & in quibus immobilium ſucceſſores cum utriſque conveniant; & in quibus diſſentiant. Reliqua, quæ ſequuntur, tantùm in immobilium ſucceſſoribus locum habent: breviter itaque percurremus in quibus inter ſe conſonent, & diſſideant.

9. Primum itaque hoc omnium feudorum eſt commune, ut ſemper inquiratur, quis obiit ultimò veſtitus & ſaſitus? & quæ ſit inveſtituræ conditio? an illa, ſalvis ejus verbis, poſſit ad petentem accommodari? Exempli causâ, ſi feudum ſit maternum, & ex materno genere procedat, & moriatur is qui proximus ex linea materna, quæraturque, quis ei ſit proximus heres? Procul dubio in genere tantùm ex paterna linea heres ei ſuccedet; quia maternum genus in feudis non attenditur. Sed cùm inquiritur, quis ſit ei proximus heres in tali feudo? tum qualitas feudi eſt inſpicienda, utrùm ſit paternum an maternum: nam ſi maternum, ad proximum ex linea matris feudum pertinebit; quod & apud Anglos obſervatur. Vidi tamen contrarium in Senatu obſervari, in cauſa Joannis Gilbert, quam ſub nomine agebat; ubi Senatus, neglecto unde venerat feudum, ſolùm id attendit, quis defuncto proximus heres ex linea paterna erat; licet poſtea, cùm ea res ad majores cauſas poſſit derivari, ſententiam plerique mutârunt. Apud Anglos, ſi nemo ex patris ſanguine ſuperſit, conquæſtus ad proximum ex materna linea devolvitur; nempe, ſi quis ſibi acquiſiverit & heredibus ſuis: ſed in ſucceſſionibus nunquam attenditur linea materna, deficientibus heredibus ex parte patris; ſed ad dominum redit. Sic in deſcenſu hereditatis ex fœminea linea, deficientibus heredibus ex linea matris, à qua deſcendit hereditas, nunquam ad paternam lineam pertinebit, ſed ad dominum *(d)*.

10. Secundum hoc annotandum eſt in omni ſucceſſione feudali, conſuetudinem loci

(*a*) l. 213. § 1. ff. de V. S. (*b*) Cap. 18. lib. 2. Reg. Majeſt. cap. 13. Stat. Gul. I. (*c*) 1 F. 21. ibi, Cognita culpa. (*d*) 2 F. 50. circa finem.

loci ſemper eſſe ſervandam : ſed & hoc addendum, illius loci conſuetudinem ſervandam, in qua feudum ſitum eſt, non ubi quis defunctus eſt. Exempli causâ, de conquæſtu licet in Gallia teſtari, & cui quis velit teſtamento feudum novum relinquere; apud nos non licet : itaque ſi Scotus, qui feudum novum in Scotia acquiſierit, in Gallia mortuus fuerit, fortaſſe ibi civis factus, & teſtamento velit novum hoc feudum, quod in Scotia habet, alicui relinquere more Gallico; non poteſt, quia feudum hoc in Scotia ſitum eſt, ubi de eo teſtari non licet.

11. Hoc etiam ſucceſſionum, ſive linealis, collateralis, ſive talliatæ, commune eſt, quòd, deficiente rectâ lineâ, vel collaterali, vel talliâ, feudum ad dominum redit à quo profectum eſt : nam ſi cui & deſcendentibus ex ſe feudum ſit conceſſum, & deſcendentes defecerint, ad dominum feudum redit, etiamſi non exprimatur; iſque adeò ultimus heres dicitur *(a)*. Apud nos, fiſco locum eſſe plerique putant, quaſi in bonis vacantibus, & quorum dominus ignoratur; ſed neſcio quam bene. Si cui & ejus heredibus in genere feudum ſit diſpoſitum, collaterales ſuccedunt, uſque ad ſeptimum gradum, ut multi putant : ſi nemo ſit intra ſeptimum gradum, feudum ad dominum redit, quaſi ultimum heredem : alii in infinitum ſucceſſionem admittunt *(b)*, ſi modò de eo conſtet, & legitimè probari poſſit; quod nuper in duabus actionibus vidi deciſum, una, quæ ad Dominum Marrium pertinebat, cujus pater ultra decem gradus ab Eliſabetha Douglas Comite hereditaria Comitatûs Marriæ aberat, & tamen ei in heredem dicti Comitatus deſervitus ex legitima inquiſitione fuit. Sed ille totam propaginem ab ipſa ſtirpe adeò legitimè & ſolenniter demonſtravit, ut nemini de ſucceſſione quæſtionem reliquerit. Altera erat Domini Setoun, qui cùm pro redemptione partis dominii de Langnidrie, contra Forreſterum de Corſtorphen, & Forreſterum nothum Jacobi Forreſteri de Corſtorphen, ac ejuſdem hereditatis poſſeſſorem, actionem intentâſſet; ut actio in ejus perſona conſiſteret, ſe in heredem Setoun, uni ex majoribus, ſed ultra ſeptimum gradum, deſerviri curavit, non tantùm ex recta linea, ſed etiam collaterali, quia recta ſemel aut bis erat interrupta. Scimus omnes Chriſtianiſſimum Galliarum Regem Henricum IV. ne in decimo quidem gradu conſanguinitatis prædeceſſorem ſuum Henricum III. attigiſſe. Itaque non tantùm ad ſeptimum gradum numerari ſucceſſionem collateralem credendum eſt, ſed etiam ulteriùs; modò id legitimis monumentis conſtet, aut evidenter probari poſſit, &, ut textus loquitur, *non ſit dubium eum heredem eſſe :* neque famæ credendum puto, licet in his quæ ultra hominum memoriam ſunt, aliquando famæ ſit credendum. In jure Feudali regula hæc ſervatur : Si ſemel feudum deſcenderit, in infinitum ad collaterales pertinebit *(c)*; ſi verò fuerit feudum novum, uſque ad ſeptimum gradum tantùm incluſivè, ut antea dixi *(d)*. Apud nos utrumque in infinitum extendi puto.

12. Itaque, ut ad ultimum noſtrum heredem redeamus, is dominus feudi eſt *(e)* : nam ad eum, ratione feudi, ſi nullus certus heres appareat ex eorum numero qui in diſpoſitione continentur, feudum redit; etiamſi non ſit expreſſum ut in eo caſu rediret : lex enim illa naturalis feudi eſt, ſive naturalis omnibus inhærens feudis qualitas, cujus expreſſione (ut antea in Diegeſi 3. § 28. in fine monui) non eſt opus. Nec tamen idem eſt ac ſi fiſcus baſtardo, qui ex jure heredem habere non poteſt, nec ſi ex crimine forisfacto, ſive majeſtatis damnato, ſuccedat : neque enim tum Rex ut ultimus heres ſuccedit; nam baſtardo ex jure nullus heres eſſe poteſt, ſed potiùs factum in hac ſpecie ſpectamus, ſi nullus heres ex cognatione inveniri & demonſtrari poſſit. In perduellionis damnato Rex ſuæ injuriæ ultionem habet : at in ultimo herede aliud; nam eo caſu dominus feudi jure ſuccedit, licet alioqui etiam ex jure Feudali valvaſſinus, in primum dominum peccans, feudo ſit privandus *(f)*, cujus ſaltem præſentatio ad dominum ſuperiorem, in quem peccatum eſt, pertinebit. In forisfactura, Rex ad debita damnati exſolvenda non tenetur *(g)* : ſi ut ultimus he-

(*a*) 1 F. 1. § 2. ibi, Sin autem, 1. F. 8. § fin. ibi, In alio, 1 F. 14. § Si duo, 1 F. 20. 2 F. 11 & 18. Vid. etiam cap. 55. lib. 2. Reg. Majeſt. (*b*) 2 F. 50. (*c*) 2 F. 31 & 50. (*d*) D. 15. § 7. (*e*) Vid. § 11. litera (*d*), & textus ibi allegatos. (*f*) 2 F. 55. § 2. (*g*) At contrarium apud nos nunc ſtatuitur, primo conventione Ordinum regni anno 1689, cap. 33. ac poſtea cap. 33. Seſſ. 2. Parl. unic. Gul. & Mar. anno 1690.

ſuccedat, tenetur non minus quam alius heres: idem etiam juris puto, ſi Rex baſtardo ſive ſpurio ſucceſſerit, ut in hoc caſu, Rex etiam creditoribus baſtardi teneatur. Illud tamen advertendum, quod apud nos hodie Rex in omnibus feudis baſtardo ſuccedit, non tantum in eis quæ de ſe tenentur; & hic, quaſi dominus feudi, ſuccedit ex defectu heredum: in eis autem feudis quæ de alio domino tenentur, præſentatio ad Regem devolvitur, ut Rex poſſit quem velit vaſſallum domino præſentare, dominuſque cogetur eum ipſum qui a Rege præſentatur in vaſſallum recipere, eiſdem legibus & conditionibus quibus baſtardus fuit antea inveſtitus. In mobilibus, ut ab initio dixi, jure coronæ ſuccedit. De hoc ultimo herede habemus exemplum manifeſtum in Winceſlao Rege Bohemiæ, apud Albertum Crantzium: nam cùm regnum Bohemiæ feudum tantum eſſet imperii, (ut Neapolitanum & Siculum regnum feuda ſunt Romani Pontificis,) & Winceſlaus Rex moriens filium cognominem heredem regni inſtituiſſet, iſque eodem anno à ſuis cæſus eſſet, nec ex ſe liberos reliquiſſet, jure feudi regnum ad imperium rediit, & non ad ejus proximos, licet heredum in conceſſione fuiſſet mentio. Hoc etiam monendum eſt, ſi quis ſe heredem eſſe contendat, retineri tamen feudum a domino debere, donec lis decidatur; ſed ſi pro non dubio herede judicatus fuerit, reſtituet ei feudum: dominus interea fructus ſuos facit, quia ratione feudi ſive eſchetæ dominicæ ad eum pertinent. Idem in feudo militari, ſi quæſtio ſit, an vaſſallus plenam ætatem viginti unius annorum expleverit, nécne?

13. Hoc præterea omnium feudorum commune eſt, ut inſtitutio in eis locum non habeat; neque enim heredes ex inſtitutione veniunt, ſed ex ſucceſſione *(a)*. Quod in feudo antiquo ex jure Feudali verum eſt, Regem teſtamento ſecundo genitum inſtituere non poſſe, niſi primogenitus omnino ſit inhabilis; imò nec vaſſallus, etiam cum domini conſenſu, in feudo poteſt agnato immediate ſucceſſuro præjudicare *(b)*. Dubitationem tamen facit, quod & apud nos & in Gallia fieri videmus in contractibus matrimonialibus, cùm quis filium ſuum, ut apparentem heredem, cum ea quæ ex ampla fortaſſe familia fuerit conjunxerit, & conditio contractus fuerit, eum inſtituendum in tota hereditate; & tamen hic eſt inſtitutio, & non ſucceſſio. Reſpondeo, non inſtituitur hic heres, licet promittatur ei ſervanda hereditas, ſive ſucceſſio, aut ſi quid in præſentia convenerit, ut ei detur: in quibus caſibus pater conſtituitur, quaſi debitor filii, cogique poteſt ad implementum eorum quæ promiſerat. Sed ſi filius tantùm eſt creditor patris, nec eſt heres inſtitutus, dubitari poteſt an onere paternorum debitorum gravabitur, mortuo patre, ac ſi heres eſſet? Certum enim eſt, hunc filium debitorum oneri ſubjacere ex jure, maxime ſi [*ut heres apparens*] exprimatur; imò etiamſi abſolutè, nullâ mentione habitâ heredis apparentis, commodum ſenſerit, ſi modò revera ſit heres apparens. Quòd ſi ut heres apparens contrahat, licet ſit is qui in hereditate ſuccedere debet; ſi tamen ex eo contractu commodum non ſenſerit, & ſi poſtea abſtinuerit, non cogetur creditoribus ſatisfacere. Horum omnium ratio ex moribus Gallorum deſumitur: nam Galli hanc non vocant *inſtitutionem heredis*, ſed *quaſi præceptionem hereditatis*, ut cùm illud quod filius, mortuo patre, aſſequeretur jure ſanguinis, id ei vivo præſtatur, duoque quaſi vincula concurrant, alterum agnationis, alterum conventionis ſeu promiſſi exſolvendi. At ſive inveſtitus ſit, ſive præcepta hereditas, negari ferè non poteſt, quin votum captandæ mortis inducat, quod in jure toties prohibetur. Sed in hoc non omnino cum jure communi conſentimus: nam licet pacta de inſtituendo aliquo in quota parte bonorum etiam apud nos reprobentur, quòd liberam teſtandi facultatem adimant, votumque captandæ mortis alienæ inducant; tamen hæc promiſſio hereditatis ei cui debetur, & qui in ejus ſpem altus & educatus eſt, non videtur inducere votum captandæ mortis alienæ, neque teſtamenti factionem tollere, in his de quibus quis libere apud nos teſtari poteſt, nempe de bonis mobilibus. Hæc autem generalis ſucceſſio in extraneo nunquam habet locum.

14. Extraneus autem is dicitur, qui immediatè non eſt ſucceſſurus, ratione habi-

tâ

(*a*) 1 F. 8. in fine pr. (*b*) 2 F. 39. pr.

tâ ad id tempus quo inveſtituram accepit. Apud nos, ſi quis ſucceſſioni proximus infeofamentum acceperit, per reſignationem ejus cui ſuccedere debet, & terras poſt mortem defuncti, cujus uſusfructus reſervatus erat, poſſederit, habetur pro herede & hereditariis actionibus obnoxius. Dixi, *ſi poſſederit*, cùm reſignatio, & quæ ſequitur ex ea ſaſina, eo inſciente & ignorante, fieri poſſit, quo caſu iniquum eſſet quempiam oneribus hereditariis implicari.

15. Commune omnium ſucceſſionum hoc etiam eſt, quòd quilibet ſucceſſor, ſivé in mobilibus, qualis eſt executor, aut qui ſe immiſcet; ſive heres in mobilibus hereditariis; ſive heres feudi, ſive ſucceſſor in feudo, vivente patre, cui immediatè tamen ſucceſſurus eſt; aut ſi fuerit ultimus heres: ut omnes hi debitis defuncti exſolvendis teneantur; adeò ut ſi quis defunctus ad factum obligatus fuerit ad diem, nec in tempore fecerit *(a)*, veluti ſi ſe infeodaturum ad diem ſpopondiſſet, & in mora fuiſſet, à die moræ non tantùm creditori & ejus heredi in quod obligatus fuerat tenetur, ſed etiam cum omni cauſa. *Cauſam* autem dicimus, omne id quod creditor habiturus fuiſſet, ſi ad diem infeudatio facta fuiſſet; & ſic creditor habebit omnes annuos proventus illius feudi, quod erat diſponendum *(b)*; qui, ut ad creditoris executores non pertinebunt, ſed ad heredes, ſic à debitoris heredibus ſunt præſtandi, niſi in pecunia debitum conſiſtat; nam tum executor aut qui bonis ſe immiſcuit tenebitur, ſed in hoc arbitrium eſt creditoris utrùm velit convenire: ita tamen ut ſi executor nondum inventarium fecerit, & ſe abſtinuerit, nec à judice fuerit confirmatus, reſque omnis ſit integra, actiones invitus in ſe recipere non cogatur, poſt confirmationem cogitur: ita tamen ut ad rationes ſuæ adminiſtrationis faciendas admittatur, ſi petierit; quod hoc modo fit *(c)*: Citatis omnibus creditoribus defuncti in ſpecie, ſi qui ſint, quorum ſpecialiter intereſſe cognitum ſit, omnibuſque aliis in genere, ad Eccleſiam ejuſdem parochiæ, & crucem publicam primarii burgi illius vicecomitatûs; dies executori confirmato conſtituetur, ad rationes audiendas, & eo adveniente, ſi ex fide Commiſſarii rationes redditas perſpexerint, executorem ab omnibus aliis oneribus defuncti liberum pronunciant, nec exinde pro debitis hereditariis tenebitur ulterius, quàm pro reliquiis rationum, quæ apud eum ſunt. Quòd ſi inventarium fuerit exhauſtum, exceptio redditarum rationum eum liberat, neque ultra vires inventarii tenetur; executoris enim officium nemini debet eſſe damnoſum *(d)*, niſi quid fortè malignè ſubtraxiſſe inventario conſtet; nam ea replicatio exceptionem rationum redditarum elevat: alioqui ſi creditoribus executor ſatisfecerit pro viribus inventarii, fruſtra ab aliis poſtea convenitur, creditorumque præventioni in his locus eſt; & qui prior actionem intendit, & quod ſuum eſt recuperaverit, potior eſt jure, neque aliis dabitur repetitio.

16. At longè aliud in eo qui ſe immiſcuit volens & prudens bonis alienis ſine titulo, *cùm culpa in jure ſit immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti (e)*; is, inquam, non pro viribus hereditatis mobilium, ſed in ſolidum convenitur: imputare enim ſibi debet, quòd cùm potuit abſtinere, non tamen fecit; caute enim (niſi mandatum ſpeciale habeat) ad adminiſtrationem rei alienæ debet quis accedere: & hoc donec vel ipſe qui ſe immiſcuit, vel alius executor fuerit confirmatus. Si alius fuerit confirmatus, illi ſoli poſt confirmationem tenetur ad ſuæ adminiſtrationis rationes reddendas, & ab aliis creditoribus fruſtra poſtea convenietur; nam transferendæ erunt actiones in executorem, qui & ex jure & ex facto illud onus in ſe receperit: de iis verò quæ jam ſolverit, hic qui ſe immiſcuit repetitionem nunquam habebit, cum judicio legitimo debita hæc ſint evicta; tamen quatenus executorem liberaverit, quodque in ejus rem verſum fuerit, in rationibus reddendis rectè imputabit, executorque ei præſtare cogetur: poſtea omnes actiones pro debitis defuncti in executorem, & contra eum tranſeunt, & pro recuperandis defuncti debitis ſummâ uti diligentiâ debet; adeò ut niſi intra annum judicio expertus fuerit, fruſtra ejus debiti, dum à creditoribus convenitur, rationem haberi poſtulabit. Si intra annum negligentiâ

(*a*) l. 77. ff de V. O. (*b*) l. 20. ff. de R. V. & l. 38. § 7. ff. de uſuris. (*c*) Vid. § 2. (*d*) l. 7. ff. quemad. teſtam. aperiantur. (*e*) l. 36. ff. de R. J.

rem prætermiſerit, heredi locus antiquitùs fuit ea judicio perſequendi, ut cujus maximè intererat ea bona recuperari, fidemque defuncti exſolvi, ſeque in poſterum ab horum onere liberari *(a)*. Hæc de executore ſive intromiſſore. Quibus diſcuſſis, aut etiam poſt annum à morte defuncti, heres, ſi quis eſt generalis, conveniendus eſt *(b)*, i. e. qui ſe heredem judicio profeſſus eſt, ſive qui geſſit ſe pro herede, nempe ſi vel deſervitus fuerit publicè, vel optimum quodque bonorum mobilium acceperit, vel ſi ſit univerſalis ſucceſſor *(c)*: nam hi primò, ſed ſuo ordine diſcutiendi, quibus excuſſis, ad heredem talliæ pervenietur, ut is, deficientibus reliquis, ſive diſcuſſis, pro debitis hereditariis poſſit conveniri. Poſſunt etiam heredes generales & talliæ uno libello contineri, ut prius heres in genere, in quantum debito exſolvendo ſufficit, teneatur, & heres talliæ in id quod ſupereſt. In ſucceſſione collaterali tamen feudi antiqui, agnati ad debita hereditaria ex jure Feudali non tenentur, licet in feudo ſuccedant *(d)*; non enim jure hereditario ſuccedunt, ut ſibi videri volunt, ſed ex proviſione primæ inveſtituræ, & ſic non ex beneficio defuncti, ſed domini primi *(e)*. Sed nos non hoc ſequimur.

17. Commune & hoc eſt, tam heredum quàm executorum, ut ſi plures ſint, (quemadmodum fieri poteſt cùm hereditas in fœminas devolvitur,) unus ſine aliis conveniri rectè non poſſit; omnes enim ſimul perſequendi à creditoribus. Sed in executoribus id obſervatur, ut ſæpe contra unum actio detur, ſi nullus alius in eo territorio fuerit: nam licet plures executores ſint extra illud territorium, unuſque intra territorium, is ſolus qui in territorio eſt, ante judicem illius territorii, conveniri poteſt à creditoribus, damnatuſque pro rata actiones contra collegas habebit. In heredibus, cur omnes conveniendi ſunt, ratio eſt, quòd unus fortè exceptiones, aut etiam apochas, evidentias, ſeu monumenta habere poteſt, quæ alius non habet: puto tamen pro ſua parte hereditatis ſeparatim poſſe etiam conveniri.

18. Commune omnium hereditatum, tam rerum mobilium quàm feudorum, hoc eſt, quòd qui ſemel executor factus eſt, aut hereditatem adierit, renunciare non poteſt, neque jus ſuum in alium transferre *(f)*: *Semel* enim *heres, ſemper heres*. Antiquitùs tamen re integrâ licebat executori officio renunciare, hodie non; debuit enim expendere apud ſe hereditatem mobilium damnosáne eſſet, an debitis exſolvendis ſufficiens. Sed in executore nihil ferè eſt periculi; nam ſi diligentiam adhibuerit, ultra vires hereditarias non tenetur. At in herede deſervito nullus eſt ſubterfugii locus; omnia enim debuit, ante agnitam hereditatem, apud ſe præmaturè ponderâſſe, nec temerè hereditati ſe immiſcuiſſe, cùm jus deliberandi haberet toto anni tempore, à die defuncti *(g)*. Juſtinianus tamen, duritiem juris antiqui corrigens, *(h)*, ut abſtinerent, etiam poſt aditam hereditatem, permiſit, ſi magnum æs alienum emerſerit ex inſperato, ut antea dixi. Quòd ſi apud nos etiam permitteretur, ex juſta cauſa, putarem cum ratione conſentire; licet oblationem hanc, ut quis abſtineat, reſque omnes hereditarias, quæ ad eum pervenerant, reſtituat, viderim ſæpe in judicio factam per exceptionem, & rejectam: tamen ſi eo nomine actio reſtitutoria, cauſæque æquitas præter ſpem emergat, Senatum reſtitutionem non negaturum putarem. Sed duriorem Senatum in hac quæſtione facit, cùm alias renunciationes ſæpe per exceptionem admittat; quia fraudi videbatur via patefacta, ſi quis poſtquam adierit hereditatem, boniſque ſe immiſcuerit, ſubtrahere quædam velit, nemine conſcio, (cùm intra privatos parietes res agatur,) & ita creditoribus præjudicare; cùm tamen revera, ſi quis penitius proſpiciat, minus fraudis, ſi reſtitutio petatur contra aditam feudi hereditatem, eſſe poſſit, quàm in mobilibus bonis, neque tam facile eſt in illis quàm in his fallere. Dixi neutrum poſſe jus ſuum in alium transferre; nam neque executor alium pro ſe executorem ſubſtituere, neque aſſignatum (quod par eſt) in omnibus bonis mobilibus facere poteſt: ut neque heres nomen heredis in alium transferre, ſive aſſignatum in ea facere poteſt. Uterque tamen

(a) Cap. 35. lib. 2. Reg. Majeſt. cap. 76. Parl. 6. Jac. IV. (b) Cap. 18. § 3 & 4. 2 Stat. Rob. I. (c) Eſt etiam titulus paſſivus Stat. 24 Seſſ. 5. Parl. unic. Gul. & Mar. (d) 2 F. 45. Vid. D. 15. § 9. (e) Vid. § 19. in fine. (f) D. 13. § 14. (g) Cap. 76. Parl. 6. Jac. IV. & cap. 106. Parl. 7. Jac. V. (h) § 2. Inſt. de heredum qualit. & diff. & l. 57. ff. de A. vel O. hereditate.

tamen aſſignatos (per *aſſignatos* ſemper intelligo quemcunque ſingularem ſucceſſorem) in re particulari quavis hereditaria, aut in pluribus ſpecialibus, ſive eæ ſint mobiles ſive immobiles, facere poteſt; nempe executor rem quamcunque mobilem defuncti in quemcunque, ſive per venditionem, donationem aut permutationem transferre poteſt, & heres aliquam partem, quam volet, paterni feudi & pro arbitrio alienare & diſponere.

19. Et licet hæc executorum & heredum ſint communia, ſunt tamen nonnulla in quibus heredes inter ſe differunt. Primum eſt, quod nunquam in heredem talliæ datur actio, donec facultates heredis generalis excutiantur *(a)*; imo neque ſi pars feudi talliati ſit in debito, quod nemo niſi heres talliatus poterit præſtare: nam heres talliatus tanquam extraneus eſt, quamdiu alius ſupereſt, qui defunctum repræſentet, quique actiones defuncto competentes habeat. Hoc enim eſt hujus feudi talliati proprium, quod heres ex eo, licet totius vel majoris partis hereditatis commoditas apud eum remaneat, tamen ut tantum pro extraneo habeatur, & pro ſingulari ſucceſſore, quamdiu ſupereſt, aut ſupereſſe ſperatur heres ex linea ſive recta ſive collaterali propinquior ſanguine: nam ſi qui ſunt hereditarii creditores, ſi qui ſunt qui defunctum obligatum habuerant, ut eos in certo fundo inveſtiret, iſque ipſe fundus apud heredem talliæ ſit, & in illo ratione talliæ defuncto ſucceſſerit, non tamen neque pro debitis hereditariis, neque etiam pro inveſtitura illius ipſius feudi, quod apud eum eſt, & in quod ſucceſſerat, tenebitur, donec heredis generalis facultates prius excutiantur, & ſi quid commodi ex hereditate ad eum pervenerit, id in creditoris commodum diſtrahatur, priuſquam heres talliæ poſſit conveniri. Unde in terris de , quæ quidem pars dominii de Roſſyth erant, in quas Henricus Stewart defuncti frater ratione talliæ ſucceſſerat: cum judicio proſequutus fuiſſet dictum Henricum tanquam heredem talliæ, pro inveſtitura dictarum terrarum de , idque ex obligatione defuncti fratris ſui Roberti; & Henricus excepiſſet, fruſtra ſe conveniri cum nondum eſſent excuſſæ facultates heredis legitimi, quod prius eſſet faciendum, quàm ad ſe recurſus foret, quia tantum pro extraneo eſſet; & legitimus heres reſpondiſſet, actionem hanc in ſe competere non poſſe, cum ille fundus, cujus inveſtitura petebatur, non apud ſe, ſed dictum Henricum, i. e. heredem talliæ eſſet, eumque ſolum præſtare poſſe & debere quod petebatur: Senatus tamen cenſuit legitimum heredem creditori ſatisfacere debere, ſolvendo quod creditoris intererat; licet fundus, de quo convenerat, apud dictum Henricum permaneret; aut abdicare patris hereditatem legitimam filiam heredem cogendam, ut ita omne jus, quod defunctus habuit, in heredem talliæ tranſiret, iſque ſolus tanquam univerſalis ſucceſſor fratrem ſuum defunctum repræſentaret. Et hoc eſt quod in jure Feudali dicitur, filium, ſi patri in feudo ſuccedat, heredem patris eſſe; non tamen, ſi agnatus ſuccedat *(b)*; nam is poterit feudum ſine hereditate agnoſcere: quæ ſi intelligantur de agnato, quamdiu ſupereſt ex directa linea, qui poſſit & velit hereditatem agnoſcere, in hoc etiam jus noſtrum cum jure Feudali convenit: alioqui aliquid diverſum in uſu noſtro à jure Feudali reperietur.

20. Hoc etiam commune eſt horum feudorum, ut ſemper aliqua alimentorum heredis, qui in feudo ſucceſſurus eſt, ratio habeatur: nam ſi feudum ſit militare, & cuſtodia ejuſdem cum corpore heredis domino debeatur, licet, durante cuſtodiâ, dominus fructus ſuos faciat, heredem tamen alere & ex dignitate familiæ educare debet *(c)*. Si feudum oneratum fuerit conjunctâ inveſtiturâ conjugum, & mortuo vaſſallo uſumfructum totius feudi uxor ſibi vendicet, rationem heredis habere eam æquitas poſtulat, ne is ad egeſtatem deductus, hereditatem feudi adhuc ſibi inutilem diſponat. Alia ratio eſt, quoniam is ad regni onera & militiam publicam ſuſtinendam ſolus tenetur; itaque unde id poſſit, neceſſe eſt ut habeat. Hoc vidi in cauſa Domini de Swintoun factum, qui cum nihil ex ampliſſima hereditate paterna in præſens haberet, ejuſque mater totius dominii uſufructuaria eſſet, & impotentis

(a) Vid. § 16. (b) 2 F. 45. (c) Cap. 42. § 5. lib. 2. Reg. Majeſt.

potentis mariti ſecundi imperio ita obſtricta, ut ne ſi vellet filio quidem gratificari poſſet, Senatus coegit eam aliquam argenti ſummam annuatim pro alimentis filio pendere: quod ſanè maximè cum æquitate convenit. Nam Juſtinianus Imperator ſua conſtitutione cavit, ut, ſi quæ mulier uſumfructum totius hereditatis habeat, & heres maſculus, qui ad munera pacis & belli ſuſtinenda tenetur, aliunde non habeat, unde poſſit ali, quartam ex ſua hereditate conſequatur, eaque ex uſufructu totius deducatur. Rationem reddit Imperator in ea Novella Conſtitutione *de triente & ſemiſſe (a)*; ubi multos accuſat, *quòd non paternè, neque ut viros oportebat, ſed nimis molliter & diſſolutè uxoribus omnium bonorum uſumfructum, filiis nudam proprietatem reliquerunt*: itaque providendum filiis putat, tam in mobilibus, quàm immobilibus, ne egeant; quod ad heredem feudi traductum eſt, ut ſemper aliqua ejus cura habeatur, ne egeat. Ita tamen detrahendum, vel ex cuſtodia, vel uſufructu uxoris, ſi heres non habeat aliunde quo alatur; nam ſi bona mobilia ei ſuppetant, vel aliud ſit feudum, quod in cuſtodiam domini non cadat, ex cujus fructibus ali poſſit, neque jura domini, neque uxoris fructuariæ minuenda. Sed hæc res tota, quam nos *modificationem* dicimus, arbitrio Senatus tranſigenda eſt, qui, habitâ ratione ætatis heredis, dignitatis & diſciplinæ, imò & familiæ, & uxoris, ſi modo uxorem habeat, omnia hæc, æſtimatione factâ, temperabit, ne nimis juri ſcripto derogare videatur.

21. Commune autem omnium ſucceſſionum eſt repræſentatio. Dubitatum tamen vidi in graviſſimis cauſis à pleriſque, an ea in ſucceſſione collaterali ſive tranſverſa locum habeat: nam de recta linea, quod ſemper in ea repræſentationi locus eſſet, nunquam ambigebatur, ut antea monui *(b)*. De collaterali ſucceſſione major eſt quæſtio, utque ea res planior fiat, exemplum ſit: Titius pater quatuor liberos ſuſtulit; primogenito mortuo, fortè & ſecundo, & etiam tertio, relictis tamen ex ſe liberis, quarto filio ſuperſtite, ipſe pater moritur; quæritur quis ei ſuccedere debeat. Hanc quæſtionem tractat vir doctiſſimus Tiraquellus, in ſuo de primogenitura libro *(c)*, ubi diverſas multorum hominum & doctorum ſententias inter ſe pugnantes refert; non enim deſunt, nec deerant, qui ad quartum filium ſucceſſionem pertinere affirmarent, quod tribus prioribus liberis mortuis, is ſolus ſupereſſet, & naturâ graduque proprior patri eſſet, quàm nepotes ex aliis liberis. Alii contra aſſerebant, nepotes repræſentare patrem in ſucceſſione, iiſque eam ſucceſſionem deberi, quæ patris eorum fuerat, ſaltem quæ patrum ſuorum, ſi vixiſſent, fuiſſet; ſed quartus, cùm propiorem ſe gradu uno diceret patri, repræſentationi locum non eſſe ferebat. Sed in hac directa linea locum eſſe repræſentationi certum eſt, tam ex jure Civili, quam jure Anglorum. In collaterali ſucceſſione major dubitatio; nam nuper in ea exitiali conjuratione Galliæ, quæ *Liga* dicta eſt, & initio anni 1585. cum totius Galliæ clade exorta eſt, cum nefarii homines ſucceſſionem familiæ Borbonicæ negare non poterant, eo tamen ſe tuebantur, quod Cardinalis Borbonius præferri deberet Henrico, tunc Navarræ, nunc Galliæ totius regi Chriſtianiſſimo, quòd patruus filio fratris, ut eo propior, in ſucceſſione collaterali eſſet præferendus, cum repræſentatio in collaterali ſucceſſione locum non habeat. Sed jure Francorum repræſentatio non minus locum in collaterali ſucceſſione quàm directa habet, & ita variis ante deciſionibus à Senatu Pariſienſi obſervatum eſt, quod & apud Anglos adhuc obſervatur. Repræſentatio itaque ſemper locum habet tam in collaterali, quàm directâ ſucceſſione, quando quis non ex ſua, ſed ex patris vel avi perſona ad ſucceſſionem vocatur *(d)*, tam apud nos, quàm alias gentes, & ex jure Civili.

22. Commune præterea omnium feudorum eſt, ut ad ſucceſſionem ſive additionem hereditarii feudi admittatur heres per Brevia & eorum deſervitionem: nam licet dominus feudi voluntariè & per præceptum ſuum *(e)* (quod de *Clare conſtat* vocant) vaſſallum ſemper inveſtire, & in poſſeſſionem inducere ex jure teneatur, adeò

(a) Nov. 18. cap. 3. (b) D. 13. § 20. (c) Quæſt. 40. (d) 2 F. 11. in medio. (e) Vid. D. 12. § 24.

adeò ut ſi differat (niſi juſtam recuſationis cauſam habuerit) dominio directo dum vivit mulctetur *(a)*: quoniam tamen nobis ſemper mitiores pœnæ placuerunt, & domini non ſine negotio ad faciendam inveſtituram cogi inviti ſolent, inventum hoc utriuſque apud nos remedium, ut vaſſalli heres primò Brevia ex Cancellaria impetret, eaque poſtquam Vicecomiti dederit exequenda, dieſque deſervitioni fuerit datus, ad diem deſtinatum vaſſallus comparens, Breveque cum executionibus producens, judicium ſibi fieri poſtulat, & ita ſecundum mandatum Brevis inquiſitio procedit: in qua, ſi ſententia in favorem heredis ceſſerit, quod factum eſt ad Cancellariam retornatur, & qui Cancellariæ præficitur, ex Senatûs deliberatione, mandatum dirigit ad dominum ſuperiorem, ut quàm expeditiſſimè poterit petentem inveſtiat. Si tergiverſatus fuerit, aut ter monitus moram nectat, non, ut ex jure Feudali, feudo in perpetuum mulctatur, ſed ad vitam tantùm; & inveſtiendi vaſſalli jus & poteſtas ad ſuperiorem dominum devenit *(b)*. Quòd ſi is etiam recuſaverit eum inveſtire, tum Rex ſuum præceptum dat Vicecomiti, aut alicui alii, qui ejus officio fungitur, ut petentem inveſtiat, & per ſaſinam in poſſeſſionem inducat. Hoc mandatum vulgò [*Meminimus furcæ*] vocatur, ab eis (ut puto) verbis, quæ in initio præcepti continentur, *Quia meminimus furcæ*. Tenetur etiam dominus, qui recuſat vaſſallum intrare, à tempore recuſationis in omnes fructus vaſſallo. Si dominus ipſe non intraverit vaſſallum, ex eo quòd ipſe de domino directo nondum ſit inveſtitus, poteſt ex ſummonitione 40. dierum à vaſſallo moneri ut intret, ne vaſſallus in non introitu ſit; & ſi recuſaverit, eo tempore elapſo, vaſſallus de ſuperiore tenebit, & ille amittet ſuperioritatem *(c)*. Si ſuperior monitus à vaſſallo, ut directum dominium intret, ſive illud ineat; & antequam intret moriatur, vaſſallus, quoad fructus feudi, eadem in cauſa erit ac ſi ſuperioritatem dominus agnoviſſet. Si ſuperior Regalitatis extra regni fines ſit, poterit citari ex præmonitione 60. dierum, ut Brevia ex ſua Regalitate dirigat pro intrando vaſſallo; alioqui Senatus poteſt poſt diei lapſum dirigere, ut hic, qui ex Regalitate petens eſt, per capellæ regiæ Brevia intret.

23. Et quoniam in *Brevium* mentionem incidimus, unde nomen deductum, apud quos primum locum habuit, & quomodo ad nos tandem pervenit, dicendum. In quo tamen (cum ſciam exactiſſimè rem tractatam à domino Skenæo in ſuo *de verborum ſignificatione* tractatu) ita me continebo, ut eorum quæ ibi leguntur, nihil fere adducam: tantùm quæ ille fortaſſe ut vulgaria neglexerit, cum tamen in aliquo apud nos uſu ſint, ſubtexam.

24. *Brevium* itaque origo hæc erat; cum querimoniæ plebis & præcipuè eorum, qui oppreſſi injuriâ alienâ eſſent, ad Regem ſeu Principem deferebantur; nec ille cognitioni cauſæ ſupereſſe poterat, cauſam breviter, aliqua annotatione ſeu deliberatione teſſatam, ad judicem remittebat: præcipuè tamen, ab initio, cauſæ viduarum, pupillorum & extraneorum originem dederunt Brevibus. Hinc nomen *Brevium*, ut Budæus in Pandectas notat, quæ nihil aliud erant niſi commentarioli ſummam rerum continentes; & *Breviatores* in Authenticis *Brevium ſcriptores* dicebantur, & apud Lampridium in Alexandro, & Vopiſcum in Aurelio, tam in maſculino quàm in neutro genere pro *brevi enarratione*, & apud Suetonium in Caligula *Breviariæ rationes* dicuntur.

25. Utcunque eſt, *Breve* nihil aliud erat quàm reſcriptum quoddam Principis, quo ordinario judici mandabat, ut de querela ad eum delata jus diceret breviter, ita ut amplius ſuper ea querela Rex non moleſtetur. Itaque petitiones aut libelli, apud primos Feudiſtas, *clamores* ſive *clamei* dicebantur, ipſi petentes *clamantes*, *rei clamati*; quæ voces etiam ad nos cum Brevibus pervenerunt, *Breviumque* aliquando nomina cum actionibus confunduntur. Uſum in Gallia antiquiſſimum puto, certè in Normannia adhuc in uſu ſunt, neque ſolùm pupillorum aut viduarum cauſæ, ſed etiam multæ aliæ res apud illos adhuc per Brevia expediuntur. Sic *Breve de diſſaſina* nihil aliud eſt, niſi *interdictum recuperandæ poſſeſſionis* in jure; in uſu noſtro, *ſpoliationis & ejectionis actio*: competit enim tam pro rei mobilis quàm immobilis poſſeſſi-

(*a*) 2 F. 6. in fine, junct. 2 F. 26. § 5. ibi, Domino committente. (*b*) Cap. 58. Parl. 7. Jac. 3. (*c*) Ibid.

poſſeſſione recuperanda. Sic & apud eos adhuc ſunt in uſu *Brevia de morte anteceſſoris*, ſive de *proximo herede*, *Breve matrimonii*, quod de *tertia* vocant, de quo in tractatu de *tertia* dicemus; *Breve de dote*, de *advocatione Eccleſiæ*, & pleraque alia. Gulielmus Conquæſtor cum armis etiam leges Normannicas Angliæ intulit; inde factum ut omnes ferè cauſæ in Anglia adhuc per *Brevia* expediantur. Horum Brevium adhuc frequentiſſimus eſt uſus, adeò ut omnes prope res in judicium per Brevia deducantur: eorumque formæ ſupra 140. habentur, in tractatu, *de natura Brevium*, excuſo Londini. Ab Anglis ad nos perveniſſe veriſimilius eſt, quàm ex jure Feudali: nam licet jus Feudale mentionem *Brevis teſtati* faciat *(a)*, juſque noſtrum ex eo jure defluxiſſe manifeſtè antea declaravimus, tamen cum ibi Breve potiùs probationis inveſtituræ vim habere videatur, quàm clamei, & pro probatione adducatur, certum eſt in ea ſignificatione ad nos non deveniſſe; nunquam enim Brevi pro teſtatione aut teſtimonio utimur: itaque probabilius eſt, & Breve & ejus ſignificationem & uſum à Normannis ad Anglos, ab Anglis ad nos perveniſſe. Et per Brevia multa apud nos prioribus ſeculis expediebantur, & multiplices Brevium formæ adhuc in archivis remanent. Poſtquam autem Senatûs inſtitutio à Jacobo V. facta, omium fere Brevium formæ exoleverunt, præter ſex, ut rectè annotavit D. Skenæus: ſed quoniam in his Brevibus nobiliſſimum eſt illud, quod de *morte anteceſſoris*, & Normannicè & Anglicè dicitur; cujus propria eſt ſucceſſionis declaratio, ut etiam dominus invitus cogi ad admittendum vaſſalli heredem poſſit, de eo jam dicemus: ſed expedit ipſa verba Brevis priùs ſubjicere, quibus nihil elegantius nihil concinnius concipi poteſt. Pauca itaque de hujus Brevis forma dicemus.

26. Mandat itaque dominus Rex (cujus perſona per Cancellarium ſuppletur) judici ordinario, ut fieri ſolet, illius territorii ubi feudum ſitum eſt, aut, ſi ille ſuſpectus ſit, delegato per commiſſionem Senatûs; *Uti magno ſacramento intervenien-te, per probos & fideles homines patriæ, diligentem inquiſitionem fieri faciat & curet*, &c. Præmittitur ſanè nomen Principis, cum omne jus omniſque juriſdictio ab eo tanquam à fonte procedat *(b)*. In *Regalitatibus* quæ ſuam Cancellariam habent, nomen domini Regalitatis præmittitur. Sed cum omnia verba horum Brevium ſuam energiam & vim habeant, in ſingulis ejus verbis exponendis immorabimur. Dirigendum enim ſemper eſt hoc Breve ad judicem illius territorii ordinarium, ubi feudum ſitum eſt, aut ſaltem dignius feudum cui annexum eſt: niſi fortè is ex cauſa ſuſpectus ſit; veluti, ſi inimicitiæ inter eum & heredem manifeſtè ſint; aut inter heredem & alios, ex quorum coitione tumultus metuatur: aut ſi patrimonium heredis in diverſis territoriis ſit ſitum (nam hæ cauſæ ſolent eſſe judicum delegandorum) & grave ſit ei futurum, ſi in ſingulis territoriis ſua Brevia perſequatur. In his cauſis judices delegatos aliquando ſolet Senatus conſtituere; delegatos, inquam, pro omnibus illis territoriis in quibus petentis feuda ſita ſunt, ut ii de ſucceſſione anteceſſoris cognoſcant; ſed ita tantùm, ut tantiſper eorum juriſdictio maneat, donec præcepta ex Cancellaria impetrentur, pro ſaſina danda; neque enim ii ſaſinam dare poſſunt, ſed illud ad ordinarium tantum pertinet, qui etiam pro ea reſpondere tenetur. Ordinarii autem ſunt *Vicecomites* in ſuo Vicecomitatu, *Seneſcalli* in ſuo Seneſcallatu, & *Regalitatum domini* in ſuis *Regalitatibus*. Inferiores his magiſtratus de Brevibus non cognoſcunt, ſaltem de Brevi de morte anteceſſoris. Burgorum quidam ſunt, qui *jus Vicecomitatûs* intra ſuos fines habent, ut Edinum & Pertha. Animadvertendum ſemper eſt, ut ad quem mandatum ſeu præceptum regium dirigitur, is ſit qui de Brevi cognoſcat, qui ſaſinam det; alioquin, ope exceptionis, nulla eſt deſervitio & quæ ex ea ſequuntur.

27. Mandat itaque Rex *inquiſitionem per probos & fideles patriæ fieri.* Quid ſit inquiſitio videndum. *Inquiſitionis* nomen ab antiquo verbo *anquirere* ſive *inquirere* deductum; primò apud veteres pro *accuſatione anquirere* uſurpatum, ut apud Livium *capite anquiſitum*, *pecuniâ anquirere* legimus; ſæpiùs tamen & apud eundem in eo ſenſu inveniemus, ut informationem, aut noſtram inquiſitionem prope exprimat: ſic

(a) Vid. D. 2. § 16. (b) Lib. 1. D. 16. § 7.

ſic *Duumviros* creatos ſcribit, *qui de perduellione anquirerent.* Sanè hujus inquiſitionis, ut magna apud veteres vis fuerat, & uſus frequens, ſic & apud nos hodie; veteres enim inquirebant in patrimonium, in vitam & mores hominum: & inquiſitores apud eos (ut & hodie apud nos) vice judicum erant. Sic tutor aut curator ex inquiſitione dabatur & confirmabatur, moribus, fide, facultatibuſque ejus ex viciniæ declaratione & teſtimonio probatis, & hoc erat *causâ cognitâ dari.*

Hæc autem inquiſitio per 15. viros fieri ſolet, ſæpe per 17. pro rei gravitate, aliquando per 13. ſed ſemper in impari numero.

28. Quod per *probos & fideles homines patriæ fieri inquiſitionem mandat*; *probos* intelligit, qui neque ſunt ſuſpecti, neque infames: Vox *fideles* non de quolibet homine cujus fides illæſa eſt, intelligitur, ut plerique malè putant, ſed per vaſſallos, qui feuda habent in eodem territorio ſeu juriſdictione: nam in jure Feudali omnis vaſſallus, & Par curiæ fidelis dicitur & æſtimatur, perque eos ſolos quæſtio feudi, ſi quæ ſit, terminanda ex jure eſt *(a)*. Neque meo judicio rectè faciunt, qui indiſcriminatim quoſlibet, quorum cenſus 40. libras excedit, ad inquiſitionem admittunt, ſoli enim Pares admittendi erant: veluti, ſi inquiſitio de feudi ruſtici ſucceſſione fiat, qui feuda ruſtica; ſi urbani, cives qui feuda urbana habent: alii, niſi ob inopiam inquiſitorum ſunt rejiciendi, & ſic antiquitùs obſervatum fuit. Corruptio veteris juris initium in curiis Baronum habuit, ubi cùm Pares curiæ non ſemper adeſſent, & ſæpe de levibus rebus eſſet controverſia, quoſcunque admittebant; itaque pro Paribus, ejuſdem domini colonos recipere ſoliti: ſæpe etiam res moram aut dilationem non patiebatur; veluti ſi cædes, furta, latrocinia interveniſſent, metuſque eſſet ne ex mora ad Regios judices res devolveretur; rem quorumcunque hominum inquiſitioni maluerunt permittere, quàm Pares expectare: inde cœptus error ad majores res exemplo emanavit. Neque *patria* totum regnum ſignificat, ſed tantùm viciniam, ſeu idem territorium; nec niſi in eorum defectu ad ulteriores recurrendum; itaque eligendi ſunt *inquiſitores ex vicinia:* ſi adhuc deſint in vicinia, ad quatuor propiora territoria confugere ſolemus, quæ FOUR HALFE QUARTERS ADJACENT vulgò dicuntur. In Magnatum ſucceſſionibus hoc ſæpe non attenditur; nam aliquando viri nobiles & Barones etiam remotiores admittuntur, cùm Magnates magis ſui Brevis dignitati faveant.

29. Additur in Brevi, *Magno ſacramento interveniente*; quia nulli judici, teſti, neque inquiſitori, (qui medius inter judicem & teſtem, & quaſi neuter, utriuſque tamen plerumque vice fungitur,) quantivis ſit pretii & dignitatis, creditur, niſi ſolenni juramento priùs præſtito. Jurati autem, ſi iniquam ſententiam dixerint, & eorum ſententia reſcindatur, pœnam perjurii incurrunt, ſcilicet amiſſionis omnium bonorum, præter infamiæ perpetuam notam: quòd ſi levior ſit error, mitiùs cum eis agitur. Capita autem, de quibus hi inquiſitores cognoſcunt, quorum reſponſa ſingula ad Cancellariam remittunt, (nos *retornare* dicimus, ut Latini etiam *detornare*,) hæc ſunt: *Quis obiit ultimò veſtitus & ſaſitus, ut de feudo; quis ſit ejus legitimus & propinquior heres; de quo illud feudum teneatur in capite; per quod ſervitium teneatur; quid nunc illud feudum valeat per annum, & quid valuerit tempore pacis: ſi is, qui hereditatem petit, ſit legitimæ ætatis; in cujus manibus feudum nunc exiſtat; & à quo tempore, qualiter, per quod ſervitium, per quem, & ex qua cauſa.* Super quibus omnibus niſi ſingulari reſponſo ad unumquodque caput ſatisfaciant, *retornatus* ſive remiſſio à Cancellaria non admittitur, neque ex ea præcepta dirigentur pro ſaſina capienda.

30. Inquiritur itaque primò, *Quis obiit ultimò veſtitus & ſaſitus, ut de feudo* alicujus, ſive fundi, ſive dominii, ſive annui reditûs: in quo Angli ponunt hanc differentiam, quòd is *de feudo* dicitur ultimò veſtitus obiiſſe, qui de corporali aliquo fundo obiit ultimò veſtitus; at qui tantùm, cùm obiret, habebat *jus aliquod vel officium*, vel *adminiſtrationem hereditariam*, vel etiam *annuum reditum*, aut *beneficii advocationem*, hos tantùm obiiſſe poſtremò veſtitos dici putant, ut *de feudo*, & *non de feudo*: in hoc capite inquirendo, ſemper heres, qui deſerviri poſtulat, docere debet per do-

 cumentum

(a) 1 F. 10. pr. 1 F. 18. pr. & 2 F. 55. § ult. in fine.

cumentum, quod is cujus hereditatem petit, obiit ultimò veſtitus. Semel inveſtitus, quamdiu vixit inveſtitus creditur, niſi ſit aliquis qui ex adverſo doceat, eum legitimè ante mortem deveſtitum ſeu denudatum fuiſſe, ſive dominium amiſiſſe, aut dimiſiſſe. Res de qua controverſia oritur, i. e. feudum in hac petitione per omnes circumſtantias ſuas deſignandum eſt, per territorium, parochiam, & ſimilia: ſi plura ſint feuda, omnia diſtinctè & ſingulatim deſignanda.

31. Secundò inquiritur, *Quis ſit ei, qui ultimò veſtitus obiit, heres in tali feudo*, aut uti Breve loquitur, i. e. ad quem eæ terræ, per deceſſum prioris fidelis, pertinere debeant; in quo inquirendo, perpendendum, quale ſit feudum, ſive maſculinum ſive fœmininum, ſive antiquum ſive novum, quod nos *conquæſtum* dicimus: multi enim ſunt heredes univerſales, qui non in omni feudo ſuccedunt, imò in conquæſtu alius ſuccedet ab herede univerſi juris. Itaque ſemper conſiderandus eſt primæ diſpoſitionis tenor, & an eo ſalvo, is qui petit recipiendus ſit.

32. Tertium eſt, *De quo teneatur feudum*, de quo quæſtio eſt, aut *feuda, in capite*: & profectò ad hoc caput ſemper eſt reſpondendum, i. e. ſemper directus dominus feudi declarandus *(a)*; neque enim feudum, cùm ſit utile dominium, ſine directo eſſe poteſt, & de directo tenet.

33. Quartum, *Per quod ſervitium teneatur*: per hoc ſervitium qualitatem feudi intelligimus; nam cùm omnia feuda ſervitium debeant, quædam tamen graviùs, (ut in militaribus feudis, & quæ cuſtodiam & relevium habent annexum,) quædam leviùs, ut multi putant, veluti in feudo franco & burgagio videmus quædam ſervitium certum, quædam certam annuam præſtationem, aut canonem, aut qualitatem continere. Itaque ſervitii genus ſemper exprimendum; & annotandum eſt, ſemper præſumi ſervitium militare cum cuſtodia & relevio, niſi aliud qui petit paratus ſit demonſtrare: imò licet in infeofamento contineatur aliquis *certus canon annuus*, etiam cum clauſula *pro omni alio ſervitio & quæſtione ſeculari ſeu demanda*, cuſtodia & relevium non excluduntur; nam *canon*, neque in Eccleſiaſticis, neque in Laicis feudis, mutat ſervitium feudi militare, niſi expreſsè dicat *pro annuo cenſu aut canone in feudifirma*; cùm illa clauſula, *pro omni alio onere*, &c. illud ſolùm videatur amplecti quod à vaſſallo vivo dominus poterit exigere. De *alio ſervitio*, niſi paratus ſit heres aliud docere, ſemper ſervitium militare cum cuſtodia præſumitur ex dignitate feudi, cùm illud digniſſimum apud Anglos feudum cenſeatur, quod cuſtodiam ſecum trahit.

34. Quintum, *Quid nunc feudum valeat per annum, & quid valuerit tempore pacis (b)*; cujus capitis hæc eſt origo: cùm ex moribus regionum aliquarum emanaret, uti ejus anni, quo vaſſalli heres in fidem & clientelam le domini ſui commendaret, reditus integros penderet ob renovationem inveſtituræ; & cùm controverteretur ſæpe quis eſſet horum redituum valor, ab inquiſitoribus æſtimabatur, ut dominus certus eſſet quid ſit ei præſtandum. De hoc in Diegeſi *De warda & relevio* plura dicemus: hoc tantùm monendum, quòd non ſolùm hujus relevii causâ æſtimatio valoris cujuſque fundi fit, ſed etiam ob publica regni onera ſive exactiones, quoties publica occaſio neceſſitatem imponendi gravamina quæcunque exprimit.

35. Ea æſtimatio à majoribus noſtris *antiquus extentus* dictus eſt; qui tamen verum valorem feudi eo tempore quo æſtimabatur æquabat, eumque omnes inquiſitores in ſuis inquiſitionibus publicabant, ne aut fraus domino aut clienti fieret, ſed vileſcente pecuniâ, ſaltem ejus pretio creſcente (quo nullum gravius in repub. malum eſſe poteſt) domini querebantur, jus ſuum imminutum, neque veterem cenſum ſive extentum ad juſtum valorem ſuarum terrarum repræſentandum ſufficere, ſibique grave præjudicium inferri; factus eſt, ea de cauſa, novus cenſus, ſive novus extentus, quo prior æſtimatio duplicabatur, & etiam ad triplum, quadruplum apud pleroſque, & ulteriùs apud quoſdam. Et hic *novus extentus* dictus *(c)*, qui ex diverſitate regionum varius etiam eſt: nam cum Borealibus mitiùs agitur, ex eo fortè quod licet latifundia haberent ampla, non tamen ad cultum antea redigebantur; itaque

(a) 2 F. 58. § ult. ibi, Si qua inveſtitura. (b) Vid. D. 19. § 20. (c) Vid. D. 20. § 33.

itaque minoris æſtimata, ut quod ex renovatione & melioratione agrorum poſtea proveniret, eis condonaretur, & ad agriculturam provocatio benigna eſſet. Apud limitaneos, *novi extentûs* ratio vix habetur, nec in eis niſi antiquus requiritur; quia eorum arva ab hoſtibus plerùmque infeſtantur, neque ſolidos fructus capere ideo præſumuntur, interdum omnino excluduntur. Quam vereor, ſi pecuniæ valor creſcat, ne *tertio* aliquando *extentui* locus ſit?

36. Ex his, quid per illa verba Brevis, [*nunc & tempore pacis,*] intelligatur, facilè cuivis apparet. *Nunc* enim novum extentum ſignificat, qui adhuc in uſu eſt. *Tempus pacis* quid ſignificet, ſæpe inter doctiſſimos controverſum vidi, nec adhuc, quod ſciam, à quoquam ſatis explicatum novi: tamen meum judicium adferam. *Tempus pacis*, tempus majorum noſtrorum innuit, qui nunc in pace ſunt. Solebant enim majores noſtri, cùm de vita functis ſermo eſſet, eos in pace & quiete eſſe dicere, aliquando pacem & quietem eis precari. Apud Judæos notum eſt illud, cùm de mortuo loquuntur, *ſuper eum pax*, i. e. in pace eſt; nec à vulgari noſtro ſermone mos ille loquendi abhorret: itaque tempus pacis nihil aliud eſt, quàm tempus majorum noſtrorum, qui in pace ſunt; ut *nunc*, & *tempus pacis*, nihil aliud ſignificent, niſi novum & antiquum extentum: non ut tempus pacis bello opponatur, ut indocti putârunt. Si quis probabilius aliquid adduxerit, me refractarium non inveniet. Ad utrumque hunc extentum reſpondendum ab inquiſitoribus eſt, alioqui præcepto Regio ſive Brevi non ſatisfaciunt. In emphyteoſi, non eſt diverſus novus extentus ab antiquo: unus & verus canon eſt, qui convenerat; & is extentus neque incrementum neque diminutionem admittet, itaque pro eodem retornatur.

37. Sextum, *Si is qui hereditatem petit ſit legitimæ ætatis*: in quo hoc notandum, quòd hæc ratio ætatis nuſquam habetur, niſi in feudo recto ſive militari, quod ſecum wardam ſive cuſtodiam trahit: nam, niſi ſit feudum rectum ſive militare, nihil intereſt, cujus ſit ætatis, qui deſervitionem petit. Pariter enim admittetur, ſive ſit infans, ſive ſenex, ſive juvenis, ſive vir; itaque in feudo recto ſive militari differentia hæc ætatis ſpectanda eſt: nam in mari ætas 21. annorum complenda eſt, antequam ad hereditatem feudi militaris petendam admittatur *(a)*; in fœmina 14. pleni ſufficiunt: numeranturque hi anni de momento in momentum. Apud Anglos fœmina dicitur perfectæ ætatis in ſoccagio, i. e. in omni alio feudo quàm militari, cùm ſcit domum ſuam diſponere & ordinare, quæ ad COYN & KEY pertinent. Aliqui interpretantur COYN & KEY *operculum* & *clavem*, ego *nummos diſcernere* & *clavibus ſervanda tradere* interpretor. Sed de harum ætatum differentia plura in titulo *De relevio & cuſtodia* dicemus.

38. Septimum de quo inquiritur eſt, *in cujus manibus feudum quod petitur nunc exiſtat*, quod ad dominum directum non ſemper eſt referendum: nam licet feudum de eo ſemper teneatur, in alterius tamen eſſe poteſt manibus quàm domini: contingit enim ſæpe, ut in hoc feudo uſusfructus ſit cum conſenſu domini alii conſtitutus, veluti uxori defuncti, vel fortaſſe ejus parentibus, vel eorum alteri reſervatus; vel ratione curialitatis (de qua poſtea *(b)*) pertineat ex lege uſusfructûs ad virum. In his caſibus non dicitur feudum in manibus domini eſſe, ſed illius qui ab eo aut à lege uſumfructum conſtitutum habet, cùm dominus vaſſallum habeat ſaltem pro vita, à quo ſervitia & operas exigere poteſt. Quòd ſi is à defuncto uſusfructus conſtitutus ſine conſenſu domini fuerit, quem nos *baſſum uſumfructum* dicimus *(c)*, neque dominus neque inquiſitores eum agnoſcunt, ſed feudum in manibus domini eſſe retornabunt.

39. Octavum, *à quo tempore fuerint*: ad quod ab inquiſitoribus reſpondendum eſt, nempe à die mortis vaſſalli (niſi fortè uſufructuarius ſit) uſque ad præſentem diem, in qua inquiſitio fit: nam licet continuò à die mortis vaſſalli uſque ad renovationem ſaſinæ, feudum in manibus domini ſit, tamen inquiſitores non ulteriùs, quàm ad diem ſuæ inquiſitionis, ſive retornatûs, progredi ſolent: ab eo enim tempore functi ſunt officio, nec quod amplius inquirant habent; nam heres ſemel declaratus dif-

(a) Cap. 41. lib. 2. Reg. Majeſt. (b) D. 22. § 40. (c) De quo jure baſſo vid. D. 3. § 14.

ferre inveſtituram non præſumitur. Si uſufructuarius, in cujus manibus feudum erat, præmoriatur, non à die mortis vaſſalli, ſed à die mortis uſufructuarii in manibus domini fuiſſe feudum retornabunt, per ſpatium tot annorum & termini, ſi modò ſupra annos etiam ſit terminus.

40. Nonum illa verba reſpicit, [*qualiter, per quod ſervitium, per quem, & ex qua cauſa.*] Sunt qui hæc verba exegeticè tantùm poni putant, ut facilior ſit prioris clauſulæ ſenſus; & ſanè eam tantum explicant: nam *qualiter & per quod ſervitium* concurrunt, ad quod ab inquiſitoribus eſt reſpondendum: *per quem* innuit tantùm, ut qui antea immediatus fuit vaſſallus, cujus morte feudi ſucceſſio petitur, denotetur. *Ex qua cauſa:* ad non-introitum reſpicere videntur hæc verba, ut ſit ſenſus, cur tam diu in manibus vel domini vel uſufructuarii fuerint: ad quod reſpondent inquiſitores, ex defectu heredis jus ſuum huc uſque minimè perſequentis. Alii hæc verba, *qualiter & ex qua cauſa*, ad naturam ſeu qualitatem feudi referunt, ſi fortè pactiones quædam ſint, quas nos *irritantes* dicimus, vel quæ naturam feudi à propria detorquent. Sed ad hæc non ſolent inquiſitores reſpondere.

41. Notandum autem eſt, quòd inquiſitio hæc retornari non debet ad Cancellariam, niſi ſub ſignis, tam judicis ordinarii, quàm inquiſitorum: nam id etiam continet Breve in fine, *Quod inveneritis ſub ſigillo veſtro*, &c. alioqui fidem non habebit. Omnibus ſolennibus peractis, Rex (cujus vices Cancellaria ſupplet) præceptum dirigit ad judicem ordinarium loci, ſive Vicecomitem, ſive Seneſcallum, ut quam celerrimè ſaſinam deſervito jam & retornato det heredi, ſi terræ de eo teneantur; in quo mandato hæc duo continentur: Capiendo ſecuritatem de tot libris, quæ ad annuum cenſum ipſius feudi extendunt, omnes eos terminos, (ſinguli enim anni duos habent terminos, Pentecoſtes ſcilicet & Sancti Martini) in quibus ab herede ceſſatum fuerit, numerando à primo tempore mortis defuncti incluſivè ad diem ſaſinæ, nullo habito reſpectu ad diem quo inquiſitio fuit facta; nam vaſſallo imputatur, quòd declaratus talis, qui inveſtituram accipere poſſit & debeat, tamdiu diſtulerit. Et pro hoc cenſu, Vicecomes in Scaccario ſingulis annis reſpondet, i. e. eo oneratur annuatim, & illum inferre cogitur Quæſtori Regio; nec niſi numerato illo cenſu ſaſinam Vicecomes dabat. Poſtea, indulgentiâ Vicecomitum, differebatur ſolutio in tempus Scaccarii, ubi grave præjudicium non erat, cùm ſemper fundus diſtringi poſſit ob illum annuum cenſum. Reliqua ex Domini Joannis Skenæi libro, qui vult, inquirat.

42. Duæ tamen quæſtiones naſcuntur cùm terræ de alio quàm de Rege tenentur: Si pater ſit dominus uſufructuarius feudi, (nos *dominum liberi tenementi* dicimus) filius verò dominus feudi, qui apud nos *proprietarius* eſt, ab utro vaſſallus inveſtituram petet? nam liberum tenementum ſecum trahit poteſtatem renovandæ in vaſſallis inveſtituræ, & ex reſignatione vaſſallorum mutationem ſuſcipere: & licet vaſſallorum receptiones de jure videantur ad liberum tenementum pertinere, quod non negandum eſt, ipſo durante libero tenemento, quod heredi conceditur; Senatus tamen in gratiam vaſſallorum cenſuit, ab utrovis inveſtituram peti poſſe, cùm damnum neuter ſentiat, & vaſſallum in rebus dominorum non deceat nimis eſſe curioſum: & ſic deciſum in cauſa Cranſtoun, fratris Domini de Cranſtoun, &

43. Altera quæſtio in eis feudis, quæ de alio domino quàm de Rege tenentur, Utrum dominus feudi vaſſallo renovare inveſtituram teneatur, antequam ei cenſus omnium annorum, quibus feudum vacabat, plenè exſolverit? cùm præceptum Regis hanc habeat adjunctam conditionem *(faciendo vobis quod de jure facere debet)* quæ licet planè aſtringat vaſſallum ut domino ſatisfaciat, antequam beneficium ab eo recipere debeat, tamen Senatus cenſuit, cùm in dominorum ſit poteſtate, feudum pro cenſu cùm velint diſtringere, ne hoc quidem in mora eſſe debere, cur inveſtituram differant. Hæc autem omnia infeofamenta, quæ ex retornatu pendent, non niſi per ordinarios judices exequenda ſunt, nec ſaſina niſi per Vicecomitem, ejus

(a) Vid. D. 12. § 16. in medio.

ejus deputatum, Clericum curiæ quem vocant, & Maros danda eſt, ſi modo feudum de rege teneatur. Alia feuda, quæ ex reſignatione procedunt, aut quæ baſſa dicimus *(a)*, pro arbitrio concedentis à quolibet, Notario accedente, concedi poſſunt.

44. Quæri deniqüe poteſt, an in his feudis *Carboniano edicto*, ſive Carbonianæ bonorum poſſeſſioni ſit locus? Carboniana poſſeſſio eſt, ſi vel poſthumus in ventre, vel pupillus quæſtionem ſtatûs patiatur, i. e. ſi controverſia ei moveatur filius ſit necne: ut dilato in tempus pubertatis judicio, interim is cui quæſtio movetur, in poſſeſſionem mittatur, & poſtea cum pubes factus ſit de cauſa cognoſcatur. Hoc introduxit Carbo Prætor Romanus ex ſumma æquitate motus, quòd infra pubertatem, multa in fraudem ejus poterant fieri, multa negligi. Sane ex jure Feudali huic Carbonianæ ſucceſſioni locus eſt, non tamen apud nos; quàm ſtatim enim quæſtio movetur, ad judices Chriſtianitatis diſcutienda remittitur, pendente interea quæſtione de ſucceſſorio edicto *(b)*.

Diegeſis decima octava,

De his quæ impediunt Succeſſionem.

SUMMARIA.

1. *Continuatio à ſucceſſione, mediiſque quibus ad eam pervenitur, ad ea quæ ſucceſſionem vel omnino tollunt, vel ad tempus impediunt.*
2. *Baſtardia, religio, foriſfactura, extra territorium genitura, morbus, & imperfectio ad ſerviendum, ſucceſſionem omnino tollunt.*
3. *Baſtardus eſt ſucceſſionis incapax.*
4. *Genera baſtardorum ex jure Civili, ſunt quatuor; nefarii, inceſtuoſi, adulterini, (quibus ne alimenta quidem debentur ex jure Civili, ſecus ex jure Canonico) & ſpurii.*
5. *Qui baſtardi ſimpliciter, id eſt ſpurii, vocantur, quodammodo ad ſucceſſionem admittebantur, & purgato natalium vitio legitimis æquiparantur. Spurii patribus non ſuccedunt; ſed Imperialibus conſtitutionibus mitiùs cum iis agitur, & alendi ſunt. Matribus ſpurii ſuccedunt, niſi ſint illuſtres.*
6. *Parentes ſpuriis ex jure Civili ſuccedunt, & iiſdem partibus quibus hi illis: idemque in matribus dicendum. Ex damnato coitu ſuſcepti parentibus non ſuccedunt, nec hi illis. Quid jure Canonico in hac materia ſtatutum ſit?*
7. *Ex jure Feudali baſtardi etiam legitimati non ſuccedunt. Sed hoc intelligendum tantum de legitimatis per reſcriptum Principis.*
8. *Apud Anglos legitimati ex ſequenti matrimonio non ſuccedunt. Simile in denizatione, ut apud Perſas.*
9. *Quid uſu noſtro, cùm baſtardiæ exceptio opponitur?*
10. *Quod tempus actioni baſtardiæ terminandæ detur?*
11. *Baſtardus in talliatis terris expreſsè ſuccedit ex proviſione inveſtituræ.*
12. *Quorſum literæ legitimationis, cum Princeps heredem facere non poſſit? Diverſus eſt effectus legitimationis in feudo novo, & in feudo antiquo. Apud nos & in Gallia Rex tantum legitimat, cum conſenſu ejus cui ſucceditur, modò aliis non ſit jus acquiſitum. In ſucceſſione paterna legitimati excludunt collaterales, ſi legitimatio fuerat eorum conſenſu; quod tamen apud nos non obtinet.*
13. *Papa non poteſt legitimare, cùm ſucceſſio ſit juris naturalis, quæ nec tolli, aut mutari poſſit. Legitimatio non habet locum in hereditate materna, vel aviæ. In literis legitimationum, clauſula, quâ ſucceſſio conceditur, eſt ſuperflua; at non illa, quâ teſtamenti factio datur. Qui ex damnato coitu naſcuntur, legitimari non poſſunt.*
14. *Baſtardus feudum acquirere poteſt. Quid jure Normannorum circa feuda, &*

(a) Vid. D. 3. § 14. (b) Ut D. ſequenti § 9 & 10.

res mobiles? In lecto ægritudinis baſtardus diſponere nequit.

15. *Baſtardo liberi ex juſtis nuptiis procreati ſuccedunt, ſed Rex filiis legitimis eorum ſuccedit. Baſtardi liberi ſibi invicem ſuccedunt. Eo moriente ſine liberis, ejus mobilia fiunt caduca, ſi non fecerit teſtamentum; at feuda domino cedunt. Baſtardus, ſi non fecerit teſtamentum, & uxorem habeat, ea dimidium ab inteſtato habebit, alterum dimidium fiſcus.*

16. *Baſtardus an teſtamenti factionem habeat? Si inteſtatus decedat ſine liberis, ſolus Rex in mobilia ſuccedit. Cum fiſcus baſtardo ſuccedit, conſequitur optimum ex bonis mobilibus; at Rex cavebit de debitis hereditariis ſolvendis. In feudo materno non ſuccedit baſtardus, niſi concedatur à domino ſciente matrem tales tantùm filios habere. Baſtardi, ſine legitimatione ſive diſpenſatione, dignitatum aut honorum ſunt incapaces.*

17. *Qui filii ſint legitimi, qui baſtardi?*

18. *Matrimonium aliquando de jure, aliquando de facto contrahitur. Matrimonium ob adulterium apud Anglos non dirimitur; ſed ſeparatio tantum fit à thoro & menſa. Impedimenta nota alterutri conjugum, legitimos faciunt liberos, licet non matrimonium.*

19. *Ex matrimonio de facto non celebrato, fiunt liberi legitimi, jure Canonico. Ex diuturna cohabitatione præſumitur legitimus filius, ſed non matrimonium. Quid tempus diuturnum? quid in hac materia jure noſtro habeatur? Si de impedimento lis ſit conteſtata, mala fides non inducitur ante ſententiam. Liberi ante concepti legitimi ſunt; non qui poſt.*

20. *An in queſtione filiationis dicto parentis credatur? Apud Anglos ſpurii loco legitimorum aliquando habentur.*

21. *Excluſo patre, tanquam illegitimo, excluduntur etiam omnes ab eo deſcendentes. Conſilium datur. Baſtardi, ſi à parentibus agnoſcantur pro liberis, nobilitatem etiam conſequuntur, & inſignibus patris, ſed cum nota, utuntur.*

22. *Secunda objectio, quæ fit deſervitioni Brevis eſt Clericatus: cum Deo militantes, quorum arma ſunt preces & lachrymæ, ad militare ſervitium in feudo non admittantur.*

23. *Tertia objectio eſt forisfacturâ, quâ ob vitium ſanguinis contractum tota forisfacti poſteritas excluditur: at primogenito delinquente, & ſine liberis decedente, admittuntur fratres ad ſucceſſionem patris communis, ſi hic primogenitus non fuerit in feudo deſervitus.*

24. *Quarta objectio eſt alibi genitura. In privatorum ſucceſſionibus neque extraneo ſucceditur, nec ad ſucceſſionem is admittitur: quod & in Gallia & Italia mordicus recipitur: alii contra.*

25. *Inter Principes, alibi genitura non obſtat ſucceſſioni.*

26. *Reprobatur ſtatutum illud Edwardi III. Angliæ, de extra regnum natis.*

27. *An alibi genitura apud nos objiciatur, incertum; apud Gallos, non. Sed Anglis meritò par pari refertur, publico trium ſtatuum regni ſtatuto, licet mitiùs cum iis actum.*

28. *Quintum quod objicitur impedimentum eſt elephantiaſis, quâ laborantes ut in lecto ægritudinis habentur.*

29. *Sextum impedimentum quod objicitur deſervitioni eſt imperfectio, vel corporis vel animi; in qua tempus ſucceſſionis ſpectandum eſt. Fatui, & inſani, ſive furioſi ad ſucceſſionem, quoad uſumfructum, ſed non quoad diſpoſitionem, admittuntur. Fatui perſona & bonorum adminiſtratio domino permittebatur antea, & furioſi proximo agnato: quod poſtea correctum; ſed malè.*

30. *An mutus, ſurdus aut cæcus aut aliunde ad ſervitia inhabilis ſuccedat? controvertitur; & tres diverſæ ſunt Feudiſtarum de hac re opiniones. Inhabilitas hæc, in quibuſdam feudis, non eſt impedimentum. De imperfectione hac in feudis regalibus. Ubi ſucceſſor ſucceſſione ob imperfectionem privatur, ei alimenta debentur. De imperfectis guſtu & odoratu: quid noſtris moribus hac in re?*

31. *De rebelli & excommunicato.*

32. *An exheredatio apud nos ſit in uſu, quæ olim apud veteres erat? & ratio quare ob delictum patris filii non ſuccedunt, nec ob proprium delictum filii, ſi vivente patre deliquerint, nec reconciliatio intervenerit: ſed niſi declaratoria interceſſerit, id non obtinet apud nos. Succeſſor qui ſemel ſucceſſionem ſibi oblatam repudiaverit, ad illam poſtea non admittitur: ſed aliter ſub certis conditionibus apud nos.*

1. EXPEDITIS eis quæ ad ſucceſſionem pertinebant, Breviumque explicatione, quibus velut mediis ad eam pervenitur; ſupereſt ut de eis dicamus quæ ſuccedendi jus impediunt, quæque adverſus Brevia, dum ad inquiſitionem deducuntur, ſolent & poſſunt objici. Quædam itaque ſunt quæ omnino jus ſuccedendi tollunt, quædam quæ ad tempus impediunt.

2. Quæ omnino tollunt ſex ſunt, *Baſtardia*, (utor eo nomine, non tam quòd in foro ſit frequentius, ſed etiam quòd ſpurii nomen, aliter in jure Civili, aliter in jure Canonico accipiatur;) *Religio*, *Forisfactura*, *extra territorium Genitura*, morbus qui *Elephantiaſis* dicitur, & *Imperfectio ad ſeviendum*. De Baſtardis primùm incipiendum eſt.

3. Ex jure Divino (ut ab eo incipiamus, baſtardus ſucceſſionis paternæ non erat capax *(a)*, & ea eſt cauſa, cur Jephthes à fratribus etiam conſanguineis ab hereditate fuerit excluſus *(b)*.

4. Ex jure Civili quatuor ſunt genera ſpuriorum, quos *baſtardos* dicimus; ſunt enim vel nefarii, vel inceſtuoſi, vel adulterini, vel ſimpliciter ſpurii. *Nefarii* ſunt, qui ex nefario congreſſu naſcuntur; veluti inter aſcendentes, & deſcendentes perpetuò *(c)*, quales magos naſci oportere ait Catullus: nam magus ex patre & nata naſcatur oportet; ſic docuit Perſarum impia religio. *Inceſtuoſi*, qui ex cognatis propioribus *(d)*, & inter quos matrimonium ex jure Divino prohibetur, & horum duorum par in jure ratio eſt: nam parentibus ex linea non ſuccedunt, nec parentes eis; imò ne in jure Civili digni ſunt qui alantur *(e)*, nec hi liberi alimenta parentibus debent *(f)*. Sed jus Pontificium rem exactius expendens, quòd major fuerat parentum culpa, quàm liberorum, mitigavit rigorem juris ſummi: iniquum enim cenſebat, infantem à Deo creatum fame interire *(g)*. Eadem ratio eſt in *adulterinis ſpuriis*, i. e. ex aliena conjuge ſuſceptis: nam & hi pari pœnâ cum prioribus puniuntur; at cum his alimenta æquitas ex alieno permittat, ſi quid dum vivunt acquirant, puto non eſſe eis ſubtrahendum, & ſi legitimam prolem ex matrimonio ſuſceperunt, non excludendam à patris ſucceſſione; & eo jure utimur.

5. Supereſt quartus gradus, *baſtardorum ſimpliciter*, quorum levior eſt pœna: nam hi & ex jure Civili ad ſucceſſionem quodammodo admittebantur *(h)*, & aliquando purgato natalium vitio inter legitimatos numerabantur, eodemque modo ſuccedebant *(i)*. Itaque ut aliquibus cancellis materiam baſtardorum includamus, primùm certum eſt, ex jure Civili ſpurios patri non ſuccedere; neque enim, ut ait textus, patrem demonſtrare poſſunt, quaſi ἀπάτορες & ſine patre dicti *(k)*. Hinc illud ſcitum Diogenis, cùm ſpurius in populum lapidem jacere vellet, *cave* (intulit Diogenes) *ne forte patrem feriàs*. At Imperiales conſtitutiones rigorem juris temperarunt, & mitiùs cum hoc ſpuriorum genere agendum decreverunt, adeò ut ſi pater ſine legitimis liberis moriatur, permitteretur ſucceſſio ſpuriorum in duabus unciis, *(l)* i. e. in ſexta parte totius hereditatis; ita tamen ut non ſolus eatenus ſuccederet, ſed unà cum matre, ſi ea viveret. In reliquis bonis ſuccedunt reliqui cognati. Quòd ſi legitimi ſuperſint, ſuccedunt in aſſem, excluſis omnibus ſpuriis; qui tamen alendi ſunt ex bonis paternis *(m)*, & hoc ex arbitrio boni viri: quod tamen apud nos locum non habet, nemo enim cogitur fratrem ſuum ſpurium alere; nam quod ex ſola fit pietate, id ad neceſſitatem non eſt trahendum. Sed an matri ſuccedere poſſint ſpurii, quæſtio videri poteſt: cùm non eadem ratio in matre militet quæ in patre, mater enim ſemper certa eſt: & ſanè ex jure Civili ſpurius tam matri, quàm aviæ, quia & ea certa eſt, ſuccedit *(n)*. Mirum eſt quòd Juſtinianus alibi tradit *(o)*, in illuſtri fœmina ſpurios cum legitimis non ſuccedere, ſecus in inferioris dignitatis fœ-

(a) D. 17. § 12. (b) Vid. Judicum xi. (c) l. ult. ff. De ritu nuptiarum, & § 1. Inſtit. de nuptiis. (d) § 2. Inſtit. de nuptiis. (e) Nov. 74. cap. ult. Nov. 89. cap. 15. & auth. ex complexu, C. de inceſtis & inutilibus nupt. (f) Hoc aliter videtur ex Auth. inceſtas, C. de inceſtis & inutil. nupt. (g) Cap. cum haberet 5. extr. de eo qui ducit in matrimonium quam polluit per adulterium. (h) l. ult. C. de naturalibus liberis, Nov. 89. cap. 12. § 4. (i) l. 10 & 11. C. de liberis naturalibus. (k) § 12. Inſtit. de nuptiis, & l. 23. ff. de ſtatu hominum. (l) Nov. 89. cap. 12. § 4. Auth. licet C. de naturalibus liberis. (m) Nov. 18. c. 5. (n) l. 2, 4 & 8. ff. unde cognati. (o) l. 5. C. ad SCtum Orphicianum.

mina: nam ſpurios ex congreſſu licito, & non damnato jure Civili, ſuſceptos, pariter cum legitimis matri ſuccedere vult; nec ullam aliam rationem differentiæ reddit, niſi quòd major pudicitiæ reſpectus (quem ſpuriorum nomen obfuſcat) in matronis illuſtribus ſit, quàm in aliis concubinis: apertè enim alibi, & ſine diſcrimine, ſpurios in Inſtitutionibus à legitimis excludi vult. Hæc ſunt quæ de ſpuriorum ſucceſſione in paterna bona in jure Civili continentur; nec memini plura in eo haberi.

6. Sed an parentes ſpuriis ſuccedant ex jure Civili ambigi poteſt? Et, cum eadem ſit ratio ſucceſſionis liberorum ad patres, quæ parentum ad liberos, reſpondendum & jure Civili, patres filiis ſpuriis eodem modo & in eiſdem partibus ſuccedere, quibus ſpurii patribus; nempe in duas uncias ſive ſextam partem hereditatis *(a)*. Quod ad matrem attinet, eodem modo ſpuriis ſuccedit, quo ſpurii illi, nempe in ſolidum, niſi ſint legitimi. Hæc omnia, niſi ſpurii liberos ex ſe reliquerint, nam illi parentes excludunt. Ex damnato congreſſu ſuſcepti, ut nec ipſi ſuccedunt parentibus, ſic nec parentes eis *(b)*. Jure Pontificio, quanquam de ſucceſſionibus aut hereditatibus non agant, tamen diverſimodè dividunt baſtardos, ut alii ſint ex concubina ſuſcepti, quæ & ipſa poſtea uxor eſſe, & filii legitimari poſſunt; alii ſpurii vocantur ſimpliciter, i. e. qui ex adulterino congreſſu, & damnato naſcuntur, qui, ex nullo matrimonio ſequente legitimari poſſunt. Hoc jus Pontificium per omnia legitimatos cum legitimis æquavit, adeò ut legitimatus non ſolùm patruo ſuo in ſucceſſione patris, ſed etiam reliquis ſuis fratribus, poſt perfectum cum concubina matrimonium, in ſucceſſione præferatur *(c)*.

7. Ex jure verò feudorum, baſtardus etiam legitimatus ab omni ſucceſſione excluditur *(d)*; quod ſanè ob puritatem militarium beneficiorum factum eſt, ne ingenuitas, & naturalis illa nobilitas & indoles tali ſucceſſione inquinetur. Hoc tamen Doctores noſtri non intelligunt de legitimatis per ſubſequens matrimonium *(e)*; ſed tantùm de iis qui legitimantur ex reſcripto Principis. Hæc Hoſtienſis, Panormitani, & omnium Doctorum eſt ſententia.

8. Supereſt ut ad jus Britanniæ redeamus; & ſanè apud Anglos baſtardi ad ſucceſſionem nunquam admittuntur; quod magis mirum eſt, neque ſi ex ſequenti matrimonio fuerint legitimati. In quo planè à jure non ſolùm Pontificio, ſed etiam Civili diſſentiunt, in quibus non ſolùm ſucceſſio legitimatis ex poſteriore matrimonio permittitur; ſed etiam ætatis prærogativa ſervatur, adeò ut natu major, licet in concubinatu natus, præferatur inferiori ex eiſdem parentibus jam legitimo matrimonio junctis. Rationem reddit Imperator Juſtinianus, aptam quidem ſane; nam cum ex affectione liberorum priorum matrimonium illud ſequutum appareat, is qui primus natus eſt, huic affectioni cauſam & originem dedit. Itaque non ſolum ipſe legitimatus ex eo dicitur, ſed cauſam legitimationis aliis præbuiſſe, & proinde aliis licet matrimonio jam facto ſuſceptis præferendum *(f)*. At in Anglia in publicis regni comitiis, quæ Weſtmonaſterii anno facta ſunt, cum & Eccleſiaſticus ordo, qui jus Pontificium omnino & apud omnes recipiendum voluit, & ipſi plebeii ferè omnes inſtitiſſent, ut legitimatorum ratio haberetur; planè ſe Nobiles oppoſuerunt, intactamque ſuam ingenuitatem ſervare velle profitebantur, ut nulli niſi ex legitimo matrimonio nato locus in ſucceſſione daretur. Ideò eum, qui ex tali matrimonio primus ſuſceptus eſt, præferunt in ſucceſſione patris: quod apud nos etiam obſervatum fuiſſe teſtatur cap. 124. *De judicibus (g)*, ubi expreſsè habetur, natum ante ſuſceptum matrimonium ad ſucceſſionem non admitti: ſed eis præfertur vel primus ex matrimonio, vel qui proximè ſucceſſurus eſt. Sic in denizatione filiorum, ſi extraneus denizatus fuerit multos habens liberos, alios ante denizationem, alios poſt, in ſucceſſione rerum in Anglia, is qui poſt denizationem natus eſt præferetur, ut antea monui *(h)*. Simile eſt huic, quod apud Perſas in uſu fuiſſe dicitur: nam ſi Rex in regnum vocatus, ante regiam dignitatem filium ſuſcepiſſet, & poſt diadema receptum alium, hic poſterior licet natu minor in ſucceſſione regni præfe-

(a) Nov. 89. cap. 13. *(b)* Nov. 89. cap. fin. *(c)* Cap. Tanta, 6. extra, qui filii ſunt legitimi *(d)* 2 F. 26. § Naturales filii *(e)* Vid. D. 13. § 16. *(f)* l. 10 & 11. C. de naturalibus liberis. *(g)* Idem habetur lib. 2. Reg. Majeſt. c. 51. *(h)* lib. 1. D. 7. § 14.

præferebatur, quaſi primus Regis filius, nullâ illius habitâ ratione, qui ex eodem matrimonio antè fuerat prognatus, ut in ea contentione, quæ fuit inter Artaxerxem & Xerxem, obſervatum fuit.

9. Apud nos *Baſtardiæ exceptio* Brevis perſecutionem impedit: nam cùm Brevia apud judicem laicum agitentur, quæſtio autem legitimationis ſit juris Eccleſiaſtici, in Brevis actione, ſi quis ad objiciendum appareat, (nam nulli ex numero cognatorum, ſive, ut nos loquimur, nulli ex ſanguine, aditus ad objiciendum contra Breve præcludi debet,) iſque baſtardiam objecerit, apud judicem laicum neceſſariò fit juris ſtatio; ſi modò idoneè caverit excipiens de ſumptibus & intereſſe partis quæ dilationem patitur, reſque ad Eccleſiaſticum judicem, ſive judicem Chriſtianitatis, (ut noſtræ leges loquuntur,) integra remittitur, ubi utrâque parte auditâ poſt cognitionem cauſæ decernitur, ſitne, qui Breve impetraverat, legitimus, an non *(a)*: poſtquam ea res judicio Eccleſiaſtico terminata fuerit, ad judicem laicum recurritur: ſi in favorem petentis fuerit judicatum, qui extemplò fidejuſſorem ejus, qui primum judicium moratus eſt, pro damno omni quod ex dilatione petens ſuſtinuit, & fructibus, ſi eis ex mora hac caruerit, & omni intereſſe, conveniet, ut æſtimatione ſive liquidatione facta, id omne petenti reſtituere cogatur. Nonnunquam Breve novum impetratur: puto tamen, & ita jus Canonicum inſtituit, & ex priore procedi poſſe, in quo deducendo, exceptio baſtardiæ, etiamſi ab alio proponatur, non admittitur, cùm ſtet judicis Eccleſiaſtici ſententia, pro eo, qui Breve perſequitur, & inquiſitio faciliùs procedit in reliquis reſpondendis, quæ ad ſingulas Brevis partes requiruntur.

10. Finienda autem eſt hæc quæſtio baſtardiæ intra annum & diem, alioqui jure Gallorum judex laicus procedit; ſed ibi non definit tempus intra quod ſententia ferri debeat. Sed jure Pontificio videtur tempus duorum menſium præſcribi, quod ita intellige, niſi fraus committatur. Apud nos ſexto menſe finienda eſt, niſi juſta cauſa obſtet. Conſtat itaque ex his, baſtardum neque apud nos, neque jure Feudali ſuccedere: expedit enim matrimonia ſervare illibata, & iis favere qui ex eo ſunt ſuſcepti, cùm in benè conſtituta republica, nihil ſit quod cives faciat, aut meliores, aut fortiores, ut Ariſtoteles aſſerit. Jure Canonico, filii Presbyterorum, ne matri quidem ſuccedunt; quo jure & nos utimur, & extendimus ad omnes baſtardos. Obſtat enim clauſula illa Brevis, *quis eſt legitimus & propinquior heres*; nullus enim inquiſitor juratus deponet baſtardum legitimum eſſe heredem *(b)*, i. e. à lege datum, qui ex lege ſuccedere debeat: nulla enim lex eſt, quæ ad ſucceſſionem baſtardum admittat, cùm cognati ex ultimo gradu, modò legitimi, eis præferantur. Quod in reliquis baſtardis obſervandum eſt; nam quod de duabus unciis antea dixi, ex Juſtiniani conſtitutione, illud in ſolatium ei potiùs attribuitur, quàm ut inde hereditatis nomen indulgeatur vel ex minima parte *(c)*.

11. Illud tamen obſervandum eſt, quòd licet baſtardus de jure non ſuccedat, neque in directa linea, nec collaterali, nec tallia generali; poſſe tamen in ſpeciali tallia ſuccedere: veluti, ſi expreſsè quis, deficientibus liberis ex corpore ſuo legitimis, ſuum ſpurium ſive alienum ſubſtituerit. Sic Jacobus V. cùm quatuor ſpurios ſive nothos habuiſſet, & maximo natu, nempe Melroſenſi Cœnobiarchæ, aliqua prædia feudalia conceſſiſſet, in eiſdem ejus fratres tantùm naturales ſubſtituit; qui & eâdem ratione deſerviti fuerunt, nempe Moravius in Baroniam de Tininghame, & Moravio rurſus, in feudis monaſterii de Kelſo, ſucceſſit Bothuelius, ejus ex fratre naturali nepos tantum. Et ita in Senatu deciſum vidi, in actione inter Hay de Cokſtoun ab una, & Arrolium ab altera parte, ut antea monui *(d)*: nam cùm Cokſtonius, licet baſtardus, ratione talliæ ſucceſſiſſet & retornatus fuiſſet, eam inquiſitionis ſententiam retractare aggreſſus Arrolius, qui illius feudi præſentationem à Rege acceperat, non prævaluit. Poteſt ergo baſtardus ex tallia ſpeciali, i. e. in qua nomen ejus eſt expreſſum, ſuccedere, & hoc ex tenore proviſionis, quem tenorem ſemper inſpiciendum, ſemper obſervandum, toties ſupra prænonuimus.

12. Sed quæret aliquis, Quorſum ergo legitimationes hæ, quæ à Principibus ma-

(a) Cap. 50. lib. 2. Reg. Majeſt. (b) Vid. § 13. (c) Nov. 89. cap. 12. § 2. (d) D. 18. § 19.

gnâ pecunia comparantur, in quibus Princeps *habiles & aptos baſtardos ad omne ſucceſſionis genus facit, & ut tam parentibus quàm cognatis ſuccedere poſſint eis permittit*, verbáne illa ſine effectu erunt, & dicis causâ adjecta ? Pro ſolutione hujus nodi, ſciendum eſt Principem heredem aut ſucceſſorem facere non poſſe *(a)*, cùm nomen ſit juris, & a lege tantùm tribuatur. Neque enim facere Princeps poteſt, ut is parentes, cognatos aut agnatos habeat, qui per legem habere non poteſt : nam patrem demonſtrare poſſe ſpurii non præſumuntur ; itaque neque cognatos aut agnatos ex parte patris : iniquum enim eſſet aliquem heredem invito à Principe dari, qui alioqui non erat ſucceſſurus. Sunt qui putant cum conſenſu domini quempiam poſſe legitimari ad ſucceſſionem feudi, quod verum eſt & apud nos in feudo novo ; nam ei expreſse concedere poteſt, quod nos *talliare* dicimus *(b)*. In feudo antiquo, eodem modo ex mutua domini & vaſſalli conventione & conſenſu, licet plerique in hoc feudo diſſentiant. At apud nos & in Gallia, Rex (nam ejus ſolius eſt legitimare) non poteſt efficere ut baſtardus ſuccedat, ſine ejus expreſſo conſenſu cui ſuccéditur, veluti patris, ſi patri ſuccedere debet : nec tamen collateralibus ſuccedit, niſi hoc expreſſum in charta legitimationis fuerit, & omnes conſenſerint quibus ſuccedi debeat : neque enim æquum eſt, non conſentienti heredem alium dare, quàm eum quem lex ei definivit. Itaque, ut collateralibus ſuccedat, collateralium conſenſus requiritur ; neque tamen hoc ſufficiet, ſi jus alii fuerit jam acquiſitum, i. e. ſi alii fuerint legitimi liberi ex matrimonio geniti ; tum enim legitimatio ſine effectu apud Gallos eſt : non enim veriſimile eſt genitorem voluiſſe eis præjudicare. Imò ſi poſtea contigerit, patrem ex legitimo matrimonio filios ſuſcipere, vel poſtea matrimonium contrahere, ex quo ſit ſpes certa liberorum, & filii poſtea naſcantur, ne in hoc quidem caſu, pater filiis legitimis præjudicat, qui jus jam acquiſiverint, & legitimatio ex actu hoc ſubſequenti liberorum naſcentium reſcinditur, quaſi ad eum ſtatum deveniens à quo incipere non potuit. Sed in paterna ſucceſſione, hi legitimati baſtardi excludunt collaterales, ſi collateralis ſucceſſio ſit, & eorum conſenſus acceſſerit, & proinde omnes ulterioris gradus : quod tamen apud nos non habet locum.

13. An Papa poſſit legitimare, cujus ſuprema poteſtas eſt, plerique dubitant. Et ſunt qui putant poſſe eum legitimare. Sed aliud tenent Doctores, nempe, cùm ſucceſſio ſit juris naturalis, Pontificem in eo non poſſe diſpenſare, cùm ad ejus officium non pertineat. Nota eſt hiſtoria Martini Regis Arragoniæ, qui cùm nullos juſtos haberet liberos, præter unum baſtardum eodem nomine, cupidiſque eſſet, ut is ei in regnum ſuccederet, à Pontifice impetravit, ut ad omnia legitimaretur, etiam ad ſucceſſionem regni : tamen, non obſtante hac legitimatione, ſucceſſit Ferdinandus II. qui longè ulteriori gradu diſtabat. Aliud tamen obſervavit priùs Pontifex in Henrico Caſtellæ Rege ſpurio, quem legitimavit, ut Petrum natum ex legitimo thoro excluderet, etiam poſtquam Petrus in regnum receptus, & multis annis pro Rege agnitus fuiſſet. Sed an hæc legitimatio locum habebit in hereditate materna aut aviæ, ut baſtardus eis ſuccedat, cum utraque ea, ut dixi, ſit certa ? Et ne hoc quidem puto : nam ne his à Principe dari heredes poſſunt *(c)*, cùm Princeps tantùm jura Civilia tribuere poteſt, non naturalia : fieri enim non poteſt à natura, ut is agnatos ſive cognatos à parte patris habeat, quod eſt juris naturalis, qui patrem demonſtrare non poteſt. Itaque clauſulam illam, quæ in omnibus legitimationibus tam ample extenditur, omnino expungendam puto, ne in errorem homines ſimplices abducat ; nunquam enim inquiſitores jurati ſpurium in heredem vel patri vel matri deſervient, cùm non ſit legitimus *(d)* : retinendam tamen clauſulam illam, quâ *baſtardis, tàm in vita, quàm in lecto ægritudinis, de ſuis bonis diſponere Rex permittit.* Itaque pro regula generali hoc apud nos tenendum, baſtardum nullâ legitimationis vi aut virtute in feudo ſuccedere, niſi in tenore inveſtituræ ſpecialiter & nominatim cum conſenſu domini ſit proviſum, ut ille ſuccedat. Notandum eos qui ex damnato coitu naſcuntur legitimari non poſſe.

14. Licet

(a) D. 17. § 4. (b) D. 16. § 8. (c) D. 17. § 4. (d) Vid. § 10.

14. Licet autem ſuccedere in feudum baſtardus non poſſit, feudum tamen ex titulo venditionis, permutationis, etiam donationis, aut officiorum aut meritorum causâ acquirere poteſt; imò etiam apud nos à patre conceſſum feudum valet. Jure tamen Normannorum & totius Galliæ, pater filio ſpurio partem hereditatis ſive feudi ſi conceſſerit, aut titulo quocunque alienaverit, aut pignori aut hypothecæ ſubjecerit, ſive per ſe, ſive per interpoſitionem mediatæ alicujus perſonæ *(a)*; revocandæ illius donationis aut alienationis jus eſt defuncti legitimis heredibus, infra annum à die mortis patris qui diſpoſitionem fecerat: licet alioqui ab alio quam a patre poſſit recipere quamcunque donationem, multò magis alienationem; ita tamen ne circumventioni ſit locus. Nam ſi cui non licet directe donare ſpurio ſuo, ſi circumveniendo mentem legis alteri det, ejuſque fidei committat, ut rurſum ſpurio ſuo concedat, id nullum eſt ex jure. Ex bonis tamen mobilibus, vel teſtamento, vel inter vivos, aliquid ei donare poteſt, niſi ſit ex damnato coitu procreatus: nam eis, ne alimentorum causâ, quicquam (ut dixi *(b)*) relinquere poteſt. Si tamen feudum aliquod ſpurius acquiſiverit, illo ipſe, dum in vita eſt, poteſt pro arbitrio uti vel abuti, donare, vendere, hypothecæ ſubjungere, perinde ac ſi ex legitimo matrimonio foret, niſi ſuis ſpuriis ſive illegitimis, quibus non facilè ultra tertiam partem concedere permittitur. In lecto ægritudinis, ex qua ſpurius moritur, diſponere de re hereditaria non permittitur.

15. Licet ex jure Feudali & noſtro baſtardus nemini ſuccedat *(c)*, tamen ei ſuccedunt omnes, quos ex juſtis nuptiis ſuſceperit, & eorum etiam liberi legitimi *(d)*: nam hi, ſine legitimatione Principis, etiam ſuccedunt ex naturali ratione, cùm baſtardis liceat dominia rerum acquirere, neque eis ea, dum vivunt, auferri poſſunt, & juſti domini & ſint & habeantur, proinde filii eorum legitimi jure eis ſuccedunt: verum enim eſt, illos deceſſiſſe veſtitos, ut de feudo, ut in retornatibus habetur, & hos legitimos eorum eſſe heredes. Quòd ſi filii legitimi rurſus ſine liberis ex ſe procreatis moriantur, cùm ex parte patris cognatos habere non poſſint, nec matris linea in ſucceſſione attendatur; itaque Rex in hoc caſu filiis ſpurii legitimis ſuccedit. Ut hi legitimi liberi baſtardo patri ſucceſſerunt, ſic & inter ſe & ſibi invicem ſuccedere poſſunt: nam certam habent cognationem inter ſe, certumque patrem, quem nuptiæ domonſtrant, & in omnibus pro jure ſanguinis junctis habentur. Illud tamen intereſt, quòd baſtardo moriente ſine liberis, ſive is ſit Eccleſiaſticus, ſive laicus, omnia ejus mobilia fiſco, jure coronæ, fiunt caduca, ſi teſtamentum non fecerit: nam baſtardiæ inter Regalia numerantur *(e)*; at feuda ad dominum ſuum de quo tenebantur redeunt. Ratio eſt, quòd ea dominorum ab initio voluntas fuiſſe præſumitur, ut ſoli vaſſallo providerent, & ejus filiis legitimis; qui ſi defecerint, ad dominum debeat feudum reverti. Quòd ſi baſtardus teſtamentum fecerit, eodem jure utetur atque legitimi, teſtamentique eandem habet factionem. Si non fecerit, & uxorem habuerit, ea dimidium ab inteſtato habebit, reliquum dimidium fiſcus.

16. Sed ſunt qui putant baſtardum non habere teſtamenti factionem, nec poſſe de rebus ſuis mobilibus diſponere, niſi à Principe legitimatus fuerit: quibus tamen plerique non aſſentiunt, cum baſtardo factionem teſtamenti omnimodò competere putent. Alii verò affirmant, ſi quis legitimatus à Principe fuerit, neque teſtamentum fecerit, nihil ad Principem redire, cùm contra ſuum factum venire non poſſit. Quorum tamen neutrum probo: multò minùs quod in noſtris rhapſodiis habetur, nempe, baſtardo inteſtato moriente, catalla (quo nomine more Normannorum omnia bona mobilia ſignificantur) ad dominum ſuum pertinere; & ſi diverſos habeat dominos, quemlibet eorum ea baſtardi catalla recuperaturum, quæ in eorum dominio reperientur. Nam apud nos, ſi baſtardus inteſtatus obierit, nec liberos ex legitimo matrimonio ſuſceptos habuerit, in mobilia ſolus Rex baſtardo ſuccedit, ſalvo eo jure quod ad uxorem pertinet, nempe dimidiâ parte. In rerum mobilium hereditatem

(*a*) Lib. 1. D. 14. § 16. (*b*) § 4. (*c*) 2 F. 26. § Naturales filii. (*d*) Cap. 52. lib. 2. Reg. Majeſt. (*e*) Lib. 1. D. 16. § 5.

gnâ pecunia comparantur, in quibus Princeps *habiles & aptos baſtardos ad omne ſucceſſionis genus facit, & ut tam parentibus quàm cognatis ſuccedere poſſint eis permittit*, verbáne illa ſine effectu erunt, & dicis causâ adjecta ? Pro ſolutione hujus nodi, ſciendum eſt Principem heredem aut ſucceſſorem facere non poſſe *(a)*, cùm nomen ſit juris, & a lege tantùm tribuatur. Neque enim facere Princeps poteſt, ut is parentes, cognatos aut agnatos habeat, qui per legem habere non poteſt : nam patrem demonſtrare poſſe ſpurii non præſumuntur ; itaque neque cognatos aut agnatos ex parte patris : iniquum enim eſſet aliquem heredem invito à Principe dari, qui alioqui non erat ſucceſſurus. Sunt qui putant cum conſenſu domini quempiam poſſe legitimari ad ſucceſſionem feudi, quod verum eſt & apud nos in feudo novo ; nam ei expreſse concedere poteſt, quod nos *talliare* dicimus *(b)*. In feudo antiquo, eodem modo ex mutua domini & vaſſalli conventione & conſenſu, licet plerique in hoc feudo diſſentiant. At apud nos & in Gallia, Rex (nam ejus ſolius eſt legitimare) non poteſt efficere ut baſtardus ſuccedat, ſine ejus expreſſo conſenſu cui ſuccéditur, veluti patris, ſi patri ſuccedere debet : nec tamen collateralibus ſuccedit, niſi hoc expreſſum in charta legitimationis fuerit, & omnes conſenſerint quibus ſuccedi debeat : neque enim æquum eſt, non conſentienti heredem alium dare, quàm eum quem lex ei definivit. Itaque, ut collateralibus ſuccedat, collateralium conſenſus requiritur ; neque tamen hoc ſufficiet, ſi jus alii fuerit jam acquiſitum, i. e. ſi alii fuerint legitimi liberi ex matrimonio geniti ; tum enim legitimatio ſine effectu apud Gallos eſt : non enim veriſimile eſt genitorem voluiſſe eis præjudicare. Imò ſi poſtea contigerit, patrem ex legitimo matrimonio filios ſuſcipere, vel poſtea matrimonium contrahere, ex quo ſit ſpes certa liberorum, & filii poſtea naſcantur, ne in hoc quidem caſu, pater filiis legitimis præjudicat, qui jus jam acquiſiverint, & legitimatio ex actu hoc ſubſequenti liberorum naſcentium reſcinditur, quaſi ad eum ſtatum deveniens à quo incipere non potuit. Sed in paterna ſucceſſione, hi legitimati baſtardi excludunt collaterales, ſi collateralis ſucceſſio ſit, & eorum conſenſus acceſſerit, & proinde omnes ulterioris gradus : quod tamen apud nos non habet locum.

13. An Papa poſſit legitimare, cujus ſuprema poteſtas eſt, plerique dubitant. Et ſunt qui putant poſſe eum legitimare. Sed aliud tenent Doctores, nempe, cùm ſucceſſio ſit juris naturalis, Pontificem in eo non poſſe diſpenſare, cùm ad ejus officium non pertineat. Nota eſt hiſtoria Martini Regis Arragoniæ, qui cùm nullos juſtos haberet liberos, præter unum baſtardum eodem nomine, cupiduſque eſſet, ut is ei in regnum ſuccederet, à Pontifice impetravit, ut ad omnia legitimaretur, etiam ad ſucceſſionem regni : tamen, non obſtante hac legitimatione, ſucceſſit Ferdinandus II. qui longè ulteriori gradu diſtabat. Aliud tamen obſervavit priùs Pontifex in Henrico Caſtellæ Rege ſpurio, quem legitimavit, ut Petrum natum ex legitimo thoro excluderet, etiam poſtquam Petrus in regnum receptus, & multis annis pro Rege agnitus fuiſſet. Sed an hæc legitimatio locum habebit in hereditate materna aut aviæ, ut baſtardus eis ſuccedat, cùm utraque ea, ut dixi, ſit certa ? Et ne hoc quidem puto : nam ne his à Principe dari heredes poſſunt *(c)*, cùm Princeps tantùm jura Civilia tribuere poteſt, non naturalia : fieri enim non poteſt à natura, ut is agnatos ſive cognatos à parte patris habeat, quod eſt juris naturalis, qui patrem demonſtrare non poteſt. Itaque clauſulam illam, quæ in omnibus legitimationibus tam ample extenditur, omnino expungendam puto, ne in errorem homines ſimplices abducat ; nunquam enim inquiſitores jurati ſpurium in heredem vel patri vel matri deſervient, cùm non ſit legitimus *(d)* : retinendam tamen clauſulam illam, quâ *baſtardis, tàm in vita, quàm in lecto ægritudinis, de ſuis bonis diſponere Rex permittit.* Itaque pro regula generali hoc apud nos tenendum, baſtardum nullâ legitimationis vi aut virtute in feudo ſuccedere, niſi in tenore inveſtituræ ſpecialiter & nominatim cum conſenſu domini ſit proviſum, ut ille ſuccedat. Notandum eos qui ex damnato coitu naſcuntur legitimari non poſſe.

14. Licet

(a) D. 17. § 4. (b) D. 16. § 8. (c) D. 17. § 4. (d) Vid. § 10.

14. Licet autem ſuccedere in feudum baſtardus non poſſit, feudum tamen ex titulo venditionis, permutationis, etiam donationis, aut officiorum aut meritorum causâ acquirere poteſt; imò etiam apud nos à patre conceſſum feudum valet. Jure tamen Normannorum & totius Galliæ, pater filio ſpurio partem hereditatis ſive feudi ſi conceſſerit, aut titulo quocunque alienaverit, aut pignori aut hypothecæ ſubjecerit, ſive per ſe, ſive per interpoſitionem mediatæ alicujus perſonæ *(a)*; revocandæ illius donationis aut alienationis jus eſt defuncti legitimis heredibus, infra annum à die mortis patris qui diſpoſitionem fecerat: licet alioqui ab alio quam a patre poſſit recipere quamcunque donationem, multò magis alienationem; ita tamen ne circumventioni ſit locus. Nam ſi cui non licet directè donare ſpurio ſuo, ſi circumveniendo mentem legis alteri det, ejuſque fidei committat, ut rurſum ſpurio ſuo concedat, id nullum eſt ex jure. Ex bonis tamen mobilibus, vel teſtamento, vel inter vivos, aliquid ei donare poteſt, niſi ſit ex damnato coitu procreatus: nam eis, ne alimentorum causâ, quicquam (ut dixi *(b)*) relinquere poteſt. Si tamen feudum aliquod ſpurius acquiſiverit, illo ipſe, dum in vita eſt, poteſt pro arbitrio uti vel abuti, donare, vendere, hypothecæ ſubjungere, perindè ac ſi ex legitimo matrimonio foret, niſi ſuis ſpuriis ſive illegitimis, quibus non facilè ultra tertiam partem concedere permittitur. In lecto ægritudinis, ex qua ſpurius moritur, diſponere de re hereditaria non permittitur.

15. Licet ex jure Feudali & noſtro baſtardus nemini ſuccedat *(c)*, tamen ei ſuccedunt omnes, quos ex juſtis nuptiis ſuſceperit, & eorum etiam liberi legitimi *(d)*: nam hi, ſine legitimatione Principis, etiam ſuccedunt ex naturali ratione, cùm baſtardis liceat dominia rerum acquirere, neque eis ea, dum vivunt, auferri poſſunt, & juſti domini & ſint & habeantur, proinde filii eorum legitimi jure eis ſuccedunt: verum enim eſt, illos deceſſiſſe veſtitos, ut de feudo, ut in retornatibus habetur, & hos legitimos eorum eſſe heredes. Quòd ſi filii legitimi rurſus ſine liberis ex ſe procreatis moriantur, cùm ex parte patris cognatos habere non poſſint, nec matris linea in ſucceſſione attendatur; itaque Rex in hoc caſu filiis ſpurii legitimis ſuccedit. Ut hi legitimi liberi baſtardo patri ſucceſſerunt, ſic & inter ſe & ſibi invicem ſuccedere poſſunt: nam certam habent cognationem inter ſe, certumque patrem, quem nuptiæ domonſtrant, & in omnibus pro jure ſanguinis junctis habentur. Illud tamen intereſt, quòd baſtardo moriente ſine liberis, ſive is ſit Eccleſiaſticus, ſive laicus, omnia ejus mobilia fiſco, jure coronæ, fiunt caduca, ſi teſtamentum non fecerit: nam baſtardiæ inter Regalia numerantur *(e)*; at feuda ad dominum ſuum de quo tenebantur redeunt. Ratio eſt, quòd ea dominorum ab initio voluntas fuiſſe præſumitur, ut ſoli vaſſallo providerent, & ejus filiis legitimis; qui ſi defecerint, ad dominum debeat feudum reverti. Quòd ſi baſtardus teſtamentum fecerit, eodem jure utetur atque legitimi, teſtamentique eandem habet factionem. Si non fecerit, & uxorem habuerit, ea dimidium ab inteſtato habebit, reliquum dimidium fiſcus.

16. Sed ſunt qui putant baſtardum non habere teſtamenti factionem, nec poſſe de rebus ſuis mobilibus diſponere, niſi à Principe legitimatus fuerit: quibus tamen plerique non aſſentiunt, cum baſtardo factionem teſtamenti omnimodò competere putent. Alii verò affirmant, ſi quis legitimatus à Principe fuerit, neque teſtamentum fecerit, nihil ad Principem redire, cùm contra ſuum factum venire non poſſit. Quorum tamen neutrum probo: multò minùs quod in noſtris rhapſodiis habetur, nempe, baſtardo inteſtato moriente, catalla (quo nomine more Normannorum omnia bona mobilia ſignificantur) ad dominum ſuum pertinere; & ſi diverſos habeat dominos, quemlibet eorum ea baſtardi catalla recuperaturum, quæ in eorum dominio reperientur. Nam apud nos, ſi baſtardus inteſtatus obierit, nec liberos ex legitimo matrimonio ſuſceptos habuerit, in mobilia ſolus Rex baſtardo ſuccedit, ſalvo eo jure quod ad uxorem pertinet, nempe dimidiâ parte. In rerum mobilium hereditatem

(*a*) Lib. 1. D. 14. § 16. (*b*) § 4. (*c*) 2 F. 26. § Naturales filii. (*d*) Cap. 52. lib. 2. Reg. Majeſt. (*e*) Lib. 1. D. 16. § 5.

cùm fiſcus ſuccedit, optimum ex quaque ſpecie conſequetur, tanquam ultimus heres: ſed tum cavebit Rex de debitis hereditariis ſolvendis, ſi aliunde de mobilibus non ſuperſit. Funeris impenſæ ſemper præſtandæ. Hoc etiam in his baſtardis notandum eſt, quòd licet in feudum paternum non ſuccedant, cùm patrem demonſtrare non poſſint, & certa ſit mater; tamen neque in materno feudo ſuccedere, niſi dominus ſciens & prudens vaſſallæ & ejus filiis jam natis feudum conceſſiſſet, cùm ſciret illam nullos alios filios habere, niſi baſtardos, & hoc ob præſumptam domini voluntatem: nec hoc tamen noſtris moribus recipitur. Baſtardorum & hoc proprium eſt, quòd ſine legitimatione ſive diſpenſatione dignitates ſive officia nulla, aut functionem judicialem, exercere poſſunt.

17. Poſtulat locus, ut dicamus qui ſint baſtardi, qui legitimi. Et quanquam hæc quæſtio hujus inſtituti non ſit propria, ſed judicis Eccleſiaſtici; ut tamen junioribus aliquatenus conſulam, quàm breviſſimè rem totam perſtringam. Baſtardus & legitimus, cùm inter ſe opponantur, ex definitione unius alterius notitia eluceſcet: filium enim definit Juriſconſultus, quem nuptiæ demonſtrant; aut clarius, qui ex legitimo matrimonio inter virum & uxorem natus eſt *(a)*: baſtardus verò, qui extra matrimonium. Sed advertendum eſt, totam hanc quæſtionem hodie ex jure Pontificio pendere, cùm ſit quæſtio, quæ propriè ad conſcientiam pertineat. Ex quo jure, multi etiam in matrimonio nati non ſunt legitimi: multi, nondum ſolemnizato matrimonio, legitimi.

18. Ut id planius fiat, ſciendum matrimonium aliquando de jure, aliquando de facto contrahi. Prius vocatur juſtum matrimonium & legitimum, i. e. cui neque lex neque jus obſtat, quò minùs copulari contrahentes poſſint. Quod autem matrimonium dicitur de facto contrahi, illud eſt quod habet impedimentum à jure vel à lege, quò minus illud à principio conſiſtere poſſit, veluti ſi alteruter antea conjugatus fuerit: nam ſtante priore matrimonio, & vivo conjuge, neque vir neque uxor contrahere novum matrimonium poteſt; diſſolvendaque eſt ſemper illa conjunctio, cùm vir, vivente primâ conjuge, alterius conjugis vir eſſe non poſſit, nec uxor alterius mariti uxor, vivente primo marito. Idem, ſi aliqua alia ſit cauſa, quæ ſi in initio innotuiſſet, matrimonium præpediiſſet; veluti, ſi in gradibus in capite 18. Levitici prohibitis, alteruter reperiatur: nam alterutro in eis gradibus exiſtente, licet alter fuerit remotior, matrimonium ab initio prohibetur, & ſolemnizatum dirimitur: neque enim pronepos proavi ſui ſororem ducere in uxorem poteſt, & ſic in ſimilibus; quia, ut in jure Divino, & omni alio, quo etiam gentes reguntur, matrimonium & omnis conjunctio inter aſcendentes & deſcendentes perpetuo prohibetur; ſic & inter eos, qui loco aſcendentium ſive parentum aut filiorum ſunt, veluti patris mei ſoror loco patris, & matris meæ ſoror, quæ & amita, loco matris: & ſic qui in primo gradu lineæ collateralis ſunt, licet non parentes, neque filii, tamen pro parentibus & filiis habentur; ergo cùm hæc impedimenta ſint matrimonii ab initio contrahendi, contractum etiam dirimunt; neque idem eſt, ac ſi quis ob adulterium ſeparatus fuerit; quia in eo caſu matrimonium ab initio conſtitit ut legitimum; licet ex facto unius partis poſtea diſſolutum: quanquam, apud Anglos, matrimonium ob adulterium non dirimatur, ſed tantùm ſeparatio à thoro & tabula permittitur. Sed ubi ab initio matrimonium non ſtabat, nec ſtare poterat propter impedimenta quæ propoſui; aut ea impedimenta nota erant utriquè parti aut alterutri: ſi utrique, filii ſunt illegitimi; quòd ſi alteri tantùm, alterius bona fides, licet non ſufficiat ad confirmandum & ſtabiliendum matrimonium, ſufficit tamen ad legitimationem prolis *(b)*: nam jura Pontificia favent magis legitimationi liberorum ex hoc matrimonio, quam ipſis conjugibus, adeò ut multa habeantur in jure Pontificio quæ matrimonium dirimant, non tamen ut liberi ſint illegitimi faciant. Quòd ſi, conſtante adhuc tali matrimonio, quod de facto celebratum eſt, notitia impedimenti ad utrumque conjugem pervenerit, ſtatim ſe à mutua cohabitatione ſeparare debent; &, ſi qui poſtea inter eos producantur liberi, illegitimi ſive baſtardi naſcuntur, manentibus in ſuo legitimorum ſtatu eis qui ante notitiam concepti ſunt.

19. Alii

(*a*) l. 6. ff. de his qui ſunt ſui vel alieni juris. (*b*) Ut § 19.

19. Alii autem ſunt apud nos legitimi, licet matrimonium de facto nunquam celebratum fuerit: quid enim, ſi jam ſponſalibus factis, banniſque in Eccleſia proclamatis (ut moris eſt) & ante tamen matrimonio celebrando diem conſtitutum alteruter moriatur? imò quid ſi vir fraude illius, qui alioqui ſucceſſurus, & ſibi per matrimonium illud ſucceſſionis præjudicium fieri vidit, interierit? In hoc caſu puto liberos vel conceptos, vel jam natos legitimos, ſaltem pro legitimis habendos: nam ex jure Canonico, filius ex ſponſa de futuro, ſi de ſponſalibus conſtet, legitimus cenſetur. Sane Senatus relictæ non ſolùm tertiam, ſed etiam donationem propter nuptias, i. e. inſtrumenta dotalia conjunctæ infeudationis indulſerat; licet matrimonium de facto nunquam celebratum in Eccleſia fuerat, tamen banna proclamata. Et Commiſſarii, viri acuti, ſucceſſionem bonorum mobilium conceſſerunt liberis Edwardi Younger, licet matrimonium nunquam fuit contractum, neque banna proclamata; ea ratione, quod cum Edwardus ſub fide futuri matrimonii eos liberos ſuſcepiſſet, materque apud Commiſſarios cauſam obtinuiſſet, ut Edwardus matrimonium promiſſum implere cogeretur, eo recuſante perinde habuerunt, ac ſi eam in uxorem duxiſſet, liberiſque bonorum mobilium executio ſive hereditas adjudicata eſt. Conſtat ergo, ubi nunquam matrimonium de facto intervenit, poſſe aliquando legitimos, ſaltem legitimatos, eſſe. Sic jus Pontificium ex diuturna cohabitatione præſumit legitimum filium eſſe, favore liberorum; at matrimonium fuiſſe non præſumit: & apud nos legitimationis tantus eſt favor, ut ſi quis dum vixit pro legitimo ſemper habitus & tentus eſt (ut loqui ſolemus) à domino præceptum *Clare conſtat* tanquam heres impetraverit & ſaſitus fuerit; aut in judicio ut legitimus pronunciatus fuerit, poſt mortem de ejus ſtatu inquirere, aut eum ut non legitimum acculare non permittatur. Nam ex jure Pontificio, ex diuturnitate temporis, & longa cohabitatione præſumitur matrimonium; cum poſt longum tempus matrimonium probare ſit difficile. Quod autem ſit diuturnum tempus valde controvertitur. Quidam putant quinquennium ſufficere, & hoc ex jure Civili, ne de ſtatu defunctorum poſt quinquennium quæratur; alii majus tempus volunt. Ex jure noſtro, qui dum vixit tentus & reputatus pro legitimo eſt, aut per ſententiam, aut retornatum agnitus eſt, ſi moriatur, heres ejus non cogetur de baſtardia ejus quæſtionem ſuſcipere, neque legitimationem probare. Differentia tamen aliqua eſt, inter facta antiqua & nova: nam ſi is, de cujus ſtatu agitur, ſenex ſit, brevius tempus cohabitationis parentum ejus ſufficit, duorum aut trium annorum; ſi recentius ſit factum, puto longiorem cohabitationem probandam. Hæc de filiis ſive legitimis, ſive pro legitimis habitis, etiamſi matrimonium non intervenerit de facto, aut ſi de matrimonio non conſtet. Et ſi matrimonium verè fuerit perfectum de facto, ſed aliquod erat impedimentum, quod ſi notum fuiſſet ante ſelennizationem in facie Eccleſiæ, (verba hæc ſunt forenſia) contrahi matrimonium prohibuiſſet: ſi impedimentum utrique parentum notum fuerat, veluti ſi uterque ſciverat (ut dixi *(a)*) matrimonium cum alio adhuc manere, illegitimi naſcuntur ex eo congreſſu: ſed ſi unus tantùm conjugum ſciverat, alter non, alterius bona fides ad legitimationem ſufficit *(b)*. Si de impedimento judicium ſit ſuſceptum, liſque conteſtata, nondum mala fides utriuſque inducitur; cum conſtante matrimonio, & non per ſententiam diſſoluto, neuter conjugum debitum conjugale alteri denegare debeat: ſed per ſolam diſſolutionis ſententiam, mala utriuſque fides arguitur: ita tamen ut filii ante ſententiam concepti aut ſuſcepti legitimi naſcantur, non poſt; nam tempus conceptionis, i. e. quo in utero ſunt, inſpicitur, quoties de filii legitimatione aut commodo agitur; ſecus ſi de odio. Itaque bona fides (quæ ſemper ex juſto errore præſumitur) ſufficit, ut quis legitimus ſit, non tantum ſi tempore contractus interceſſit, ſed etiam ut ſit tempore conceptionis; id enim tempus maximè ſpectatur.

20. Sed quæri poteſt in quæſtione filiationis (ut Doctores loquuntur) ſi liberi legitimi ſint necne, utrum dicto parentis alterutrius, an fortaſſe utriuſque ſtetur? nam *non ferendum*, ait Julianus *(c)*, *qui, cum aſſiduè cum uxore moratus ſit, partum nolit*

(*a*) § 18. (*b*) Ut § 18. dictum. (*c*) l. 6. ff. de his qui ſunt ſui vel alieni juris.

agnoſcere, & Ulpianus *matris juramentum neque partui obeſſe, neque prodeſſe* ait *(a)*. Sed jus Pontificium aliud videtur ſtatuere, quod dicto parentum credatur, niſi manifeſtè aliud probetur: quod dictum intelligo, ſi ab utroque parente dicatur *(b)*. Doctores referunt, de quadam Regina (à nomine abſtinent) quæ in articulo mortis conſtituta, filium ad ſe vocans, planè aſſeruit eum non ex Rege marito ſuſceptum; qui tamen ut heres poſtea regni receptus eſt. Novi ſanè mulierem nobilem, cum actiones contra filium graves haberet in Senatu, ut eum quoquo modo ulciſceretur, cum ſuo dedecore affirmaſſe, eum non fuiſſe mariti filium, ſed adulteri; & de pluribus, odio adverſus filium primogenitum incenſis, fortaſſe eadem aut plura memorantur. Quod dixi, *dicto parentum ſtari, niſi contrarium probetur*, intelligendum eſt, niſi ſit in poſſeſſione filiationis, i. e. niſi longo tempore à parentibus eo nomine & tanquam filius altus & educatus ſit, filiique nomine appellatus: nam filiatio ex parte patris non poteſt probari, ſed ſemper præſumitur ex cohabitatione, ſi eo tempore cohabitaverint, quo filius conceptus eſt; imò, quod majus eſt, præſumitur filius, etiamſi eodem tempore matrem cum adultero rem habuiſſe conſtiterit. Nam cum hic qui natus eſt, utriuſque filius eſſe non poſſit, in favorem tamen filiationis præſumitur mariti *(c)*. At ſi tempore conceptionis non cohabitaverint, probarique poſſit maritum abſtinuiſſe, durum eſt ut filius dicatur *(d)*. Et in his omnibus, quando quis altus & educatus ut filius, &, ut nos in foro loqui ſolemus, quando tentus & reputatus ſit; fama ſanè viciniæ multum in eam rem prodeſt; & ſi quæratur, num cohabitaverint aut non? Sanè apud vicinos noſtros, ſpurii aliquando loco legitimorum habentur: nam licet uxor ex adulterio concepetit, ſi vir prægnantem in domum ſuam deduxerit & prolem nutriverit, legitimum ſibi filium & heredem facit; imò ubi eum expreſsè à domo non amoverit: nam ubicunque præſumi poteſt, quod ex viro genitus ſit, vel gigni potuit, etiamſi partus ſit ſuppoſititius, heres fiet. Quod ſanè mirum eſt, cum tam duri ſint in eis, qui ante matrimonium nati ſunt, & matrimonio ſubſequente legitimati; nam hos ab hereditate rejiciunt *(e)*.

21. Clandeſtina autem matrimonia *(f)*, & quæ in Eccleſiis aut facie Eccleſiæ non celebrantur, non faciunt partum præſumi legitimum, multo minus ut ſint qui contraxerant conjuges; cum magis faveant jura innocenti partui, quàm nocentibus, i. e. contumacibus & refractariis conjugibus. Illud in hoc ſubjecto generale, ubi quis tanquam illegitimus, à ſucceſſione patris aut cognati excluditur, & omnes ex eo deſcendentes ab eadem excludi, etiamſi ſint legitimi. Quod ſi dubitationem de natalibus orituram quis ſuſpicetur, agere poteſt coram judice Eccleſiaſtico, ut de legitimatione ſua cognoſcatur, ſi probationes interituras ſuſpicetur. Hæc ſunt quæ de baſtardis tam jure Civili, quàm Canonico, quo hodie utimur, præſcribuntur. Obſervandum hodie & hoc eſt, quòd baſtardi, ſi à parentibus ſuis agnoſcantur pro liberis, nobilitatem ex parte patris recipiunt, & inſignibus paternis, cum tranſverſo baculo à capite ad finem, utuntur; ſi non agnoſcantur à parentibus vulgò concepti dicuntur, & neque nomen (niſi abuſivè) neque dignitas, aut inſignia parentum eis tribuuntur.

22. Secundum quod contra Breve, ut ſucceſſionis jus impediatur, objici ſolebat, Clericatus eſt *(g)*; nam Clerici Deo militant, eorumque arma lachrymæ & preces eſſe debent: itaque nil mirum ſi in feudo, quod militare in bello ſervitium requirit, non admittantur: & (ut Apoſtolus) *nemo ſecularibus negotiis impeditus, ut Deo ſerviat eſt aptus (h)*. Putarunt tamen alii Clericum ſecularem poſſe ad ſucceſſionem admitti, & per ſubſtitutum ſervire, dummodo non receperit eos ordines, qui eum

(*a*) l. 3. § 3. ff. de jurejurando, ſive voluntario ſive neceſſario. (*b*) Et ita eſt intelligendum decretum Gregorii, lib. 4. tit. 17. c. 3. juncto lib. 2. tit. 19. c. 10. ibid. (*c*) l. 11. § 9. ff. ad leg. Juliam de adult. jure tamen Canonico aliter obtinere videtur per decretum Gregorii, lib. 4. tit. 17. c. 4. (*d*) l. 1. § 14. ff. de agnoſc. & alend. liberis, l. 6. ff. de his qui ſui vel alieni juris ſunt. (*e*) Ut § 8. dictum. (*f*) Hujuſmodi matrimoniorum pœnæ apud nos ſunt pecuniariæ, cap. 34. Seſſ. 1. Parl. 1. Car. II. cap. 12. Seſſ. 5. Parl. unic. Gul. & Mariæ, & cap. 6. Seſſ. 7. ibid. reſciſſo cap. 9. Seſſ. 3. Parl. 2. Car. II. quoad jus mariti & relictæ, vid. § 18 & 20. (*g*) Vid. lib. 1. D. 14. § 11. (*h*) 2 Tim. ii. 4. 2 F. 21. 2 F. 26. § 4. ibi, Qui Clericus, 2 F. 30. in fine, & 36.

eum à conjugio prohibent, ſed tantum minores. Alii uſumfructum ſucceſſionis ei permitti volunt. Sed generalis eſt regula, Clericos non admitti ad ſucceſſionem, imò neque ſi Clerici eſſe deſierint, i. e. ſi ob crimen aliquod è Clericatu disjecti ſint & degradati (ut loquimur,) & ſic à beneficio cadant, neque in Clericatu majorem moram trahant. Cum moribus noſtris hodie Clericatus ſucceſſioni non obſtet, niſi in Monachiſmo, aut Monachis qui ſeculo renunciarunt: ſunt qui non recipiunt etiam in Monachis, ſi in primo anno (quem *probationis* vocant) voti pœnituerit, & ad ſeculum redierint. Nos nullis aliis hodie Clericis utimur, quàm miniſtris verbi Dei; quos ego, ſi hereditas obtigerit, revocandos à publico verbi miniſterio ad adminiſtrationem ſuarum terrarum non putarem: nam qui hodie dominium de Fowlis occupat, antea miniſterium verbi ſequebatur; ut illud dominium hereditariè ei obvenit, à miniſterio ceſſavit *(a)*. Milites Hieroſolymitani, Rhodii, & Cruciferi, qui revera nullos ordines receperunt, nec inter Clericos poſſunt numerari, à ſucceſſione non repelluntur, niſi eorum ordo ſpecialiter aliquid de eo providerit, cujus ordinis tenor ſemper eſt ſervandus.

23. Tertium eſt *Foriſfactura* ſive *Proſcriptio (b)*, in qua damnatus, non ſolùm famâ, opibus & dignitate privatur, ſed & ipſe & ex eo deſcendentes à ſucceſſione, ſi aliqua forte competat, excluduntur *(c)*. Nam, ut diximus *(d)*, illegitimus non tantum ſe excludit, ſed & omnes ex eo deſcendentes: ſic foriſfactus non ſolum ipſe excluditur, ſed vitium in ſanguine contractum cum ejus omni poſteritate continuatur; adeò ut nepos, ſi filius priùs foriſfactus fuerit, avo ſuccedere non poſſit, in eis quæ avi fuerunt ſolius tempore mortis. Sed in hoc quæſtio eſt magna; alii enim putant ſucceſſionem permitti, dummodo non ſuccedat filio in ulla re quæ fuit filii: alii contrà omnem ſucceſſionem ex corrupto ſanguine damnant. Memini in terris de Leſſindrum *(e)*, cum filius, qui nihildum ex feudo paterno acceperat, in prælio de Corrichie interfectus fuiſſet, & contentio inter Advocatum Regium & ejus filias incidiſſet de hereditate avi, eam Advocatus fiſco cum aſſereret, quòd junior Dominus potuiſſet ſuccedere, licet non ſucceſſiſſet, & filiæ foriſfacturam patris ſibi non debere obeſſe dicerent, quo minus in hereditatem avo ſuccederent. Prævaluit tamen in ea cauſa Advocatus, hereditaſque donatario Regio aſſignata. At ſi filius primogenitus delictum, unde foriſfactura ſequatur, commiſerit, & ſine liberis deceſſerit, non obſtare puto reliquis fratribus, quin in eis, quæ ad patrem communem pertinebant, ſuccedere poſſint; dummodo filius primogenitus in feudo nunquam fuit deſervitus. Aliud ſi hic primogenitus in feudo fuerit deſervitus, vel liberos ex ſe reliquerit. Sed de hac quæſtione uberiùs in titulo *Quibus modis feudum amittatur*, dicemus.

24. De extraneis ſive extra ditionem Principis ligii natis, dixi in tit. *De iis qui feudum accipere poſſunt (f)*. Sed quoniam & hi à ſucceſſione in pleriſque locis excluduntur, neque his ſucceditur, cum particula illa Brevis [*quòd ad fidem & pacem Regis deceſſerat*] de extraneo meritò dici non poſſit; aliqua ſunt paulo altiùs de alienigenis, qui a Gallis *Aubeignes*, i. e. alibi geniti ſive nati dicuntur, repetenda. Ego ſane puto id eſſe veriſſimum, in privatorum ſucceſſionibus non eſſe extraneis locum in alieno regno ſuccedendi. Ratio ex regulis juris Feudalis petenda eſt, ubi unus & idem homo ligius duorum dominorum eſſe non poſſit *(g)*, cum utrique ſuam majeſtatem ſervare nequeat; neque enim fieri poteſt, bello vel inimicitiis intervenientibus, ut utrique auxilium ferat, utrumque armis & conſilio juvet, arcana utriuſque celet, quod in jure Feudali maximè requiritur. Nam ſi quid ab uno in alterum machinari ſciverit, ſi celaverit, apud alterum dominum majeſtatis crimen incurret: ſi alteri aperuerit, in eandem offenſam incidet cum eo cujus conſilia aperuit; neque in utriuſque finibus domicilium quis habere poteſt, ne in alterius Principis offenſam incidat, quam vitare non poteſt. Nam quod ad extraneos in regno decedentes attinet, his ex jure Gallico non ſucceditur, ſed bona fiunt caduca.

(*a*) Vid. Stat. 34. Gul. R. Scot. (*b*) Vid. lib. 1. D. 14. § 9. (*c*) l. 5 & ult. C. ad l. Jul. majeſtatis. (*d*) § 21. (*e*) Vid. lib. 3. D. 6. § 15. (*f*) § 4. (*g*) 2 F. 99.

Apud nos idem ex jure crederem, cum in noſtris Brevibus, hæc clauſula ſemper obſervetur, [*ſi ad pacem & fidem noſtram deceſſerit:*] neque enim ad fidem decedere videtur, qui nunquam fuit illius Principis fidelis aut vaſſallus; nam *ad pacem decedit*, qui in regno natus eſt, ſed *ad fidem* ſolus fidelis, i. e. vaſſallus. Itaque videtur, quòd neque extraneo ſucceditur, neque extraneus ad ſucceſſionem jure Feudali admittitur; quod ex veteri jure Romanorum videtur deductum. Nam jure Romano peregrinorum bona fiſco acquirebantur; & teſtamenta condere, apud Romanos, civibus tantum licebat *(a)*; ſi quid peregrino legatum eſſet earum rerum quæ extra patriam erant, caducum fiebat: quod & apud Gallos hodie mordicus retinetur, & in Italia, multo acerbiùs quàm in Gallia, cum peregrinis agitur: nam Mediolanenſes, qui principalem ſibi juris Feudalis cognitionem arrogant, exteros tamen ad ſucceſſiones privatorum non admittunt, nec ſuos in alienas civitates migrare patiuntur, aut jus apud extraneum Principem civitatis acquirere, aut cum ullis Principibus aut civitatibus ſocietatem contrahere, niſi priùs à Principe venia impetrata, & honorario ei perſoluto. Itaque, ut in initio monui, vaſſallus ligius, aut patriam repudiare, aut domicilii commutatione ſuo Principi præjudicare non poteſt; ut neque patroni libertus, nec cliens ſui patroni, aut patronus clientis perſonam ſine ejus conſenſu ejurare poteſt. Sunt tamen, qui principem locum in interpretatione juris Feudalis ſibi tribuunt, qui in ſucceſſione regulam illam generalem non eſſe ſervandam putant; ſed per ſucceſſionem, unum dominorum duorum poſſe eſſe ligium vaſſallum credunt *(b)*.

25. Utcunque eſt, licet in privatorum ſucceſſionibus hæc vera videantur, ob rationem quam dixi, cum fieri non poſſit, *dum unum foveat, quin alterum offendat*, ut Dominus noſter Jeſus ait; in ipſo tamen Principatu & inter Principes longè aliud eſt: nam Princeps in hereditatem alterius vaſſalli ſuccedit, imò ut heres vaſſallum ligium alterius Principis ſuperiorem non recognoſcentis repræſentare poteſt. Sic Anglorum Reges in ducatu Normanniæ, Andium, Pictonum, & Aquitaniæ ſuccedentes, hominium earum terrarum nomine Gallorum Regibus ſuis dominis præſtiterunt; & Mediolanenſium principatum primò Gallorum Rex Ludovicus XII. hodie Hiſpanus poſſidet, licet uterque extraneus. Sic & Neapolitanum & Siculum regnum, quæ tamen legibus feudorum gubernantur, Hiſpanicorum Regum ſucceſſionem admittunt, neque in his regula illa locum habet, quod unus vaſſallus ligius duorum dominorum eſſe non poſſit.

26. Unde evidenter calumnia apparet nonnullorum, qui ſucceſſionem regni Anglorum ad ſereniſſimum Scotorum Regem pertinere negabant, ex eo, quòd extra ditionem ſive territorium regni Anglici ſit natus. Quid enim iniquius eſſet, quàm locum nativitatis alicui obeſſe? aut ubi fando auditum, aut hiſtoriâ proditum, ut Princeps ideo à ſucceſſione ſit arcendus, quod extra fines regni, in quod ſuccedere debet, natus ſit, aut talis objectio eum à ſuo jure excluſit? Nuſquam enim gentium ſtatutum invenio, eum, qui extra territorium Principis naſcitur, in Principatu non ſuccedere; neque gens ulla tam barbara eſt, quæ has leges in ſucceſſione ipſius Principatûs admittat. Imò & ipſi Anglorum Reges, plerique extra Angliam nati ſunt, Conquæſtor, ejus filius Rufus, Stephanus, Henricus II. & Ricardus II. Addo illud quòd à multis ſeculis ipſi Angli Reges Galliæ dici & haberi voluerint, cum nemo tamen eorum in Gallia poſt Henricum II. natus ſit. Nam quod ad ſtatuta illa Edwardi III. anno regni 17 & 25. quibus extraneus à ſucceſſione morientis in regno prohibetur, id tantùm intelligendum eſt in privatorum ſucceſſionibus, non ipſorum Principum; nam diſertè in ipſo ſtatuto cavetur, ſi quis alienigena petat per ſucceſſionem feudum, quod de Regibus Angliæ per fidem ligiam tenetur, ut à petitione excludatur: quod ad ipſam coronam nullatenus extendi poteſt; neque enim Rex fidem ligiam ulli debet, aut debere poteſt. Quin in ipſo ſtatuto Regum liberi excipiuntur, qui ubicunque nati tamen ad ſucceſſionem ſuorum anteceſſorum etiam in feudis privatis admittuntur. Multa alia dici poſſunt contra illud ſtatutum, cur ad nos non extendatur, quæ nos fuſiùs alibi expoſuimus *(c)*.

27. Ita-

(a) l. 1. C. de hæredibus inſtit. & l. 1. § 2. ff. de leg. 3. *(b)* 2 F. 100. *(c)* Lib. 1. D. 14. § 8.

27. Itaque, ut ad propoſitum redeamus, regula illa generalis ſtat in feudis, ne alibi genitus, ſive extra juriſdictionem ſupremi Principis, in feudo ſuccedat; quæ, utrum apud nos obſervetur, planè incertus ſum: nam quoad Gallos, jure eodem nobiſcum utuntur; neque enim Scotus in Gallia, neque Gallus in Scotia à ſucceſſione unquam prohibetur *(a)*. Quod & in aliis obſervari puto: nunquam enim vidi extraneum à ſucceſſione ſui conſanguinei in hac regione excluſum *(b)*, niſi is Anglus fuerit. Nam cùm noſtri viderent, ſtatuto Regis Angliæ Scotos à ſucceſſione feudi in Anglia prohiberi; ut par pari redderent, & eos à ſucceſſione hereditatis in Scotia prohibuerunt publico ſtatuto trium regni Statuum: *Naturalem enim habet æquitatem*, ait Ulpianus *(c)*, *ut quod quiſque juris in alium ſtatuerit, eodem ipſe utatur*. Vidi tamen hereditatem mobilium, quæ ad bibliopolam Anglum pertinebant, eo mortuo, integram ſartam & tectam ejus executoribus Anglis conſervatam & redditam. In ſucceſſionibus nihil intereſt, utrum citra mare vel ultra mare nati ſint, ſi parentes ad fidem Regis mortui dicantur, & mater cum venia mariti transfretaverit. Hæc ſunt quæ de alienigenis, ſive iis qui in ditione extranei Principis nati ſunt, dicere conſtitui: quid verò in uſu & ex jure ſervandum ſit, antea expoſui.

28. Quintum impedimentum eſt *Elephantiaſis*: nam cùm jure & Divino *(d)* & humano à ſocietate hominum [*eo morbo laborans*] prohibeatur *(e)*, ſocietatis humanæ jura ei non competunt. Sed hæc eſt differentia, quòd poſt contractum morbum ad ſucceſſionem non admittantur: hereditatem ſemel acquiſitam retinent, ſed quoad uſumfructum tantùm: nam cùm ſint (ut loqui ſolemus) in lecto ægritudinis, & omnes hæ diſpoſitiones & donationes quæ ab illis fiunt, causâ mortis videantur fieri, quæ in feudis prohibentur; itaque feudi fructus capere, ſed non de eo diſponere, poſſunt.

29. Sextum impedimentum eſt *Imperfectio*. Ea duplex eſt, alia corporis, alia mentis: & quicunque, ob naturalem mentis qualitatem, imperfecti naſcuntur, in his hæc generalis regula ſervanda eſt, quòd in hac naturali imperfectione tempus ſucceſſionis ſemper inſpiciendum. Fatui & inſani, ſive furioſi, à ſucceſſione jure noſtro non prohibentur, ſed quod ad uſumfructum tantùm: nam quoad diſpoſitionem, cùm ratione carere videantur, conſentire non præſumuntur, imò ne rectè ſentire; itaque ab omni diſpoſitione arcentur. Sanè ex jure Feudali, cum mutus, ſurdus, cæcus, fœminæ, aliique ad ſervitia militaria inhabiles, à ſucceſſione prohibeantur; multò magis fatui & furioſi, qui omni judicio carere præſumuntur. Sed defloreſcente illâ gloriâ militari, & feudali diſciplinâ ſeneſcente, fatui & inſani etiam ad ſucceſſionem admittuntur; ab adminiſtratione tamen prohibentur: & ſi fatuus ſit, ejus perſonæ & bonorum adminiſtratio, domino; ſi furioſus, proximo agnato permittitur: donec in comitiis publicis Lythcoæ habitis, anno 1585. utriuſque par ratio facta ſit, & perſonæ fatui & furioſi, & bonorum adminiſtratio proximo agnato adjudicata *(f)*. Quod tamen ſine ratione factum puto, cùm tutela feudi ſemper in vaſſallo inhabili ad dominum redire ſoleat.

30. At ſi imperfectio hæc ex vitio corporis naſcatur *(g)*, veluti, ſi is qui ſuccedere debet, mutus, cæcus, ſurdus, vel aliunde ad ſervitia inhabilis ſit, an is ad ſucceſſionem admitti debeat? in jure Feudali quæſtio eſt. Nam Gerardus (ſi is auctor libri primi eſt) planè putat mutum non poſſe in feudum ſuccedere, neque idem retinere *(h)*. Idem in ſurdo, cæco, claudo, aut aliter impotenti, aut vitio corporis imperfecto traditur. Sed poſtea contraria opinio Gerardi & Oberti ponitur, aſſerentium ſuccedere poſſe *(i)*; contrariaque opinio negantium horum ſucceſſionem, aliis attribuitur: quod evidens eſt argumentum libri primi auctorem Gerardum non eſſe, cùm manifeſta contradictio appareat inter eas duas ſententias, quæ unius docti viri eſſe non poſſunt. Utcunque eſt, videntur Feudiſtæ dubitare an talis ad ſucceſſionem admittatur. Ratio dubitandi in ipſo textu eſt, quia ipſi ſervire non valent, ut neque Clericus, neque fœminæ, neque ſimiles: nam cùm feuda militaris muneris obeundi causâ ſint inſtituta, nulla ratio eſt ea mutis, cæcis aut ſurdis attribui, cùm ii

(*a*) Cap. 65 & 66. Parl. 8. Reg. Mariæ. (*b*) Vid. lib. 1. D. 14. § 7. (*c*) In pr. l. 1. ff. illius tituli. (*d*) Levit cap. 13. &c. (*e*) Cap. 106. Parl. 7. Jac. I. (*f*) Vid. D. 20. § 9. & cap. 18. Parl. 10. Jac. VI. (*g*) Vid. lib. 3. D. 1. § 4. (*h*) 1 F. 6. § 2. (*i*) 2 F. 36.

Apud nos idem ex jure crederem, cum in noſtris Brevibus, hæc clauſula ſemper obſervetur, [*ſi ad pacem & fidem noſtram deceſſerit:*] neque enim ad fidem decedere videtur, qui nunquam fuit illius Principis fidelis aut vaſſallus; nam *ad pacem decedit*, qui in regno natus eſt, ſed *ad fidem* ſolus fidelis, i. e. vaſſallus. Itaque videtur, quòd neque extraneo ſucceditur, neque extraneus ad ſucceſſionem jure Feudali admittitur; quod ex veteri jure Romanorum videtur deductum. Nam jure Romano peregrinorum bona fiſco acquirebantur; & teſtamenta condere, apud Romanos, civibus tantum licebat *(a)*; ſi quid peregrino legatum eſſet earum rerum quæ extra patriam erant, caducum fiebat: quod & apud Gallos hodie mordicus retinetur, & in Italia, multo acerbiùs quàm in Gallia, cum peregrinis agitur: nam Mediolanenſes, qui principalem ſibi juris Feudalis cognitionem arrogant, exteros tamen ad ſucceſſiones privatorum non admittunt, nec ſuos in alienas civitates migrare patiuntur, aut jus apud extraneum Principem civitatis acquirere, aut cum ullis Principibus aut civitatibus ſocietatem contrahere, niſi priùs à Principe venia impetrata, & honorario ei perſoluto. Itaque, ut in initio monui, vaſſallus ligius, aut patriam repudiare, aut domicilii commutatione ſuo Principi præjudicare non poteſt; ut neque patroni libertus, nec cliens ſui patroni, aut patronus clientis perſonam ſine ejus conſenſu ejurare poteſt. Sunt tamen, qui principem locum in interpretatione juris Feudalis ſibi tribuunt, qui in ſucceſſione regulam illam generalem non eſſe ſervandam putant; ſed per ſucceſſionem, unum dominorum duorum poſſe eſſe ligium vaſſallum credunt *(b)*.

25. Utcunque eſt, licet in privatorum ſucceſſionibus hæc vera videantur, ob rationem quam dixi, cum fieri non poſſit, *dum unum foveat, quin alterum offendat*, ut Dominus noſter Jeſus ait; in ipſo tamen Principatu & inter Principes longè aliud eſt: nam Princeps in hereditatem alterius vaſſalli ſuccedit, imò ut heres vaſſallum ligium alterius Principis ſuperiorem non recognoſcentis repræſentare poteſt. Sic Anglorum Reges in ducatu Normanniæ, Andium, Pictonum, & Aquitaniæ ſuccedentes, hominium earum terrarum nomine Gallorum Regibus ſuis dominis præſtiterunt; & Mediolanenſium principatum primò Gallorum Rex Ludovicus XII. hodie Hiſpanus poſſidet, licet uterque extraneus. Sic & Neapolitanum & Siculum regnum, quæ tamen legibus feudorum gubernantur, Hiſpanicorum Regum ſucceſſionem admittunt, neque in his regula illa locum habet, quod unus vaſſallus ligius duorum dominorum eſſe non poſſit.

26. Unde evidenter calumnia apparet nonnullorum, qui ſucceſſionem regni Anglorum ad ſereniſſimum Scotorum Regem pertinere negabant, ex eo, quòd extra ditionem ſive territorium regni Anglici ſit natus. Quid enim iniquius eſſet, quàm locum nativitatis alicui obeſſe? aut ubi fando auditum, aut hiſtoriâ proditum, ut Princeps ideo à ſucceſſione ſit arcendus, quod extra fines regni, in quod ſuccedere debet, natus ſit, aut talis objectio eum à ſuo jure excluſit? Nuſquam enim gentium ſtatutum invenio, eum, qui extra territorium Principis naſcitur, in Principatu non ſuccedere; neque gens ulla tam barbara eſt, quæ has leges in ſucceſſione ipſius Principatûs admittat. Imò & ipſi Anglorum Reges, plerique extra Angliam nati ſunt, Conquæſtor, ejus filius Rufus, Stephanus, Henricus II. & Ricardus II. Addo illud quòd à multis ſeculis ipſi Angli Reges Galliæ dici & haberi voluerint, cum nemo tamen eorum in Gallia poſt Henricum II. natus ſit. Nam quod ad ſtatuta illa Edwardi III. anno regni 17 & 25. quibus extraneus à ſucceſſione morientis in regno prohibetur, id tantùm intelligendum eſt in privatorum ſucceſſionibus, non ipſorum Principum; nam diſertè in ipſo ſtatuto cavetur, ſi quis alienigena petat per ſucceſſionem feudum, quod de Regibus Angliæ per fidem ligiam tenetur, ut à petitione excludatur: quod ad ipſam coronam nullatenus extendi poteſt; neque enim Rex fidem ligiam ulli debet, aut debere poteſt. Quin in ipſo ſtatuto Regum liberi excipiuntur, qui ubicunque nati tamen ad ſucceſſionem ſuorum anteceſſorum etiam in feudis privatis admittuntur. Multa alia dici poſſunt contra illud ſtatutum, cur ad nos non extendatur, quæ nos fuſiùs alibi expoſuimus *(c)*.

27. Ita-

(a) l. 1. C. de hæredibus inſtit. & l. 1. § 2. ff. de leg. 3. *(b)* 2 F. 100. *(c)* Lib. 1. D. 14. § 8.

27. Itaque, ut ad propoſitum redeamus, regula illa generalis ſtat in feudis, ne alibi genitus, ſive extra juriſdictionem ſupremi Principis, in feudo ſuccedat; quæ, utrum apud nos obſervetur, planè incertus ſum: nam quoad Gallos, jure eodem nobiſcum utuntur; neque enim Scotus in Gallia, neque Gallus in Scotia à ſucceſſione unquam prohibetur *(a)*. Quod & in aliis obſervari puto: nunquam enim vidi extraneum à ſucceſſione ſui conſanguinei in hac regione excluſum *(b)*, niſi is Anglus fuerit. Nam cùm noſtri viderent, ſtatuto Regis Angliæ Scotos à ſucceſſione feudi in Anglia prohiberi; ut par pari redderent, & eos à ſucceſſione hereditatis in Scotia prohibuerunt publico ſtatuto trium regni Statuum: *Naturalem enim habet æquitatem*, ait Ulpianus *(c)*, *ut quod quiſque juris in alium ſtatuerit, eodem ipſe utatur.* Vidi tamen hereditatem mobilium, quæ ad bibliopolam Anglum pertinebant, eo mortuo, integram ſartam & tectam ejus executoribus Anglis conſervatam & redditam. In ſucceſſionibus nihil intereſt, utrum citra mare vel ultra mare nati ſint, ſi parentes ad fidem Regis mortui dicantur, & mater cum venia mariti transfretaverit. Hæc ſunt quæ de alienigenis, ſive iis qui in ditione extranei Principis nati ſunt, dicere conſtitui: quid verò in uſu & ex jure ſervandum ſit, antea expoſui.

28. Quintum impedimentum eſt *Elephantiaſis*: nam cùm jure & Divino *(d)* & humano à ſocietate hominum [*eo morbo laborans*] prohibeatur *(e)*, ſocietatis humanæ jura ei non competunt. Sed hæc eſt differentia, quòd poſt contractum morbum ad ſucceſſionem non admittantur: hereditatem ſemel acquiſitam retinent, ſed quoad uſumfructum tantùm: nam cùm ſint (ut loqui ſolemus) in lecto ægritudinis, & omnes hæ diſpoſitiones & donationes quæ ab illis fiunt, causâ mortis videantur fieri, quæ in feudis prohibentur; itaque feudi fructus capere, ſed non de eo diſponere, poſſunt.

29. Sextum impedimentum eſt *Imperfectio.* Ea duplex eſt, alia corporis, alia mentis: & quicunque, ob naturalem mentis qualitatem, imperfecti naſcuntur, in his hæc generalis regula ſervanda eſt, quòd in hac naturali imperfectione tempus ſucceſſionis ſemper inſpiciendum. Fatui & inſani, ſive furioſi, à ſucceſſione jure noſtro non prohibentur, ſed quod ad uſumfructum tantùm: nam quoad diſpoſitionem, cùm ratione carere videantur, conſentire non præſumuntur, imò ne recte ſentire; itaque ab omni diſpoſitione arcentur. Sanè ex jure Feudali, cum mutus, ſurdus, cæcus, fœminæ, aliique ad ſervitia militaria inhabiles, à ſucceſſione prohibeantur; multò magis fatui & furioſi, qui omni judicio carere præſumuntur. Sed defloreſcente illâ gloriâ militari, & feudali diſciplinâ ſeneſcente, fatui & inſani etiam ad ſucceſſionem admittuntur; ab adminiſtratione tamen prohibentur: & ſi fatuus ſit, ejus perſonæ & bonorum adminiſtratio, domino; ſi furioſus, proximo agnato permittitur: donec in comitiis publicis Lythcoæ habitis, anno 1585. utriuſque par ratio facta ſit, & perſonæ fatui & furioſi, & bonorum adminiſtratio proximo agnato adjudicata *(f)*. Quod tamen ſine ratione factum puto, cùm tutela feudi ſemper in vaſſallo inhabili ad dominum redire ſoleat.

30. At ſi imperfectio hæc ex vitio corporis naſcatur *(g)*, veluti, ſi is qui ſuccedere debet, mutus, cæcus, ſurdus, vel aliunde ad ſervitia inhabilis ſit, an is ad ſucceſſionem admitti debeat? in jure Feudali quæſtio eſt. Nam Gerardus (ſi is auctor libri primi eſt) planè putat mutum non poſſe in feudum ſuccedere, neque idem retinere *(h)*. Idem in ſurdo, cæco, claudo, aut aliter impotenti, aut vitio corporis imperfecto traditur. Sed poſtea contraria opinio Gerardi & Oberti ponitur, aſſerentium ſuccedere poſſe *(i)*; contrariaque opinio negantium horum ſucceſſionem, aliis attribuitur: quod evidens eſt argumentum libri primi auctorem Gerardum non eſſe, cùm manifeſta contradictio appareat inter eas duas ſententias, quæ unius docti viri eſſe non poſſunt. Utcunque eſt, videntur Feudiſtæ dubitare an talis ad ſucceſſionem admittatur. Ratio dubitandi in ipſo textu eſt, quia ipſi ſervire non valent, ut neque Clericus, neque fœminæ, neque ſimiles: nam cùm feuda militaris muneris obeundi causâ ſint inſtituta, nulla ratio eſt ea mutis, cæcis aut ſurdis attribui, cùm ii

(a) Cap. 65 & 66. Parl. 8. Reg. Mariæ. (b) Vid. lib. 1. D. 14. § 7. (c) In pr. l. 1. ff. illius tituli. (d) Levit cap. 13. &c. (e) Cap. 106. Parl. 7. Jac. I. (f) Vid. D. 20. § 9. & cap. 18. Parl. 10. Jac. VI. (g) Vid. lib. 3. D. 1. § 4. (h) 1 F. 6. § 2. (i) 2 F. 36.

inter imbecilles numerentur. At ſi vaſſallus, qui totam fere ætatem in militia conſumpſit, & egregiam & fidelem operam domino navavit, pede claudus, oculorum vel aurium ſenſibus deſtitutus fuerit, hunc feudo privari eſſet iniquiſſimum; licet ex ſummo jure, ubi conditio locum facit beneficio, deficiente conditione beneficium quoque deficiat: tamen in hoc ipſo vaſſallo, qui ob labores duriores militiæ vitium illud contraxerit, eſſet duriſſimum. Itaque quæſtio tantùm verſatur in ſucceſſore, ſi cæcus, ſurdus vel mutus fuerit, qui ſucceſſurus eſt; nam (ut monui) cùm inepti ad ſervitia ſint, feudum retinere non debent. Contrarium tamen ſentiunt Obertus & Gerardus, nempe ad ſucceſſionem eos admittendos *(a)*. At ſi quis ipſius textûs verba penitiùs inſpexerit, communem tum fuiſſe opinionem negativam apparet; & huic communi opinioni ratio adjungitur, *Quia ipſe ſervire non valet*; & ſequitur in textu, *Sic dicimus in Clerico, in fœmina, & ſimilibus*: quibus communem opinionem non obſcurè oſtendit. Si quis verò exactiùs uſus feudorum excuſſerit, tres (niſi fallor) inveniet Feudiſtarum de ea re diverſas opiniones. Una eſt, quæ totum feudum paternum, præcipuè ſi ſit magnum, (quod *nobile* interpretor,) eis adimit; altera, quæ ſolam partem permittebat, ut eſſet unde poſſint ali, reliquam partem novo militi, qui proximus eſt in ſucceſſione, aſſignabat, ut eſſet qui ſervitia militaria exſequatur, & ex feudo ali etiam poſſit, cui ſucceſſio quodammodo debetur. Media autem inter has duas videtur æquiſſima, nempe ut ejus liberis, qui fortaſſe de domino optimè meritus eſt, proſpiciatur & caveatur; interea, ne locus vacuus relinquatur, i. e. ut novus miles ſit qui ſervitia exſequatur. Sunt qui volunt, ſi ex accidente ſint imperfecti, feudi antiqui eſſe capaces, novi verò non. Alii verò neque novi neque antiqui eſſe capaces. Hæc tamen inhabilitas in ſucceſſione eorum feudorum quæ nullum ſervitium debent non obtinet, veluti in feudo franco ſive emphyteutico; quia, ceſſante causâ propter quam ſolent vaſſalli privari feudo, privatio etiam ceſſet neceſſe eſt. In feudis Regalibus imperfectus imperfectione naturæ non ſuccedit; ex accidenti inhabilis factus, ſi non imperfectus, ſuccedet, & ei curator adjungetur. Hoc tamen non eſt omittendum, quoties talis imperfectus feudum amittet, & unde ſe alat non habet, pro qualitate perſonæ & quantitate feudi alimenta ei deberi. De imperfectis guſtu & odoratu quæri poteſt, an & hi feudum amittent? Sed videtur hos feudum retinere, & in feudum ſuccedere poſſe, niſi ob horum ſenſuum qualitatem feudum eis fuerit conceſſum. Moribus noſtris neque muto, neque cæco aut ſurdo adimitur jus ſuccedendi, cùm nullus ſit articulus Brevis, qui de eis non affirmetur, & eis non conveniat: neque, his vivis, alius in heredem deſerviri poteſt; nec inquiſitores, ſi propior quis ſit vivus, licet ſurdus, cæcus, claudus, alium remotiorem pro herede agnoſcent.

31. Rebellis etiam, quamdiu rebellis eſt, non admittitur *(b)*. Sed temporalis eſt illa prohibitio; nam, purgatâ rebellione, ad ſucceſſionem admittetur. Quod & in excommunicato ſervatur: ſed interea nullum ejus ſucceſſioni fiet præjudicium. Neque etiam rebelli ſucceditur, niſi Rex ex ſpeciali gratia cum perſonis inquiſitionis diſpenſet, ut poſſint petentem ſuo deceſſori, licet rebelli, ſuccedere declarare.

32. An exheredatio in noſtro uſu locum habeat *(c)*? ſæpe quæſitum audivi: nam & fuiſſe in uſu apud veteres, & juſtas exheredationis fuiſſe cauſas, certum eſt. Itaque ad hereditatem paternam non admittebatur, qui patrem offenderat, patre juſtam offenſionis cauſam in teſtamento exponente. Ratio eſt hæc: Qui naturæ beneficium exſpectat, debet ſecundum leges naturæ operari; ſi contra naturam peccet, fruſtra ejus beneficium implorat: peccat autem contra naturam, qui in parentes, à quibus tot beneficia accepit, eſt ingratus. Quæ autem & quot ſint cauſæ ingratitudinis, in eo titulo qui eſt *De modis quibus feudum amittatur* explicabitur: nam quibus caſibus in dominum vaſſallus ingratus eſt, libertus in patronum; ex iiſdem & filii ingrati in parentes dici poſſunt, & proinde exheredari. De hac exheredatione exemplum non vidi *(d)*: accepi tamen à viro magno, exheredatum Magiſtrum Crau-

(a) Dict. text. 2 F. 36. (b) Vid. lib. 1. D. 14. § 2. (c) Vid. D. 13. § 13. in fine. (d) Vid. cap. 19. lib. 2. Reg. Majeſt.

Craufurdiæ, hujus Comitis Craufurdiæ avum, à patre ſuo fuiſſe, quòd patrem in arce Finnovenſi obſediſſet & cepiſſet, & Lindeſium Edzellium in Comitatu inveſtitum fuiſſe. Puto tamen illud ex diſpoſitione libera Comitatûs Edzellio proceſſiſſe: quod apud nos accidere plerumque ſolet, cùm heredis ſucceſſuri perſona & mores diſplicent. Itaque cùm in hac exheredatione jure proprio deſtituamur, ad jus Feudale recurrendum eſt, quo quidem exheredatus, ob delictum in patrem, modò in dominum non deliquerit, aut tale quid fecerit, quod eum à ſucceſſione poterit prohibere, in feudo ſuccedere, non ſolùm patri, ſed etiam fratri & aliis collateralibus quibuſcunque poteſt *(a)*. Ratio eſt, quoniam privatio feudi dominum reſpicit, nec niſi ob delictum in dominum commiſſum amittitur, aut ob aliam cauſam in jure expreſſam, inter quas hæc non numeratur; itaque à communi regula ſucceſſionis non eſt recedendum. Ob delictum etiam patris grave in dominum non ſuccedunt filii, ſi illud delictum ſit notorium, aut dominus in continenti probare illud legitimè poſſit, ſed feudum ad dominum redit: imò neque ob proprium delictum filii ſuccedent, ſi, vivente patre, in dominum deliquerint, nec cum eo reconciliati fuerint. Sed ex uſu noſtro, in his etiam ſuccedere debent, niſi declaratoria interceſſerit *(b)*; nam alioqui fieri poteſt, ut dominus injuriam remittat. Succeſſor, qui ſemel ſucceſſionem ſibi oblatam repudiaverit, ad illam poſtea non admittetur, ut neque ſervus, poſt delatam ſucceſſionem manumiſſus, ſuccedit. Ex jure tamen noſtro, niſi ex repudiatione, vel adjudicatio totius hereditatis ſit creditoribus, vel uni eorum facta, vel hereditas jacens ſubhaſtationi ſubjecta fuit, aut ſimile aliquod intereſſe alicujus demonſtratur, puto poſſe ad hereditatis agnitionem, licet ſemel repudiatæ, redire.

Diegeſis decima nona,

De Non-introitu.

SUMMARIA.

1. *Ut ex morte vaſſalli continuatur ejus jus per ſucceſſionem ad heredem, ſic diverſa inde oriuntur jura domino ſuperiori, & primò Non-introitus.*
2. *An ex jure Feudali procedat non-introitus? affirmatur; & non proprium eſt hujus regni jus. Licet pœna omiſſionis vel contemptûs domini, ob non petitam inveſtituræ renovationem, ſit à jure Feudali diverſa; non ideo eſt diverſum jus.*
3. *Quod tempus dicatur tempus non-introitûs?*
4. *Duplex eſt non-introitus; vel ſimpliciter ita dictus, vel qui Cuſtodia ſive Guardia vocatur, de qua in ſequenti Diegeſi.*
5. *Ratio quare non-introitus ſit introductus. Aliquando introitus ad non-introitum reducitur. Quoties feudum in manibus domini fit, non-introitus dicitur.*
6. *Competit hæc actio domino immediato.*
7. *Competit etiam donatario. In pluribus donatariis, quis potior? Si contentio ſit inter citantem & inſinuantem, hic præferetur. Sed ſi ipſe heres vaſſalli jus ſuum impetraverit, præferetur omnibus donatariis, licet litem intentaverint, vel jus ſuum inſinuaverint.*
8. *Inſinuatio vel intimatio quid ſit? & cui fiat? & quid ſub donatione hac comprehendatur?*
9. *Caſus ſingularis, in quo jus ſuperveniens accreſcit ſingulari aſſignato, ne cui dolus ſuus proſit. Si vaſſallus per compoſitionem à domino ſuo ſuperiore comparaverit jus totius ſui non-introitûs, illud communicare tenetur ſuis valvaſſoribus.*
10. *Forma procedendi in non-introitu eſt per declaratoriam, ſine qua nunquam cenſetur feudum in non-introitu, nec aut domino ipſo, aut ejus donatario, ulla datur*

(*a*) 1 F. 8. pr. 2 F. 24. § 2. ibi, Prædictis modis. (*b*) 1 F. 21. ibi, Cognita culpa.

actio adversus colonos, priusquam illam obtinuerint.

11. *Judex in hac causa est ipse dominus, & jure Feudali, & apud nos: sed solet à Senatu ad Senatum advocatio fieri, ante quam si sententia fuerit lata, non retractatur.*

12. *In hac actione solus immediatus vassallus est citandus, licet valvassores comparere, & exceptiones proponere possint, ad purgandum non-introitum.*

13. *Forma libelli, in hac de non-introitu actione, constat duabus conclusionibus; quarum prima sententiâ finienda est, priusquam ad secundam procedatur.*

14. *Exceptiones quæ reo competunt, sunt quibus plenitudo feudi asseritur, vel per sasinas prædecessorum, vel conjunctæ infeudationis, aut usufructûs alterius, modò à domino procedant, aut ab eo ratificentur.*

15. *Exceptio Curialitatis etiam excludit non-introitum, quæ apud nos & Anglos* Curtesia *vocatur; & requiritur ut sasita sit uxor aut vassallus, ut Curialitati aut Tertiæ locus sit.*

16. *Tertia exceptio contra non-introitum est trium sasinarum ex retornatibus; &, his non obstantibus, declaratoriâ agi potest pro non-introitu medii temporis.*

17. *Quarta exceptio est ex plenitudine feudi per triginta & sex annos: at hic annorum numerus diversis in Senatu diversarum ætatum sententiis plurimùm variatur. Plenitudo principalis feudi ad pertinentias extenditur, uno casu excepto.*

18. *Quinta exceptio est ex custodia.*

19. *Sexta exceptio est, si prædecessor in acie pro republica occubuerit. Et aliæ exceptiones temporariæ memorantur, de quibus dubitatur.*

20. *Posterior pars libelli de fructibus est, qui sæpe reducuntur ad eos qui ex retornatibus æstimantur, ante declaratoriam sciz. sed postea communes peti possunt. Si ex retornatu non constet de fructibus, nec de novo extentu, rectè dominus pro omnibus aget, sed Senatus restrictos tantùm dat.*

21. *Si non-introitus cum custodia continuetur, iidem fructus qui in custodia debebantur, in non-introitu sunt solvendi.*

22. *Effectus declaratoriæ non-introitûs, quoad tempus præteritum, est districtio bonorum vassalli super ipso feudo; &, his deficientibus, feudum ipsum domino adjudicatur: quod vassallus redimere potest intra septennium.*

23. *Effectus declaratoriæ, quoad tempus futurum, est ut idem possit dominus quod vassallus potuit, si feudum ingressus fuisset; sed heredem alere non tenetur, ut dominus in custodia. Ante declaratoriam nullam habet actionem præter hanc ipsam; post, omnes ei competunt quæ vassallo competere solent; nec dominus vendere potest, aut heredem intrare volentem impedire.*

24. *Non numerus annorum, sed æstimatio fructuum est qui feudum vassallo auferat; sed vassallus, præstando id quod declaratoriâ continetur, potest suum feudum liberare.*

25. *Actio hæc de non-introitu, non minùs ad feuda emphyteutica, quàm franca extenditur: sed in emphyteuticis diverso modo æstimantur fructus ante & post declaratoriam.*

26. *Libera ab omni introitu sunt sola feuda burgalia; burgus enim nunquam moritur: sed hoc tantùm in burgis Regalibus obtinet.*

27. *Burgi Baroniarum & Regalitatum in non-introitum cadunt. Regalitas quid? Replegiare quid? De aliis Regalitatum privilegiis.*

28. *In Ecclesiasticis feudis non-introitus locum non habet, nec in Monasteriis.*

29. *In hoc judicio pro non-introitu sententia lata, facilè retractatur per sasinam de novo repertam; & in terris quæ de Rege tenent, extractum è libris responsionum illius regionis sasinæ defectum supplet.*

30. *Liber responsionum quid? Ætas in hac actione non spectatur.*

1. EX morte vassalli, ut feudi continuatio per successionem ad heredem vassalli pertinet, ita ad dominum superiorem pertinent Non-introitus & Custodia *(a)*, tam feudi ipsius, quàm personæ heredis, (quam nos *Wardam* in foro dicimus,) proque ejus arbitrio, maritatio, releviumque post wardam finitam: de quibus singulis dicendum est.

2. Non-

(a) Cap. 38. Rob. III.

2. Non-introitus ſitne ex jure Feudali plerique dubitant; cùm nulla in uſibus feudorum ſit ejus mentio, imò neque apud feudorum Interpretes, ſed nec apud ullas alias regiones, quod ſciam, quæ jure Feudali hodie utuntur: voluntque multi hoc proprium hujus noſtri regni jus eſſe, & nulli alii cum eo commune. Sed ſi rem totam verè expendamus, hoc jus non-introitûs tantùm à jure Feudali originem habet, & ab eo derivatur; neque minùs eſſe juris Feudalis cenſendum, quod ex ratione juris Feudalis pendet, quàm ſi in ipſo textu contineretur. Extra enim controverſiam omnem eſt, mortuo vaſſallo, feudum ad tempus domino aperiri, donec heres inveſtituræ renovationem à domino ſuo petiêrit & obtinuerit, fructuſque interim dominos ſuos facere, quaſi veri & in ſolidum domini, non ſolùm ſuperiores, cùm nullus vaſſallus illius feudi ſeu tenementi interea ſit *(a)*. Quòd ſi heres intra annum & diem à morte defuncti inveſtituræ renovationem non petiêrit, ſi major ſit, & nulla juſta excuſationis cauſa interveniat, à jure feudi omnino cadit, feudumque in perpetuum domino aperitur, ob ingratitudinem vaſſalli, qui totum annum & diem dominum ſuum non agnoverit, nec inveſtituram ab eo petiêrit, nec debita officia præſtiterit. Hoc enim tempus unius anni & diei putabant veteres ſufficere, ut interea heres vaſſalli, officii debiti memor, gratiam domini ſui ſectetur, & inveſtituræ renovationem accipiat. Diem adjecerunt, ut omnis controverſia de anno dirimatur. Quòd ſi dominus ab herede vaſſalli legitimè & debito loco & tempore interpellatus, recipere heredem hunc, & in feudo tanquam tenentem inveſtire recuſaverit, ipſe à ſuperioritate ſui feudi ex jure Feudali cadebat, non minùs quàm vaſſalli heres, ſi, cùm inveſtituram petere debuit, eam diſtulerit. Pœna itaque hæc eſt non-introitûs ex jure Feudali: nam ſi ex parte domini peccatum fuerit, feudi ſuperioritate dominus; ſi ex parte vaſſalli, proprietate is privatur, niſi juſtam excuſationis cauſam alteruter habeat. Nobis, ex utraque parte, leviores ſunt pœnæ: nam ſi dominus debitum officium vaſſallo legitimè petenti recuſaverit, non amittet in perpetuum ſuperioritatem, ſed tantùm pro vita: nec ſi vaſſallus inveſtituræ renovationem intra annum petere diſtulerit, continuò apud nos feudo privabitur; ſed tantùm fructus illorum annorum amittet, in quibus feudum in manibus domini erat, ob ſuam ſive negligentiam ſive contumaciam, inveſtituram petere differentis. Eſt itaque jus noſtrum in hac ſpecie juri feudorum communi neque contrarium, neque diverſum: nam reipſa conveniunt, ut tantiſper dum vaſſallus inveſtituram petat, domino feudum ſit apertum, & proinde fructus ei aperiantur. Peccat igitur dominus, qui vaſſallo petenti inveſtituram non concedit; peccat & vaſſallus, qui non petit: pœnæ tamen (ut dixi) nobis mitiores ſemper placuerunt. At ex diverſitate pœnæ diverſitatem juris nemo bene colligit: aliter enim furta jure Divino & legibus XII. Tabularum, aliter jure Civili, aliter noſtro puniuntur; at furta ex his omnibus æquè damnantur.

3. Itaque, ut ad non-introitum noſtrum veniamus, totum illud tempus quo vaſſalli heres renovationem inveſtituræ differt, non-introitus dicitur, ut quando hereditatem adit, & inveſtituram capit, *introire* tum, & adire ſive intrare dicitur: & licet hæ voces parum Latinæ in hac ſignificatione videantur, retinendæ tamen ſunt, cùm ſint forenſes, ne nimium ſolliciti de verbis, rem ipſam in medio intactam relinquamus. Mortuo igitur vaſſallo, quamdiu heres differt intrare, ſive adire hereditatem feudi, ſeque pro herede gerere, tamdiu feudum in non-introitu dicitur eſſe.

4. Sed duplex eſt non-introitus: unus, quando vaſſallus, cùm poſſit ingredi feudum per novam inveſtituram, tamen, vel ex negligentia, quæ craſſa eſt, vel ex malitia differt; alterum, ubi etiamſi velit ingredi aut adire, non poteſt: & primus non-introitus ſimpliciter, ſecundus cuſtodia ſive guardia dicitur; nam, eâ manente, licet heres velit, non tamen poteſt jure noſtro adire ſive ingredi hereditatem paternam, maſculus ante viceſimum primum ætatis annum completum, fœmina ante decimum quartum; tamdiu enim & ille & hæc in cuſtodia domini ſunt. De hoc ſecundo genere non-introitûs in Diegeſi ſequenti dicemus; nunc ad non-introitum,

(a) 2 F. 24. pr.

qui ſimplex dicitur, redeamus, & primùm quâ ratione ſit introductus expendamus.

5. Ex ſuperiore libro conſtat, vaſſallum pro ſuo feudo in operas militares & ſervitia teneri; quòd ſi diſtulerit ſe pro vaſſallo gerere, & dominum agnoſcere, dominus interea ſui feudi fructus lucrabitur, ut ex paratioribus ſervientem pro vaſſallo ſibi ſubſtituat, quemadmodum ex jure Feudali pro neglectis officiis ipſum feudum poteſt diſtringere: itaque toto tempore non-introitûs dominus ſuperior fructus ſuos facit, colonique ei ſolvere tenentur. Idem ſi non legitimè retornatus & inveſtitus fuerit vaſſallus, cùm paria ſint in jure, omnino non fieri, & non legitimè fieri. Itaque ſi heredis hujus apparentis retornatus, cum ſaſina inde ſequente, in judicio reſciſſorio declaratus fuerit nullus, aut ſi quocunque modo inutilis fuerit hæc ſaſina, aut nullius roboris & efficaciæ, hic introitus ad non-introitum reducitur: nam licet de facto, quod facere debuit, feciſſe videtur; tamen, quia non legitimè fecit, pro non facto habetur. Neque hoc ſolùm locum habet in forma retornatûs, ſed etiam ſi quid à majoribus ſuis aut à ſe factum ſit, quod introitum annihilet, aut ad nihilum reducat. Nam certum eſt eo caſu, à die poſtremæ legitimæ ſaſinæ, feudum in perpetuo non-introitu eſſe. Neque in his tantùm caſibus dicitur non-introitus, ſed etiam quoties feudum in manibus domini ſuperioris fuerit, non diſpoſitum alii de ſe tenendum, ut in reſignationibus fieri videmus; nam reſignationes, quæ fiunt in manibus domini ſuperioris, exuunt priorem vaſſallum feudo, & eum planè nudant: quòd ſi in favorem alterius fiat hæc reſignatio, dominus qui recepit, cogi poteſt ad tradendum ei inveſtituram, ex conditione reſignationis: interea tamen feudum in non-introitu eſt, donec ſaſina à domino ſuperiore ſequatur.

6. Competit autem hæc actio ſoli domino immediatè ſuperiori, aut alii ex eo cauſam habenti; domino (inquam) ſuperiori, eâ ratione quam ſupra memoravi, ne ſervitiis ſuis ex defectu vaſſalli careat, adeò ut qui de Rege tenet, & chartam ſeu inveſtituram acceperit, in ſaſina tamen recuperanda ceſſaverit, fructuum jus, donec eam nanciſcatur, ad Regem devolvitur. Idem de Barone, aut aliquo alio domino immediatè ſuperiori.

7. Cauſam autem ab eo habentes ſunt donatarii, qui ab hoc domino ſuperiore jus habent. Si unus tantùm ſit donatarius, faciliùs res tranſigitur; ſi plures ſint, & diverſis temporibus titulos ſive jus ſuum aſſequuti ſint, non ſemper prior præferetur; ſed, ut in omnibus wardis, maritationibus & aliis donationibus fieri ſolet, qui prior litem intentaverit, licet tempore poſterior, jure tamen prior erit: ſic ejuſdem heredes, & etiam ſingulares ſucceſſores, qui in jus hoc donationis ex particulari cauſa ſuccedunt. Intentata tum lis dicitur, quoties citatio legitimè facta ſequitur; non enim ſufficit actionem priùs formatam & expeditam fuiſſe, niſi & citatio ſequatur. Huic citationi par eſt inſinuatio. Itaque ex pluribus donatariis, is qui priùs citare curabit, aut qui jus ſuum primus inſinuaverit, præferetur. Si contentio ſit inter primum citantem & primum inſinuantem, prior inſinuans potior erit, niſi ante inſinuationem citatio ad actum aliquem judicialem, i. e. comparitionem, producta fuerit. Si tamen ipſe heres vaſſalli à domino ſuo jus non-introitûs impetraverit, præferetur omnibus donatariis, etiamſi litem intentaverint, aut jus ſuum inſinuaverint: nam naturalis poſſeſſio, quæ in vaſſallo eſt, inſinuationi, i. e. civili poſſeſſioni, ſemper præfertur.

8. Inſinuationem nos *Intimationem* dicimus, cùm donatarius, jure ſuo toto, ante debitorem, aut ejus ædes, ſi abfuerit, perlecto, Notario & teſtibus præſentibus, declaraverit ſe donatarium, & proinde ut neminem alium, neque jus alicujus alterius agnoſceret. Quod & in reliquis, ubi jus duplex verſatur, obſervandum erit. Si duæ ſint inſinuationes, prior, modò legitimè facta, potior. Inſinuatio autem hæc principali vaſſallo, qui aditurus feudum ſperatur, aut ſaltem, ut qui adeat proximus eſt, fieri debet, non ejus ſubvaſſallis aut valvaſſoribus, cùm principalis vaſſalli intereſſe maximè ſpectetur. In his donationibus nihil comprehenditur, i. e. nullius partis non-introitûs conceditur, niſi illius, quæ tempore conceſſionis aut donationis in non-introitu erat, & non extenditur ad aliquod jus ſuperveniens; hoc eſt, ſi partem aliam ab ea, cujus non-introitus conceſſus eſt, aut pertinentiam feudi poſtea

in

in non-introitu esse contigerit, non accrescit priori donationi. Ratio ex jure Civili petenda est: neque enim plus juris censetur is qui donat contuliſſe, quàm quod & quale tempore concessionis apud concedentem erat; & ideo sub novam donationem hujus partis non-introitus cadit.

9. Si ipse vassallus, qui ingressum differt, terras suas alienaverit, & postea, ut alienationem irritam faciat, donationem non-introitus à superiore impetraverit, & ex ea agere velit; hæc donatio, quasi jus superveniens, emptoribus proderit, & alienationi accrescet: quod ad cohibendam alienantium fraudem & callidas machinationes introductum est, cùm vassalli, subtractis suis monumentis & sasinarum instrumentis, quæ solent apud se reservare in oppignerationibus terrarum, feudi jus omne in dominum superiorem devolvere conantur, ut ab eo rursus accipiant. Est & alia callida ipsorum vassallorum machinatio in his non-introitibus, cùm vassallus, jus à domino suo superiore totius non-introitûs consequutus, valvassores seu subvassallos jure suo privare, durante suo non-introitu, eâdem ratione iisdemque artibus nititur, nempe ex juré non-introitûs agit, ut totius feudi fructus ratione non-introitus evincat. In quo casu Senatus æquum censuit, ut qui pretio (quod *Compositionem* dicimus) talem donationem a Rege impetraverit, (quod & in reliquis dominis superioribus servatur,) jus idem suis valvassoribus impertiat, restitutâ pretii seu compositionis parte, à suis valvassoribus pro sui feudi rata proportione [*acceptâ*;] quasi hoc tacitè donationibus hujusmodi insit, ut quo favore Rex in vassallum suum usus est, eodem favore is adversus suos vassallos uti debeat *(a)*.

10. Quomodo autem in hoc non-introitu procedendum sit, sive dominus ipse sive donatarius agat, jam videndum. Nam sine actione, sive declaratoria judicis, feudum nunquam censetur esse in non-introitu: quod summa cum ratione introductum est, cùm possessio semper apud vassallum maneat, eâque semper jure proprietatis vestiri videatur; totque causæ occurrant, cur aut vassallus introitum allegare possit, terrasque vestitas, & per aditum sive introitum plenas, aut ex justa causa se impeditum fuisse, ne feudum intrare posset. Hoc itaque specialiter in hoc casu introductum est, ut nunquam feudum in non-introitu censeatur, neque super non-introitu sive allegatio sive exceptio admittatur, nisi simul declaratoriam interveniſſe dicatur, quâ jam feudum in non-introitu fuisse & adhuc esse constet: quod specialiter in favorem vassalli introductum est, cujus partes in hac actione favorabiliores sunt quam domini; & quòd possessio jus semper præsumi faciat *(b)*: nam, ut ex toto libro *De usibus feudorum* constat, si dominus in possessione non sit, vassalli potiores sunt partes; nec species tituli, nisi declaratoria interveniat, adversus eum sufficit. Imò, si dominus actione, pro fructibus sibi, ut prætendit, ratione non-introitûs debitis, agere contra colonos velit, nihil facit, donec priùs constet judicio legitimo terras in non-introitu esse: itaque intentanda est coram judice actio eo nomine à domino superiore contra suum vassallum. Et cùm omne judicium ex tribus personis constet, judice, actore & reo, de actore autem & reo antea dixerimus, nunc de judice ipso pauca adjicienda sunt.

11. Est autem jure Feudali, & usu nostro, judex in hac causa ipse dominus, quoties inter eum & vassallum contentio oritur de non-introitu. Licet jure Feudali Pares curiæ sive curtis decernant *(c)*, dominus tamen cognitionem causæ in sua curia retinet, & actore Ballivo seu Actornato suo vassallum immediatum citari curat, ut videat feudum suum declarari in non-introitu esse, & à tali tempore sive anno fuisse. Sed vassallus, qui rei suæ providus est, judicium omne ad Senatum evocabit *(d)*: nam licet de jure Feudali in his causis dominus judex sit, tamen cùm nemo sit, qui non in sua causa sibi potiùs bene esse velit, quàm alteri, & ideo suspectus sit; facile à Senatu & ad Senatum advocatio solet impetrari, ut tota lis eò traducatur. Si ante advocationem sententia lata sit, valet quasi à judice suo lata, nec retractatur: in jure tamen Civili, nemo neque in sua causa, neque sibi aut suis jus dicere potest *(e)*.

(*a*) Vid. § 18. (*b*) 1 F. 21. ibi, Cognita culpa. (*c*) 2 F. 55. § 2. ibi, Præterea. (*d*) Vid. cap. 16. § 24. lib. 2. & cap. 20 & 21. lib. 3. Reg. Majest. (*e*) l. 10. ff. de Jurisdictione.

12. Citandus autem ſolus eſt immediatus vaſſallus, non ejus valvaſſores, licet cauſam proprietatis ab eo habeant. Nam neque in hoc judicio, neque in recognitionibus dominus eos agnoſcere tenetur; ſed ſolum immediatum ſuum vaſſallum, cui aut cujus prædeceſſoribus feudum conceſſum fuit: ſi tamen hi pro intereſſe comparere velint, admittendi omnino ad defendendum ſunt. Quòd ſi dominus, neglecto vaſſallo, immediatè valvaſſorem ejus ſolùm citaverit, quòd is ſolus tum erat hereditarius poſſeſſor, nihil agit, & judicium, ſive res judicata inde emanans, redditur eluſoria, etiam ope exceptionis, quaſi legitimo contradictore non citato. Nam valvaſſor, niſi vaſſallus principalis ad judicium vocatus fuerit, neque judicium in ſe recipere cogitur; neque, ſi receperit, aliquid eo judicio factum videbitur, ex quo dominus, vel ad diſtrictum, vel ad appretiationem ſive licitationem terrarum poſſit procedere. Vidi tamen ſæpe, cùm ſententia pro non-introitu contra immediatum vaſſallum pro domino lata fuit, valvaſſores & qui inferioris ſunt ordinis in excipiendo admitti, ut non-introitum purgent aditionibus heredum & ſaſinis: quod ſine ratione tamen fit. Sed frequentes quæ occurrunt inter dominos & ſuos immediatos vaſſallos artes & fraudes multa introduxerunt, quæ alioqui non licerent.

13. Forma autem libelli & judicii hæc eſt, ut in libello duplex concluſio fiat; altera petens feudum decerni in non-introitu eſſe, & fuiſſe a tali anno ſive tempore; altera, quæ ex priore ſequitur, ut proinde fructus omnium annorum, quibus feudum in non-introitu erat, domino adjudicentur, qui fructus in libello æſtimantur ad certum valorem. Sed ad hanc poſteriorem concluſionem non pervenitur, niſi prior ſententia præcedat; nempe feudum eſſe in non-introitu: neque alias fructus debebuntur. Non tamen negandum eſt, poſſe ex priore ſola concluſione ſententiam ferri: ſed tunc non eſt procedendum ad diſtrictum aut appretiationem, donec fructus eorum annorum à judice æſtimentur, (nos *Liquidationem* dicimus:) ex ſola tamen prioris partis concluſione, pro fructibus ſequuturis aget, colonos ad migrandum coget, & reliqua quæ vaſſallus ante potuit, omnia in ejus perſonam devolventur. Quoties tamen utraque concluſio eſt in libello, & reus, vel per ſe, vel per ſuum procuratorem paratus eſt ſe defendere, terminanda priùs eſt de non-introitu quæſtio, antequam ad fructus perveniatur.

14. Exceptiones autem quæ à reo ſolent objici contra non-introitum ſunt hæ.

Prima, quòd terræ ſint aditæ ſive introitæ, ſeu feudum intratum, (nos *plenum* dicimus;) non-introitus enim negatio eſt, neque meliùs negationi occurritur, quàm per affirmationem. Introitæ dicuntur, quæ vaſſallum ſaſitum habent; quamdiu enim vaſſallus ſaſinam demonſtrare poſſit, hoc eſt, ſive ſe, ſive ſuos prædeceſſores ſaſitos, totius illius temporis nullus poteſt eſſe non-introitus: nam per vaſſalli introitum plenum feudum dicitur. Metaphora à vaſibus recepta, quæ ſi vacua & inania ſint, nihil illuc introiiſſe dicitur; alioqui plena ſunt. Itaque plenitudo feudi, ſive heredis introitus, contra non-introitum objiciendus; neque ſola ſaſina hereditaria non-introitum impedit, ſed etiam conjuncta infeudatio ſive inveſtitura: nam, mortuo proprietario, ejus vidua, ſi in conjuncta inveſtitura fuerit, durante totâ vitâ ſuâ omnem non-introitum excludit, etiamſi hæc poſt mortem mariti conjunctam infeudationem in nudum uſumfructum heredis gratiâ mutaverit. Nam cùm antea conjuncta omnis infeudatio, durante alterutrius conjugum vitâ, ſoleret introitum heredis impedire, ſolent hodie viduæ, ut futuro heredi gratificentur, ne ejus ingreſſum impediant, mutare ſuam conjunctam infeudationem in vitalem reditum tantùm ſive uſumfructum, qui tamen non-introitum excludet. Hæc autem conjuncta infeudatio, ſive hîc uſusfructus nullus eſt, niſi à domino ſuperiore procedat, hoc eſt, niſi in initio, vel ab eo conceſſus & conſtitutus fuerit, vel ex poſt-facto confirmationem acceperit; alioqui non-introitum nunquam excludet: nullas enim ſaſinas dominus agnoſcere tenetur, niſi quæ à ſe immediatè proceſſerunt, aut ab eo confirmatæ fuerunt.

15. Quod in vidua dixi, ubi vir proprietarius eſt, idem repeto in viro: ſi is in conjuncta infeudatione cum uxore fuerit, vel per reſignationem, vel confirmationem domini ſequentem, aut ſi mulierem heredem in uxorem duxerit. Nam eâ poſt an-

num

num & diem mortuâ, ſemel ſuſceptâ prole, cujus vagitus audiebatur, uſumfructum totius hereditatis, quæ ad uxorem pertinebat, vir habebit. Et hic eſt uſusfructus, qui *Curialitas* ſive *Curteſia* apud nos & Anglos dicitur; quæ etiam non-introitum omnem, durante vitâ mariti, excludit, etiamſi hæc curialitas à domino nunquam cauſam habuit, néque originem neque confirmationem. Hæc enim curialitas, cùm ſit uſusfructus à lege conſtitutus, non minùs omnem non-introitum excludit, licet à ſuperiore nunquam procedens, aut ab eo agnita, quàm uſusfructus à domino conſtitutus, aut quàm dominarum Tertia, quæ & ex jure publico deſcendens, licet à domino nunquam agnita, non-introitum tamen pro Tertiæ portione non admittit. Sed in utroque obſervandum eſt, ſi proprietaria & vaſſalla conjunx decedat, & ſaſinam à domino proficiſcentem habeat, eo caſu locum eſſe huic exceptioni curteſiæ. Sic in Tertia, quæ viduæ debetur: nam niſi ejus maritus in vaſſallum immediatum à domino receptus & ſaſitus fuerit, huic Tertiæ non eſſe locum, neque ad uſumfructum, neque ad non-introitum impediendum, certum eſt quoad dominum, ſi fortè ille vel non-introitum vel cuſtodiam prætenderit; cùm ſemper hæc ex jure auctoris procedant, illudque reſpiciant: ſi illud principale non teneat, neque quod ex eo deſcendit. Si tamen verum feudum in conjuge conſtiterit, quod à domino deſcendit, non minùs curialitas, quàm viduæ tertia pars uſusfructûs, eatenus omnem non-introitum excludet.

16. Eſt & alia exceptio, quæ vaſſallum ſolet tueri, nempe tres ſaſinæ invicem ſe ſubſequentes, ex retornatibus deſcendentes; videlicet, ſi vaſſallus paratus ſit docere ſe præſenti tempore retornatum, & à domino inveſtitum eſſe, duoſque ſuos prædeceſſores, veluti patrem ſuum, avum aut abavum alterum alteri in hoc feudo ſucceſſiſſe, & retornatum & ſaſitum à domino ſciente, & potente impedire. In hoc caſu non-introitûs actio evacuatur: nam cùm hæ ſaſinæ ex tribus inquiſitionibus procedant, quarum quæque quindecimvirali ſacramento munitur, non temerè eorum fides in periculum vocanda eſt; ſaltem non niſi per reſciſſorium judicium, nempe ſi dominus querelam moveat, retornatus hos non eſſe legitimos, neque legitimè deductos: nam eis reſciſſis, actio de non-introitu reſtaurabitur; alioqui domino negligentia ſua imputatur, qui retornatus agnoverit, & ſaſinæ præcepta confecerit, & tanto tempore reſciſſorio judicio non egerit. Dixi tres ſaſinas ex retornatibus procedentes: nam licet ex tribus alienationibus, ſive diſpoſitionibus, aut reſignationibus procedant, nihil ad excludendum non-introitum operantur: & licet hæ tres ſaſinæ procedant ex tribus retornatibus, puto tamen poſſe agi ad declaratoriam medii temporis, cùm ſaſinam non recuperatam eo tempore fuiſſe retornatus ipſi declarent, quod in retornatibus continetur & exprimitur.

17. Eſt & alia exceptio in foro frequentiſſima, pro non-introitûs actione evacuanda; nempe, ſi vaſſallus 36 annos continuos feudum plenum fuiſſe dicat: nam neceſſariò omnes omnium præcedentium annorum introitus præſumuntur, neque de iis actionem in ſe vaſſallus recipere tenetur. Horum enim annorum plenitudo præſumptionem juris & de jure inducit, etiam antea feudum fuiſſe plenum; neque enim ſemper vaſſallus de neceſſitate ſuas ſaſinas ſervare cogendus. Quod ad horum annorum numerum attinet, diverſæ in diverſis ætatibus fuerunt Senatûs ſententiæ. Nam patrum noſtrorum memoriâ, quinquaginta annorum continuorum ſaſinæ requirebantur, ut de priorum annorum non-introitu agi non poſſet. Cùm ad Senatum acceſſeram, quadraginta annorum continua plenitudo requirebatur, nec paucorum annorum tempus ſufficiebat. At in cauſa Henrici Olifantii, cùm inter virum acutiſſimum, & juris patrii peritiſſimum, Gulielmum Olifantium, & me, in Senatu quæſtio agitaretur, obtinuit ille 36 annorum ſpatium ſufficere, ad excludendum priorum annorum non-introitum, ſi totius illius temporis continuæ ſaſinæ demonſtrarentur. Quod cùm ego cum eo privatim ſermones conferendo dolerem morem patrium mutationes ſic recipere, & à veteri forma recedi; reſpondit ille, Imò ſi triginta annorum tantùm ſaſinam allegâſſem, prævaluiſſem: nam cùm actio hæc ex non-introitu ſit odioſa, compeſcendam eam, & recidenda putamina Senatus è rep. eſſe cenſuit *(a)*.

(*a*) Hæc exceptio 36 annorum nunc extenditur ad 40, ſtatuto generali, viz. cap. 12. Parl. 22. Jac. VI.

Hæc itaque de tot annorum perpetua ſaſina, una vel pluribus, quarum continuatio de præteritis etiam præſumptionem inducit; neque enim veriſimile putatur dominum tot annorum fructus ſilentio præteriiſſe, aut ſaſinam concedere ſubſequenti, niſi de anteriore jure ei conſtitiſſet. Plenitudo autem principalis feudi ad pertinentias extenditur; adeò ut ſi principale plenum probetur, fruſtra dominus de non-introitu alicujus pertinentiæ contendat. Quòd ſi, quæ fuerant, jam eſſe pertinentiæ deſiêrunt, veluti cùm terræ aut feuda aliquot in unum principale auctoritate domini ſuperioris uniuntur, ſaſina ad principale feudum capienda: ſi poſtea aliqua pars alienetur, & domini ſuperioris conſenſus accedat, illa pars ab unione diſſolvitur, neque unquam vel per redemptionem vel renunciationem redintegratur unio, niſi per domini novum conſenſum ab initio interpoſitum, vel per novam unionem: itaque in tali caſu, plenitudo principalis pertinentiam, quæ jamdudum ab unione reſciſſa eſt, non facit plenam.

18. Exceptio autem cuſtodiæ poteſt contra non-introitum objici: nam domino agenti ex non-introitu ſimplici, exceptio, tot annis fuiſſe in ejus cuſtodia eas terras, non-introitum tot annorum excludit, (licet ipſa cuſtodia ſit ſpecies quædam non-introitûs;) ſed domino id imputabitur, qui cùm jus cuſtodiæ haberet, & proinde fructus colligere potuerit, neglexerit. Si quis enim in poſſeſſione fructuum exiſtens, jus non-introitûs à domino impetraverit, & ſuos valvaſſores gravare velit, & contra eos agere pro fructibus prædiorum ſuorum, (nam vaſſallo principali in non-introitu ita exiſtente, omnium inferiorum vaſſallorum & valvaſſorum prædia, quæ de principali tenentur, etiam in non-introitu ſunt,) poſſunt illi excipere quod toto tempore non-introitûs fructus collegiſſet & ſuos feciſſet: nec ferendus ſit, qui bis idem petat, neque dolo carere videatur, qui aliunde petit, quod domi ſecum habet *(a)*.

19. Sunt & aliæ exceptiones temporariæ, quæ ad tempus non-introitum ſupplent; veluti, ſi prædeceſſor in acie pro reip. ſalute aut dignitate pugnans occubuerit, quales multi in præliis ad Floddum & Pinquinum. Sed hoc ex privilegio ſpeciali indultum, poſtea in legem abiit, & ad ulteriora extendebatur; veluti, ſi quis in legatione pro rep. tempore ſuæ legationis obiêrit: & ſic privilegia ſæpe in legem abiêrunt *(b)*. An autem carcer, captivitas apud hoſtes, extra regnum mora, modò reip. causâ fiat; an denique minor ætas non-introitûs tempora ſupplere poſſint, dubitatum vidi. Et ſanè jure Feudali omnia hæc ſecum excuſationem afferunt inveſtituræ intra annum non petitæ; & ſunt qui putant in hoc caſu etiam pro tempore ſufficere. Ego contrà: nam certum eſt dominum interea vaſſalli operâ caruiſſe, quæ ex fructibus feudi ſupplenda eſt; & pupillum rerum ſuarum ſatagere debere conſtat, ut idoneos adminiſtratores in tutores vel curatores eligat.

20. Expeditâ & terminatâ quæſtione de non-introitu, ſupereſt quæſtio de fructibus, quæ poſterior pars libelli eſt: ſed licet dominus jus ad fructus communes, i. e. eos qui à colonis pendi ſolent, prætendat; tamen non ſemper in eo obtinet, ſed fructus ſæpe ad minorem ſummam reducuntur: nam ſi feudum, de cujus non-introitu agitur, retornatum ſit, i. e. ſi ejus valor ſit ex retornatu certus, dominus ſuperior eos tantum conſequetur, qui in retornatu æſtimantur. Diximus antea *(c)* in omnibus retornatibus, ſive vaſſallorum non-introitibus, feudum æſtimari dupliciter: primò, quanti valuit tempore majorum noſtrorum ſive pacis; ſecundò, quantum hodie valeat. Prior æſtimatio *antiquus extentus* dicitur, poſterior *novus*. Et hæc æſtimatio, quia quindecimvirali ſacramento fit, pro vera fructuum æſtimatione habetur: itaque ulteriores aut majores fructus petere eorum annorum, qui declaratoriam præcedunt, dominus non eſt ferendus, cùm de vera æſtimatione conſtat; poſt declaratoriam, pro omnibus fructibus qui percipi ſolent, aget: nam eo tempore pro vero domino habetur. Quòd ſi nulla certa æſtimatio per retornatum ſit conſtituta, neque de extentu novo conſtet, rectè dominus pro omnibus fructibus ſolitis recuperandis

(a) Vid. § 9. (b) Cap. 15. Parl. 3. Reg. Mariæ, cap. 41, 42, 43. Parl. 2. Jac. VI. & cap. 37. Seſſ. 2. Parl. unic. Gul. & Mariæ. (c) D. 17. § 34 & 35.

randis aget. Hoc ita ab initio obſervatum vidi, prout & adhuc in frequentiore uſu eſt: ſed quoniam hæc de non-introitu actio odioſa eſt, facilior eſt Senatus in exceptionibus quæ contra eam fiunt; itaque vidi in actione pro fructibus ſolvi ſolitis intentata, hanc exceptionem valuiſſe, licet feudum ipſum nunquam fuit retornatum, neque ejus valor quindecimvirali ſacramento taxatus. Tamen cùm tota illa Baronia, cujus hoc feudum pars eſt, ad tot libratas terræ ſit retornata, veluti fortè ad quadraginta libratas terrarum, & feudum controverſum ſit ejus pars viceſima, valor fructuum ſive cenſus ad quadraginta ſolidos ſolos extendetur, ut valor Baroniæ, cùm retornatur, etiam pro rata portione ad partes accommodetur. Sic ſi quarta pars fuerit Baroniæ ad decem libratas ſive libras, & ſic deinceps. Dimenſio etiam fit per aratra, veluti ſi integra Baronia ſit quadraginta aratrorum, pars autem controverſa duo tantum aratra poterit ſuſtinere; ad viceſimam partem æſtimationis totius Baroniæ dimenſio fiet, & fructuum valor extendetur: itaque & hæc exceptio contra æſtimationem fructuum feudi non æſtimati proponi hodie ſolet. Prioribus annis, ſi fundus retornatus non fuerat, ſemper fructus percipi ſoliti debebantur: & hanc ſententiam magis probo in cenſu fructuum, ut pro iis agi in actione non-introitûs poſſit, qui à colonis pendi ſoliti ſint. Poſt denunciationem verò de migrando, & declaratoriam ſententiam inde ſequuturam, fructus qui percipi poterant (nos *violentos* vocamus, quaſi ex alieno prædio præter jus detentos) debentur. Ante ſententiam, retornati tantum fructus debentur; poſt ſententiam, communes, quæ per tenentes pendi ſolent. Si Dominus retornatum reducat, & inde non-introitus proveniat, vaſſalli tamen heres non niſi in communes fructus tenebitur.

21. Neque illud prætereundum in his fructibus, quod ſi non-introitus cùm cuſtodia ſive warda continuetur, nullâ ſaſinâ interveniente, iidem fructus tempore non-introitûs debebuntur, qui tempore wardæ ſolvi ſoliti ſunt: nam eſt quaſi continuatio poſſeſſionis, quæ quoad qualitatem fructuum tempus reſpicit præteritum.

22. Effectus autem hujus declaratoriæ varii ſunt. Aut enim reſpicit dominus præteritum tempus, aut futurum. Quod ad præteritum tempus attinet, fructus totius præcedentis temporis cenſos ſive liquidatos in unam ſummam colliget, proque ea ſumma vaſſalli bona (ſed non niſi quæ ſunt in territorio) diſtringi faciet, ſi quæ apud illum in ſuo feudo reperiantur; ſi nihil in eo feudo reperiatur, quod pro ea ſumma diſtringi poſſit, ad ipſum feudum recurrendum, & illud haſtæ & licitationi ſubjiciendum, denunciationeque legitimè & publicè factâ apud crucem frequentiſſimi in ea regione burgi, & ad locum habitationis, & ſuper ſolo ipſius feudi, decimo quinto non minus poſt die, curia conſtituitur, & licitatio fit, & æſtimato feudi valore, domino adjudicatur, pro pretio fructuum, aut pro parte pretii, (ſi nemo redimere paratus ſit,) & cum ſuperioritate conjungitur: ita tamen ut ſolutione pretii, vaſſallo competat jus redimendi intra ſeptennium, ut in omnibus licitationibus fieri ſolet, ut poſtea in titulo *De licitatione* dicemus.

23. Quod ad futurum tempus attinet, dominus poteſt idem facere in feudo, quod vaſſallus poterat, ſi ingreſſus feudum fuiſſet, aut hereditatem feudi adiiſſet. Nam & veteres colonos migrare coget, novos ſubſtituet; Eccleſiis, ſi ea ſint feuda, quæ beneficiorum advocationem habent; Paſtores providebit, ædificia ut ſarta tecta ſint curabit. Et, licet aliter in cuſtodia obſervetur, heredem alere non tenebitur, cum ſit in ejus poteſtate, cum volet, prædium feudale ingredi, & ob contemptum graviùs puniendus ſit, ſi, cum poſſet, non intret. Ante declaratoriam, nullam actionem dominus habet, niſi pro declaratione hujus non-introitûs; retentionem tamen fructuum, ſi feudum ſit in non-introitu, habet: poſt declaratoriam omnes actiones ei competunt, quæ vaſſallo intranti competere ſolent. Præterea, ante licitationem, multo minus ante declaratoriam, dominus ſuperior feudum propter non-introitum vendere non poteſt, neque alienare; cum nullum, præter ſuperioritatis jus, in eo habeat. Nam nullus non-introitus introeuntem heredem, aut ingredi volentem, impedit; modo domino ſatisfacere paratus ſit, pro fructibus in declaratoria liquidatis.

24. Falſum itaque eſt, quod dici ſolet, quinquaginta annorum non-introitum ad

appretiandas terras, & eas à vaſſallo in perpetuum auferendas, ſufficere. Non enim numerus annorum ſpectatur: pauciores aliquando ſufficiunt, quoties eſt major fructuum æſtimatio; neque quinquaginta ſemper ſufficiunt, ſi fructus viliùs æſtimentur, & ad cenſum aliquem (quem nos *extentum* dicimus) ſive novum, ſive antiquum, reducantur. Nam vaſſallus, ſi è re ſua æſtimaverit, poterit æſtimationem, quæ continetur in declaratoria, præſtando, ſe à non-introitu liberare, & per ingreſſum in feudum peccatum præteritum purgare. Poſt licitationem, quoniam plerumque major ſumma in ea continetur, quàm verus feudi valor æſtimandus eſt, non tam expedit redimere ratione reverſionis legalis. Sed hæc omnia prudens vaſſallus apud ſe expendet.

25. Extenditur autem hæc actio de non-introitu, non minus ad feuda emphyteutica, quàm franca, quæ apud nos *blanca* dicuntur; licet in his nullum pænè ſit ſervitium. Nam in emphyteuticis, licet nullum ſervitium militare intercedat ab initio, tamen annui censûs præſtatio in emphyteuticis quaſi ſervitus eſt, licet realis; & in feudis francis recognitio quædam eſt, licet ad ſervitia militaria non teneantur. Sed in emphyteuticis æſtimatio annuorum fructuum ſolitum canonem nunquam excedit; neque alii fructus præteritorum annorum poſſunt in actione non-introitûs exigi, quàm qui in contractu, inſtrumento & inveſtitura emphyteutica continentur. Secus in fructibus poſt declaratoriam non-introitûs; nam tum dominus ſuperior pro vero proprietario eſt. Vulgare tamen illud erat antiquitùs, emphyteutica feuda in non-introitu nunquam eſſe, nec cogendos vaſſallos intrare, cum primi emphyteutæ ſaſina pro omnibus ſufficeret heredibus. Hodie tamen aliud obſervatur, ne vaſſallus, immemor ſui, quod debet ſuo domino officium differat. In non-introitu tamen feudi franci, idem valor ejus æſtimabitur, qui & aliorum feudorum.

26. Libera autem ab omni introitu ſunt ſola feuda burgalia, quæ intra libertatem alicujus burgi ſita ſunt, aut de burgo tenentur. Nam licet per centum annos heres proprietatem feudi per ingreſſum non agnoverit, ſi tamen nunc velit ingredi, nullo alio titulo noviter acquiſito impediente, audiendus eſt. Neque Rex quicquam pro præteritis annis ratione non-introitûs accipiet, quod & in annuis reditibus burgalibus obſervatur. Ratio hæc eſt, quia licet de Rege tanquam ſolo domino ſuperiore teneantur; tenentur tamen in burgo pro ſervitio burgali tantùm. Neque quicquam, qui hæc feuda habent, præſtare, niſi ſervitium burgale, cogendi ſunt; quod non eſt præſtandum niſi cum exigitur. Burgus enim nomen eſt univerſitatis, ſive corpus ſocietatis, quod nunquam moritur, & ſemper in ſuo univerſali tenemento ſtat, neque heredes aut ſucceſſores habet. Itaque cives ſuos, cum burgus à non-introitu immunis ſit, etiam immunes facit: nam cives omnes burgum repræſentant. Vidi tamen in Senatu denegatam actionem ex annuo reditu, qui centum annos ſolvi ſolitus non erat: imò etiam ſi 80 annos in ſolutione fuerit ceſſatum. Sed hæc omnia de burgis regalibus intelligenda ſunt.

27. Aliud in his quæ in Regalitate ſive Baronia tenentur: Barones enim ipſi & Regalitatum domini non minus de non-introitu eorum prædiorum urbanorum quàm ruſticorum diſponunt. Nam burgi Baroniarum partes ſunt Baroniæ, & iiſdem regulis gubernantur; & Regalitas nihil alud eſt niſi jus & juriſdictionis privilegium in aliquo dominio à Rege impetratum, quo illius Regalitatis ſive privilegii dominus actionem tam civilem quàm criminalem à judice ordinario evocare poteſt (nos *replegiare* dicimus;) licet & hæc Regalitas alia etiam ſæpè habeat privilegia *(a)*, nempè eſchetarum & mulctarum obventiones, quæ licet inter Regalia numerari diximus, tamen à Principibus viris militaribus aut in honorem religionis ſæpè ſunt conceſſa.

28. Sed ut ad hos burgos Baroniarum redeam, cum de Rege non teneantur, dominique illis ſuperiores alii ſint à Rege, non mirum, ſi idem jus ſequantur, quod aliæ ejuſdem Baroniæ terræ, denique & ipſa Baronia. Nam videmus quotidie dominos horum burgorum non-introitus horum tenementorum, quibus volunt, concedere.

(a) Lib. 1. D. 16. § 27.

cedere. In Eccleſiaſticis autem feudis, non-introitus locum non habet; Eccleſiæ enim non moriuntur, neque earum feuda dominis aperiuntur, licet Prælati aut Paſtores intereant. Nam hi non ſunt vaſſalli, ſed adminiſtratores tantùm feudorum Eccleſiaſticorum, licet à multis pro vaſſallis reputentur. In Monaſteriis multò magis; nam grex Monachorum, aliis ſuccedentibus, mori non dicitur: ea tamen feuda, quæ de Eccleſia tenent, in non-introitu, ut cætera feuda, eſſe poſſunt.

29. Hujus autem judicii hoc proprium eſt, quòd licet in aliis judiciis ſententiæ aut res judicatæ, ſub prætextu inſtrumentorum de novo repertorum, non facilè retractentur, *l. Sub ſpecie 4. C. de re judicata*, cùm ea res omnibus fraudibus & fingendis titulis feneſtram pateſaceret; tamen in hoc de non-introitu judicio ſententia lata pro non-introitu, per ſaſinam de novo repertam, poteſt retractari. Ratio diverſitatis eſt, quòd in his monumenta ea, quæ fundum plenum reddere ſive implere debent, fraudibus tutorum vel curatorum, vel etiam conjugum, quæ ſe omnibus bonis, marito moriente, miſcere ſolent, & præcipuè omnia monumenta obſcura recondere; aliquando etiam ſervorum peſſimorum, qui concredita habebant domini negotia, operâ intercipi ſolent. Nonnunquam ipſi domini in judicio ea producentes, illic relinquunt, nec tempore mortis meminerunt. Itaque non mirum ſi aliquando vaſſallus bonâ fide ignorat, quæ à ſuis prædeceſſoribus ſunt geſta, quæ ſi ex latebris poſtea prodeant, aut ad manus, aut ea, aut eorum protocolla occurrant, naturalis ratio facit, ut reſtitui ad ea producenda vaſſallus poſſit: licet illud in aliis judiciis exemplo ſit grave. Illud etiam obſervandum, in terris quæ de Rege tenentur, licet aliquando ſaſinæ deſint, & multi à tempore ſaſinæ anni interceſſerint, extractum è libris reſponſionum illius regionis poſſe ſaſinam illam ſupplere.

30. *Liber* autem *Reſponſionum* hic dicitur, quod director Cancellariæ, cùm deſervitio ad eum retornatur, præceptum, pro ſaſina capienda, ad Vicecomitem dirigit, & in ſuo ſingulari libro, ad hoc inſtituto, ſolet hujus ſaſinæ notam apponere in hac forma: *Reſpondeat Vicecomes, pro tali cenſu, pro tali ſaſina data N. terrarum de R.* hæque notæ, quia ex publico regiſtro prodeunt, ſæpenumero defectum ſaſinarum ſupplent; præſertim autem in rebus antiquioribus. Quomodo autem ſaſinarum inſtrumenta, & quandoque etiam protocolla ſoleant intercipi, frequentiora ſunt exempla, quàm ut commemorare ſit neceſſe. Novi quendam patruum, cùm pupillo ſuo tutor eſſet legitimus, & eo prætextu res omnes & monumenta intercepiſſet, à domino ſuperiore jus non-introitûs impetrâſſe, multorumque annorum fructibus in judicium deductis, ex eorum valore in re judicata expreſſo, totam ſui pupilli hereditatem intervertiſſe, ſibique aſſumpſiſſe. Sed Deus probè artem hominis eluſit: nam licet multorum annorum matrimonio ſatis optato fruitus eſſet, nullam tamen ex ſe ſobolem reliquit, & ſic pupillo ſuo, quem antea fraudare inſtituerat, feudum integrum relinquere fuit coactus. Ætas in his actionibus, ut antea dixi, non ſpectatur: quilibet namque cujuſcunque ætatis ſit, feudum ingredi poteſt, & non-introitum avertere, niſi in militaribus feudis, quæ cuſtodiam debent, quæ ante cuſtodiam finitam ingredi non poſſunt *(a)*.

Diegeſis vigeſima,

De Cuſtodia, quam Guardiam ſive Wardam dicimus, & Relevio.

SUMMARIA.

1. *Continuatio à ſimplici non-introitu ad Wardam, quæ & ſpecies eſt non-introitûs; & de differentiis inter eas.*
2. *De diſpenſatione ætatis, & quatenus incongrua*

(a) Stat. 19 & 38. Rob. III. cap. 42. § 9. lib. 2. Reg. Majeſt.

congrua eſt juri, & illæſæ conſcientiæ. Ea à Gallis ad nos pervenit. Si diverſi ſint donatarii cuſtodiæ & non-introitûs, jus cuſtodiæ præfertur.

3. *De origine Guardiæ ſive Cuſtodiæ. Eam Regi noſtro Malcolmo, Kennethi filio, quidam aſcribunt.*

4. *Cuſtodiæ origo juri Feudali potiùs danda.*

5. *Duplex Cuſtodia, altera perſonæ, altera feudi.*

6. *De Cuſtodia perſonarum, ab inteſtato, & ex legis diſpoſitione.*

7. *De cuſtodia perſonarum ex teſtamento; quo deficiente, de aliis, ſive de tutore teſtamentario, legitimo atque dativo. Si duo impetraverint dativam, quis præferatur? Si pupillus matri vel aviæ ſucceſſerit, pater erit illi legitimus tutor; &, patre mortuo, avus paternus. Si teſtamentarius ſit inidoneus, locus erit legitimo; & ſi legitimus intra annum & diem non fidejuſſerit, locus erit dativo.*

8. *De Cuſtodia furioſorum, idiotarum, & aliorum, quibus curatores dantur ex Brevi per inquiſitionem. De eorum poſt furorem, ſed ante inquiſitionem, geſtis. His perſonis curator non datur, qui eſt proximè ſucceſſurus. Inventarium faciendum eſt. Si qui proximi contra tales actiones intentare volunt, curatores ad lites à judice ſunt petendi. Maſculi 14, & fœminæ 12 annos, curatores eligunt, impetrato edicto, & proximis citatis, ſub ſpatio 9 dierum.*

9. *De curatoribus ad lites. Ubi plures curatores, unus pro alio fidejubet. Mater tutrix dari poteſt. De cuſtodia perſonali furioſorum & idiotarum. In militari feudo dominus ſuperior omnibus aliis, imò ipſi Regi, eſt præferendus. Tutores* Guardiani *dicuntur apud Anglos. Quando apud eos finiatur Cuſtodia?*

10. *De curatore furioſi; qui ſi habeat militare feudum, fructus ad dominum pertinent, & interea eſt alendus. Quid jure Anglorum in tali feudo, & quid in Soccagio? Guardianus apud Anglos alteri poteſt cuſtodiam demandare: at ſecus apud nos. Quid apud Gallos?*

11. *Quæ de alimentis, cuſtodia & educatione pupilli dicta ſunt, ex jure Civili ſunt.*

12. *De cuſtodia Feudali, quæ eſt ſecundum membrum diviſionis. Cùm vaſſallus in militari feudo decedens, heredem minorem relinquit, ejus cuſtodia, tam feudi, quàm perſonæ, ad dominum ſuperiorem pertinet, excluſis omnibus aliis tutoribus, teſtamentariis, legitimis atque dativis.*

13. *Hæc Cuſtodia apud nos Warda dicitur, apud Gallos Guardia vocatur, quamdiu heres eſt infra ætatem.*

14. *Variæ in jure & uſu quotidiano ſunt hominum ætates. Licet mater aut avia ſint tutores teſtamentarii, ſi tamen ſe viro ſubjecerint, aut corpus ſuum polluant, tutela cadit. Si non ſit mater, ad proximum agnatum tutela devolvitur, qui non eſt ſucceſſurus.*

15. *Ætas pupillaris quomodo dividatur? Quatenus ſub tutela? Infantiæ nullum judicium; ſed pubertati proximus doli capax eſt.*

16. *Minor ætas quid? In ea ætate adoleſcentes vocantur. Qualem illi rerum ſuarum adminiſtrationem habeant?*

17. *Perfecta ætas quid? In burgenſium heredibus eſt ab aliis diverſa. De quadriennio utili.*

18. *Cuſtodia quamdiu duret? Eâ durante, dominus adminiſtrationem feudi habet. Quæ obventiones ei competant? Heredem alere tenetur, niſi aliunde habeat. Quid peculiare apud Gallos? In cuſtodia turrium dominus omnibus pupilli tutoribus præfertur.*

19. *Quæ domino Cuſtodiam habenti incumbant circa feudum, ne deterius reddatur, ne vaſtum fiat, (in quibus omnibus dominus omni tutori præfertur;) circa ſilvas, carbonifodinas, lapicidinas & cretifodinas: & dominus omnia facit, quæ vaſſallus facere potuit, abſque declaratoria; neque alienationes neque aſſedationes agnoſcere tenetur, ſed hæ dormire dicuntur.*

20. *Domini etiam eſt lites pupilli perſequi. An debita hereditaria ſolvere debeat, quæſtio eſt apud Gallos. Cavere debet de Cuſtodia ritè adminiſtranda. Inventarium de omnibus rebus, præcipuè monumentis hereditariis, facere debet. Quid ſi vaſſallus plura feuda hereditaria de diverſis dominis teneat?*

21. *Cuſtodia quando finiatur? Si dominus ceſſaverit pupillam elocare, poſt 14 annum, tenetur ei inveſtituram de ſuo feudo facere. Si filia ipſa ſe elocaverit, minoris æſtimabitur maritatio. De jure apud Anglos & Normannos hac in re; & in quibus à nobis differant?*

22. *Fru-*

22. *Fructus unius anni poſt finitam Cuſtodiam domino cedunt. Nos Relevium vocamus; Galli & Angli re abſque nomine gaudent. Cuſtodiâ finitâ, vaſſallus Cancellariam adibit, Brevia impetrabit; quibus deſervitis atque retornatis, præcepta diriguntur, quibus domino mandatur ut inveſtituram vaſſallo faciat. Si ter monitus differat, aliud dirigitur ad dominum antiquiorem, pro vaſſallo inveſtiendo; & eo recuſante, ad ipſum Regem pervenitur.*

23. *Cuſtodiam quædam impediunt: ut, ſi terræ in emphyteuſin dentur, ob publicam utilitatem, quæ privatæ dominorum utilitati prævalere debet.*

24. *Cuſtodiam etiam excludit Curialitas; non ſecus ac uſusfructus à domino conſtitutus, aut triens à lege deſcendens. Fraus omnis abeſſe debet ab utraque parte in his Cuſtodiis, ſub pœna privationis Cuſtodiæ, & præterea damni.*

25. *Regis prærogativa in hac materia, ſecundum Anglos. Si dominus, finitâ Wardâ, heredem inveſtire ſine cauſa recuſaverit, dominus ad intereſſe, non minùs ac violentus poſſeſſor, tenetur.*

26. *Si heres ſuam Cuſtodiam à domino ſuo compoſitione aut pretio nactus ſit, aſſedationes à prædeceſſoribus ſuis factas ſervare tenetur.*

27. *Heres perfectæ ætatis tenetur hereditatem quamprimum agnoſcere & ingredi, ne novo non-introitui ſubjiciatur. Si heres fœmina ſit plurium feudorum, cuſtodia corporis ad antiquiorem pertinet; ſed bonorum feudalium ſuo cuique domino.*

28. *Cuſtodia nunquam ad dominum pertinet, niſi decedat ejus immediatus vaſſallus.*

29. *Si heres matri ſuccedat, patre vivente, cuſtodia heredis ad patrem pertinebit.*

30. *De Relevio, ejuſque cum Cuſtodia conjunctione atque origine ex Cujacio. Olim certâ quantitate taxatum.*

31. *Relevium non debetur niſi de militaribus feudis. Jus noſtrum in hoc longè differt à jure Gallorum & Anglorum, imò à noſtro veteri jure ſcripto, & quod hodie obtinet. Nullum Relevium domino debetur, niſi paratus ſit hominium ab eo recipere, & inveſtituram ei concedere.*

32. *De quantitate Relevii, & in quibus feudis locum habeat apud Normannos & nos? Ex diverſitate tenendriæ diverſimodè æſtimatur Relevium.*

33. *Feuda quæ ad manum mortuam conceduntur, nullum Relevium debent; in francis quaſi nihil: in emphyteuticis ex pacto debetur. Quantitas Relevii in feudis militaribus eſt quanti feudum valet ex novo extentu. Si dominus in poſſeſſione fructuum ratione Cuſtodiæ ſit, par erit ratio Relevii ac unius anni Cuſtodiæ.*

34. *De Relevii quantitate apud Anglos in terris quæ in Soccagio tenentur. Id quocunque tempore eſt præſtandum, & pro eo dominus diſtringere poteſt: & hoc immediatè eſt præſtandum, niſi certis in caſibus.*

35. *Relevii æſtimatio in terris militaribus apud Anglos & apud Gallos.*

36. *Si colonorum bona pro Relevio ſint diſtricta, nihil domino ſuo pendent ex fructibus.*

37. *Vicecomes, aut qui Regium præceptum exſequitur, caveri ſibi petit de Relevii quantitate, ab eo cui ſaſina dat.*

38. *Quæ Relevium impediant?*

39. *Dominus in Warda, aut ejus donatarius, cavere debet auctoritate judicis, ne vaſtum aut pauperiem in feudo faciat, & ſe feudum in eadem conditione & bonitate ſervaturum, quâ receperat, &c. idemque & domina conjunctæ infeudationis & uſufructuaria; ubi de fœminis heredibus ſe ante matrimonium polluentibus.*

40. *Hæc cautio præſtanda eſt intra 40 dies, aut dominus aut ejus donatarius eſt à Cuſtodia removendus.*

1. ALTERA pars non-introitûs ſupereſt, de Cuſtodia feudi, mortuo vaſſallo, quam *Wardam* dicimus; quæ licet & ipſa ſpecies non-introitûs ſit, quòd heres toto eo tempore hereditatem non adit, à ſimplici tamen non-introitu differt ſpecie, adeò ut exceptio Cuſtodiæ actionem de non-introitu pro eo annorum ſpatio, quo feudum in cuſtodia fuit, ſiſtat *(a)*. Alia eſt etiam (ut antea *(b)* dixi) differentia, quòd in non-introitu puniatur vaſſallus, qui cùm poteſt adire feudi hereditatem, tamen non adit. In Cuſtodia longè aliud: nam heres, etiamſi quàm maximè vellet, tamen non poteſt; neque enim heres, ſi ante expletam legitimam

(a) Vid. D. 19. § 18. (b) D. 19. § 4 & 23.

ætatem in feudum hereditarium ingredi velit, admittitur *(a)*, cùm id in præjudicium domini fiat, qui fructus ſuos durante cuſtodiâ facit, quæ cuſtodia per ingreſſum heredis extinguitur, & hereditatem ad vaſſallum reducit.

2. Scio (ut nuper dixi) hodie impetrari ſolere diſpenſationes, quibus Rex ſuperior dominus cum minoribus diſpenſat, & veniam ætatis indulget, quo poſſint minores in heredes ſuis prædeceſſoribus deſerviri, ſalvo tamen domini ſuperioris jure. Sed has ego diſpenſationes nunquam probavi, cùm perjurio feneſtram aperiant, imò & quod magis eſt, cùm ſacramento violato diſpenſent, ne eo nomine poſſint accuſari: nam cùm hi heredes nunquam ex jure ſint legitimæ ætatis, ſaltem, ut in terris cuſtodiæ obnoxiis ſuccedant, donec 21 annos expleverint, diſpenſari cum inquiſitoribus quindecimviris puto non poſſe, ut ante eam ætatem minorem deſerviant & retornent, ut ſimul quis non ſit legitimæ ætatis, & legitimæ; non legitimæ, per legem; legitimæ, per diſpenſationem. Diſpenſationes hæ ex jure Normannico ſive Gallico primùm introductæ ad nos jam penetrârunt: ſed jus Gallicum cùm jure Codicis convenit, in tit. *De his qui veniam ætatis impetrârunt.* Nam diſpenſatio hæc non eſt danda, niſi diligenter à judice ordinario exploratâ induſtriâ minoris, & per ejus proximos agnatos teſtificatâ; quo caſu non ſolùm libera feudi adminiſtratio, ſed etiam omnium rerum ſuarum permittitur, niſi quòd alienare non poſſit: ſed nunquam ante decimum octavum annum hæ diſpenſationes concedi ſolent. At fortaſſe hoc in Principis diſpenſationibus utcunque tolerandum: tamen in aliorum ſuperiorum eſſe poteſtate, planè inficior. Sed, ut ad cuſtodias, & earum differentiam à ſimplici non-introitu redeam, uſque adeò jus hujus cuſtodiæ juri non-introitûs præferendum, ut ſi diverſi donatarii ſint, unus non-introitûs, alter cuſtodiæ, hereſque adhuc ſit minor & in cuſtodia, totum illud tempus præcedens cuſtodiæ nomine cenſebitur, & non non-introitûs.

3. Quæ autem hujus cuſtodiæ ſive Guardiæ fuerit origo, profectò vehementer hæreo: favor enim patriæ, & communis, non ſolùm magnorum virorum, ſed omnium ferè opinio trahit, ut ejus originem Malcolmo, Kennethi filio, Regi noſtro adſcribam *(b)*. Is enim, cùm multis præliis Danos fractos e regno ejeciſſet, omneſque facultates privatas & Regium patrimonium donationibus militaribus exhauſiſſet, dicitur proceres ſuos Sconam convocâſſe, declaratâque inopiâ ſuâ, in quam non malis artibus aut profuſione incidiſſet, ſed ex neceſſariis belli ſumptibus, rogâſſe, ut inopiæ ſuæ conſulerent, providerentque quomodo cum aliqua dignitate poſſet in futurum vivere. Proceres, qui ſe ejus beneficiis obligatos ſentiebant, putantes eâ querimoniâ tacitè fundos, quos Rex iis pro forti & fideli opera conceſſerat, repoſci; ne ad illud cogi poſſent, cuſtodias ſuorum liberorum cum maritatione conceſſerunt, ut eorum fructus tempore cuſtodiæ ad Regem, ad dignitatem ſuſtinendam, pertineant *(c)*. Et hæc eſt communis opinio, quam etiam ſequitur vir doctiſſimus Gulielmus Terrenus, qui commentarios in Conſtitutiones Normannicas exquiſitiſſimos conſcripſit: itaque, ſi aliò velim harum cuſtodiarum derivare originem, non ſolùm ingratus in patriam, ſed plus æquo mihi tribuere videbor, cùm tot viri magni contra ſentiant.

4. Ut tamen quod animus fert ſine fuco exponam, mihi videtur harum cuſtodiarum origo à jure Feudali potiùs petenda, quod aliquot ante Malcolmum annis florere, & etiam regnare ubique ferè cœperat, licet earum nulla aut obliqua mentio ſit in libris qui *De uſibus feudorum* circumferuntur: nam cùm hæc vera & nativa ſit omnium feudorum conditio, ut vaſſallus domino militares operas præbeat, eique in rebus omnibus gerendis conſilio & auxilio adſit, nec huic debito officio minor, ſive is ſit mas ſive fœmina, poterit reſpondere; dominus interea fructus feudi ſui percipit, ut vicarium pro ſui vaſſalli adhuc inidoneo herede ſubſtituat, donec ipſe heres ad ſerviendum domino ſufficiat; quod cùm ante 21. annum in maſculis evenire rarò contingat, hoc tempus à jure præfinitum eſt cuſtodiæ heredis maſculi: & cuſtodia ſive Guardia dicitur, quia ipſe dominus interea temporis heredem apud ſe cuſto-

(a) Cap. 41. lib. 2. Reg. Majeſt. (b) Vid. lib. 1. D. 8. § 2. (c) Cap. 1. Malcolmi Regis, § 3.

cuſtodire, & liberaliter ex primitiis fructuum educare tenetur. In fœminis brevius tempus cuſtodiæ requiritur *(a)*, non tam quòd difficiliùs cuſtodiantur, ut vulgus ſentit; ſed cum ad 14. ætatis annum pervenerint, licet ipſæ nec bello nec conſilio domino prodeſſe poſſint, tamen cum eâ ætate nubiles ſint, debent ex arbitrio dominorum elocari veris militibus, qui domini ſervitia militaria exequi & conſilio ei adeſſe poſſunt. Quòd ſi minus idoneum maritum dominus elegerit, ei imputabitur, cum heredis maritatio in domini ſemper præſumatur poteſtate eſſe, ut & ei imputandum, ſi cum poſſit, nullum elegerit. Alia eſt etiam ex jure Feudali ratio; nam cum illa mutua & feudalis inter dominum & vaſſallum connexio, omnes ſanguinis aut affinitatis gradus & omnia vincula poſt ſe longè relinquat, omnemque amicitiæ ſive ſocietatis cujuſvis religionem ſuperet, dominuſque vaſſallum, domum, res omnes & liberos tueri & defendere, contra omnes (ut loqui ſolemus) mortales teneatur; vaſſallus verò è contra, dominum ante omnes obſervare, ſe, rem, domum, familiam ei credere & in clientelam ſeu tutelam aut defenſionem præbere perpetuam, quis magis idoneus tutor eſt aut eſſe debet vaſſalli heredi, quàm qui ipſe vaſſallo ante fuit tutor & protector? quis feudum ſuum, quod vaſſallo ab initio ex mera liberalitate & benevolentia conceſſerat, meliùs, ne beneficii memoria intereat, defendet? utque intactum & illibatum heredi ejus, cum res gerere idoneus videbitur, ſervetur, curabit? quis familiam & liberos ejus ita amabit, cum eorum patri dominus ſe, ſuam vitam, dignitatem & rem omnem concrediderit? Adde quòd nuſquam melius artes militares, quas feudi natura requirit, vaſſalli heres addiſcet, aut rationes ejus meliùs quàm in ejus familia diſcet, ut poſtea conſilio ei in rebus ſuis adſit. Rurſus in vaſſalli herede, cujus ille fidem potiùs ſequetur, quàm illius, cui pater ſuus quæcunque habet, i. e. ipſum patrimonium totum debuit, in cujus perpetua tutela & protectione fuit? qui beneficium illud totum (cum pater nihil ex merito depoſcere fortè poterat) ei & ejus heredibus ex ſola liberalitate conceſſerit? & aliorum fidei ſe committere, domini ſit ferè fidem damnare, & non ſolùm ingrati animi, ſed etiam perfidiæ notam incurrere. Hæc ſunt quæ me movent, ut harum cuſtodiarum originem potius putem juri Feudali deberi, quàm ulli inſtituto Malcolmi noſtri, Regis alioqui clariſſimi; multo minus Edgari, Angloſaxonum Regis, qui tempore hujus Malcolmi vixerat. Accedit & illud, quòd qui Normannicas res ſcribunt, conſuetudinem hanc cuſtodiarum antiquiſſimam ei genti fuiſſe ferant, ab iiſque ad Anglos emanâſſe, nomenque cuſtodiæ Gallicum eſſe; nam *guardare* nihil niſi *cuſtodire* apud nos ſignificat, & guardia & cuſtodia eadem ſunt. Sanè non ſolùm apud Normannos gentem nobiliſſimam, has cuſtodias in uſu fuiſſe & adhuc eſſe eſt certiſſimum; ſed etiam apud Anglos, qui nunquam ſui juris originem nobis ſe debere profitebuntur: quanquam ille idem Terrenus, qui commentariis jus Normannicum illuſtravit, & ipſe Polydorus Virgilius, non antiquam hujus cuſtodiæ apud Anglos rationem fuiſſe tradant; ſed primùm à regni proceribus, Henrico III. Rege, qui regnare cœpit anno domini 1216. conceſſam uſque ad 22. annum. Sed de hoc poſtea. Fieri ſanè poterat, ut Malcolmus noſter primus fuerit, qui hunc morem, qui jam apud alias gentes inoleverat, ad ſuos traduxerit. Hæc ſunt quæ de origine harum cuſtodiarum mihi magis veriſimilia & rationi convenientiora videntur: ſi quis aliud ſenſerit, quamcumque opinionem velit, per me ſequatur, licebit.

5. Cuſtodia autem hæc duplex eſt; alia eſt perſonarum, alia feudorum cum perſona: nam aliquando ſola perſonæ Cuſtodia vacat, quæ ſe tueri & cuſtodire per ætatem aut morbum non poteſt; aliquando & ipſius perſonæ & feudi cui ſuccedere debet. Et licet horum feudorum militarium Cuſtodiæ propriè ad inſtitutum noſtrum pertineant, aliquid tamen de Cuſtodia perſonarum, quæ in nullo militari feudo ſuccedunt, dicemus.

6. Feuda omnia aut pro militari ſervitio, aut in ſoccagio teneri præmiſimus: feuda autem non militaria, aut quæ ſoccagii nomine tenentur, aut franca, aut emphyteutica, aut burgalia, ut antea monuimus: nam Eccleſiaſtica, aut quæ ad manum

(a) Vid. § 18.

mortuam ſunt, prætereo, cum in cuſtodiam non cadant. In feudis francis aut emphyteuticis conſiderandum eſt, an hereditas ex parte patris, an ex parte matris deſcendat: ſi ex parte patris deſcendat, cuſtodia corporis pupilli, donec pubeſcat, ad proximum materni generis cognatum pertinet *(a)* & apud eum pupillus educari debet *(b)*; terrarum verò, in quas pupillus ſuccedit, Cuſtodia ad proximum agnatum ex parte patris. Quod non ſine ratione introductum eſt *(c)*: nam heres nunquam apud eum educandus, qui proximè ſucceſſurus eſt; licet enim omnis ſuſpicionis cauſa abſit, quia tamen malo eſſe licet, ſuſpicio, ſi quid humanitùs acciderit, nunquam aberit: & etiam votum captandæ mortis in hoc prohibetur; nihil enim eſt quod homo nefarius, ſi lucelli aut fallendi ſpes ſit, non audeat. In burgalibus feudis perſonæ heredis Cuſtodia ad materni generis proximum cognatum pertinet; at rerum moventium cura & Cuſtodia & etiam hereditatis ad proximum paterni generis cognatum *(d)*. Hæc omnia ita intelligenda, niſi aliud teſtamento ejus, cui heres ſuccedit, ſit proviſum.

7. Primus enim locus inter tutores ſemper eſt teſtamentario *(e)*, i. e. ei qui à patre, vel etiam avo, cui pupillus ſucceſſurus eſt, nominatur, etiam ſi filius poſthumus ſit, cujus fides ita videtur à defuncto approbata, ut neque fidejubere teneatur *(f)*; quod in aliis tutoribus quàm maximè obſervandum, & ſine qua ad adminiſtrationem non admittuntur. Sed in teſtamento avus nepoti non dat tutores, ſi filius dum vixit foriſfamiliatus fuit *(g)*. In quo hoc notandum, quòd quicunque teſtamento rem legat aut donat pupillo, poteſt etiam ei, in hujus rei adminiſtratione, & tutorem relinquere *(h)*. Si nullus ſit teſtamentarius, aut ſi is mortuus fuerit, aut re integrâ renunciaverit, locus eſt legitimo *(i)*. Quòd ſi ille intra annum & diem jus non perſequatur, aut ſi deſervitus ex inquiſitione fuerit, ſed idonee non caverit, locus eſt dativo; i. e. ei qui à Principe tutelam impetraverit *(k)*. Si duo impetraverint tutelam dativam, qui prior fidejuſſerit præferetur. Hoc autem in omni tutela & etiam Cuſtodia obſervandum eſt; quod licet pupillus vel aviæ vel matri jam mortuæ ſit ſucceſſurus; tamen quamdiu pater vivit, is erit ejus legitimus tutor *(l)*: natura enim, præter jus omnium gentium, patrem in cura corporis filii omnibus aliis præfert: nec locus erit avo materno, licet ei ſit ſucceſſurus. Si ſucceſſio ab avo deſcendat, præmoriente filio patre pupilli; avus præferetur dativo, eodem modo ac pater. Quòd ſi neque ſit avus neque pater, & alius teſtamentarius nominatus ſit, ſed per ætatem inidoneus, donec legitimæ fuerit ætatis, locus eſt legitimo. *(m)*. Si legitimus intra annum & diem non fidejuſſerit, ut dixi, & de rationibus reddendis finitâ tutelâ & de fideli adminiſtratione juraverit, locus eſt dativo *(n)*. Si ſpurius liberos reliquerit, legitimus eis tutor eſſe non poteſt, neque enim agnatos ex parte patris habet *(o)*.

8. Hoc etiam ſpeciale eſt in furioſis & idiotis, mutiſque ſimul & ſurdis; his datur curator ex Brevi per inquiſitionem, qui de idiotiſmo & furore cognoſcent, & à quo tempore tales erant; & quod illi pronunciaverint, pro veritate habebitur *(p)*: adeo ut quodcunque ab his geſtum eſt, poſtquam furere cœperint, aut à mente cadere, nullum ſit ope exceptionis *(q)*. Quod mirum eſt, cum ante inquiſitionem hi idiotæ & furioſi poſſint alienare: & tamen, ſi ex inquiſitione compertum fuerit eum tempore alienationis mente captum, reſcinditur. Et hoc etiam cavetur, ne his perſonis curator detur, qui proximè ſucceſſurus eſt, ob ſuſpicionem captandæ, ut dixi *(r)*, mortis; & quicunque curator fuerit, jurabit de rebus eorum in eodem ſtatu conſervandis & non alienandis, & omnia in ejus utilitatem ſe facturum, & corpus ejus curaturum & ſervaturum, & idoneè cavebit, inventariumque

(a) Cap. 47. lib. 2. Reg. Majeſt. (b) l. 1. §. 1. & l. 5. ff. ubi pupillus educari, & l. 2. C. cod. (c) pr. Inſtit. de legitim. patron. tutela, l. 10. ff. de reg. jur. (d) Cap. 106 legum burgorum. (e) l. 11. ff. de teſtam. tutela. (f) pr. Inſtit. qui ſatiſd. cog. (g) § 3. Inſtit. de tutelis (h) l. 4. ff. de teſtam. tutela. (i) d. l. 11. ff. de teſtam. tutela. (k) pr. § 1 & 2. Inſtit. de Attiliano tutore, l. 11. pr. & § 1. ff. de teſtam. tut. (l) §. 6. in fine Inſtit. quibus modis jus patriæ poteſt. Solvitur & l. 3. § 10. ff. de legitim. tut. (m) d. l. 11. de teſtam. tut. (n) d. pr. § 1 & 2. Inſtit. de Attil. tut & l. 11. pr. & § 1. ff. de teſtam. tut. (o) § 12. Inſtit. de nuptiis, l. 2. ff. unde cognati. (p) § 2. Inſtit. de curat. l. 1 & 6. de curat. furioſ. cap. 67. Parl. 8. Jac. III. (q) d. cap. 67. Parl. 8. Jac. III. (r) § 6.

que faciet, cum nemo ad alienæ rei adminiſtrationem admitti debeat, niſi inventario facto & cautione præſtitâ *(a)*. Si pater aut mater aut uxor contra talem actionem intentare voluerint, aut cum eo contrahere, licet pater ſit legitimus ejus tutor, tamen curatores ab ordinario judice dari poſtulabit ad lites. Et ut omnem curatorum materiam, quæ in uſu noſtro eſt, expediam; maſculi 14. anno completo, fœminæ 12. curatores eligunt, impetrato edicto ab ordinario, de citandis duobus ex parte patris, & totidem ex parte matris, qui citari debent legitimè & ad crucem præcipui illius territorii burgi, in quo territorio pupillus majorem partem bonorum habet, ſub ſpatio 9. dierum *(b)*; quòd compareant coram ordinario, ut videant curatores pupillo vel adulto dari: quo die præſtituto adveniente, ipſe minor curatores nominabit, & dabuntur non ſolùm quos ipſe nominat, ſed eodem modo quo nominat; qui jurabunt de fideli adminiſtratione, & cavebunt de rationibus reddendis, nec poſtea removebuntur, niſi ex juſta cauſa coram ordinario probata, nempe ob malè adminiſtratam curationem *(c)*.

9. Sunt & curatores ad lites, qui quocunque tempore litis à judice dantur *(d)*: & hi etiam jurabunt & cavebunt, ut dixi; & licet eorum nomen in libello non contineatur, repetitur tamen in toto proceſſu. In pluribus curatoribus, unus pro alio fidejubere poteſt. Mater aliquando tutrix dari poteſt *(e)*. Eſt etiam cuſtodia perſonalis furioſorum & idiotarum; nam & de horum cuſtodia diverſæ conſuetudines fuerunt, quia idiotarum cuſtodia ad proximos agnatos pertinebat, furioſorum ad Regem. Ratio eſt, quia furioſi vinculis ſunt coërcendi, quorum jus nemo præter Regem habet; donec ſtatuto Parliamenti, quod Lythcoæ habitum mense Decembri anni 1585. convenerat, ut eadem eſſet furioſorum, quæ idiotarum ratio, & utrorumque cuſtodia ad agnatos proximos pertineret *(f)*. Sed hoc puto temperandum, niſi eorum feuda per militare ſervitium teneantur; nam domini ſuperioris & nomen & fides, etiam dignitas non patitur vaſſallum furioſum aut idiotam alterius fidei committi, quàm ſuæ; & in hoc dominus ſuperior præferendus tam Principi, quam tutori alii & proximis omnibus agnatis *(g)*: quanquam ad Principem proprie pupillorum, idiotarum, aut furioſorum cura & tutela pertineat; qui & ideò, cùm ceſſatur à proximis agnatis, tutores dat, qui *Dativi* dicuntur; & Princeps ſit pater patriæ, cujus proprium eſt curare, ut infirmioribus ſuccurratur; ſuperior tamen de quo feudum tenetur (ut *(h)* dixi) in hoc caſu ei præfertur: licet omnia verè expendenti, ſuperior hic nihil aliud ſit, quàm verus tutor & verus cuſtos. Nam licet poſtea tutoris nomen ad eos qui curam pupillorum habent tranſlatum ſit, ab initio tamen omnium commune erat, qui aliorum curam, tuitionem & protectionem in ſe reciperent *(i)*: neque enim hodie negandum eſt, alium cuſtodem & tutorem alium unius pupilli eſſe poſſe; præſertim ſi aliquod ſit pupilli militare feudum, ut ex ſequentibus apparebit. Tutoris & curatoris nomina apud Anglos rara ſunt, utrique *Guardiani* dicuntur. Finitur autem tutela decimo quarto ætatis anno in ſoccomannis; nam tum ſufficere apud Anglos videtur minor ad agriculturam, cujus ibi præcipua habetur ratio. Burgenſium heredes apud Anglos exeunt è cuſtodia, cùm pannum per dorſum metiri, & numerare pecuniam rectè queunt *(k)*.

10. In furioſorum & idiotarum cuſtodia hoc obſervandum, quòd ſi militaria habeant feuda, fructus ad dominum pertinent; ita tamen ut eos pro dignitate alat & curet. Jure tamen Anglorum, non ſolùm furioſorum & idiotarum perſonæ in cuſtodia Principis ſunt, ſed etiam feuda; ita ut, deductis alimentis pro dignitate pupilli, reliquos fructus ſuos faciat, cùm interea ejus operâ & ſervitio Rex careat: &, mortuo furioſo aut idiotâ, feudum Rex ejus heredi reſtituet. Si ſemel mentis

(*a*) l. ult. § 4. C. de adminiſt. tut. juncta Nov. 72. cap. ult. l. 24. C. de adminiſt tut. & l. 13. § 1. C. arbitr. tutelæ, & jure noſtro, cap. 2. Seſſ. 3. Parl. 2. Car. II. (*b*) Cap. 35. Parl. 6. Reg. Mariæ. (*c*) Nupero etiam ſtatuto, viz. 9. Seſſ. 6. Parl. unic. Gul & Mariæ, patribus permittitur non ſolùm tutores, ſed & curatores certis conditionibus & qualitatibus nominare. (*d*) § item inviti 1. Inſt. de curat. & l. 2. C. qui legitimam perſon. ſtandi in judicio. (*e*) Nov. 118. cap. 15. (*f*) Cap. 18. Parl 10. Jac. VI. Vid. D. 18. § 29. (*g*) Diſſentit D. Georgius Mackenzius in ſuis Obſerv. in hoc caput. (*h*) § 4. (*i*) Et apud nos ſpeciali ſtatuto cavetur in omnibus tutoribus & curatoribus, ne ſint religionis Romanæ, cap. 8. Parl. 1. Car. II. (*k*) Cap. 41. lib. 2. Reg. Majeſt.

compotes fuerint, & poſtea in phreneſim inciderint, Rex adhuc eorum cuſtodiam habebit, & interea pro dignitate alet; fructus ſervabit in eorum uſum, ſi ſanitatem recuperaverint, alioqui fructus ſuos facit; poſt mortem hereditatem reſtituet. Hujus autem generis cuſtodes ex ſoccagio, licet non ſolùm perſonam pupilli tueantur, ſed etiam omnem rem, proventus, moventia & non moventia bona adminiſtrent; fructus tamen ſuos non faciunt, ſed expleto officio, pupillo jam adulto & ejus curatoribus, quos elegerit, rationem reddere tenentur. Hic autem guardianus in ſoccagio, alteri cuſtodiam demandare poterit apud Anglos, non tamen apud nos: & in hoc cum jure Civili conſentimus, nam quæ in nuda adminiſtratione conſiſtunt, tranſlationem non admittunt. Nam fruſtra id fidei tuæ adminiſtrandum committitur, quod in alienam fidem rurſus vis committere, & tanquam curam adminiſtrationis à te amandare. Terrenus autem annotat, in quibuſdam Galliæ locis cuſtodiam ad parentes aſcendere, qui *Balliſtri* dicuntur; & niſi quòd pupillum pro dignitate familiæ educare teneantur, fructus etiam qui de prædiis percipiuntur ſuos faciunt, quod in Britannia non eſt receptum.

11. Hæc autem omnia à jure Civili originem ſuam ſumpſerunt; quò Prætor adeundus ſemper eſt, ut is judicet apud quem pupillus educari debeat, qui ex perſona, conditione & tempore ſtatuet, ubi ſit alendus *(a)*. Et nonnunquam à voluntate patris Prætor recedet, & præcipuè id aget, ut ſine ulla maligna ſuſpicione alatur; imò aliquando, pro auctoritate, aliquem recuſantem & invitum, præcipuè ſi ſit ex propinquis & affinibus, coget educandum pupillum ſuſcipere. Semper autem ex cauſæ cognitione Prætor ſtatuet, ut dixi; præcipuè tamen matri commendabit pupillum educandum, niſi ea vitricum ſuperinduxerit *(b)*. Sic quod religioni judicis jus Civile permittit, vicini noſtri quibuſdam cancellis volunt includere; quod tamen ſemper ſequendum non puto.

12. Secundum genus cuſtodiæ eſt, quæ *feudalis* dicitur; nempe, cùm vaſſallus in feudi militaris ſaſinâ decedens, heredem minorem relinquit: & hæc cuſtodia, tam ipſius feudi militaris, quàm pupilli, domino ſuperiori competit, licet alios tutores aut teſtamentarios à patre inſtitutos habeat, aut agnatos, qui legitimi ſunt & in legitimos quindecimvirali judicio recepti: nam ſuperioris domini ratio reliquos omnes prægravat, & de hoc genere cuſtodiæ propriè inſtitutum noſtrum eſt tractare.

13. Quoties itaque vaſſallus in feudo militari decedit, ita ut in eo feudo ſucceſſio ad ejus heredem pertineat immediatè, iſque heres minor & infra ætatem ſit, cuſtodia tam ipſius pupilli, quàm ipſius feudi, ad dominum ſuperiorem pertinet, donec heres ad legitimam ætatem pervenerit *(c)*. Et hæc cuſtodia apud nos *Warda* dicitur, apud Gallos *Guardia*; nam tum feudum domino aperitur ad tempus lege conſtitutum.

14. Quæ autem hæc ſit legitima ætas, ut pleniùs intelligatur, & quæ quamque ætatem ſequantur, ſciendum eſt hominum ætates variè in jure & in uſu quotidiano ſumi. Nam infans dicitur uſque ad ſeptennium *(d)*; nam eâ ætate aut omnino non fatur, aut magna cum difficultate: quo quidem toto tempore eſt apud nos in cuſtodia parentis infans; aut, ſi pater deceſſerit, in matris cuſtodia. Quoad corporis cuſtodiam aut tuitionem, matris perſona deligitur; quia nulla ex morte pupilli ad eam utilitas poteſt pervenire, ex vita autem multa. Et hæc eſt ratio, cur infantis educatio ei permittatur, quia per maternam ſollicitudinem & curam, mutua officia & commoda à pupillo, ſi vixerit, poterit ſperare. Notandum, quòd licet mater vel avia teſtamentarii ſint tutores, (nam ab aliis tutelis excluduntur *(e)*;) ſi ſe viro ſubjecerint, quibuſcunque verbis teſtamentaria tutela ſit conſtituta, tutelâ tamen cadit *(f)*; neque enim qui in aliena poteſtate eſt, alium in poteſtate habere poteſt. Idem ſi corpus ſuum polluat *(g)*. Si non ſit mater, ad proximum agnatum, qui non ſit ſuc-

(*a*) l. 1. § 1. ff. Ubi pupillus educari & morari debeat. (*b*) l. 1. C. Ubi pupillus educari debeat. (*c*) Sic apud nos ſtatutum, cap. 1. Malcolmi Regis apud nos octuageſimi tertii, qui regnare cœpit A. D. 1004. Vid. etiam § 3 & 4. ejuſdem, ex ipſa juris Feudalis analogia, & cap. 41. lib. 2. Reg. Majeſt. (*d*) l. 18. C. De jure delib. (*e*) Nov. 118. cap. 5. (*f*) l. 2. in fine, C. Quando mulier officio tutelæ fungi poteſt, & Auth. ſacramentum, ibi. (*g*) l. 1. § 1. & l. 5. ff. Ubi pupillus educari vel morari debeat.

ſucceſſurus, tutela devolvitur. Neque enim ad ullum, cui utilitas ex morte infantis obvenire poteſt, educatio infantis, quamdiu in infantia eſt, pertinere poteſt.

15. Secunda eſt ætas pupillaris, cùm nondum mas decimum quartum annum compleverit, fœmina duodecimum *(a)*. Quæ inter infantiam & pupillarem ætatem interjacet, in duas partes dividitur; prior infantiæ, poſterior pupillari ætati adjudicatur, & proxima dicitur *(b)*. In hac ætate per tutorem regitur, reſque ejus omnes, quæ non tenentur in feudo militari, ab eo adminiſtrantur *(c)*. Si legitimus ſit ſuſpectus, aliquando adjicitur curator *(d)*. Quòd ſi plures tutores habeat, poteſt uni cum reliquorum conſenſu fundum pro novemdecim annis locare, niſi evidens ſit læſio. Sciendum nullum eſſe conſenſum infantis, quamdiu in infantia eſt; neque quicquam poſſe per ſe facere, imò nec cum tutoris auctoritate, cùm auctoritas accedere debeat alicui actui, ſed infantis nullus eſt actus, nullum judicium *(e)*. Itaque neque velle, néque nolle creditur; quod & in pupillo etiam infantiæ proximo intelligitur, ut apertè decidit Decius. Si verò ſit pubertati proximus, & etiam doli capax eſt *(f)*: apud nos etiam actione vi bonorum raptorum tenetur, ut illic etiam Decius. Itaque in infante & infantiæ proximo, ut tutor etiam omnia adminiſtret neceſſe eſt; utilitatis causâ tamen introductum eſt ut tutor conſentiat tantùm, cùm pupillus velle & nolle intelligitur. Ita tamen ejus conſenſus adhibetur, ut, licet pupillo conſenſiſſe dicatur, ſolus in rerum adminiſtratione ſubſcribat, ſolus adminiſtret, & rem pupillarem gubernet *(g)*. In actionibus redemptionis, & de migrando, ſemper tutores ſunt citandi: nam ſine eorum auctoritate, in judicio ſtare non poteſt *(h)*. Si minor citetur ratione tenementi, quod in cuſtodia domini eſt, ſemper ſuperior dominus citandus eſt, ut actus valeat *(i)*. Si tutor ſit incarceratus, omnes actiones interea contra pupillum ceſſant, ut etiam præſcriptiones ab eo tempore cœptæ: debitores, qui tutoribus ſolverunt, liberantur *(k)*.

16. Minor ætas licet generaliter pupillarem & perfectam ætatem interjacet, hoc eſt, à decimo quarto anno ad vigeſimum primum, in qua ætate adoleſcentes dicuntur, & aliquam rerum ſuarum adminiſtrationem habent; curatoris tamen cônſenſus neceſſariò adhibendus *(l)*: adeò ut, ſi curatorem habeat, quod ſine ejus conſenſu geſtum eſt, ſit ſine declaratoria, & per exceptionem, nullum. Vidi tamen Senatum, in rebus non magni præjudicii, velut fructibus unius anni, ratas habuiſſe apochas, quas minor ſine conſenſu curatoris dederat. In his duabus ætatibus, infantia ſcilicet & pupillari ætate, jus noſtrum cum jure Civili & Canonico conſentit: pupillaris autem ætas maximè ſpectatur in his cuſtodiis, ut poſtea dicemus.

17. Perfecta ætas, tam in mare quam fœmina, eſt viginti unius annorum *(m)*, jure Civili viginti quinque, ut in ea ætate res ſuas adminiſtrare, & de iis diſponere poſſint, ex ſuo tantum arbitrio, nullius alterius perſonæ auctoritate interpoſitâ *(n)*. In burgenſium heredibus, ſi mercaturam exerceant, perfecta ætas conſideratur, quantum ad mobilia ſpectat, cùm primùm pecuniam numerare diſcunt, rectamque monetam ab improba diſcernere, & pannum duplicatum per dorſum metiri *(o)*. Verùm hoc, ſi mercaturam vel ſuo vel patris nomine exerceant, ut id quod faciunt valeat, neque decipiantur qui cum iis contrahunt: alioqui reſtitutioni locus eſt, de omnibus quæ à minori in ejus evidens incommodum acta & tranſacta ſunt, quæ ſolet & debet interponi, uſque ad vigeſimum quintum annum, poſt quem reſtitutioni locus non eſt, propter quadriennale ſilentium *(p)*. Nam minor læſus reſtitui poteſt *(q)* in his omnibus, quæ ante vigeſimum primum annum completum fecit *(r)*;

(*a*) pr. Inſt. Quibus modis tut. finitur. (*b*) § 10. Inſt. De inutilibus ſtipul. (*c*) § 2. Inſt. De auth. tut. & l. 8. ff. De auth. & conſenſu tut. (*d*) l. 9. De ſuſpectis tutoribus. (*e*) l. 9. ff. De acquir. vel omitt. heredit. (*f*) l. 111. ff. de reg. jur. (*g*) l. 5. de reg. jur. (*h*) l. 1 & 2. C. Qui legitim. perſonam ſtandi in judicio. (*i*) Cap. 90. § 6. Quoniam attach. (*k*) § 2. Inſt. Quibus alienare licet. (*l*) l. 1. § 2. ff. De minoribus. (*m*) In ſubditis ac ipſo Rege, cap. 2. Parl. 1. Jac. II. cap. 87. Parl. 10. Reg. Mariæ, & cap. 22. Parl. 11. Jac. VI. Sed in hac materia Wardæ ætas perfecta fœminarum diverſa eſt à maribus, ut in cap. 5. Parl. 3. Reg. Mariæ. (*n*) l. 1. § 3. ff. De minoribus. (*o*) Cap. 41. lib. 2. Reg. Majeſt. (*p*) l. 5 & ult. C. De temporalibus in integrum reſtit. (*q*) d. l. 1. § 2. ff. De minoribus. (*r*) l. 3. C. De in integrum reſtit.

poſtremum quadriennium tantùm ad perſequendas actiones reſtitutorias conceditur. Reliquarum ætatum par & eadem omnium ratio eſt ex jure Civili.

18. Itaque, ut ad Cuſtodiam noſtram redeamus, in militari feudo, quamdiu mas 21. annum non compleverit, & fœmina decimum quartum, tamdiu ſunt in dominorum cuſtodia *(a)*. Rationem diverſitatis, cur major ætas in mare quàm in fœmina requiratur, antea *(b)* expoſui. Si fœmina jam nupſit, cenſetur major, & à cuſtodia liberatur *(c)*; & jam illa cum marito ad judicia citanda eſt. Dominus feudi, ad quem cuſtodia pertinet, toto tempore cuſtodiæ adminiſtrationem feudi habet, fructuſque ſuos facit, Eccleſiæ Paſtores providebit *(d)*, (in Gallia patronatus Eccleſiarum ſpecialiter reſervantur) non ſolùm illius feudi quod ad vaſſallum in dominio utili pertinebat, ſed & omnium valvaſſorum, qui de hoc vaſſallo tenebant; nam non minùs eorum, quàm ipſius principalis vaſſalli feuda ſub cuſtodiam cadunt, per principalis vaſſalli deceſſum. Itaque, ſi quæ maritagia vaſſallis à valvaſſoribus debeantur, ſi patronatus Eccleſiarum qui ſint, dominus ſuperior providebit, quæcunque accidentia (*Eſchetas* vocamus,) obventiones aut utilitates vaſſallo evenire poterant, ſi viveret, ea omnia dominus durante cuſtodiâ percipiet *(e)*. Ab aliis tamen feudis pupilli, quæ ſub eo feudo non comprehenduntur, dominus abſtinebit: neque enim ea in cuſtodiam cadent. Hoc tamen ſolatii dominus habet, quòd cùm alioquí pupillum alere & educare pro dignitate teneatur ex fructibus ſui feudi, ſi pupillus aliunde feudum habeat, unde commodè ſuſtentari poterit, in eo caſu dominus de alimentis ei præſtandis non tenetur, ſed ſibi heres ex iis alimenta ſibi ſuppeditari curabit, niſi & ea vel ſub alterius domini cuſtodia ſint, aut minor ea ejuſdem domini cuſtodiæ ſubjicere velit, ut Normannicæ conſtitutiones volunt. Nos pupillum ut hæc ſubjiciat cogere non ſolemus; ſed, æſtimatis eorum fructibus, quod ſupereſt ad plena alimenta arbitrio Senatûs à domino exigimus. Præfertur autem hic dominus, in cuſtodia turrium & fortaliciorum pupilli, omnibus ejus tutoribus & curatoribus.

19. Præterea, hoc generaliter obſervandum eſt; dum feudum eſt in cuſtodia, ut in ea conditione, quâ id accipit dominus, in ea ſervare teneatur ædes, maneries ſartas tectas ſervare, ſilvas, prata, hortos, ſtagna, molendina, paſcua, columbaria, & quæ ex feudo pendent, omnia in priſco ſtatu cuſtodire: ex iis nihil diſponet, nihil alienabit, ædes non diruet, arbores, ſive eæ ſint fructiferæ, ſive ornamenti causâ ſatæ, non removebit, ſuccidet aut eradicabit, præcipuè quæ alti ſunt faſtigii, (quæ Gallicè *de haute fuſtaye* dicuntur.) Si vento ceciderint, non poteſt diſtrahere *(f)*. Hoc autem Angli ſub *Vaſti* nomine comprehendunt. *Vaſtum* autem nihil aliud eſt, quàm *vaſtatum* per ſyncopen, & ab hoc vaſto faciendo dominus, qui cuſtodiam habet, abſtinebit. Si quidquam horum fecerit, de damno tenebitur, ſi probari poterit; aut, ut Normannicæ aut Gallicæ conſtitutiones volunt, à cuſtodia removebitur, quòd non ex fide in ea fuerit verſatus. Apud nos eadem ratio eſt, licet uſu receptum de privatione feudi non vidi; putoque non recipiendum niſi donatarius damno reſarciendo ſit impar. In his omnibus, & eorum adminiſtratione, dominus ſuperior, ut dixi, tutori, ſive is ſit teſtamentarius, ſive legitimus, præfertur. De ſilvis cæduis quæſtio eſt in Gallia: nam cùm illi nullo alio genere ignis utantur, quàm lignis, ſolent ſilvæ cædi & diſtrahi, & pretium inter fructus numeratur. In his dominus, ſive ejus donatarius, ſe geret ut vaſſallus antea ſe geſſit, & nunquam majorem quantitatem cædendo diſtrahet, quàm dominus, cum viveret, facere ſolitus erat. Et licet apud nos ſilvas cæduas non habeamus, hederâ tamen & myricâ aliquando in furnis utimur, quibus donatarius ita uti poteſt, ut vaſſallus antea uti ſolitus eſt, ut loci faciem non mutet. De carbonibus, ſi quæ ſint in feudo carbonifodinæ, antea dixi *(g)*: nam quamvis pars fundi videantur, ſi vaſſallus, cùm viveret, ſolitus eſt publice vendere, in eadem moderatione dominus ſuperior & ejus donatarius utetur, ita tamen ut plures quàm vaſſallus priùs ſolitus erat foſſores non adhibeat, ne ſodinas

(*a*) Cap. 41. § 1 & 3. lib. 2. Reg. Majeſt. (*b*) § 4. (*c*) Cap. 48 & 70. lib. 2. Reg. Majeſt. (*d*) Cap. 42 & 45. lib. 2. Reg. Majeſt. (*e*) Cap. 42. § 1. lib. 2. Reg. Majeſt. (*f*) Cap. 25. Parl. 3. Jac. IV. & cap. 15. Parl. 4. Jac. V. (*g*) D. 8. § 18.

nas exhauriat, & vaſſallo inutiles reddat, cùm ad ætatem pervenerit. De lapicidinis & cretifodinis etiam antea dixi *(a)*; quòd eæ fructibus cederent, dummodo fructus ex iis colligere vaſſallus vivens ſolebat. Rei faciem aut ædium formam mutare non poteſt, niſi damno ſe ſubjiciat, aut ſaltem quanti intereſt formam non mutatam. Denique, durante cuſtodiâ, dominus, ſive quis ab eo cauſam habens, omnia poteſt quæ vaſſallus, dum viveret, poterat. Neque ſui juris declaratoriâ opus eſt, ut in non-introitu, neque citatione ipſius heredis opus eſt; ſed brevi manu curias inſtituet, Balivos & Officiarios creabit, veteres removebit, niſi retinere maluerit; colonos, quos retinebit, ad pendendos ſibi fructus coget, controverſias inter eos componet, omnibuſque, quæ obvenire ſolita ſunt, pro ſuis utetur: alienationes, niſi quæ ſint quibus conſenſerit, id eſt, quas aut de ſe receperit tenendas, aut confirmaverit, non tenetur agnoſcere, neque ſi qui ſint uſusfructus aut aſſedationes à priori vaſſallo factæ: nam nulla harum aſſedationum colonum à migratione prohibebit *(b)*, ſed interea pro ſepultis habebuntur, redituræ ad ſuum vigorem quamprimum Warda fuerit finita. Exempli causâ, ſi, aſſedatione novemdecim annorum factâ, vaſſallus ante elapſum biennium moriatur, & ſuperior colonis denunciaverit migrandum eſſe, coloni exceptione aſſedationis factæ tueri ſe non poterunt, licet à principio aſſedatio ritè facta & legitimè fuerit conſtituta, cùm in eum caſum inciderit, à quo incipere non potuit; ſilet toto tempore hujus cuſtodiæ, & eâ finitâ, reviviſcit in eodem ſtatu quo ceciderat, id eſt, ſeptemdecim anni qui ſupererant, cùm vaſſallus moreretur, & feudum in Wardam caderet, ab ingreſſu vaſſalli rurſus currere incipient, donec debitum tempus ejus abſolvatur.

20. Tenetur etiam dominus lites omnes pupilli nomine proſequi, ſed non quæ ad hereditatem aut jura hereditaria pertinent *(c)*. An autem debita, ſive onera hereditaria ſolvere teneatur dominus, aut ejus donatarius, quæſtio apud Gallos magna fuit, & hodie eſt. Nam cùm iniquum videretur pupillum lacerandum proponere, non ſolùm donatarius pro modo facultatem tenetur debitis & oneribus pupillum liberare, ſed etiam ejus matri, & propinquis præſentibus, nomine pupilli, ſatisfacere ſive cavere, de cuſtodia pupilli ritè adminiſtranda, nec niſi inventario de omnibus rebus, præcipuè de monumentis ritè facto, ſe rebus pupilli miſcebit. Sic & jure noſtro antiquo, donatarius heredem apparentem debitis hereditariis liberabit *(d)*. Puto tamen hoc intelligi de oneribus realibus, cùm conſenſu dominorum ſunt conſtituta, aut de tributis, impoſitionibus, exactionibus: aliis namque debitis hodie apud nos heredem liberare non cogitur. Si vaſſallus plura feuda hereditaria de diverſis dominis tenuerit, quilibet dominus ſui feudi cuſtodiam habebit, eiſdem legibus quibus (ut antea *(e)* dixi) unus dominus, ſive ſuperior.

21. Finitur autem hæc cuſtodia poſt perfectam ætatem vaſſalli; qui ſi mas fuerit, cenſetur perfectæ ætatis poſt vigeſimum primum annum completum, ut nuper dixi *(f)*; ſi fœmina, poſt decimum quartum. Nam licet fœmina viri potens dicatur cùm duodecimum annum expleverit, tamen quòd ad jus dominii ſui attinet, in cuſtodia permanet uſque ad decimum quartum annum, quod eo tempore vere & non præſumptivè fit nubilis: ultra quod tempus, dominus, ſi non providerit ei de marito, ſed ceſſaverit eam elocare, inveſtituram ei facere de ſuo feudo tenetur. Et ſi filia ipſa ſe elocaverit, minoris æſtimabitur maritatio, ut poſtea dicemus. Item, ſi vaſſallus plures filias heredes reliquerit. Apud Anglos, ſi fœmina jam decimo quarto anno currente aut pleno in cuſtodiam inciderit, cuſtodia adhuc in duos annos continuatur, ne dominus omni commodo cuſtodiæ deſtituatur, & ut illud tempus domino currat, quo hæredi fœminæ poterit de marito providere. Sciendum etiam & hoc eſt, filiam heredem, etiamſi major 21 annis, à domino tamen cuſtodiri debere donec nubat: nam ejus judicio & conſilio in nubendo ſemper ſtare debet. Jure Normannorum, ſemper in cuſtodia ſui domini eſt, [donec *(g)* vigeſimum primum annum compleverit; nec cenſetur extra cuſtodiam ſui domini eſſe filia he-

(a) D. 8. § 21. (b) Cap. 26. parl. 3. Jac. IV. (c) Cap. 42. § 6, 7, & 8. lib. 2. Reg. Majeſt. (d) d cap. 42. § 6, 7 & 8. lib. 2. Reg. Majeſt. (e) § 18. (f) § 17. (g) Hæc verba uncinulis incluſa in MS. codice non habentur.

res,] donec marito juncta ſit: adeò ut ſi ante decimum quartum annum, à domino ſuo elocetur, Warda ſive cuſtodia etiam à die elocationis finiatur (*a*). Si quis, cum ipſe feudum militare non habeat, uxorem duxerit eam quæ in militare feudum debeat ſuccedere, quamdiu maritus eſt intra 21. annos, tamdiu feudum erit in cuſtodia: nam fœmina ſequitur conditionem ſui mariti. Quod tamen apud nos locum non habet.

22. In his feudis militaribus, dominus etiam unius anni fructus percipiet, ſupra 21. annos, nos *Relevium* dicimus. Galli & Angli nullum relevium terrarum, quæ in cuſtodia ſunt, deberi putant, licet in idem nobiſcum recidant: nam peracto vigeſimo primo anno, alium adjiciunt, quo domini differre poterunt inveſtituram, ut interea tempus habeant inquirendi de monumentis ad inveſtituram neceſſariis; & ſic illius anni fructus ſibi vendicantes, rem in vigeſimum ſecundum annum expletum differunt; quodque apud nos relevium eſt, id aliâ ratione ſupplerunt. Sed de hoc relevio mox plura. Ex conſuetudine noſtra, vigeſimo primo anno vaſſallus immediatè feudum ingredi poteſt (*b*). Id ut faciat, cum in domini cuſtodia jam non ſit, nec teneri poſſit, Cancellariam adibit, Brevia ex ea, per quæ ſe in heredem patri, aut alii ſuo prædeceſſori deſerviri curabit, impetrabit, eâque deſervitione ad Cancellariam retornata, Regia ex Cancellaria præcepta diriguntur, quibus domino mandatur, ut inveſtituram vaſſallo faciat. Si hic ter monitus per Regia præcepta, differat adhuc, novum præceptum à Rege dirigetur pro vaſſallo inveſtiendo ad dominum antiquiorem: ſi & is recuſet, ad ipſum Regem pervenitur, & tum Rex mandat Vicecomiti ſuo, ut ſaſinam vaſſallo concedat.

23. Impedientia autem cuſtodiam hæc ſunt: primo, ſi terræ in emphyteuſim datæ ſint; nam cum, ob publicam regni utilitatem, à tribus regni Ordinibus conſtitutum eſſet, ut omnes terræ, ſive eæ de Rege tenerentur, ſive de Eccleſia, ſive de aliis perſonis, in emphyteuſim locarentur, ut à tenentibus non ſolùm arva coli & meliorari poſſent, ſed etiam ædibus ad recipiendos hoſpites exornarentur, quod coloni negligunt facere, quamdiu pro arbitrio dominorum cogi poſſunt migrare: publica totius regni utilitas privatæ dominorum cuſtodiæ & ejus commodis prævaluit (*c*). Itaque ſi vaſſallus feudum militare, quod cuſtodiæ domini ſui obnoxium eſt, habeat, poterit alium in eodem ſubveſtire, id eſt, alii idem feudum diſponere in emphyteuſim, pro certa annua mercede, quæ non ſit novo extentu inferior, adeo ut ſi æſtimatio feudi ad viginti libras excurrat, & novus extentus ad octoginta ut plurimum, aliquando ad plus, minuſve, ut cujuſque regionis eſt mos, extendetur; merceſque quæ in hac inveſtitura emphyteutica continebitur, non minor erit octoginta libris. Alii, ut diligentius caveant, & ut augmentum aliquod ſit rentalis, etiam parvum aliquid ſupraddunt; ſic ut ſemper merces, aut ſit novo extentu terrarum major, aut ſaltem ei æqualis: in quo tamen domino in cuſtodia ſua præjudicatur; nam licet mercedem emphyteuticam capere poſſit, liberam tamen feudi adminiſtrationem, quæ cuſtodiæ propria eſt, non habet: imo & in æſtimatione valoris maritationis damnum etiam ſentiet. Sed hæc omnia (ut dixi) publicæ utilitati, pro totius regni commodis introducta, cedunt; cum tamen alioqui dominus, durante wardâ, nullas alienationes agnoſcere teneatur, niſi quibus ipſe, aut ejus prædeceſſores conſenſerint, aut quas confirmaverint. Hodie ex publico trium Ordinum ſtatuto in Parliamento, quod nuper Perthæ habitum eſt menſe Julio anno ſexcenteſimo ſexto cautum eſt, ut ſi terræ in emphyteuſim locentur, in eis maritatio heredis ſemper priori domino reſervetur (*d*). Nam in fructibus ſolus canon emphyteuticus, durante wardâ, domino reſervatus, non videbatur ſufficere, ſi commodo maritationis defraudetur.

24. Diximus de Curialitate antea, eam jus cuſtodiæ feudi impedire, non ſecus ac ſi uſusfructus à domino alicui ſit conceſſus. Nam proviſio legis æquiparatur proviſioni hominis. Idem in dominarum trientibus, ſive tertiis, quæ etiam ex lege deſcendunt, & non ex proviſione hominis. Præterea fraus omnis in his cuſtodiis abeſſe debet, tam ex parte domini quàm vaſſalli: ex parte domini, ut cum moderatione,

(*a*) Cap. 48. & 70. lib. 2. Reg. Majeſt. vid. § 38. (*b*) Cap. 40 & 71. lib. 2. Reg. Majeſt. vid. D. 12. § 25. (*c*) Cap. 71. Parl. 14. Jac. II. & Cap. 91. Parl. 6. Jac. IV. (*d*) Cap. 12. Parl. 18. Jac. VI.

ne jure ſuo utatur, ut ne quid præter ſolitum urgeat. Nam, ut Angli loquuntur, neque conſuetudines irrationabiles introducet, nec ſervitia niſi rationabilia exiget, ſed cum moderatione jura ſua exſequetur : vaſtum ſive pauperiem facere non debet, aut ædium, hortorum, ſylvarum, aut viridariorum uſum tollere ; alioqui cuſtodiâ feudi privabitur. Sic etiam ſi terram aut feudum ipſius vaſſalli, aut ejus partem alienaverit, ut jus vaſſalli ſui intervertat : nam hoc caſu & cuſtodiam & jus omne quod in terram habet, amittet, & privabitur. Quod ſi ea privatio minoris æſtimabitur quàm ipſum damnum, juſtâ æſtimatione damni factâ, quod ſupereſt ex cuſtodia & ex domini facultatibus damnum reparabit.

25. Rex ex prærogativa ſua, cum vaſſallus ſuus moritur qui de eo tenet, tam citò de terris vaſſalli ſui ſaſitus eſt, quæ *prima ſaſina* ab Anglis dicitur : & hæc eſt præſumptio juris & de jure, quæ ab illis *intelligentia juris* dicitur, quaſi hæc ſaſina potiùs ex jure intelligatur eſſe, quàm revera ſit, cum Rex per coronæ ſuæ acceptionem, in omnibus totius regni terris cenſeatur inveſtitus, eaque ſaſina continuata videtur, donec per inquiſitionem legitimè factum, vaſſallus feudum ingrediatur & hominium preſtet, ut creditur. Sic etiam in jure noſtro ſcripto (quod ideo ab Anglis emanâſſe eſt credibile, cum hodie apud nos non ſervetur) dominus cuſtodiam heredis habebit, donec ab herede homagium acceperit *(a)*. Quod ſi dominus, finitâ Wardâ ſive cuſtodiâ, heredem inveſtire recuſaverit, & ſine cauſa feciſſe legitimo judicio poſtea cognitum fuerit, herede per Brevia retornato & recognito, dominus ad intereſſe tenetur, non minus ac ſi violens poſſeſſor, ad fructus qui percipi poſſunt *(b)*.

26. Hoc etiam monendum in his cuſtodiis eſt, ſi quis ſuam cuſtodiam à Rege aut domino ſuo ſuperiore nactus ſit pretio & compoſitione, ut fieri ſolet, aſſedationes à prædeceſſoribus ſuis factas, ſervare tenebitur, licet eas antea diximus durante cuſtodiâ ceſſare.

27. Et quamprimum ad perfectam ætatem pervenerit, tum demum etiam hereditatem agnoſcere, & eam ingredi tenetur, nec ei proderit, licet in ſua diſpoſitione, non ſolùm jus cuſtodiæ, ſed etiam non-introitûs conjunctum ſit : alioquin novæ diſpoſitioni locum faciet, priore omnino antiquatâ. Ratio eſt, quoniam ſi ratione non-introitûs, cujus jus eſt conſequutus, perpetuò feudum ſuum retinere velit, nunquam intrare cogetur, & domino inquirenti qua de cauſa poſſederit, ſe ratione non-introitûs poſſidere poterit prætendere ; & ſic dominus in perpetuum ſuâ ſuperioritate fraudabitur, quod non eſt ferendum in vaſſallo. Itaque quàm citò poteſt, hereditatem intrabit & adibit, niſi malit novo non-introitui ſubjici. Nam dominus, poſtquam vaſſallus feudum intrare poterat, nec fecit, ratione non-introitûs, jus in fructibus poteſt prætendere, & judicio eos perſequi, declaratoriâ priùs de non-introitu habitâ. Obſervandum præterea, quòd ſi heres fœmina ſit plurium feudorum, cuſtodia corporis ſemper ad dominum antiquiorem pertinebit : bonorum feudalium cuſtodia ſuo cuique domino redibit in minori ætate ejus.

28. Neque hoc prætereundum, nunquam cuſtodiam ad dominum pertinere, niſi quando vaſſallus, qui de eo tempore mortis immediatè & in feudo tenet, decedit. Si dominus alium habeat vaſſallum, adhuc in feudo tenentem de ipſo domino, ſi dominus cuſtodiam petierit, oberit ei ſui facti exceptio.

29. Super omnia & hoc in cuſtodia corporis annotandum, quod ſi heres matri in feudo ſucceſſit, ſive ſit mas, ſive fœmina, cuſtodia corporis ad patrem, dum vivit, ſemper pertinebit *(c)* : nam liberi non poſſunt eſſe in poteſtate alterius, vivente patre, quàm ſui patris : quod maximè cum æquitate naturali convenit.

30. Supereſt ut de Relevio jam dicamus, cujus ea eſt apud nos cum cuſtodia ſive warda conjunctio, ut alterius ſine altero conditio vix bene intelligatur : &, ut ex prædictis conſtat, ubi cuſtodiæ cauſa aut diſputatio oritur, ita relevii quæſtio immiſta eſt, ut commodè ab ea ſeparari non poſſit. De origine hujus relevii, eadem diſputatio eſſe poteſt, quæ antea de cuſtodiâ. Noſtri relevium Malcolmo Regi

(a) Cap. 71. lib. 2. Reg. Majeſt. (b) Cap. 6. Stat. 2. Rob. I. (c) D. 21. § 16.

tribuunt, à quo (ut prius monui *(a)*) cuſtodiarum commoda putant introducta, ſaltem ejus conſtitutionibus ſtabilita & confirmata *(b)*. Ego altiùs hujus relevii originem repetendam puto, Cujacium in hoc ſequutus, qui ex veteri conſuetudine, nempe Leonis Imperatoris conſtitutione *(c)*, quæ in Novellis extat, relevium hoc natum putat: eſſe enim (ait ille) quorundam locorum mores, ut ejus anni, quo heres vaſſalli ſe in fidem & clientelam ſui domini commendavit, dominus illius, inquam, anni reditum integrum ferat, vel ut certâ ſummâ ei numeretur, ἀντὶ τῆς ἀναλήψεως, ſive *pro redemptione* (ut loqui ſolemus) ſive pro reſtauratione feudi. Idem putat ille, ſi mutetur vaſſallus, & alium pro ſe venditionis nomine ſubſtituat, ut domino præſtetur pretii quinta pars, & quinta quintæ, vel ab emptore, vel à venditore, ut inter eos convenerit. Exempli causâ, ſi venierit fundus centum coronatis, debebuntur domino primum viginti coronati, tanquam quinta pars, & etiam quatuor alii, tanquam quinta quintæ; adeo ut in mutatione vaſſalli in feudo, quod centum coronatis venit, domino pro relevio viginti quatuor debeantur. Si mille coronatis ſit feudum æſtimatum, ducenti tanquam quinta pars & quadraginta tanquam quinta quintæ domino debebuntur. Apud Gallos hodie decima tertia pars pretii domino debetur. Hæc Cujacius de relevio, quæ tamen parum cum noſtro relevio conveniunt, niſi quod certam pecuniam vaſſallus intraturus domino pendere ſoleat, ut feudum, quod in ejus manibus jampridem apertum erat, redimat, & inveſtituram ab eo capiat. Hæc relevia apud antiquos, quemadmodum hodie apud Gallos & Anglos, æſtimata ſunt certa quantitate, & ad certam quantitatem à vaſſallo pendendam taxata.

31. Sed ut ad noſtra relevia redeamus, ea ſemper wardam ſive cuſtodiam ſequuntur; nec niſi de feudis militaribus debentur *(d)*: ita tamen, ut jus noſtrum, quo hodie in foro utimur in his releviis, longè & à jure Gallorum & Anglorum, imo à noſtro jure veteri ſcripto diſſentiat: nam veteri jure ſcripto, ſi dominus ratione cuſtodiæ, aliquot annorum fructus ſuos fecerit, finitâ cuſtodiâ vaſſallum infeudare, & inveſtituram ei præbere tenetur, nec quicquam pro relevio poſcet, quod ſatis abunde ex fructibus wardæ ditatus ſit; quod & apud Gallos Terrienus (qui Commentarios (ut ſuperius monui) in conſtitutiones Normannicas ſcripſit) hodie obſervari ait; nam commoda & utilitates cuſtodiæ relevium acquietare, ſive relevare cenſentur. Nec tamen vel hoc à noſtris obſervatur *(e)*. Apud Anglos relevium non debetur, niſi in eo caſu, quo, vaſſallo moriente, heres perfectæ fuerit ætatis; nam in eo libro, qui *Magna Charta* inſcribitur, diſtinctionem facit auctor inter vaſſalli heredem perfectæ ætatis, & qui nondum eam attigit, in priore relevium deberi, in poſteriore cuſtodiam affirmans, adeo ut ſi quando cuſtodiæ ratione dominus ſuperior fructus feudi militaris perceperit, nihil ei ex relevio deberi ſtatuatur *(f)*. Hodie domini, etiam præteritis annis cuſtodiæ, relevium ſibi aſcribunt, nec heredi inveſtituram concedunt, niſi pro relevio ſibi ſatisfaciant. Hæc itaque, quando relevium debetur; hoc eſt, poſt perfectam heredis, in militari feudo ſucceſſuri, ætatem: cui hoc unum addam, nempe, non deberi relevium ullum domino, niſi paratus ſit hominium ab eo recipere, & inveſtituram concedere.

32. Nunc quæ ſit hujus relevii quantitas, quantique ſit æſtimandum, ſi controverſia inter dominum & vaſſallum oriatur, dicendum. Putant noſtri hodie nullum relevium deberi, niſi ex eis terris, quæ wardam etiam debent: ſed non puto id uſque adeo verum; nam cum magnam partem juris noſtri ex Normannia & Anglia proceſſiſſe docuerimus, apud Normannos ſemper relevium debetur ubi hominium, niſi in quibuſdam dignitatibus. In feudis tamen loricatis relevium ſemper debetur. Invenio in aliquo juris noſtri ſcripti libro, deberi etiam relevium ex aliis terris quàm militaribus, viz. tam in feudis francis quam emphyteuticis *(g)*: ſed ex diverſitate tenendriæ diverſimode æſtimari hæc relevia. Nam in feudis francis, duplicatio ejus quod in blanco penditur, pro relevio eſt. In emphyteuticis, duplicatio mercedis,

(a) § 3. (b) Cap. 1. § 3. Malcolmi Regis. (c) 13. (d) § 33. (e) Cap. 73. Parl. 11. Jac. VI. (f) § 38. (g) Cap. 71. lib. 2. Reg. Majeſt.

dis, quam plerique non deberi putant, niſi id ex pacto in inſtrumento feudi expreſſe contineatur; alii duplicari putant feudifirmam ratione relevii, etiamſi non exprimatur.

33. Feuda quæ ad manum mortuam tenentur, cum Eccleſia vaſſalla non moriatur, nullum relevium debent. Hinc, niſi vehementer fallor, procedit noſtra vulgaris opinio, quòd relevium non debeatur, niſi in eis terris quæ in feudo militari tenentur, & cuſtodiam heredis debent: non quòd ex aliis etiam non competat domino relevium, ſed quòd in francis ſive blancis feudis relevium ferè ſit nullius æſtimationis, in emphyteuticis ex pacto convento procedere videatur. Sed ut ad quantitatem relevii redeam, præcipuè in terris quæ cuſtodiam debent, de quibus ſolis relevium communiter deberi exiſtimamus; ſi ſolum relevium debeatur, veluti ſi heres viginti & unum annos expleverit, relevii quantitas cum novo extentu concurret. Relevium tanti æſtimabitur, quanti feudum ipſum valere tempore pacis retornatum fuerit, quod nihil aliud eſt niſi novus extentus, nec plus heres debere, nec dominus exigere poteſt. Si tamen dominus in poſſeſſione cuſtodiæ fuerit, nec dum ab eâ legitimè ab herede deſiſtere coactus, par erit ratio relevii, quæ unius anni cuſtodiæ, & dominus poſſeſſionem ſuam, ſive corporalem, ſive eam, quæ in percipiendis fructibus conſiſtit, continuabit.

34. Apud Anglos releviorum certa quædam eſt æſtimatio; nam in terris quæ in ſoccagio tenentur, ſi quæ præſtatio contineatur, illa in relevio duplicabitur *(a)*: quod priorem noſtram opinionem confirmat, nempe, quod noſtrum jus ſcriptum dicitur, reverâ Anglorum mores & inſtituta continere. Et hoc relevium quocunque tempore domino præſtare tenetur, & dominus pro eo poteſt diſtringere; cum enim dominus neque cuſtodiam corporis, neque feudi ſui habeat, ut in aliquo ſaltem dominum vaſſallus agnoſcere videatur, duplicabit quod annuatim præſtare aſtringitur. Et hoc immediatè poſt vaſſallum mortuum; neque dominus cogetur terminum expectare. Ratio eſt, quia nullus heredi terminus interdicitur, quo minus cum voluerit adire feudum poſſit, neque ullius termini morâ dominus impeditur, quo minus quod ſibi debetur exigat, niſi fortè talis præſtatio in inſtrumento feudi contineatur, quæ non niſi certo anni tempore poſſit præſtari, veluti ſi vaſſallus roſam, aut coronam ex roſis ſolvere teneatur, & pater ejus in hieme moriatur, expectandum tum tempus erit, quo roſæ naſci ſolent, ut ex eis corona facta pro relevio domino detur.

35. In terris autem militaribus, quæ cuſtodiam præſtant, taxatur æſtimatio ad certam quantitatem: veluti, relevium Comitis, ſive Comitatûs integri, centum libris; relevium Baroniæ integræ, centum marcis; relevium autem militaris feudi, quod ob ſervitium unius tantum militis tenetur, centum ſolidis; inferiora feuda militaria, quæ fortè ſervitium dimidii militis, vel quartæ partis militis debent, aut ſecundum antiquam conſuetudinem, pro ratâ portione militaris feudi, quod unum militem debet. Apud Gallos diverſa eſt æſtimatio, licet diverſam vix auſim appellare; nam Baroniæ integræ relevium centum francis æſtimatur; feudi loricati, ſive unius loricæ, quindecim libris: ſi neque ſit feudum loricatum, neque Baronia, feudum per acras æſtimatur, ut pro qualibet acra duodecim denarii relevii nomine appendantur, ita ut ædes, ſive defuncti maneries, pro unâ acrâ æſtimetur. Molendina, ſive molæ, quæ per ſe & non cum feudis tenentur, ſexaginta ſolidos pro relevio dabunt; ſi cum feudo teneantur in uno corpore, relevium feudi relevat molam, licet conſuetudo in his ſæpè variet. Hæc itaque de relevii quantitate, ſive æſtimatione.

36. Si ſuperior, pro ſuo relevio, colonorum feudi bona diſtrinxerit, (nam propria ipſius vaſſalli extra feudum non poteſt) coloni ſolvere domino ſuo ſuperiori tenentur; ſed quoniam id ſolverunt pro herede in primo introitûs anno, nihil ex fructibus domino ſuo pendent, ſed eos ſibi in compenſationem retinebunt.

37. In releviis terrarum quæ de Rege tenentur, Vicecomes, aut ſi quis alius ſit

(a) Cap. 71. § 3. lib. 2. Reg. Majeſt.

qui præceptum Regium exequitur, quales ſunt Seneſcalli & Ballivi Regalitatum, ab eo, cui ſaſinam dant, petent ſibi caveri de relevii quantitate, niſi mallent in præſentia exigere: ſi non fecerit, ipſi, quod ab iis neglectum fuit, præſtabunt *(a)*; neque dominus ſuperior heredem inveſtiendo relevium remittere videtur, neque quo minus pro eo diſtringere poſſit impeditur.

38. Quæ impediunt relevium hæc ſunt: primò, ſi aliquot annis feudum in cuſtodia domini fuerit; nam ex jure Anglorum, eo caſu relevium non debetur, ut ante monui *(b)*. Si fœmina heres cum conſenſu domini nubat; nam, ut per nuptias à warda (ut dixi *(c)*) ſic & relevio liberatur. Idem, ſi *franco-tenementum* quod dicimus reſervatum fuerit, & heres in nuda proprietate inveſtitus; aut ſi aliquis uſusfructus fuerit, ſive à domino ipſo conſtitutus, ut fit in conjunctis inveſtituris, ſive à lege introductus, ut in Curialitate. Si vaſſallus, qui inveſtituram à domino acceperit, releviumque ei ſolverit, de feudo controverſiam patiatur, eo evicto, pro repetitione relevii, quod ſolvit, ex cauſa indebiti, contra inveſtientem habet actionem, vel illud ab evincente obtinebit. Monui antea heredem poſſe à ſubvaſſallis ſuis antiquas utilitates in primo anno introitûs exigere, ut ſibi ſubveniant, cùm illius anni fructus pro relevio domino debeantur. Quòd ſi is plures unius ſui dominii ſuperiores heredes fœminas habeat, per primam inveſtiendus eſt *(d)*, eique ſoli relevium præſtabit; licet ſint qui hanc utilitatem inter coheredes fœminas dividi debere putant.

39. Hoc autem in omni cuſtodia ſervandum eſt, ſi pauperiem dominus in feudo vaſſalli feciſſe dicatur, aut ſi damnum aliquod immineat, forteſſe quia dominus non eâdem fide verſatur in hac cuſtodia rei alienæ, quâ in ſua, ut dominus ad cavendum cogatur, auctoritate judicis ordinarii (quod tam Senatûs auctoritate, quàm Vicecomitis procedit) ſe feudum in eadem conditione & bonitate ſervaturum quâ receperat; ut ædes & ædificia, quæ ad habitationem ſunt ſepoſita, ſarta tecta habeat; ſic & turres, ſi quæ ſub cuſtodia cadunt, hortos, viridaria, prata, paſcua, columbaria, vinaria, & ſi quæ alia commoda receperit, in eodem ſtatu & eadem bonitate, & cum eiſdem commodis, reſtituat; alimenta heredi adminiſtret, eumque pro dignitate feudi educandum curet. Itaque monendus eſt dominus, aut ejus donatarius, (nam hoc tacitè ineſſe ejus donationi videtur) ut intra 40 dies ſatiſdet: alioqui eatenus feudi cuſtodiâ privandus, donec ſatisfecerit *(e)*; quod idem in domina conjunctæ infeudationis ſive uſufructuaria ſervandum eſt *(f)*. Præterea ſi filiæ heredes fuerint, & ante maritationem pudicitiam polluerint, amittunt feudum ſuum, & domino accreſcit: at ſunt, qui tantummodo pro vita amitti putant, & poſt mortem locum facere proximo heredi *(g)*.

40. Generaliter hoc de cuſtodia obſervandum, ut qui eam habet cavere teneatur de prædiis, quæ in cuſtodia habet, in eodem ſtatu conſervandis, neque ſuo tempore deteriorari per ſe vel alium ſinet; & hæc cautio exigi poteſt per judicem ordinarium; & cuſtos, aut qui cuſtodiæ jus habet, intra 40 dies cogi poteſt ut ſatisdet, aut à cuſtodia removendus, donec ſatiſdederit; ſi ante ſatiſdationem pauperiem fecerit, eo nomine tenebitur.

Diegeſis vigeſima prima,

De Maritatione, ſive Maritagio.

SUMMARIA.

1. *Maritatio ita cum cuſtodia conjuncta eſt, ut una ab alia vix ſeparari poſſit; & non debetur, niſi ubi cuſtodia, vel ex pacto.*

2. *Jus*

(a) Per cap. 73. Parl. 11. Jac. VI. (b) § 31. (c) § 21. (d) D. 14. § 7. (e) Cap. 25. Parl. 3. Jac. IV. & cap. 15. Parl. 4. Jac. V. (f) D. 22. § 12. (g) Cap. 49 & 55. § 9. lib. 2. Reg. Majeſt.

2. *Jus hoc maritationis videtur contra omne jus eſſe.*
3. *Maritationis origo non ſolùm ex jure Feudali, ſed ejus jus omni jure approbatur.*
4. *Maritatio quid ſit? Ab ea abeſſe debet omnis fraus & dolus ex utraque parte, ut in cuſtodia dictum § 24.*
5. *Cui competat jus heredem maritandi? Angli duplicem guardianum faciunt; dominum, qui de jure; donatarium, qui de facto vocatur. Unde & quando competat hoc jus?*
6. *Si primogenitus, aut maritatus, aut feudum ingreſſus, ſine liberis decedat, non minùs ſequentis heredis maritatio debebitur; ſed ſi heres in vita prædeceſſoris ſaſitus fuerit ex voluntate domini, nulla maritatio debetur. Si heres apparens, ut creditor, appretiaverit, & ſaſitus fuerit, abſque dolo, nulla maritatio domino debetur.*
7. *Guardianus etiam eſt per accidens apud Anglos.*
8. *An vaſſallus vivens heredem pro arbitrio maritare poſſit? Licet in filio poſſit, non ita tamen in fœmina herede.*
9. *Si dominus maritationi fœminæ heredis conſentire nolit, non differenda eſt maritatio.*
10. *An fœmina heres vidua ſemel facta, rurſus in maritatione domini conſenſu indigeat? De Eccleſiaſticis rentalibus Glaſguæ & Paſleti. Quid jure Anglorum de viduis Regii patrimonii?*
11. *Si fœmina heres ſe polluerit in warda, ad dominum redit hereditas.*
12. *Clauſula in donationibus uſitata, quatenus extendatur?*
13. *In quibus feudis maritatio locum habeat?*
14. *Si quis plurium feudorum militarium ſit heres, antiquior dominus eſt præferendus; ſed ſi heres unum ex Rege, alia ex aliis dominis habeat, Rex omnibus præfertur; quod non communicatur Eccleſiaſticis. In pari caſu heres fœmina conſenſum Regis vel antiquiſſimi ſuperioris habere debet.*
15. *Determinat Senatus inter plures, quis ſit antiquiſſimus; & ſi heres unius domini monumenta ſubtrahat, ut alteri gratificetur, à jure illius feudi cadet.*
16. *Caſus in quo maritatio heredis vaſſallæ ad dominum non pertinet.*
17. *Heres, ſi ſine uxore fuerit, ſine conſenſu domini ſe maritare non debet, niſi æſtimationem dotis præſtare velit.*
18. *Quando ſimplum, & quando duplum maritationis eſt præſtandum.*
19. *De duplo & ſimplo æſtimationis.*
20. *Duæ cauſæ ſunt, cur heres in ſimplo tantùm teneatur. Quid jure Anglorum obtineat? Si mas feudum adire recuſet, cogi poteſt ut intra 40 dies adeat, aliàs tenetur ac ſi inveſtituram accepiſſet. Simplum ab herede exigi non poteſt, donec inveſtitus fuerit.*
21. *Quomodo hoc ſimplum æſtimandum ſit?*
22. *Dupli æſtimatio quando debeatur? Superior interea, donec ei ſatisfiat, vel de ſimplo, vel de duplo, feudi retentionem habet, etiam exactâ cuſtodiâ, fructuſque ſuos facit.*
23. *Forma requiſitionis.*
24. *Formâ peractâ, ſi heres alium in uxorem duxerit, actio adverſus eum inſtituitur pro duplo æſtimationis: eodemque modo duplum, quo ſimplum æſtimatur. An curatores ſint requirendi?*
25. *Aliquando etiam ex recuſatione duplum non debetur: ut ſi diſpar ei offeratur. Inter quos ſit diſparitas? Nulla inter nobiles eſt diſparitas, nec magnitudo feudi ſpectatur.*
26. *Diſparitas etiam eſt ex ætate.*
27. *Eſt diſparitas etiam ex corpore; ſed omnis diſparitas, aut diſparitatis excuſatio, ad Senatum pertinet.*
28. *Valor maritationis in fœmina major quàm in viro; ſed hoc pendet ex moderatione Senatûs.*
29. *Aliquando dominus omni commodo maritationis privatur, ſi ſciz. dominus heredem cum diſparagio maritaverit, niſi poſtea heres eidem conſenſerit. Diſparitas tempore oblationis alleganda eſt ab herede.*
30. *Heres, poſt mortem patris, non debet in fraudem domini maritationem præcipitare. Jure Anglorum, ſi quatuordecim annos expleverit, in wardam incidens, favore domini continuatur warda ad decimum ſextum; ſi non expleverit, abſoluto anno decimo quarto, cuſtodia ceſſat. Si vaſſallus in lecto ægritudinis heredem in fraudem domini maritaverit, heres non minùs in ſimplum tenebitur. Si heres decimum quartum expleverit, & dominum fraudaverit, dominus feudum poteſt retinere donec duplum acceperit. Duplum quomodo jure Anglorum taxetur? Dominus retinere*

tinere poteſt feudum donec ei ſatisfiat.

31. *Mores Gallorum & Anglorum hac in re?*

32. *Si quis in fraudem domini heredem abduxerit, quæ pœna? Dominus inveſtiendo heredem poſt mortem patris, non recedit à jure maritationis.*

33. *Jus hoc maritationis ad Anglos à nobis emanâſſe videtur.*

1. MARITATIONIS nomine hîc uſus ſum, quòd utriquè conjugi commune ſit; nam vir maritatur cùm maritus fit, fœmina quando marito jungitur. Eſtque hæc heredis maritatio ita cum cuſtodia corporis conjuncta, ut licet intelligi quæque per ſe, non tamen ſeparari facile poſſit: nam maritatio heredis, niſi earum terrarum quæ cuſtodiam debent heres ſit, non procedit; nec cuſtodia corporis in alium finem introducta, niſi ut dominus, dum in cuſtodia heres eſt, ei de digna maritatione providere poſſit. Itaque altera alteri ferè ſemper cohæret, niſi forte maritatio ex pacto convento, & conditione feudi debeatur, ùt in emphyteuſibus Vallis Erniæ.

2. Sed quod ad hanc maritationem attinet, videtur & contra juris naturalis & juris Divini regulas, etiam contra Civiles & Pontificias conſtitutiones introducta; quibus non ſolùm libera debere eſſe matrimonia ſtatuitur *(a)*, ſed etiam ſi ſponſalia ſub pœna contracta ſint, nulla ſit pœnæ petitio, licet, ante ſolemnizatum matrimonium, altera pars diſſenſerit; imò legata, quæ eo nomine fiunt, ut aliquis vel aliqua alii nubat, non præſtanda cenſentur, ne quis prece aut pretio ad conjugium cogatur *(b)*.

3. Quod ad jus Feudale attinet, nulla hujus maritationis expreſſa mentio, præcipuè in herede fœmina, quæ ex jure Feudali ab omni ſucceſſione prohibetur: itaque nil mirum ſi de ejus maritatione nihil caveatur. Sed ſanè facilis eſt horum nodorum ſolutio, hujuſque maritationis ratio, ſi quis eam accuratè examinet & excutiat, & cum jure Civili & Pontificio maximè convenire, & ex ipſius juris Feudalis principiis & fundamentis proceſſiſſe apparebit. Nam licet ad matrimonium nemo cogendus ſit, nec libertas conjugii cuivis, & præcipuè in hoc negotio, auferenda; ex jure tamen Divino & humano, quamdiu filius eſt in poteſtate patris, ejus conſilio & auctoritate in deligenda conjuge uti debet; & an nuptiæ ſine conſenſu patris per filium familias celebratæ valeant, inter doctiſſimos hodie controvertitur: ſaltem hoc ex omnium ſententiis conſtat, patrem, ſi ſine ejus conſenſu filius uxorem ceperit, filium exheredare poſſe *(c)*, & hereditatem in quam ſucceſſurus erat inter alios liberos partiri. Quemadmodum & illud eſt noſtris moribus certiſſimum, patrem quoties filium maritat, ex ſuo patrimonio conjugium inſtruere, quo caſu dotem etiam filii lucratur. In jure autem Feudali, cùm maximè dominorum interſit, ne feuda ſua in alienas, & proinde ignotas & non amicas familias tranſeant, aut eum in vaſſallum recipere teneantur, de cujus fide & officiis non ſunt certi; non mirum videri debet, ſi vaſſalli heres ſine conſenſu ſui domini ſuperioris matrimonium contrahere non debeat: dominus enim ſuperior loco parentis vaſſallo eſt, aut ſi quid ſit parente ſanctius, aut quod parentis animum aut amorem vincat; cui vaſſallus omnia ſua debet, nihilque habeat quod ei acceptum non ferat. Præterea cùm hæc ſit naturalis & ingenita feudi qualitas, ne dominus eos vaſſallos habeat quos non vult, neque è re ſua eſſe putet, & ab alienis familiis abhorreat; quis feudi dominici alienationem quandam non cenſebit, quoties feudum ſuum in alios transferri, ſe præſente & contradicente, videt? In maſculo etiam herede, domini quàm plurimum intereſt, ut quam amiciſſimam ſuæ familiæ uxorem habeat, cùm vaſſallorum animi plerumque ex conjugum arbitrio non ſolùm pendeant, ſed etiam pervertantur. Neque hic libertas matrimonii tollitur, non magis quàm ſi quis cum herede fœmina contrahat: nam ſine ea hereditatem conſequi, eâque frui non poteſt; & aut hæc ſimul cum illa accipienda eſt, aut ſimul amittenda. Eadem eſt natura feudi: nam ſi

(*a*) l. 134. in fine. de V. O. l. 5. C. de ſponſalibus, cap. 17. Extr. de ſponſalibus, junct. cap. 2. & ult. eod. (*b*) l. 22 & 72. § 4. ff. de condit. & demonſtr. (*c*) D. 18. § 32.

ſi heres vaſſalli eâ libertate conjugii, quæ ei tam jure Divino quàm Civili competit, uti velit, poterit quidem, neque dominus poteſt impedire; feudum tamen, quod eâ lege à domino accepit, ut domino poteſtas eum maritandi eſſet, amittet. Conſtat itaque ex his, maritationem hanc totam ex jure Feudali pendere, neque jure Divino neque humano ullo prohiberi.

4. Eſt autem maritatio poteſtas à jure introducta, in favorem domini ſuperioris, ut poſſit heredem vaſſalli, qui de domino, cùm obiit, feudum militare tenuit, pro ſuo arbitrio ſine diſparitate maritare. In hac maritatione, ut antea in cuſtodia dixi *(a)*, omnis fraus, dolus & malæ artes, ex utraque parte abeſſe debent; neque alterutri licet, ſalvis juris verbis, ſententiam quæ ex æquitate pendet circumvenire: nam neque ipſe vaſſallus, neque vaſſalli heres quidquam admittere debet, quo domini jus in hac maritatione deterius reddatur, aut aliquid de dote ei decedat; neque dominus, dum himium commodis ſuis & rei augendæ ſtudet, vaſſallum in miſeriam apertam conjiciat, ei conjugem offerendo cum qua amœna & ſuavis vita non ſit ei futura.

5. Competit itaque maritatio, & ſi quæ ex ea utilitas oriatur, ſoli domino, aut ejus donatario ſive aſſignato, cauſam à domino habenti *(b)*. Duplicem enim vicini noſtri guardianum conſtituunt; unum de jure, nempe dominum, qui ſemper ex jure guardianus eſt, ſive cuſtos pupilli; alium de facto, cùm dominus jus ſuum ad alium transfert; nos donatarium ſive aſſignatum dicimus: & tum tantùm, cùm vaſſallus, qui feudum ſuum pro ſervitiis tenebat, & pro quo feudo cuſtodia heredis debetur domino, moritur, heredem ſui feudi adhuc non conjugatum ſive maritatum relinquens: nam his caſibus, jus hujus heredis maritandi ad dominum ſuperiorem jure optimo pertinet. Dixi *non conjugatum ſive maritatum*, quia ſi, vivo patre, vaſſallo heres apparens conjugium ſortitus ſit, nihil ex maritatione ad dominum redibit; & ſi hic heres, mortuo patre, nunquam maritatus, neque feudum ingreſſus, moriatur, ſequentis apparentis heredis maritatio domino debebitur; licet is, tempore mortis vaſſalli, non erat ſucceſſurus, neque heres apparens dici potuit; ſed quia prioris heredis apparentia evanuit, & ad non apparentiam redacta eſt, hujus ſecundò geniti maritatio ad dominum redibit.

6. Quòd ſi hic primogenitus, vel uxorem ex arbitrio domini duxit, aut feudum ingreſſus eſt, & ſine liberis deceſſerit, non minùs adhuc maritatio heredis ſequentis domino debebitur: nam ille heres erit aut fratri aut patri; & in utroque caſu, ſi pater aut frater in feudo deceſſerit, maritatio ſequentis ad dominum pertinebit, quia alterutri in feudo ſuccedit. Dixi, ſi pater, aut is cui immediatè ſucceſſurus eſt heres, in feudo deceſſerit; nam ſi heres, durante vitâ prædeceſſoris ſui, in feudo ſaſitus fuerit ex voluntate domini, nulla maritatio domino debebitur, niſi fortè aliqua pars feudi adhuc ſuperſit, quantulacunque ea fuerit, in qua vaſſalli heres antè non fuerat ſaſitus: nam hæc pars maritationem deberi faciet. Addidi *ex voluntate domini ſaſitus*, quia nulla ſaſina domino præjudicare poteſt, niſi quæ ab eo procedit, aut confirmatur ab eo, quia domino ex facto ſuo præjudicatur tantùm. At quid ſi heres apparens, ex multis cauſis prædeceſſoris ſui creditor, ſententias judicis ordinarii pro debitis ſibi à prædeceſſore obtinuerit, & feudi proprietatem, vivente vaſſallo, licitatione acquiſierit, aut (ut in foro loqui ſolemus) appretiaverit, & ſic, invito domino ſuperiore, ſaſitus fuerit; an in hoc caſu maritatio debebitur? nam ſic facilè domino præjudicabitur in maritatione. Reſpondeo, Si nulla appareat colluſio inter vaſſallum & heredem, verèque ſint debita & expenſa pro quibus appretiatio facta eſt, puto beneficium juris communis ab herede hoc apparente non auferendum, & in hoc caſu domino in maritatione ſua præferendum; ita tamen (ut dixi *(c)*) ſi nulla fraus, nulla colluſionis ſuſpicio interveniſſe appareat.

7. Eſt & alius, præter eum qui de jure & de facto dicitur *Guardianus*, quem Angli per accidens vocant; veluti ſi minor heres feudi militaris alium ſibi minorem vaſſallum in feudo militari habeat: nam dominus non ſolùm ſui vaſſalli minoris cuſtodiam,

(a) D. præced. § 24. (b) Cap. 91 & 93. Quon. attach. (c) § 5.

diam, ſed etiam ſubvaſſalli minoris, qui in cuſtodia ſui vaſſalli eſt, habet, cùm minor non ſit idoneus cuſtos alterius minoris.

8. Quæret tamen aliquis, an tantùm, vaſſallo mortuo, heredis cœlibis maritatio domino debebitur; ita ut vaſſallo, dum vivat, filium aut heredem pro arbitrio maritare liceat; nec domino jus ullum erit de ejus maritatione, vivente vaſſallo ſuo, inquirere? Sanè quod ad heredem maſculum attinet, patri aut avo vaſſallo heredem apparentem, filium aut nepotem, pro animi ſui ſententia ſemper maritare licuit, & eo jure adhuc utimur. At in herede fœmina aliud antiquitùs ſtatutum erat, & fortaſſe magnam ſecum æquitatem adfert: nam cùm in diſpoſitione primi feudi dominus, qui illud ex mera gratia & benevolentia conceſſit, aut conceſſiſſe præſumitur, vaſſallum ſibi prò meritis delegerit, cujus fidem perpetuò poſtea ſequeretur, & liberorum qui ex illo deſcenderent; neque ulli alii quàm vaſſallo & liberis ſit aſtrictus: Si, inquam, hic vaſſallus heredem tantùm fœminam habuerit, quæ feudum dominicum nuptiis ſuis in alienam familiam transferat, meritò dominus jus in hujus mariti electione ſibi poteſt arrogare, ut ille potiùs vaſſallæ ſuæ futurum virum eligat, quàm illa domino vaſſallum novum. Quid enim ſi illa inimico domini nubat, aut in eam familiam ſe det, inter quam & dominum graves ſunt ſimultates, & non leves offenſionum cauſæ; & ſic dominici inimici opibus ſui feudi adverſus dominum ipſum utentur? Profectò in hoc caſu maximum domino præjudicium naſci, & non minùs quàm ex alienatione feudi, nemo ſanus negabit. Id ut avertatur, jus Feudale & etiam jus noſtrum ſcriptum providet, ut in hac fœminæ heredis apparentis maritatione, etiam vivente vaſſallo, domini conſenſus accedat, non minus atque in feudi alienatione, ne fortè novus & incognitus vaſſallus, aut inimica familia in feudi poſſeſſionem veniat, per maritationem heredis fœminæ, cùm eadem ſit in utroque ratio, nempe ne dominus ab extraneo, incognito, & antea nunquam viſo, hominium recipere urgeatur *(a)*.

9. Sed dicet aliquis, ſi dominus maritationi heredis fœminæ conſentire noluerit, differendáne eſt ejus maritatio? quod quam periculoſum ſit Menander Comicus teſtatur, qui differendas filiæ nuptias non putat, ne caſtitas filiæ ſit in periculo, quam nullus pater ſatis tueri poteſt; & præterea dominus id conſultò poteſt negare, ut filiâ herede nunquam in vita elocatâ, per mortem rurſus feudum ei aperiatur *(b)*. Sed, ut dixi, omnis fraus, omnis calumnia in his rebus abeſſe utrinque debet; itaque cùm utrinque incommodum verſetur, hoc medium in jure proponitur, ut vaſſallus dominum adeat, ejuſque conſenſum expoſitâ causâ petat. Si dominus juſtam inimicitiarum cauſam allegaverit, aut aliam quamcunque legitimam, cur id matrimonium non expediat, & in præjudicium dominicæ vel vitæ vel dignitatis vel bonorum tendat, quæ imprimis curæ eſſe vaſſallo debent, vaſſallus domini ſui judicium & auctoritatem ſequi debet. Si verò dominus nullam legitimam cauſam habeat, aut poterit prætendere, pater vaſſallus in vita ſua filiam, ex animi ſui arbitrio, uti velit, elocare poteſt; ita tamen ne craſsâ ignorantiâ inimicum domini in feudum inducat per nuptias filiæ; nam id impunè non licet, ut poſtea dicemus. Idem in pluribus filiabus.

10. Eſt & alia heredis fœminæ ſpecialis ratio, quæ à maſculo herede eam diſtinguit. Nam, ut nuper monui, ſi ſemel maſculus heres ex conſenſu domini maritatus fuerit, cœlebs poſtea factus, etiam licet adhuc minor, non opus habet, ſi ſe rurſus maritandum propoſuerit, domini novò conſenſu: ſufficit enim ſemel præſtita maritationis æſtimatio, ne bis dominus idem conſequatur; quod ratio non patitur, & quòd ex præterito non præſumatur hic heres velle, niſi commodis domini ſui inſervire.

At ſi fœmina heres nupſerit ſemel ex arbitrio ſui domini, poſtea vidua relicta, ſecundò etiam ſine conſenſu domini ſui non nubet, ne talem, qualem dominus nolit, in feudi poſſeſſionem inducat: quæ cauſa etiam eſt in Eccleſiaſticis rentalibus Glaſguæ & Paſleti, quæ licet poſt mortem mariti in viduarum favorem ſoleant renova-

ri,

(*a*) Cap. 48. § 4 & 70. lib. 2. Reg. Majeſt. (*b*) Vid. D. 14. § 17.

ri, ſemper tamen clauſula hæc adjicitur, aut pro adjecta aut expreſſa habetur; *Ne cui de novo nubat, ſine conſenſu domini ſui, alioqui de rentalis ſeu feudi poſſeſſione migrandum.* Et in jure Anglorum, viduæ Regii patrimonii, aut quæ partem illius occupant, ſi ſine Regis conſenſu nupſerint, poſſunt ad Regis inſtantiam cogi migrare, & Rex terras & tenementa, dum vixerit, aut finem (ut aiunt) cum Rege fecerint, in ſuas manus capiet. Hæc licet ſumma cum ratione introducta ſunt, in uſu tamen hodie apud nos non ſunt: pater enim filiam locare, cui vult poteſt; nec conſenſus domini requiritur, licet de publica honeſtate meliùs fecerit, ſi conſenſum ejus petierit, præcipuè ſi commodum aliquod ex conſenſu domini poſſet ſequi; alioqui domino ſua jura integra omnia manebunt, nec ei imputabitur, ſi eis, ex ſummo rigore, contra vaſſallum ſuum utatur.

11. Eſt & alia differentia inter heredem maſculum & fœminam: nam fœmina in warda conſtituta, ſi ante matrimonium ſe polluerit, ad dominum redit hereditas, ſi una ſit; ſi plures, reliquæ ſorores ſuccedent in terris, quæ cuſtodiam debent, ſed poſt prioris mortem; at in vidua hoc locum non habet, licet fornicata fuerit *(a)*.

12. Maritationis autem hujus jus ſoli domino competere monui *(b)*, aut ei qui ab eo cauſam habet, qualis eſt donatarius, ſive aſſignatus. In his donationibus, aut diſpoſitionibus, hæc clauſula apponi ſolet, *Cum maritatione heredis apparentis dicti vaſſalli, aut eo feudum dum viveret non ingrediente, cum maritatione proximi heredis.* Si primus hic heres feudum nunquam ingreſſus fuerit, id eſt, (ut loqui ſolemus in foro) nunquam retornatus in heredem defuncto, aut ſaſitus fuerit, donatarius hic maritationem ſecundi heredis habebit: ſi verò primus ingreſſus fuerit, eò cælibe & nunquam conjugato moriente, novæ donationi locus erit, nec prior ſufficiet.

13. Hæc autem maritatio locum ſolum habet, (ut dixi *(c)*) in feudis militaribus, & eis quæ cuſtodiam & ſervitia debent, dominuſque dotem lucratur. Si feudum ſit francum heredis ſolius eſt arbitrium in ſe maritando, & commodum omne dotis ad eum pertinebit. In feudis emphyteuticis idem obſervandum, niſi aliud convenerit, ut in Regiis emphyteuſibus Vallis Erniæ; ubi licet feuda omnia ſint emphyteutica, in inſtrumento tamen emphyteutico id expreſſum eſt, ut maritatio ad Regem pertineat. Sic & in burgenſibus, licet de Rege teneantur, maritatio heredis non debetur: nam burgi propriè tenentes Regii in his feudis videntur, & burgus non moritur. In Eccleſiaſticis feudis, & quæ ad manum mortuam dantur, nulla eſt maritatio; quia nulla eſt mors vaſſalli, nullus eſt heres: Eccleſia enim non moritur.

14. Si vaſſallus moriens plura feuda militaria habuerit, quæ ex diverſis dominis pro ſervitiis & cuſtodia tenentur, hereſque in ea omnia ſit ſucceſſurus, & plures ſint ea ex cauſa qui jus maritationis prætendant; nec heres niſi ſemel maritari, aut niſi uni hujus maritationis æſtimationem debere poteſt: in hoc caſu antiquior dominus in jure maritationis præferendus, nullâ habitâ diſtinctione, hereſne hic apparens mas ſit an fœmina, ſi feudum ſit magnum aut parvum, ſi modo aliquod ſit *(d)*. Antiquior autem ille dominus cenſetur, à quo vaſſallus, aut ejus prædeceſſores, primum beneficium ſive feudum acceperint, ita ut collectis omnibus feudis in unum & inveſtituris, tantùm conſiderandum maneat, quæ ſit antiquiſſima inveſtitura & prima in data, in anno Dom. die & menſe, &c. Quod ſanè non ſine ratione introductum eſt: nam cum is primus, eum honore eo & beneficio dignatus eſt, ſub innata ea conditione maritandi heredis, hanc innatam feudo ſuo conditionem vaſſallus ſine nota ingratitudinis invertere non poteſt, dominique primi conditionem deteriorem facere ex ſuo facto nullius lucri causâ; quod & in uſu apud nos eſt. Aliud tamen in Rege ſuperiore obſervatur: nam ſi vaſſallus unum ex Rege, alia ex aliis dominis feuda militaria habeat, Rex in jure maritationis omnibus præferetur; non tantùm quòd parem, & qui cum eo jure contendat, in regno ſuo ferre non poteſt, ut plerique putant; ſed quòd revera Rex ſit antiquiſſimus omnium feudorum domi-

(a) Vid. D. 14. § 17. (b) § 5. (c) § 1. (d) Cap. 44. lib. 2. Reg. Majeſt. & cap. 94. Quon. Attach.

nus & ſuperior *(a)*: nam licet nondum hujus vaſſalli fuerit ſuperior, fortaſſe, quòd feudum hoc novum in hoc vaſſallo ſit; tamen auctoris ejus, & à quo vaſſallus cauſam habet, fuit ſuperior, & ita nil mirum, ſi mutato vaſſallo eadem maneat domini primi conditio, qui niſi ex priore causâ & conditione vaſſallum inveſtire non præſumitur. Proinde, cum ab eo feuda ab initio deſcendant, licet dominum aut vaſſallum mutaverint, & in hujus poſtremi vaſſalli manibus ſerius acquieverint, ſemper tamen de uno vaſſallo in alium transferri cenſentur cum nativa conditione maritationis Regi ab initio debitæ. Quod tamen locum non habet in feudis Eccleſiaſticis: nam licet Eccleſia maximis & innumeris privilegiis gaudeat, tamen in hoc maritationis jure, ſi vel cum Rege, vel cum aliis dominis ſuperioribus conferatur, jure communi uti debet, licet plerique in contrarium pugnent, ut Eccleſia pari cum Rege beneficio utatur. Hæc autem omnia intelligenda ſunt, ſi feudum quod de Rege tenetur ſit militare, & cuſtodiam & relevium debeat, non de omni ſimplici tenore, veluti ſi fortè feudum ſit burgenſe, quod de Rege teneri nemo dubitat: non tamen in burgenſi feudo, neque franco, neque emphyteutico vaſſallus Regem dominis ſuis aliis ſuperioribus in maritatione præferet, ſi de quovis militare habeat feudum. Si fœmina heres à vaſſallo relicta ſit, quæ in plura feuda militaria cuſtodiæ & maritationi obnoxia ſuccedere debet, plurium dominorum aut omnium conſenſum non requiret, ſed illius tantùm à quo ſuum antiquiſſimum feudum habet, niſi aliquod de Rege teneat: nam eo caſu ejus conſenſus neceſſarius eſt, cum jus maritationis ad eum ſolum pertineat.

15. Si plures ſint domini, quorum ſinguli jus heredis maritandi ſibi depoſcant, heres, ne unum alteri præferre videatur, & in offenſionem incurrat, ſi ſapit, omnes ad Senatum evocandos curabit, ut ibi poſt cognitionem cauſæ habitam, quis ſit antiquiſſimus dominus, & cui maritatio debeatur, poſſit inveniri. In cujus cauſæ cognitione, heres antiquiſſima ſua monumenta exhibere tenetur, ut ſciri poſſit à Senatu, cujus primò fuit beneficiarius, ut ei jus maritationis attribuant. In qua exhibitione, ſi heres hic fraudem feciſſe probari poſſit, monumenta antiquiora ſubtrahendo, ut poſteriori poſſit gratificari, à jure illius feudi, quod de eo domino tenet, cui fraudem fecerit, cadet, & domino feudum aperietur, ita tamen ut cuique domino, ſuorum feudorum, quatenus ad eorum cuſtodiam pertinet, uſus, & warda intacta & illibata conſervetur.

16. Neque tamen hoc univerſaliter verum eſt, maritationem heredis mortuo vaſſallo ad dominum pertinere, ut in ſuperiore Diegeſi monui *(b)*. Nam ſi filius vel filia matri vaſſallæ ſuccedat in feudi hereditatem, aut per matrem avo materno, aut proavo materno patre vivo, dominus cuſtodiam terræ, ſive feudi habebit, ſed non corporis: nam liberi non poſſunt eſſe in poteſtate alterius, aut cuſtodia, niſi patris, ſi vivat. Itaque in hoc caſu dominus maritationis jus non habebit, ſed pater, propter reverentiam quæ tam jure Divino quàm humano patri debetur. Et hoc jure Anglorum; neſcio an idem apud nos; cum tamen eadem ſit utrobique ratio. Neque in hac quæſtione quicquam unquam deciſum vidi; quæ ſi aliquando occurrat, puto Senatum non temerè jus æſtimationis maritandi heredem à domino ſuperiore ablaturum, ita tamen ut hujus valoris minor ſit æſtimatio tantum. Arbitrium autem filiam elocandi patri ſemper competit ex Scriptura ſacra, cui neſcio an jus Feudale, quod moribus introductum eſt, poſſit derogare: matri autem jus maritandi filiam heredem non competit. Jam ad ipſum heredem accedamus.

17. Heres (mortuo prædeceſſore) ſi ſine uxore fuerit, niſi cum conſenſu domini ſui maritare ſe non debet; non tamen à domino ad quodvis matrimonium cogi poteſt, dummodo ſciat, ſi ſine conſenſu domini uxorem ducat, jure eſſe definitum, ut æſtimationem ſuæ dotis domino ſolvere teneatur. In qua æſtimatione, non quod is ex dote commodum acceperit, conſiderandum eſt, ſed quod potuit accipere; nam ſi gratis, vel formæ, vel generis fortaſſe, & probitatis ſive morum causâ virginem indota-

(*a*) Et ſi contigerit vaſſallum, cum conſenſu Regis ſui ſuperioris, mutare tenorem feudi ſui militaris, quamdiu is aut ejus ſucceſſores feudum illud ſic mutatum poſſident, nullus alius ſuperior jus maritationis petere poteſt; atque ſic ſtatutum eſt apud nos, cap. 58. Parl. 1. Seſſ. 1. Car. II. (*b*) § 29.

indotatam duxerit, dominus conſequetur quod ille potuit dotis à quovis paris dignitatis & familiæ conſequi; nam eatenus ei præjudicatum videtur, cum heres hic in fraudem domini ſui, aut quo ejus commodum minuatur, nihil facere poſſit, alioqui puniendus.

18. Solent plerique ad rem parandam inſtructi etiam matrimonium ſine conſenſu domini contrahere, ubi ſ[illegible] magnæ dotis effulget, quod totum domino non reddent, ſed judicio ſolent permittere, quanti maritatio ſua poſſit à Senatu æſtimari, qui ſanè Senatus, ne exemplum ad plures perveniat, jus ſummum in hac æſtimatione non ſemper ſolet ſequi, ſed moderamine quodam uti. At profecto, ubi evidens fraus vaſſalli emergit, puto graviùs & ſeveriùs cum eo agendum, ut nuper in actione contra ſuum filium Sinclarum fecerunt. Utcunque eſt, æſtimatio valoris maritationis vaſſalli ſui ad dominum pertinet, ſi ſine conſenſu ejus uxorem heres duxerit. Quod ſi requiſitus à domino, ut ſuum conſilium ſequatur, & eam in uxorem ducat, quam dominus ei præſentaverit, & non paruerit, ſed aliam duxerit, non ſolùm ſimplicem æſtimationem, ſed etiam duplum ejus domino præſtabit *(a)*.

19. De hac igitur & ſimpli & dupli æſtimatione aliqua dicenda, & quando duplum & quando ſimplum præſtare heres ſit cogendus. Simplum maritationis heres præſtare cogitur, quoties, cum jus maritationis domino deberet, nunquam tamen ab eo requiſitus fuerat, ut uxorem ab eo præſentatam ducat, aut ſi requiſitus ab eo fuerat, tamen contemptum à ſe dominum non cupiens vulgari, à matrimonio adhuc abſtinuerit, intereaque dominus pro matrimonii valore egerit; ſimplici valore eo caſu eum contentum eſſe oportet, cum vaſſallus adhuc cœlebs ſit, nec domini proviſionem aut conſilium omninò contempſerit: ita tamen, ut ſi, poſtquam domini patatam offenſionem ex ſolutione ſimpli credat, poſt ſe alii conjungat, licet jam dominus ſimplum ſit conſequutus, de alio ſimplo ex poſt facto teneatur; quaſi fraudem committens in reculatione, qui fortè maritationem ſuam requiſitus diſtulerit, donec dominus ſimplum obtinuerit; poſtea, credens domino ſatisfactum, ſe maritaverit.

20. Sunt & aliæ duæ cauſæ cur heres in ſimplum tantùm teneatur: 1ma, Cum pervicax contra dominum non fuit, nec eam recuſavit quam ei dominus præſentavit, cum pœnitentiæ ſemper ſit locus re integrâ. 2da, Quia illud ſimplum ab eo exigi non poteſt donec inveſtiatur, ſi feudum non ſit ingreſſus. Ratio primæ cauſæ cur ſimplum tantum debeat, hæc eſt, non enim eſt ſemper urgendus heres eam in uxorem ducere, quam dominus obtulerit, ſed ſi ſine conjuge manſerit, donec annum vigeſimum primum compleverit, tum ſive ducat, ſive non, ſimplicem valorem dabit, id eſt, tantum, quantum dominus pro ejus maritagio lucrari potuit, ſi domini conſilium fuiſſet ſequutus, & ſatisfaciet antequam terram ſuam recuperabit. Jure Anglorum, in fœmina herede, quæ 14. annum excedit, relicta, dominus adhuc duos annos habebit, ut eam maritet: alioqui ſi intra illud tempus non fecerit, illa hereditatem ſuam recuperabit, nec quicquam pro ea ſolvet, quia nihil habet unde poterit præſtare; & hoc domino imputatur, qui nondum eam inveſtiit. Ratio ſecundæ cauſæ eſt, quòd in æſtimatione maritationis niſi in ſimplum vaſſallus domino, antequam in feudo recipiatur, non tenetur. Quòd ſi mas recuſet feudum adire, poteſt cogi per literas ex Senatûs deliberatione, ut feudum ingrediatur ſub ea pœna & certificatione, ut ſi intra 40. dies hereditarium feudum non adeat, i. e. inveſtituram à domino volente accipiat, eodem modo teneatur ac ſi inveſtituram accepiſſet. Interea (ut dixi) de ſimplo tenebitur tantùm: neque tamen hoc ſimplum ab herede exigi poteſt, donec heres inveſtitus fuerit, etiamſi in ſimplum damnatus ſit, quia dominus interea fructus ſuos facit, aut ratione cuſtodiæ, ſi heres infra ætatem ſit, aut ratione non-introitûs; nam evenire poteſt ut heres, licet conjugatus, nunquam tamen feudum in vita ingrediatur, & ſic dominus ex unius vaſſalli defectu duplex commodum conſequatur, nempe præſentis heredis ſimplum, & ſequentis maritationem

(a) Cap. 91. § 2. Quon. attach.

nem ſimul accipiet. In his igitur caſibus ſimplum tantum debetur, neque ante inveſtituram vaſſalli exigi poteſt.

21. In hâc ſimplici æſtimatione facienda, non tantùm feudi ipſius quod de domino tenetur utilitates & commoda ponderanda, ſed etiam omnes utilitates, quas aliunde vaſſallus habet, æſtimandæ ſunt, ſive eæ conſiſtant in opibus, pecore, feudis francis, aut emphyteuticis poſſeſſionibus, non tantùm terrarum, ſed etiam decimarum. Denique qualis & quantus vaſſallus eſt opibus aut vivendi facultate, talis & tantus, in valore hujus maritationis taxando, æſtimatur; ſingulæque hæ utilitates libello ſunt exprimendæ, imo & probandæ, ut Senatui conſtet, quatenus valorem maritationis poſſit æſtimare. Et hæc de ſimpli præſtatione.

22. Dupli æſtimatio nunquam debetur niſi ex requiſitione domini ſui ſuperioris: nam ſi is, aut qui ab eo cauſam habet, legitimè vaſſalli heredem, jam 14. annum excedentem requiſierit, ut ex ejus conſilio uxorem ſibi delegat, & unam non genere nec qualitate diſparem offerat, in hoc ſolo caſu vaſſallus in duplum æſtimationis veræ ipſius maritationis tenetur, ſi aliam ab ea quam dominus obtulit, ducat: nam dominum ejuſque judicium contempſiſſe videtur, & ob pervicaciam in duplo puniendus. Superior interea donec ei vel de ſimplo vel de duplo ſatisfaciat, ut adjudicatum fuerit, feudi retentionem habet in manibus ſuis, etiam exactâ cuſtodiâ, fructuſque ſuos facit.

Et quoniam tota quæſtio de duplo & ſimplo ex requiſitione domini pendet, nec niſi ab eo requiſitus vaſſallus in duplum teneri poſſit, de forma hujus requiſitionis videamus, & hæc uſitata eſt:

23. Si dominus, cui jus maritationis ex natura feudi competit, aut qui ab eo cauſam habet, quales ſunt donatarii, aut horum aſſignati, per ſe, vel per ſuum procuratorem legitimè conſtitutum, heredem, poſt decimum quartum annum abſolutum & perfectum, perſonaliter ſi fieri poſſit, conveniat, aut ad locum habitationis ſuæ, ſi ſe fraudulenter ſubtraxerit, & ei offerat, nomine expreſſo, conjugem in pari gradu exiſtentem, & ſine omni diſparitate, ſive diſparagio (ut loqui ſolemus,) requiratque dictum heredem, ut diem conſtituat in tali Eccleſia, quo nuptias in facie Eccleſiæ celebrare & conſummare velit. Si heres diem conſtituere nolit, ipſe dominus, aut qui ab eo cauſam habet, aut ejus procurator diem præſtituet(modo triginta dies integri à die requiſitionis numerentur) & eo die ſe conjugem oblatam ei in eadem Eccleſia ſiſtere promittat. Si donatarius, aut ejus aſſignatus ſive ceſſionarius, ſit qui requirat, primùm de jure ſuo docebit, ut ſciat heres ei jus eſſe requirendi. Itaque donationem ſuam ſive ceſſionem legitimè tum heredi inſinuabit (nos *Intimationem* dicimus) integramque à Notario coram teſtibus perlegi curabit, & eo nomine inſtrumenta capiet; nec exemplar ſi poſcatur recuſabit: (imo tutiùs fecerit, ſi juris ſui exemplar heredi offerat;) nec, ſi heres poſtulaverit, ut ſibi viſendæ futuræ ſuæ ſponſæ poteſtas fiat, & ſermones conferendi cum ea, denegabit: durum enim eſſet heredi eam ducere quam antea nunquam vidit, aut cum qua nunquam collocutus eſt, ut ejus animum & mores exploraret. Sed & ad hæc diem conſtituet, quo ei cum ſponſa oblata ſermones conferre, &, quæ in talibus fieri ſolent, ſtatum, habitum & faciem explorare poſſit; & ut conſtituit, ſic ſervandum curabit. Adveniente die nuptiis conſtituto, dominus, aut qui jus ab eo habet, debito tempore, quo matrimonia ſolent celebrari, in præſtituta Eccleſia aderit, ſecum eam quam obtulit adducens, quæ ſe paratam adimplere, quod ſuo nomine promiſſum erat, hoc ipſo tempore ſignificabit, & in horam à meridie primam expectabit; ut omnis ſubterfugii occaſio præſcindatur, longiùs morari non tenetur. Si vaſſalli heres requiſitus non comparuerit, aut comparens, eam in uxorem ducere recuſaverit, dominus, aut qui jus ab eo habet, inſtrumenta de his quæ dicta ſunt exiget, & pro duplo maritationis proteſtabitur. Hæc omnia ſcripto ſive inſtrumento debent comprehendi, & coram teſtibus: ſoli autem teſtes in hoc caſu non ſufficiunt.

24. His peractis, qui jus maritationis habet, ſi heres vaſſalli alii conjugio ſe mancipavit, actionem adverſus eum coram Senatu ſuſcipiet, & perſequetur pro dupla æſtimatione hujus maritationis ſive maritagii. Nec aliter æſtimatio dupli fit, quàm

fuit antea ſimpli, nempe inventario exhibito omnium bonorum quæ ad heredem pertinent, ſive ea ſunt moventia, ſive hereditates de alio, vel alio modo tenendæ, ſive quæcunque poſſeſſiones, quarum valor & æſtimatio in judicium deduci poteſt ante Senatum, qui ſolus arbitrium æſtimandi maritationem habet, & plerumque, ubi ſimplum tantum debetur, illud majoris æſtimat. Si duplum ſit in petitione, ejus æſtimatio quantum poteſt arctatur, ut non multò plus æſtimetur, quàm ſimplum grave, & præcipuè ne plus æquo maritationum æſtimationes inter Barones excreſcant. Itaque hæc omnia ad æquitatem potiùs rediguntur, quàm ad jus ſummum.

In hac requiſitione pro maritatione, an herede intra ætatem conſtituto, tutores ſive curatores requirendi ſint, dubitatum vidi; cùm eorum in re tanti momenti auctoritas ſit neceſſaria. Obtinuit tamen ut ii ex neceſſitate non debeant requiri, cùm jus eligendæ conjugis ad ſolum heredem pertineat, matrimoniumque ſine eorum conſenſu valeat.

25. Neque tamen hoc ſemper verum eſt, quòd vaſſallus requiſitus & recuſans in duplum teneatur: quid enim ſi juſtam recuſandi cauſam habeat, veluti ſi ſanguine aut genere diſpar ei offeratur à domino? quo caſu, ab æſtimatione dupli, quod legitima non fuit oblatio, liberabitur.

Diſparitas autem generis tantùm eſt inter nobilem & burgenſem, rurſus inter burgenſem & ruſticum: nam ſi nobili filia burgenſis offeratur, tutò poterit heres eam recuſare; imo ſi burgenſi filia ruſtici, quæ manuum labore vivit, offeratur. Burgenſium enim, ſi non par nobilitati, quædam tamen dignitas eſt, ut non poſſit niſi per burgenſes judicari. Sed de burgenſibus inter ſe rata quæſtio eſt, cùm nihil pro cuſtodia & ſervitiis teneant, nihilque debeant; itaque ſupervacuum eſt de eorum aut inter ſe, aut, ſi cum ruſticis conferantur, dignitate diſputare: fieri tamen poteſt, ut hi feudum etiam militare, ſed ignobile, teneant. Unum hoc tenendum eſt, ut nunquam inter nobiles diſparitas videatur. Itaque filia Baronis filio Comitis par eſt dignitate; nec filius Comitis, quòd in ſuperiori gradu dignitatis ſit, diſparagium filiæ Baronis poterit objicere. De aliis feudis, quæ nobilitatem inducunt, nempè de primo, ſecundo & tertio gradu nobilitatis, antea in feudorum diviſione dixi; nec magnitudo feudi ſpectatur, cum Baro qui de Rege tenet, quantuluſcunque fuerit, nobilitatis primum gradum ſibi poſſit aſcribere.

26. Sed ſunt & aliæ diſparitates ſive diſparagia, nempè in ætate: ſi filio heredi vetula offeratur, quæ ſpem ſobolis aut præ ætatè jam amiſit, aut ut amittat proxima eſt; neque enim juvenis viginti annorum quinquagenariam ducere cogendus eſt, neque fortè eam quæ proxima quinquagenariæ eſt, veluti ſi quadraginta quinque annos exegerit, cum difficilis ſit & in his ſpes conceptionis. Et licet in herede fœmina eadem non ſit ratio, neque ſpes prolis in viro quinquagenario, imò nec quamdiu vivit, deficit; puto tamen, ſi heredi fœminæ adoleſcenti quinquagenarius, aut qui eam ætatem ſuperavit, offeratur, diſparagium poſſe eam prætendere, & meritò eum recuſare.

27. Eſt & alia diſparitas ex corpore: ſi qui aut quæ offertur, alicujus membri defectu laboret, ita ut ejus nullum uſum habeat, ut ſi pede vel manu careat; nam vitium in membro, veluti ſi clauda ſit quæ offertur, aut ſi luſca ſit, non puto nocere. Varia præterea ſunt genera morborum quæ diſparitatem inducunt, præcipuè ſi tetri & perpetui morbi ſint; de quibus ſigillatim diſſerere, Medici potiùs eſſet quàm Juriſconſulti. Illud tantùm annotandum, omnem diſparitatem, & diſparitatis excuſationem, juſta fuerit necne, à Senatu ſolo æſtimari, & ejus arbitrio permitti, ut & antea valor maritationis.

28. In valore tamen æſtimationis ſciendum eſt, aliter maritationem heredis maſculi, aliter fœminæ fieri: nam maſculi heredis maritatio ad dotis tantùm quantitatem extenditur, ut tanti valere videatur, quantum vir prudens ei cum filia in dotem dare præſumeretur. In herede fœmina longe aliud *(a)*: nam maritationis valor tanti æſtimatur penè, quàm ipſum feudum aut hereditas, in quam ſuccedere

(a) D. 16. § 20.

debet, cùm ſit quaſi ejus dos, & is cui nubit totum lucratur : ideo videtur non minoris maritationem æſtimandam, quàm lucrum quod ex ejus connubio vir conſequitur, id eſt, quàm tota ejus hereditas. Sed ſanè durum hoc eſt, neque ex jure Feudali deſcendens, licet in noſtros uſus irrepſerit : ſolet tamen Senatus multò altiùs heredis fœminæ maritationes æſtimare, quàm maris ; ſed hæc omnia ex Senatûs moderatione pendent.

29. Si dominus heredem maſculum intra decimum quartum annum exiſtentem, aut fœminam intra duodecimum, diſpari conjugi collocaverit, (quod *in diſparagio maritare* dicimus,) ſolennitateſque Eccleſiaſticæ de facto perfectæ, quia ex jure matrimonium adhuc non teneat, donec perfectæ ſint ætatis ad matrimonium perficiendum conjuges, conquerentibus de diſparitate heredis amicis & propinquis, cauſaſque ſufficientes diſparitatis allegantibus, res contra dominum in judicium deducenda eſt, & interim conjuges ſeparandi. In qua cauſa, ſi dominus ſuccubuerit, & in heredem peccâſſe probatus fuerit, cuſtodiâ heredis, & ejus maritatione eâ vice, omnique commodo ejus privabitur, ob dedecus vaſſallo illatum, quòd ex fide, & ut decuit verum patronum & dominum, cum vaſſallo non egerit ; reſciſſoque ante decimum quartum annum matrimonio (quod ex jure licet) ex arbitrio amicorum, & præcipuè ejus qui cauſam diſparitatis peregit, & eum ab indigno matrimonio liberavit, de novo conjugem quam volet ducet, dotemque ſuam ipſe lucrabitur *(a)*. Quòd ſi heres jam poſt decimum quartum annum abſolutum huic diſpari matrimonio conſenſerit, prudenſque diſparem ſive genere ſive aliis vitiis duxerit, cùm cogi non potuiſſet, aut extra decimum quartum annum, cùm ea in ſocietate conjugali remanſerit, fruſtra de domino vel ipſe vel ejus amici poſtea conquerentur : nam hoc conſenſu ſibi præjudicavit, nec reſtitutioni in his eſt locus. Diſparitas hæc tempore præſentationis ſive oblationis ab herede alleganda eſt, niſi ab eo tempore ad notitiam pervenerit. Ratio eſt, quia ſi dominus de hac diſparitate allegata certificatus fuiſſet, poterat de alia providere, & aliam offerre.

30. Dixi omnia hîc ex fide agenda : itaque ſi vaſſallus deceſſerit, non debet heres matrimonium ſuum præcipitare, ut domino occaſionem ſive maritandi ſive requirendi præripiat ; ſed domino aliquod tempus concedendum, utì commodè deliberare poſſit, ubi velit heredem maritare. Itaque apud Anglos, ſi heres fœmina decimum quartum annum expleverit, tunc cùm in wardam ſive cuſtodiam incidit, continuatur warda in favorem domini in annum decimum ſextum, ut interea de commoda heredis maritatione dominus poſſit deliberare, & aliquot ex cuſtodia fructus præcipere, quod ex ſtatutis Parliamenti Weſtmonaſterienſis ſecundi introductum eſt. Quòd ſi intra decimum quartum annum heres fœmina à morte patris ſui fuerit, abſoluto decimo quarto anno, warda ſive cuſtodia ceſſat. Uſque adeò fraus odioſa in hac præcipitatione eſt matrimonii, ut ſi vaſſallus, quo maritationis jus à domino auferat, in lecto ægritudinis heredem ſuum apparentem dederit in matrimonium, non minùs tamen heres in ſimplum tenebitur. Quòd ſi heres, qui decimum quartum annum compleverit, dominum ſuum jure maritationis fraudaverit, dominus poteſt feudum ultra vigeſimum primum annum in ſua manu eatenus retinere, donec duplum maritagii acceperit. Duplum hoc jure Anglorum per duodecim virorum ſacramentum, aut per quantitatem quæ olim domino oblata eſt, taxatur. Sic ſi heres ſit ſimpli tantùm debitor, dominus retentionem fructuum habet, donec ei ſatisfiat.

31. Apud Gallos, heres etiam fœmina, ſi in cuſtodiam Regis inciderit, ejus conſenſum in deligendo conjuge ſequi debet ; & cùm Rex ipſe his rebus adeſſe ſemper non poſſit, procuratoris Regii conſenſus requirendus & adhibendus, ut, eo præſente, & convocatis matre & reliquis heredis propinquis, deliberetur quomodo ea pro dignitate poſſit maritari : ſi tamen contra requiſitionem ſe maritaverit, pœnam neque ſimpli neque dupli apud eos reperi. In viduis, quæ in Regis tenementis jus prætendunt, jure Anglorum hoc ſtatuitur, ut jurent ſe non habituras maritum, niſi ex conſenſu Regis : alioqui Rex omnia tenementa & catalla viduæ in ſuas manus capiet,

(*a*) Cap. 91, 92 & 93. Quon. attach.

piet, donec ei pro offenſione hac ſatisfaciat : ſatisfactio hæc ad unius anni redituum valorem æſtimari ſolet. Præterea, jure Anglorum, ſi fœmina heres ante annos nubiles fuerit maritata, Rex habebit cuſtodiam, donec ad annos nubiles pervenerit, & poſſit matrimonio conſentire ; & tunc mulieris eſt electio, eúmne cui priùs maritata fuerit malit, an eum quem Rex illi obtulerit.

32. Si quis in fraudem domini ſuperioris heredem adhùc infra ætatem exiſtentem ſive minorem abduxerit, &, ut jus maritationis domino eripiat, maritari curaverit ; domino quanta ea res erit, & in valorem matrimonii tenebitur, & cuſtodiæ committi poteſt, donec pro eo ſatisfaciat : præcipuè, ſi heredem fœminam abduxerit, cujus maritationis valor (ut antea dixi *(a)*) pluris longè æſtimatur, quàm heredis maſculi ; nam præterquam quòd domino quanti ejus interſit teneatur, etiam duorum annorum carcere puniendus erit, licet heredem non conjugatum, ſive marem ſive fœminam, reduxerit ; & ſi ſatisfacere non poterit, perpetuo exilio condemnandus *(b)* : nam per eum factum eſt, quo minus jus ſuum dominus eſt conſequutus. Si dominus ſuperior vaſſalli demortui heredem inveſtierit poſt mortem patris, à jure maritationis receſſiſſe non videtur, imò tum magis ſtabiliviſſe, cùm heres, ſi nunquam feudum ingreſſus fuerit, in maritationis duplo non teneatur. Sunt tamen qui aliud putant, niſi dominus ſibi, dum heredem inveſtiret, de ſalvo jure maritationis fuerit proteſtatus.

33. Hoc jus maritandi heredis, ut puto, à Normannis nunquam deſcendit, cùm in jure Normannorum ſcripto non meminerim me de eo legiſſe. Ad Anglos à nobis emanâſſe videtur : nam jus hoc maritandi heredis Regi non fuit conceſſum ante Henricum III. & in primo Parliamento Weſtmonaſterienſi confirmatum.

Diegeſis vigeſima ſecunda,

De conjunctis Inveſtituris ſeu Inſeudationibus, de Tertia & de Curialitate.

SUMMARIA.

1. *Continuatio jurium quæ à morte vaſſalli oriuntur.*
2. *Quæ ad viduam pertineant ex proviſione hominis ?*
3. *Quæ ex proviſione legis ad viduam pertineant ?*
4. *De conjuncta inveſtitura.*
5. *Differentia conjunctæ inſeudationis ab uſufructu communi.*
6. *Quomodo ſciri poſſit, in cujus perſona uſusfructus, & in cujus proprietas conſiſtat?*
7. *Diverſitas juris Anglorum in hac re à noſtro.*
8. *Origo conjunctæ inveſtituræ.*
9. *Quid ſit conjuncta inveſtitura ? Si hæc in compenſationem Tertiæ detur expreſsè, nihil jure Tertiæ, mortuo marito, uxor petere poteſt : quòd ſi nulla mentio Tertiæ, aut illius clauſulæ quæ eam impediat, utramque uxor habebit.*
10. *Quæ ſit hujus conjunctæ inſeudationis conditio, conſtante matrimonio, & eo ſoluto ?*
11. *In quibus conjuncta inveſtitura locum habeat ?*
12. *Conjunctè inveſtita cavere cogitur. Cautio quomodo exigenda ? Si petita, nec tamen data, & pauperies aut damnum detur, ſententiâ judicis uxor privatur, donec præſtiterit. Si Vicecomes aut Magiſtratus in exigenda cautione ceſſaverit, tenetur.*
13. *Si conjuncta inveſtitura de feudo quod reverſioni eſt obnoxium detur, & redemptio ſequatur, quid juris ? Si poſtquam inſeudata fuerit, in alienationem ſub tali pacto conſenſerit, quid etiam juris ?*
14. *Conjuncta inveſtitura, niſi ex voluntate ſuperioris, commodè non procedit. Si ex diſpoſitione ipſius vaſſalli procedat, multis difficultatibus obnoxia eſt.*

 15. *Stante*

(a) § 28. (b) Cap. 91 & 95. Quon. attach.

15. *Stante hac conjunctâ investiturâ, vir nec potest alienare, aut ullo modo, absque consensu uxoris, feudum illud gravare.*
16. *Quid si conjunx consenserit, & qualiter consensus legitimus interponatur?*
17. *Quid sit in mulieris commodum fieri?*
18. *Obligatio uxoris, quâ se cum viro astrinxerat, quoad executionem sæpe suspenditur; vel potiùs in judicio rescissorio uxoris consensus retractatur, ob metum reverentialem; qui metus jure Civili metui justo æquiparatur, & præcipuè competit in quinque casibus.*
19. *Bartoli & Auctoris opinio circa metum hunc reverentialem; & unde probatio oriatur?*
20. *Conjuncta hæc investitura obnoxia est annuis reditibus tempore prioribus. Apud Anglos omnis uxorum consensus, stante matrimonio, est irritus.*
21. *De nudo usufructu, qui in effectu parùm differt à conjuncta investitura, nisi quoad casualitates superioritatis, quæ heredi potiùs quàm relictæ obveniunt; & si teneatur de domino, non minùs utilis, & ab omni periculo immunis. Incipit à die mortis mariti, & cavere debet usufructuaria ut altera.*
22. *Jure Anglorum mulier, sive usumfructum vel conjunctam infeudationem, & separatas à principali mansione ædes habeat, sive non, removenda est ex habitatione mariti, aut expellenda intra 40 dies. Si nullum sit matrimonium, sive de jure sive de facto, nullæ etiam sunt provisiones. Aliud, si cùm ab initio valeret, culpâ conjugum dirimatur.*
23. *An, alterutro conjugum intra annum, & sine liberis relictis, mortuo, conjuncta investitura sive ususfructus debeatur?*
24. *Alia ratio ex jure Civili, quare mulier talis nihil consequatur, sciz. identitas dispositionis rerum mobilium atque immobilium; quam observant Commissarii, atque ita etiam in Senatu judicatum.*
25. *Deficiente provisione hominis, locus est provisioni legis, sciz. Trienti; in qua iisdem privilegiis fruetur relicta, quibus heres in besse, exceptis eschetis. Triens etiam ex pacto competere potest, quæ tamen non augetur conquæstu mariti. Est & etiam Triens indefinitus. Maritus non potest suæ conjugi in Triente præjudicare, quin actionem de evictione contra heredem mariti habeat. Apud Anglos Triens debetur, si uxor desponsata annum nonum superaverit, licet eâ ætate matrimonium non consistat. In nonnullis regionibus dimidium, in aliis totus ususfructus relictæ cedit. Tertiam etiam uxor habebit cum pertinentiis.*
26. *De quibus terris maritus est sasitus tempore mortis, ex iisdem debetur uxori Tertia; & si sasitus tantùm fuerit in feudo sibi invadiato, & renunciaverit, heres præstabit, nisi mulier hoc sciverit; quo casu tertiæ partis pecuniæ usumfructum sub cautione consequetur, sed assedationes ad heredem pertinebunt.*
27. *Aliquando competit Triens, licet maritus non vestitus decesserit, diversâ tamen formâ. Singularis favor matrimonii jure Normannorum & Anglorum. Triens etiam debetur ex terris constante matrimonio acquisitis: sed in hoc differunt jus vetus ab hodierno. Duo sunt de quibus inquiritur apud nos; de quibus sc. terris obierit vestitus, & an sit ejus legitima uxor?*
28. *Ex quibus rebus Triens debeatur?*
29. *De Tricnte habitationis. Quæ dividi non possunt per se, aut non solent, per fructus dividuntur; ut jus pascendi pecoris, calcis coquendæ, aut carbonum.*
30. *De duplici Triente, sive Tertia, magna & parva.*
31. *Triens hic ab usufructu & conjuncta infeudatione differt in forma petitionis; hæc per actionem fit, illa per Breve; quo inquiritur de quibus terris, & an quæ petit sit legitima ejus uxor: quæ etiam sunt verificanda.*
32. *In deservitione hujus Brevis, favorabiliùs multò cum uxore quàm herede agitur, si vel huic bastardiæ exceptio, vel illi nunquam fuisse matrimonium, objiciatur: & post quindecimvirale judicium in hac re, procceditur ad designationem Tertiæ.*
33. *Deservitio Trientis retrotrahitur ad diem mortis mariti.*
34. *Quædam sunt quæ hunc Trientem non admittunt, quæ sciz. viduam non decent; quæ voluptatem, non utilitatem spectant; quæ divisionem non recipiunt: aliis etiam casibus non admittitur.*
35. *Variis modis amittitur Triens: si maritus majestatis damnatus sit; si quoquo modo proprietate feudi denudatus sit; si ipsa adulterii damnata; (apud Anglos, si monumenta & evidentias mariti abstraxerit;) si superior majestatis damnatus sit, nisi*

niſi certo caſu : ſed ſi heres cum ſuo ſuperiore tranſigat, relicta ſolvendo ſuam partem tranſactionis Trientem recuperabit : idemque in aliis dicendum. Non-introitus, ob defectum viri, non nocet viduæ : ſecus ſi ob defectum aliorum prædeceſſorum.

36. *Jure Anglorum mulier etiam amittit Tertiam, ſi alicujus magni criminis damnata ſit, licet reſtitutio ſequatur, niſi ſententia damnationis ſit reſciſſa. Si ex facto mariti feudum ſit recognitum, mulier Tertiam amittit, niſi tranſactione recuperetur ; tum enim vidua ſolvendo partem tranſactionis admittitur. Si vir religionem ingrediatur, aut matrimonium ob adulterium viri diſſolvatur, vidua Tertiam non conſequitur ; ſed hoc ultimo caſu tantùm uſumfructum. Si intra annum abſque ſobole decedat maritus, nec Tertia nec conjuncta infeudatio viduæ debetur.*

37. *Tertia hæc libera eſt ab omni warda, relevio & non-introitu. Vidua quæ de Rege tenet, ſine conſenſu Regis nubere non poteſt.*

38. *An Triens, quæ ex lege deſcendit, obnoxius ſit debitis hereditariis ? item, an ea quæ ex proviſione hominis proveniat ?*

39. *An mulier Tertiæ poſſit renunciare durante vitâ mariti ? Negatur ; licet poſſit, in compenſationem.*

40. *De Curialitate, ejuſque origine.*

41. *De quantitate Curialitatis ; & quatenus differat à Triente, aut cum ea conveniat ?*

42. *Quibus, & quomodo competat ? Licet à lege deſcendat, eundem tamen effectum, ac ſi à domino conſtituta eſſet, habet. Excludit wardam, relevium & non-introitum ; obventiones tamen maritus non lucratur : ſed hæc omnia, ſi ſoboles viva naſcatur, quod probandum per mulieres quæ puerperæ aderant.*

43. *Nulla differentia eſt inter conjugem viduam & virginem, nec quale ſit feudum ; aut utrum heres mulier ſit lincalis an talliæ, cùm nupſit, aut an conſtante matrimonio hereditas ſupervenerit.*

44. *Admittitur Curialitas eodem modo ac Triens. Jure Normannorum durat ad alias mariti nuptias tantùm. Maritus hic ſatisdare eodem modo, & pauperiem reficere, ac alius uſufructuarius, cogitur.*

1. EX morte vaſſalli diximus *(a)*, quod jus ad heredes pertineat, quod ad dominum feudi ; ſupereſt ut dicamus de eis juribus quæ ad conjuges, ſive alterutrum eorum pertinebunt. Sunt autem ea jura quatuor ; nempe, conjuncta infeudatio, nudus uſusfructus, triens ſive tertia uſusfructûs, & curialitas : non quòd prima duo ex morte vaſſalli oriantur, cùm ab initio ex proviſione hominum deſcendant ; ſed quòd tum, id eſt ſtatim quàm moritur vaſſallus, in actum ſive effectum producantur, cùm antea tantùm eſſent (ut dici ſolet) in potentia.

2. Mortuo itaque vaſſallo, ſi ejus vidua quod jus in feudo habeat, aut illud ex proviſione hominis procedit, aut ex proviſione legis. Ex proviſione hominis procedunt aut conjuncta infeudatio ſive inveſtitura, aut nudus uſusfructus ; quæ non debentur, niſi expreſsè caveatur de his & provideatur.

3. Ex proviſione legis ſive juris deſcendunt triens ſive tertia pars uſusfructûs illius feudi in vidua fœmina, & Curialitas in favorem mariti ; quoniam lex hæc relictis conjugibus providet pro vita, quoties proviſio hominis ceſſat. De his omnibus dicendum nunc eſt, & primùm de conjuncta inveſtitura.

4. Videtur hæc conjuncta infeudatio ſive conjuncta inveſtitura, in qua maritus & ejus uxor ſimul in feudo inveſtiuntur, non ſolùm à jure Civili, ſed etiam naturali, imò & ab ipſo jure Feudali longiſſimè diſſentire : nam in his conjunctis infeudationibus, uterque eſt vaſſallus, uterque domini ſuperioris feudatarius ſive tenens, uterque denique proprietarius ; cùm feudum ſit ipſa prædii proprietas & utile ejus dominium, ut toties ſuprà confirmavimus : at duo in ſolidum ut unius rei ſive feudi domini eſſe poſſint, non ſolùm juri, ſed etiam ipſi quaſi naturæ repugnat ; imò, quod minus eſt, duo in ſolidum poſſidere non poſſunt. Si tamen omnia civiliter intelligantur, nihil hîc incommodi eſt ; nam licet hæc verè ſit conjuncta inveſtitura & dicatur, unus tamen verè proprietarius eſt, alter tantummodo uſufructuarius, niſi quòd privilegia quædam habeat, quæ non niſi dominis ſolent competere, & ab uſusfructûs

(a) D. 13. § 2.

natura abhorrent : & licet ex morte totum jus finiatur, ut in uſufructu, nec pauperiem facere poſſit, nec faciem rei mutare, quæ omnia cum vero dominio non concurrunt, in quo dominus re ſuâ uti vel abuti poteſt ; plenior tamen & dignior conjuncta inveſtitura eſt quàm uſusfructus, ita ut mera proprietas dici quodammodo poſſit, dum vita illius cui debetur manet ; ita tamen ut ab omni alienatione ſive deterioratione ei interdicatur ex jure.

5. Sed videamus in quibus hic uſusfructus à communi uſufructu differat. Quicunque is ſit qui conjunctam infeudationem habet, quæ tamen ad ejus heredes non deſcendit, poteſt vaſſallos inferiores ſive valvaſſores recipere ; feudi renovationem eis concedere, ſive ex retornatibus heredum ad feuda ſuorum prædeceſſorum, ſive ex reſignationibus ; obventiones feudorum diſponere, aut ſibi arrogare ; quales ſunt cuſtodia, maritatio, relevium, non-introitus, dum vivit ; præſentatio ad Eccleſias patronatûs ſui feudi *(a)*. Ea ſi uſufructuarius hic ſibi retinere velit, non minùs nec aliter eis frui poteſt, quàm dominus, ſive ipſe principalis vaſſallus, durante vitâ ſuâ ; aut ſi mallet diſponere alteri, poteſt etiam : adeò ut diſpoſitio hæc non ad vitam tantùm diſponentis extendatur, veluti in mulieris uſufructu ; ſed ſufficit donec cuſtodia per legitimam vaſſalli ætatem, non-introitus per introitum finiatur ; maritatio, donec pro ea ſatisfaciat : & ſic de relevio & Eccleſiaſtico patronatu ; nam præſentatio, & ex ea collatio, ad vitam præſentati durat. Præterea, ſolebat hæc conjuncta infeudatio introitum heredis non minùs impedire, quàm verum feudum, adeò ut, durante totâ vitâ conjugis, heres ad feudum ingredi non poſſet ; & hoc a majoribus noſtris ſolenniter obſervabatur. Hodie, tanquam hæc conjuncta infeudatio in nudum uſumfructum reſolvatur, non ſolet obſtare, quo minus heres feudi hereditatem ingredi & agnoſcere poſſit, reſervato viduæ ſuo jure. Denique, nihil ex jure proprietatis dum vivit carere videtur, niſi quòd non poſſit feudum alienare, non ejus minimam particulam onere aut ſervitute gravare, niſi ſuâ vitâ manente *(b)* : eâ finitâ, omnia illa gravamina ceſſant, & ad vaſſallum & ejus heredem feudum in eo ſtatu redit, quo fuerit ante conjunctam hanc inveſtituram. Denique illa communio omnium bonorum, moventium & non moventium, quæ propria matrimonii cujuſque eſt, hîc maximè exprimitur : nam ut uxor, conſtante matrimonio, bonis mobilibus uti & frui poteſt, ſed quatenus ad uſum ſuum, alienare tamen non poteſt ; ſic in hac conjuncta inveſtitura, nam uſus utriuſque æquè communis eſt, proprietas tantùm ad vaſſallum aut vaſſalli heredem pertinet.

6. Et quoniam hæc conjuncta inveſtitura uſumfructum vitalem in unius perſona conſtituit, in altera proprietatem ; ut ſciamus, in cujus perſona ſit proprietas, & in cujus uſusfructus, hoc obſervandum eſt, ut in his conjunctis infeudationibus, primùm verba conſiderentur, nempe quibus diſponatur, poſtea quibus heredibus fiat, tam in primo gradu, quàm in ſubſtitutione. Exempli causâ, *Dominus ſuperior inveſtit conjunctè Seium & Semproniam conjuges, & eorum alterum diutius viventem, in conjuncta infeudatione alicujus feudi ſeu prædii :* ſequitur fortaſsè *& heredes inter ipſos procreatos ſeu procreandos* (quod proprium eſt conjunctæ infeudationis :) tum additur, *quibus deficientibus, heredibus Seii*, quæ deſignatio heredum adjecta proprietatem in perſona Seii conſtituit, & uſumfructum tantum in perſona Semproniæ. Si verò contrà, poſt clauſulam [*& heredibus inter ipſos procreatis,*] addatur, [*quibus deficientibus, heredibus dictæ Semproniæ quibuſcunque,*] proprietas in Semproniæ perſona conſtituitur, & uſusfructus tantum in perſona Seii. Nam hæc clauſula, [*quibus deficientibus, heredibus dicti. R. quibuſcunque*] determinat proprietatem : adeo ut ſi feudum datum ſit *viro & uxori, & eorum heredibus*, feudi proprietas ad utroſque diviſim & per æquas partes pertinebit : quòd ſi *heredibus viri tantum*, uxor nudum tantùm habebit uſumfructum ; ſi *heredibus fœminæ tantùm*, habebit uſumfructum tantùm vir ejus. Quod ſi feudum ſit conceſſum *homini & heredibus ex corpore uxoris procreatis*, tenent vicini virum in hoc caſu ne uſumfructum in hoc feudo habere. Si poſt conjugum conjunctam inveſtituram ſequatur ſpecialis heredis nominatio, in neutro conjugum feudi

(a) Cap. 16. § 61 & 67. lib. 2. Reg. Majeſt. Vid. § 42. (b) 2 F. 8. pr.

di proprietas consistit, sed in heredis persona, & conjuges tantùm usufructuarii erunt: veluti, si conjuncta investitura fiat *Seio & Semproniæ conjugibus, & Mevio eorum heredi, & heredibus ejus quibuscunque*; proprietas in solo Mevio consistit, ususfructus communis in utroque conjuge, quamdiu alter eorum supervixerit. Quòd si nulla mentio fuerit heredum, nudus tantùm ususfructus in persona utriusque conjugis consistit; post eorum mortem, proprietas ad concedentem jure Anglico, fortasse & nostro redit: imo si *alicui & ejus assignatis* fuerit concessa investitura, idem censent, quia heredum nulla mentio est. Itaque maximè spectanda est hæc clausula [*quibus deficientibus*]: nam si ad heredes certæ & definitæ personæ referatur, in illa certâ & determinatâ personâ feudi proprietas consistit; in aliis, prout provisum est, tantùm ususfructus, non quidem nudus & civilis, sed qui proprietatis quædam privilegia secum conjuncta habeat *(a)*. Quod si conjuncta investitura *duobus conjugibus & heredibus eorum* tantùm fiat, nullâ determinante clausulâ subsequente, nos proprietatem in viro constituimus, sequuti ejus dignitatem, ac si *duobus conjugibus* facta esset investitura, & *heredibus inter ipsos procreandis, quibus deficientibus heredibus viri quibuscunque*, quasi ea mens fuisset contrahentium, & quòd illa clausula per errorem neglecta aut prætermissa præsumatur.

7. Angli tamen longè aliud observant, quoties *conjuges investiti sunt & heredes eorum*, nec quicquam ulterius adjicitur. Hoc casu, putant illi feudi proprietatem, post mortem utriusque conjugis, inter utriusque heredes debere dividi; cum feuda sint strictissimi juris, neque ulteriùs extendantur, quàm verba sinunt: & quia dispositio fit *utrique conjugum, & eorum alteri diutiùs viventi, & heredibus eorum*, putant vocem *utriusque* repeti, & sic ad utriusque heredes pertinere pro æqualibus portionibus. Sed jura Feudalia (ut dixi) sunt localia, & cuique regioni sui mores & consuetudines permittendæ.

8. Sed ad hanc nostram conjunctam investituram seu infeudationem redeo; & ut intelligatur unde origo defluxerit, sciendum est, apud majores nostros nullas fuisse conjunctas infeudationes; sed ex provisione legis, viduis provisum fuisse, ne eis deesset ad vitam honestè & ex dignitate degendam. Putabant itaque illi sufficere trientem ususfructûs totius prædii, ut commode inde vivat, relicto besse feudi vassalli heredi, ad domini servitia & alia onera reipub. sustinenda. At nimiùm provida parentum cura, cum dotes augeri cœperant, quæ ab initio aut nullæ aut raræ erant, & cum triens hic aliquot difficultates secum adferret, (nam per acras sive jugera inter se ita commistæ & conjunctæ fuerunt partes, ut commodè una ab alia coli non posset) cavere solebant, ut triens à besse divideretur, & fortasse, cum de habitatione controversiæ essent frequentes, cum futuro conjuge solebant de usufructu alicujus prædii separatim colendi pro suo triente transigere, viz. ut tot agri pro triente separarentur & pro triente sufficerent. In quo casu antiquitùs, ut ex jure nostro scripto patet, si plus assignaretur fœminæ futuræ conjugi, quàm ipsius trientis sive tertiæ valor, ad justum trientis valorem & æstimationem, causâ apud judicem ordinarium cognitâ, reducebatur *(b)*. Sed senescentibus majorum nostrorum institutis, plus potuit provisio hominis, quàm provisio legis: itaque parentes, dum magnam dotem numerant, aliquid etiam supra jus commune deberi sibi credentes, & dum filiabus elocandis quàm optimè consultum vellent, ne post mortem maritorum in difficultates incidant quæ tum provideri poterant, illud introduxerunt, ut aliqua pars feudi etiam triente major in conjuncta infeudatione utrique conjugi separaretur, cujus ususfructus ad filias suas pertineret defuncto conjuge, aliquando dimidia pars feudi, aliquando & totum feudum, dum partem ad honeste vivendum non sufficere causantur. Et sic evenit quod sapientissimus Cato Censorius futurum prædixerat, si impotenti sexui frena permittantur; nam quamprimum pares uxores viris essent, mox etiam superiores evasuras. Sed querimoniis hic non est locus.

9. Est itaque hæc conjuncta investitura, quæ utrique conjugi, & eorum alteri diutiùs viventi, ex hominis provisione competit, in qua alter, mortuo priore, se-

(*a*) Ut § 5. dictum. (*b*) Cap. 16. § 77 & 78. lib. 2. Reg. Majest.

dem habere poſſit dum vivit, eoque & ejus fructibus, alimentorum causâ, uti & frui. Et quoniam hæc conjuncta inveſtitura (quæ nunquam habet locum niſi inter conjuges) ex ſola hominum contrahentium, ſive parentum & amicorum proviſione, ſive ipſorum conjugum, conſtante matrimonio, mutuo conſenſu deſcendit, ex conventione partium legem accipit; ita ut vidua eas ſolas ædes habeat, quæ, ut ei pro habitatione ſufficerent, convenerat, & tantum prædii, quantum in conjuncta inveſtitura continetur; ſi illam inveſtituram pro jure ſui trientis aut tertiæ (ut ſolemus loqui) ei ſufficere, eoque ut contenta eſſet, convenerat. Quòd ſi expreſſum fuit in hac conjunctæ inveſtituræ proviſione de triente ſive tertia uſusfructûs parte, viz. ſi ita proviſum fuit, ut ſponſa aut conjux ſolâ hac conjunctâ inveſtiturâ pro omni tertia contenta eſſet, nihil jure tertiæ aut trientis mortuo marito poteſt petere; expreſsè enim in compenſationem legitimæ tertiæ ei conceſſa fuit hæc alicujus feudi partis conjuncta inveſtitura. Quòd ſi nulla mentio trientis aut proviſionis legalis fuerit, nec alicujus clauſulæ, quæ trientis præſtationem impediret, tunc præter ſuam conjunctam infeudationem illius certæ partis, quam uterque ex proviſione hominis accepit, totius reliqui feudi trientem in uſufructu vidua habebit, & cujuſlibet ejus partis, quæ in conjunctam infeudationem non cadebat *(a)*. Quoties enim nihil de triente exprimitur, diſpoſitioni juris communis relinqui videtur, & competit ex omni feudo quod vaſſallus tempore mortis habuit.

10. Hujus autem conjunctæ infeudationis nullum commodum, nulla utilitas ſtante matrimonio ad uxorem pertinet, ſed ad maritum & ejus adminiſtrationem, qui onera matrimonii ſuſtinere debet: habebit autem vidua hanc ſuam infeudationem conjunctam ab omni onere & ſervitutum & annuorum reditûum præſtatione liberam, immunem, & (ut loqui ſolemus) ut feudum optimum maximum eſt, nullisque gravaminibus obnoxium, niſi aliter ab initio, dum præſtabatur aut promittebatur, convenerat. Si tamen quædam erant hereditaria onera, quibus ante conjunctam infeudationem feudum erat obnoxium, ea præſtare cogetur; ita tamen, ut de evictione ſive guarantizatione adverſus concedentem actio ei ſuperſit, ſi quid aliter fiat quàm convenerat. Si poſt conjunctam infeudationem, vir onus aliquod impoſuerit ſine conſenſu conjugis, poſt mortem viri agnoſcere non tenetur: ſi verò conſenſerit, quatenus hic conſenſus ei præjudicet, mox videbimus.

11. Coujuncta hæc inveſtitura de quolibet tenemento fieri poteſt, tam urbano prædio quam ruſtico, ſive feudum in burgagio teneatur, ſive in feudo franco, emphyteutico aut militari. Solent autem in rem ſuam attentiores, ſi plura habeant feuda diverſæ naturæ, veluti unum militare, alterum francum aut emphyteuticum, de militari feudo conjunctam inveſtituram potiſſimùm præſtare, ut à domini ſuperioris cuſtodia poſt mortem vaſſalli ſit immunis: nam dominus, quotieſcunque tenentem habeat, licet uſumfructuarium tantùm, à cuſtodia feudi eatenus excluditur.

12. In hac qualicunque conjuncta ſive inveſtitura ſive infeudatione, quemadmodum in uſufructu, vidua, ſi pauperiem feciſſe dicatur, aut de mala feudi adminiſtratione ſuſpecta ſit, cavere tenetur, ſe feudum, quod in conjuncta infeudatione habet, non deterioraturam, neque in deteriore ſtatu relicturam, quàm acceperat, & ædes ſartas tectas, hortos in ſua integritate, pomaria, prata, paſcua, vinaria, ſtagna, piſcinas ſervaturam, neque quicquid facturam, quò præter domini ſolitum morem eis noceatur. Hæc autem cautio, niſi exigatur ab herede, non eſt neceſſaria. Si verò ille cenſuerit exigendam, per literas à Senatu impetratas poterit eam monere, ut caveat intra quadrageſimum diem, ſe feudum in ea integritate & melioratione conſervaturam, quâ acceperat; alioqui donec caverit, ab ejus uſu prohibendam: nam ego ulterius prohibitionem illius acti extendendam non puto. Si recuſaverit, ante Senatum citanda eſt, ut ſecundum tenorem certificationis prioris, videat ſe ab uſufructu deceſſiſſe, & eam proprietario accreviſſe; quod & Senatus ſolet etiam decernere: ita tamen ut interea ceſſationem ſuam mulier purgare poſſit, & cautionem

(*a*) Atque ſic uxores non ſolum pares, ſed ſuperiores forent; quod non eſt ferendum: ſed huic malo apud nos obviam itum eſt, cap. 10. Parl. 3. Car. II.

nem de integro offerre. Quòd ſi jam pauperiem fecerit, ante Vicecomitem (non nego tamen quin & ante Senatum) conveniendа eſt, ubi quindecimvirali judicio pauperies facta ſive damnum æſtimabitur, in eoque contra eam ſententia fiet, ut uſufructu aut ſuâ conjunctâ infeudatione privetur, donec de jam dato damno ſatisfecerit. Si Vicecomes aut magiſtratus in exigenda cautione ceſſaverint, modo requiſiti fuerint, ipſi de damno facto ſive de pauperie tenebuntur *(a)*.

13. Si de feudo, quod reverſioni obnoxium eſt, conjuncta inveſtitura conjugibus ſit conceſſa, & redemptio ſit ſequuta, uxor poſt mortem mariti de evictione contra ejus heredes aget, (niſi ſciverit, cum acceperat, reverſioni ſive pacto de retrovendendo fuiſſe obnoxium:) quo caſu pecunia tota, quæ in locum feudi ſive rei jam ſucceſſit, ejuſque quaſi uſusfructus, (nam verus pecuniæ non poteſt eſſe uſusfructus) mulieri dum vivit permittendus eſt *(b)*, modò ſufficienter & arbitrio judicis ſatisfederit, de pecunia heredi vaſſalli poſt mortem reſtituenda. Quod ſi poſtquam infeudata fuerit, in alienationem ſub pacto de retrovendendo conſenſerit, & mortuo viro heres ejus ex vi reverſionis ſive pacti de retrovendendo redemerit, id commodo conjugis relictæ fiet, & uſufructus ei redintegrabitur: nam heres defuncti perſonam ſuſtinet. Itaque, ſi id fecerit quod ejus prædeceſſor facere tenebatur, id commodo conjugis relictæ cedet, ſi quidem conjuncta ejus infeudatio non fuit omnino extincta; niſi forte alienatio de domino ſuperiore tenenda concedatur, quo caſu redemptio conjugi non proderit.

14. Hæc autem conjuncta infeudatio, quæ utrique conjugum conceditur, commode non procedit, niſi ex conſenſu domini ſuperioris, & niſi is ex reſignatione prioris vaſſalli conjunctam infeudationem, vel ipſi reſignanti & ejus conjugi, vel ejus heredi apparenti cum ſua conjuge conceſſerit, aut prius conceſſam confirmaverit. Nam ſi hæc conjuncta infeudatio tantùm ex diſpoſitione ipſius vaſſalli procedat, non jam eſt conjuncta infeudatio ſive inveſtitura, ſed nudus tantùm uſusfructus, & innumeris difficultatibus ſive incommodis erit obnoxia; ſiquidem ex perſona concedentis præmorientis in non-introitu eſſe poteſt, ſic & cuſtodiæ ſubjacere, & reliquis ſervitiis quæ domino ſuperiori de feudo militari à vaſſallo debentur. Itaque parentes hoc maximè in elocandis filiabus provident, ut hæc conjuncta infeudatio ex diſpoſitione domini ſuperioris procedat, aut ſaltem ejus confirmatio ſequatur; cum alioqui certum uſumfructum in perſona conjugis vix videatur ſponſus poſſe conſtituere, propter tot ſalebras & difficultates, quæ ex inſperato aut occurrere aut emergere poſſunt.

15. Stante autem hac conjunctâ infeudatione & matrimonio, an vir quicquam ex feudo, cujus conjuncta infeudatio uxori conceſſa eſt, alienare poſſit, varia eſt diſputatio: in qua hoc primùm recipiendum eſt, ſine ejus conſenſu diſpoſitionem quamcunque à marito factam, aut ſervitutem aut gravamen quodcunque impoſitum, non tenere, quin, poſt viri mortem, illa ad plenæ ſuæ conjunctæ inveſtituræ fruitionem ſive uſumfructum, in eodem ſtatu quo acceperat, admittatur, neque onus impoſitum agnoſcere tenetur, licet toto tempore viri, cum obſtare aut agere non poſſet, ſilentio rem præterierit.

16. Si verò conſenſerit viro alienanti, videndum an conſenſus hic ante judicem ordinarium ſit confirmatus, & extra præſentiam viri, quo caſu extra controverſiam omnem eſt conſenſum hunc eſſe legitimum *(c)*: neque in judicio audienda eſt conjunx contra hunc conſenſum judicialem. At ſi præſente marito, cui tutò contradicere non poteſt, & extra judicium ſubſcripſerit, an ſubſcriptio hæc verum conſenſum inducat, dubitari poteſt? Nam cum in priore conſtitutione, hæc duo, in judicio, & extra præſentiam mariti, exprimantur; videtur in aliis caſibus conſenſum mulieris in præſentia mariti & extra judicialem non probari, & eo caſu revocationem permitti: tamen hoc jure hactenus uſi ſumus, ut talis ſubſcriptio coram teſtibus pleniſſimum conſenſum inducat, & omnem revocationem impediat. Auget tamen quæſtionem Authenticum illud, *Si qua mulier* C. ad SC. Velleianum, deſumpta

(a) Cap. 25. Parl. 3. Jac. IV. & cap. 15. Parl 4. Jac V. (b) Vid. § 26. (c) Idque jure Canonico Extr. de jurejurando cap. cum contingat. 28.

ex Novella conſtitutione *(a)*, *Ut nulli judicum habere liceat conſervatorem loci:* cujus Authentici, & loci ex quo deſumptum eſt, hæc ferè ſunt verba, *Si qua mulier crediti inſtrumento conſentiat proprio viro, aut ſcribat, & propriam ſubſtantiam aut ſeipſam obligatam faciat; ut nullatenus hæc obligatio valeat, ſive ſemel, ſive multoties hujuſmodi aliquid pro eadem re fiat, ſive privatum ſive publicum id debitum ſit: ſed ita eſſe ac ſi neque factum neque ſcriptum quicquam eſſet, niſi probetur manifeſtè pecuniam in propriam ipſius mulieris utilitatem eſſe expenſam.*

17. Hanc poſteriorem clauſulam [*in mulieris utilitatem converti & expendi*] ſic nos interpretamur, & æquitas ſuadet, ut mulier tantundem utilitatis ex ea pecunia aliter collocata conſequatur, quantum ei ex ſubſcriptione ſua & conſenſu deceſſerit: aliter in ejus rem aut utilitatem converſam pecuniam non videri, etiamſi producatur inſtrumentum, quo ipſa confiteatur pecuniam in rem ejus expenſam, eâdem enim facilitate qua mulier ſe obligavit, eâdem confeſſionem hanc fecit *(b)*, nec vera ejus utilitas eſſe poteſt, niſi eadem duret etiam poſt viri mortem. Sane hactenus eo jure uſi ſumus, ut quomodocunque conſenſus mulieris interpoſitus ſit, dummodo vel per ſuam ſyngraphan, vel per Notarium, ſe ex ejus mandato ſubſcripſiſſe fatentem, cum ea ſcribere neſciret, conſenſus hic intervenerit, nunquam contra eum venire poſſet. Nuper tamen in actione, quæ inter Jacobum Murray & Jacobum Sandelandis de Calder contentioſiſſimè agebatur in Senatu, animadverti Dominos Senatores multum ad Authenticum illud, *Si qua mulier*, inclinaſſe, & dum interloquerentur, ad illud deciſionemque in eo contentam animum applicaſſe, cum de alienatione per maritum Joanetæ Murray cum ſuo conſenſu ageretur.

18. Sæpe etiam in Senatu receptum vidi, Si mulier cum viro conſtante matrimonio ſe pro ſolutione debiti ſummæ alicujus obligaſſet, aut pro reſtituenda pecunia rei invadiatæ, ad quam, cum à creditore requireretur, ſe cum viro aſtrinxiſſet, executionem obligationis ſuſpenſam fuiſſe, quòd illa viro ſe obliganti, & proinde imperanti, contradicere non poterat; *rogat* enim (ut ait ille) *qui imperat*. Sed cum in rebus maximis præjudicium poſſit fieri, multæque bonæ & validæ ab initio alienationes revocari [*ſoleant*], durum profectò videbitur, & à veteri conſuetudine in alienatione harum rerum non moventium recedere, ſi conſenſus uxoris legitimè interpoſitus in alienatione rei dotalis non ſufficeret. Alii tamen novum nodum comminiſcuntur, & licet (inquiunt illi) valeat hic conſenſus, quamdiu ſtat; ſi tamen ad non conſenſum reducatur, id eſt, ſi hic conſenſus in reſciſſorio judicio retractetur, quaſi non legitimè interpoſitus propter metum, ſaltem reverentiam maritalem, quam mulier prætendere poteſt, & ex ea ſe invitam, cum contradicere non poſſet aut auderet, ad conſentiendum coactam, nec ſtante priore matrimonio revocandi poteſtatem liberam ei fuiſſe, aut auſam ullam talis animi ſignificationem edere: hoc enim caſu non valet talis conſenſus. Reverentia enim hæc maritalis, ex jure Civili, metui juſto æquiparatur, & his quinque caſibus præcipuè competit, nempe inter Epiſcopum & Clericum, inter patrem & filium, inter maritum & uxorem, inter medicum & ægrotum, inter præceptorem & diſcipulum.

19. Et, ſecundum Bartolum, idem quod juſtus metus ſolet operari: præcipuè cum hic metus intra privatos parietes ſoleat inferri; ita ut notitia ad paucos, probatio verò ad pauciores perveniat, imò fortaſſe ad neminem. Quod ad me attinet, hunc metum reverentialem ſecum habere æquitatem non dubito in multis, ut eoſdem effectus producat quos verus metus; itaque in reſciſſorio judicio, quod nos loco reſtitutionis habemus, multum debere operari, modò hic metus reverentialis aliquo modo enoteſcat. Neque in hoc ipſius mulieris allegatio ſufficit, neque fortè vicinіæ vox ſola, niſi præterea accedant & offenſiones aliquæ inter ipſos conjuges emergentes, aut interrupta vitæ conſuetudo, aut jurgia atrociora; præcipuè ſi publico inſtrumento teſtetur conjux, ſe eo tempore contra animi ſui voluntatem inductam, & ſolius viri impulſu, cui contradicere non potuit, maximo cum ſuo incommodo conſenſiſſe. Sed hactenus hoc uſu receptum non vidi; licet hoc ipſo tempore, aliquot de

(a) 134 cap. 8. (b) l. ult. § 3. ff. de condict. indebiti.

de hac reverentia maritali actiones coram Senatu pendeant, quarum eventus pro lege erit.

20. Hæc autem conjuncta inveſtitura ſolvet annuos reditus de terris ſuæ conjunctæ infeudationis ante ſuam inveſtituram alienatos. Apud Anglos omnis uxorum conſenſus, ſtante matrimonio, irritus eſt; nec impedit quin, mortuo marito, id repetere poſſit, cujus alienationi aut hypothecæ ſubſcripſerit: imò eo faciliùs, ſi toto tempore vitæ mariti tacuerit, nec contradixerit viro alienanti, & ei etiam conſenſerit. Et hæc de conjuncta infeudatione.

21. Supereſt ut de ſecundo membro, nempe de nudo uſufructu, dicamus; in quo brevior ero, quoniam in multis cum uſufructu, qui ex conjuncta infeudatione procedit, concurrit, & eaſdem ſequitur regulas.

Solent itaque plerique hodie, ſive quòd ejuſdem effectûs eſſe ſentiant, ſive quòd faciliùs impetrari à domino poſſit, nudo uſufructu pro conjuncta infeudatione contenti eſſe, viz. ſi pro ſuo triente uſusfructûs, (quam *Tertiam* dicimus) uſumfructum certæ & definitæ partis totius feudi de domino ſuperiore tenendum conſequantur. Et ſanè hic uſusfructus, de domino ſuperiore tenendus, in effectu parùm à conjuncta infeudatione differt, niſi quòd obventiones valvaſſorum, (quàs *Eſchetas* dicimus) quales ſunt cuſtodiæ, non-introitus, maritagia, & ſimilia, non lucretur *(a)*: & fortaſſe ea de cauſa introductus eſt hic mos, ut tales utilitates ad mulierem non perveniant, ſed ad heredem. Utcunque eſt, hic uſusfructus, quoad omnes utilitates, ex feudo ipſo ſive prædio feudali capiendas, non minùs quàm alter uſusfructus ſufficit, præcipue ſi de domino ſuperiore teneatur: nam tum talis uſusfructus ab omni periculo wardæ ſive non-introitûs immunis eſt, & ab omni alio onere, niſi quod reipublicæ causâ occurrat: nec unquam eſt ei locus, quamdiu maritus vivit, ut in conjuncta infeudatione; ſed à die mortis mariti tunc incipit habere & producere ſuos effectus. Et hæc uſufructuaria eodem modo cavere tenetur, quo altera.

22. Sive autem mulier relicta uſumfructum, ſive conjunctam inveſtituram cum marito ſit conſequuta, & ſeparatas à principali manſione ædes habeat, ſive non; non tamen ex habitatione mariti ſtatim à die mortis ejus removenda ex jure Anglorum eſt, aut expellenda, ſed quadraginta dies integri & liberi ei permittuntur, ut interea ſibi poſſit de habitatione providere, ſi quam ex proviſione ſive legis ſive hominum habeat. Si nullam habeat, debet ab herede ei provideri, & interim ex fructibus prioris mariti ſuſtinenda eſt. Hoc Anglorum inſtitutum ſummam videtur habere æquitatem; neque, ſi controverſia talis apud nos incidat, rejiciendum puto, licet receptum hactenus non vidi. Si nullum fuit ab initio matrimonium, ſive de facto, quia nullum interceſſerat; ſive de jure, ex certis cauſis quæ matrimonia impediunt, veluti ſi impotentia alterius conjugum emergat, aut alter conjugum non ſit liber; in his caſibus & conjuncta infeudatio & uſusfructus ceſſant: nam cùm hæc ſint matrimonii acceſſoria, ſi principale, viz. matrimonium non teneat, & ea cadere neceſſe eſt. At ſi cùm ab initio valeret, ex culpa & adulterio tamen unius conjugum dirimitur, & ſi quæ aliæ cauſæ ſimiles ſint, quare uſusfructus aut conjuncta infeudatio, licet ab initio bene conſtituta, tamen cadant & irritentur, poſtea, cùm de Tertia diſſeremus, (nam omnium eadem eſt cauſa) expedientur.

23. Quæſtio autem in foro frequens etiam hodie verſatur, & in uſu controverſa eſt: An, alterutro conjugum intra annum mortuo, nullâ ſobole relictâ, omnia in integrum reſtituenda ſint ex juris antiqui regulis? Nam, ſoluto matrimonio, dos ad mulierem redit, donationes propter nuptias ad virum. Quòd ſi ſoboles relicta ſit, ea ex ratione ſucceſſionis in partem ſuam vocabitur. Et ſanè quod ad dotem attinet, muliere intra annum & diem mortuâ ſine prole, dos ad parentem redit, ſi eſt præſtita; alioqui retentionem habet, nec marito petenti præſtare tenebitur, licet in contractu dotali ſe forte & fidejuſſores adſtrinxerit; ne parentes & filiâ & dote ſimul priventur: *Nam* (ut ait textus) *afflicto non eſt ſuperaddenda afflictio (b)*. Ex altera parte, an mortuo viro intra annum & diem, nullâ prole relictâ, mulier ab u-

(a) Neque in triente, ut § 25. (b) l. 6. ff. de jure dotium.

ſufructu ſive conjuncta infeudatione cadat, dubitatum vidi, imò rem totam in Senatu acerrimè agitari. Et profectò in hoc caſu videtur eadem eſſe ratio; nam ex jure, per omnia exequatæ ſunt hodie donationes propter nuptias & dotes *(a)*. Sequitur ergo neceſſariò, ut quo caſu vir, mortuâ uxore, dotem amittit, eodem caſu, mortuo viro, mulier donationem propter nuptias amittat; & quo caſu vir, mortuâ uxore, dotem lucratur, eodem caſu, amiſſo viro, mulier lucrabitur donationes propter nuptias. Hæc propoſitio, tam ex jure Cæſareo, quàm noſtro ſcripto conſtat: ſed mortuâ conjuge intra annum, vir amittet dotem, quod omnium ſeculorum uſu comprobatum eſt; ergo & mortuo viro intra annum, eâdem ratione mulier amittet donationem propter nuptias, ſive ea donatio ſit conjuncta inveſtitura, ſive uſusfructus. Sunt qui differentiam hanc ponunt, quòd eadem ratio in muliere non ſit, quæ in viro, cùm mulieris pudicitia delibata ſit, & ex jure Civili etiam propter oſculum mulier donationes ante nuptias lucratur: ſed hæc differentiæ ratio apud nos non militat, non ſolùm in donationibus propter nuptias, ſed neque in donationibus ante nuptias.

24. Poteſt alia ratio adduci, quare, mortuo intra annum & diem viro, nullâ relictâ ſobole, vidua ab uſufructu & conjuncta infeudatione debeat cadere: nam in jure Civili Romanorum nulla erat rerum moventium & non moventium in diſpoſitione differentia; eodem enim modo acquirebantur, alienabantur, teſtamento diſponebantur, & poſſidebantur immobilia quo mobilia, eoſdemque titulos habebant poſſeſſionum. Sed ex jure noſtro, mortuo intra annum marito, uxor nullam bonorum mobilium partem conſequetur. Scimus enim apud Commiſſarios partitionem in hoc caſu non fieri in duas partes, ut unâ dimidiâ conjugi relictâ, altera mortuo debeatur; ſed omnia bona, quæ in defuncti poſſeſſione tempore mortis fuerant, quaſi illius ſolius eſſent, & nulla pars ad relictam pertineret, illius defuncti parti aſcribi, & ejus heredibus aut executoribus integra deberi, viduæ ſuâ tantùm dote relictâ, quæ in inventario ultimæ voluntatis ſui viri non admittitur deſcribenda. Itaque eadem ratio obſervanda in immobilibus, ut ea tota ad demortui viri heredes redeant, eiſque accreſcant, nullâ habitâ ratione illius juris quod uxor poſſit prætendere. Et ſanè, licet hæc quæſtio ſæpe in Senatu agitata ſit, deciſionem tandem invenit. Nuper enim, in actione inter Dominam de Maxwel & Steuartum de Garleis, Senatus cenſuit etiam in vidua, mortuo marito intra ſeptem aut octo menſes, nihil ex eo contractu matrimoniali, nullam partem conjunctæ inveſtituræ ad Dominam de Maxwel pertinere. Generaliter autem hoc annotandum, neque conjunctam inveſtituram, neque ullius uſusfructûs unionem aut annexationem, ſi quæ ſit, terrarum ſervari; ſed omnia, ut ab initio erant, cuique parti reſtituenda: quod in virgine nupta multò rectiùs obſervandum eſt.

25. Si nulla ſit proviſio hominis in favorem conjugis, ſi neque convenerit ut conjuncta infeudatio neque uſusfructus præſtetur, tunc ad legis proviſionem recurrendum eſt; & id ſolum quod lex in favorem earum introduxit, viduæ habebunt, ne omnino poſt mortem virorum deſtitutæ videantur, nihilque ſit quod pro dote habeant, ſi alteras nuptias ſequantur, ſed omnium maximè ne eis deſit unde commodè vivere poſſint. Neque enim naturalis æquitas ſinit, ut quæ conſtante matrimonio in ſocietate omnium bonorum fuerat, viro mortuo, & matrimonio ſine ſua culpa dirempto, ad egeſtatem redigatur. Itaque providet lex, ut triens totius uſusfructûs (nos *Tertiam* vocamus) mulieri concedatur ad vitam, eaque hoc triente uſusfructûs, ſive trientis uſufructu, quoad vivet, eodem modo & cum eiſdem privilegiis & commoditatibus utatur & fruatur, quo heres beſſe reliqui ipſius feudi; niſi quòd obventiones ſive eſchetæ ad eam pro nulla parte perveniant *(b)*. Neque tamen nego, licet tertia hæc legitima ſit, nempe quæ ex lege deſcendat, quin etiam ex proviſione hominis poſſit competere; veluti, ſi in pactis dotalibus certus triens ſeparetur in certis terris ad uſum conjugis poſt viri mortem, aut aliquando, ut ipſe vir omnes

(*a*) § 3. Inſt. de donationibus, l. Cùm multæ, 20. de donationibus ante nuptias, & Nov. 97. cap. 2.
(*b*) Ut neque antea in uſufructu, ut § 21. dictum.

omnes controverſiarum occaſiones inter conjugem & heredem tollat, certum trientem ſive tertiam aſſignet: quo caſu, ſi vir conſtante matrimonio novas terras acquiſierit, harum trientem non habebit; contenta enim debet eſſe eo triente qui in contractu matrimoniali aſſignatus eſt. Imò & indefinitus triens ſive tertia aliquando ex diſpoſitione hominis procedit; veluti, ſi quis filium ſuum in feudo inveſtiendum curans, uxori tertiam uſusfructûs reſervaverit; nam hæc reſervatio vim ſaſinæ habebit, ſaltem filii ſaſina pro utroque ſufficiet, nec à tempore hujus reſervationis filius quicquid poteſt committere quod huic reſervationi præjudicet. Quòd ſi quis conjugi ſuæ trientem uſusfructûs in certo loco aſſignaverit; ſi per ſaſinam ei datam illud fecerit, ſine ejus conſenſu ei non poterit præjudicare; ſi per contractum, obligationem, aut alium modum civilem aſſignaverit, nullâ ſaſinâ ſubſequente, poterit quidem maritus, dum vivit, ei nocere, & fundum totum alienare, ita ut nullum jus ejus conjunx retineat: ſed ea tamen actionem de evictione contra ejus heredem rectè poteſt inſtituere. Apud Anglos mirum eſt quod obſervatur; nam tertia debetur uxori deſponſatæ, ſi nonum annum ſuperaverit, de omnibus terris in quibus vir obiit ultimò veſtitus & ſaſitus, etiamſi ex jure matrimonium in ea ætate non conſiſtat. In nonnullis regionibus dimidia pars bonorum in uſumfructum cedit; alicubi totus uſusfructus, pro more cujuſque regionis. Habebit etiam uxor tertiam ſuam cum pertinentiis, licet in contractu pertinentiarum nulla ſit facta mentio, aut ſi pertinentiæ hæ poſtea quæſitæ fuerint.

26. Competit autem hæc actio de triente uſusfructûs, ſive de tertia, tantùm de eis terris in quibus maritus obiit ultimò veſtitus & ſaſitus; adeò ut ſi ante mortem vir fuerit, vel ex ſuo facto, vel ex ſua culpa, deveſtitus & denudatus, ſic quòd heres feudum ingredi non poſſit, nec vidua ejus ſuam tertiam lucrabitur, etiamſi tantùm alienatum fuerit feudum ſub reverſione ſive pacto de retrovendendo. Quòd ſi maritus tantùm feudum habuerit ſibi invadiatum, ſi ex pacto de retrovendendo aſtrictus ſit feudo renunciare; ſequutâ redemptione, heres feudum tanti valoris & æſtimationis viduæ præſtare tenetur, niſi mulier ſciverat, cùm contraxerit, feudum eſſe redemptioni obnoxium; quo caſu tertiam partem pecuniæ conſequetur, cujus quaſi uſusfructus ei durante vitâ debetur, præſtitâ fidejuſſione eam pecuniam ad heredem venturam ſalvam & integram, poſtquam in fata conceſſerit. Si, præter pecuniam in redemptione contentam, aliquot etiam annorum aſſedationes (ut fieri ſolet) adjunctæ ſint, eæ ad heredem ſolum pertinebunt; & ita Senatum cenſuiſſe vidi, licet pars redemptionis videantur, ſaltem ſummæ quæ pro redemptione debetur.

27. Quod autem dixi de illis terris, *tantùm tertiam ſive trientem uſusfructûs deberi in quorum feudo maritus deceſſerit, & non alias*, id non univerſaliter verum eſt; nam aliquoties, licet maritus nunquam ſaſitus fuerit, competit uxori tertia. Exempli causâ, ſi convenerit in contractu matrimoniali, ut pater filium, quem maritandum contrahit, in terris ſuis omnibus inveſtiat, aut inveſtiendum curet; ſequuto matrimonio, ſi in eo quod promiſerat pater ceſſaverit, interea filius non inveſtitus obierit; in hoc caſu conjunx trientem conſequitur, ex omnibus illis terris in quibus pater filium inveſtire tenebatur, & moram fecerat: nam cùm illa clauſula in contractu appoſita videatur in favorem conjugis futuræ, ut filius inveſtiretur, quo illius inveſtituræ tertia, eo defuncto, ad conjugem pertineret, & per patrem mora facta ſit, ea conjugi relictæ non debet nocere, quæ, vivente marito, agere pro implemento contractûs non potuit ſine conſenſu mariti. Itaque eodem modo competit ei actio pro hoc triente, ac ſi vir ejus in feudo obiiſſet, niſi quòd forma actionis diverſa ſit: nam ſi maritus infeudatus fuiſſet, quindecimvirali judicio tertia ei decernetur; nunc actionem tantùm perſequutoriam contra ſocerum aut ejus heredem habebit; iniquum enim eſſet, ſi ex eorum facto & mora præjudicaretur mulieri, quæ bonâ fide nupſit. Hoc jure noſtro ſcripto probatur *(a)*. Quia tamen jus Anglorum & Normannicum concurrunt, & ſupra omnia æquitas ſuadet, itaque adducor ut fidem habeam, licet deciſionem non viderim. Præterea jure Anglorum & Normannorum, ſi ſponſi pa-

(a) Cap. 16. § 75 & 76. lib. 2. Reg. Majeſt.

ter aut mater, avus aut avia interfuerint nuptiis, & poſtea deceſſerint, tertia debebitur uxori ex omnibus tenementis, in quibus ſocer aut ejus pater deceſſerunt in feudo, ſi modò per eorum mortem maritus in feudo illo ſuccedere debuiſſet. Litiltonius etiam innuere videtur, ſi filius poſt mortem prædeceſſoris ſui uxorem duxerit, eam trientem uſusfructûs conſequuturam, licet maritus ejus nunquam fuerit infeudatus. Neque ſolùm de iis terris triens hic debebitur, quæ tempore contracti matrimonii ad maritum pertinebant, ſed de omnibus aliis feudis quæ conſtante matrimonio acquiſierit, modò in feudo eorum diem obeat ſupremum. In quo tamen mores noſtri præſentes à veteri noſtro jure ſcripto diſſentiunt: nam jus noſtrum vetus planè nullam tertiam deberi putat ex terris conſtante matrimonio acquiſitis, niſi aliter in initio convenerat *(a)*. Quod etiam ex jure Normannorum & Angliæ proceſſiſſe certum eſt: nam apud Normannos adhuc triens non debetur in terris poſt contractum acquiſitis, niſi ſpecialiter convenerit; at apud nos, nihil aliud inquiritur, niſi ſi maritus tempore obitûs de feudo earum terrarum deceſſerit, & hæc quæ petit ſit ejus legitima conjunx: nam præter has duas raræ contra tertiam exceptiones apud nos admittuntur. Adeò autem hæc jura fœminis favent, ut ſi vir in fraudem trientis hujus filium ſuum in omnibus terris ſuis inveſtierit, etiam de domino ſuperiore tenendis, cogatur tamen & dominus & heres rationabilem partem relictæ concedere unde ali poſſit, ne ad egeſtatem vergat.

28. Debetur autem triens hic, ſive tertia uſusfructûs pars, non ſolùm ex terris ipſis, ſed etiam ex reditibus annuis fundi alieni, ſi modò maritus de iis obiit veſtitus & ſaſitus. Debetur etiam de domibus, ut ædes mulier habeat, ubi commodè poſſit habitare; & etiam de horrei horto, ubi fruges colligi ſolent, ut ibi ſive tertiæ ſive trientis fructus colligantur: & vidi in his horreorum hortis admenſurari tertiam partem in uſum viduæ, ne loco (ut moris) deſtituatur pro colligendis fructibus & ſegetibus.

29. Ædes autem ſic dividuntur, ut ſi quæ ſit ſecunda habitatio, ea viduæ cedat, ſi modo commodè ibi habitare poſſit; alioqui ædes principales per tigna dividentur, ut ea pars ædium pro tertia ſit, quæ ſub tertia parte tignorum, aut ſub tertio tigno eſt. Idem in equilibus & ſtabulis pecorum, ut habeat ubi boves ad uſus neceſſarios poſſit ab injuria cœli prohibere. Quæ dividi non poſſunt per ſe, aut non ſolent, per fructus dividuntur; exempli causâ, jus paſcendi pecoris, glebas aut quæ ad focum pertinent effodiendi, calcis coquendæ, carbonum lucrandorum. In his tertiam partem fructuum mulier habebit, ſi pro fructu feudum locetur; alioqui æſtimantur paſcua pro numero pecudum quas ſuſtinere poſſunt, & hujus numeri triens relictæ debetur, ut tertiam partem pecudum illius numeri poſſit ad paſcendum ſuperinducere.

30. Accidit ſæpe ut duplex tertia ſive triens ex eodem feudo debeatur, alter major, alter minor: exempli causâ, ſi quis filium maritaverit & inveſtiri curaverit in ſuo feudo, reſervato tamen triente uſusfructûs conjugi ſuæ, eo mortuo conjunx trientem magnum conſequitur; ſi ejus filius poſt moriatur, conjunx ejus trientem minorem habet, i. e. trientem beſſis, qui à priore vidua relictus eſt: ita ut totius feudi triens ad priorem conjugem pertineat, & ad poſteriorem tantùm triens beſſis, i. e. tertia duarum partium. [Conſtat *(b)* tamen aliquando deſervitas eſſe nurus in totum & integrum trientem, tamen à poſſeſſione magni trientis, quamdiu ſocrus vivit, excluditur]. Et hæc parva tertia, ſive parvus trientis uſusfructus dicitur, quòd non ſit triens totius uſusfructûs feudi, ſed tantùm uſusfructus beſſis, ſub quo minore triente nihil venit, quod ſub majore comprehendatur: & tum bes feudi pro toto aſſe erit, ut ejus triens minor relictæ filii detrahatur; nec unius deſervitio alterum impedit. Nam licet priùs filii conjunx, mortuo filio, in trientem deſervita fuerit, vivo adhuc ſocero, non tamen ſocrus trienti obſtabit; licet poſtea ejus jus ſupervenerit; nam prior triens ad minorem, nempe ad trientem beſſis reducetur. Quod ſi ſocrus, cum major triens debebatur, obeat, tum totius aſſis & non beſſis triens nurui debebitur, non obſtante minore triente quam ante habuit.

31. Diſ-

(a) d. cap. 16. §§ 9, 10 & 11. lib. 2. Reg. Majeſt. (b) Hæc uncis incluſa in MS. codice non habentur.

31. Differt autem triens hîc ab uſufructu, ſive conjunctâ infeudatione, formâ petitionis: nam ſi quæ controverſia de uſufructu aut conjuncta infeudatione fuerit, per actionem remedium adhibebitur, quæ contra heredem vel alium quemcunque impedientem intentabitur. At hæc de triente uſusfructûs petitio, non niſi per Breve, per inquiſitionem, & deſervitionem feudalem expeditur, nempe quindecim virorum; talia enim erant judicia feudalia, & Parium in curte judicio omnes res terminabantur *(a)*. Quod certiſſimum eſt argumentum tertiam hanc ex jure Feudali ſolùm, & non conjunctas has infeudationes deſcendiſſe. Impetrato itaque ex Cancellaria Brevi, eoque Vicecomiti præſentato, dies inquiſitioni præſtituitur, mulierque querelam exhibet, pro tertia ſua ſive triente cognoſcendo à beſſe: neque, in hoc caſu, heres illius, ad quem feudum pertinet, ſpeciàliter citandus eſt; ſed mox, nemine opponente, aut opponentis exceptionibus diſcuſſis, hoc tantùm inquiritur, de quibus terris vir mortuus eſt ut in feudo, & an quæ petit ejus legitima uxor fuerit. Quod ad primum attinet, verificandum eſt illud ex mariti monumentis, virum in eis terris veſtitum obiiſſe, & præcipuè ex ſaſinis: ſi eas non habeat, ſuperſedendum eſt, donec aut ab herede, aut alio qui habet, judicio obtinuerit: nunquam enim ſolet inquiſitio in hoc primo capite procedere, donec doceatur per monumenta producta, de quibus terris obiit maritus veſtitus. Quod ad ſecundum caput inquiſitionis attinet, An quæ petit legitima fuerit defuncti uxor, favorabiliùs jura cum ea agendum putant, quàm cum ipſo herede, cujus artibus hanc exceptionem ſuppoſitam facile præſumi ſolet: & profectò rari ſunt, qui contra mulieris trientem objicere ſolent, præter heredes.

32. Quod dixi *favorabiliùs agi cum viduis, quàm cum herede*, hoc eſt, cum heres deſervitionem petit, & inquiſitionem de quibus terris anteceſſor eſt mortuus ut de feudis, & ei quæſtio baſtardiæ objiciatur, quòd non ſit filius legitimus; totum hoc judicium ſuſpenditur, donec in curia Chriſtianitatis baſtardiæ quæſtio determinetur, & tunc ad inquiſitionem reditur, & non priùs. In deſervitione tamen tertiæ, ſive trientis, licet non fuiſſe matrimonium, non veram eſſe conjugem objiciatur; inquiſitio tamen procedet, hoc uno tantùm attento, ſi conjunx habita & reputata tempore mortis fuerit; & poſtea de conjugio, verumne an nullum aut ſimulatum fuerit, in foro Eccleſiaſtico cognoſcetur; & ſi ibi deprehendatur non fuiſſe vera conjunx, quod ab inquiſitione factum eſt fit irritum, & nullius eſt roboris. Itaque ſi nulla legitima mora fiat inquiſitioni, quindecimviri in ea electi procedent ad cognitionem querelæ petentis viduæ; & poſtquam determinaverint de quibus terris & annuis reditibus maritus in feudo deceſſerit, earum omnium tertiam duntaxat aſcribent ejus relictæ; & ſic receptâ inquiſitionis ſententiâ, Vicecomes ſortes in urnam conjicit, aut aliquo alio modo ſortiendi utitur, utrum triens ſolaris, an umbralis conjugi debeatur: quod nihil aliud in hujus trientis cognitione eſt, quàm utrum ex Oriente, quæ ſolaris pars dicitur, an verò ab Occidente, in hujus trientis ſeu tertiæ deſignatione debeant incipere; & ut ſors evenit, vel ex ſolari parte, i.e. Sole oriente, vel umbrali & Sole occidente incipient, & jugera numerabunt primum & ſecundum proprietario, & tertium relictæ: ita ut ex totâ agrorum dimenſione, tertium quodque agri jugerum (duobus ſepoſitis proprietario) viduæ relinquatur, & hæc deſignatio tertiæ (ut dici ſolet) eſt, ſive cognitio viduæ & introitûs ad trientem.

33. Notandum etiam, quòd deſervitio hæc, licet aliquot poſt annis ſequatur, tamen in vidua retrotrahitur ad diem mortis mariti, ut hereditas, ex jure Civili, ad diem quo defunctus obiit *(b)*; juſtumque titulum fructus interea percipiendi præbet, licet tempore perceptionis nondum fuit deſervita. Quòd ſi in poſſeſſione tertiæ fuerit, licet nunquam deſervita, ſufficit ne fructus repeti poſſint. Ratio eſt, quoniam pacifica poſſeſſio ei pro titulo eſt, conjuncta ſive profluens ex jure ſuo & titulo heredis.

34. Sunt tamen quædam, quæ hunc trientem non admittunt, licet vaſſallus in feudo prædiorum deceſſerit; viz. nullus triens hominii debetur, nullus ſuperioritatis;

(a) 1 F. 10 & 18. pr. (b) l. 54. ff. de acquir. vel omit. hered. l. 193. ff. de reg. jur.

tis : nam hæc viduam non decent ; neque præſtationis albæfirmæ, quæ nihil aliud eſt quàm nuda ſuperioritatis recognitio : triens verò utilitates mulieris tantùm ſpectat, & proinde neque earum rerum, quæ non ad uſum ſed voluptatem pertinent aut comparata ſunt, neque patronatûs ſive advocationis Eccleſiarum (nam diviſionem non recipit,) neque feudi burgenſis tertia debetur ; licet jure Normannorum non triens, ſed dimidia pars uſusfructûs ei in burgali feudo competat. Relicta tamen jure noſtro ſolebat interiorem partem domûs pro habitatione habere : interior autem pars à foco cenſebatur, qui quidem focus in mediis ædibus (ut adhuc videre in pleriſque locis eſt) collocabatur in media latitudine ; quod interius erat, vidua poſſidebat, exteriora heres *(a)*. Hodie hæc exoleverunt ; & apud nos nullus triens ex feudo burgenſi debetur, niſi aliter convenerit : neque aſſedationum triens debetur, cum aſſedatio non ſit feudum, neque decimarum ob eandem rationem, neque ubi maritus tantum fuit uſufructuarius. Angli neque annuorum redituum trientem, cum ſit juris tantùm, & non rei corporalis, viduæ deberi putant ; nos contra. Neque debetur triens hic, ſi vir aut mulier intra annum ſine liberis moriantur.

35. Amittendi hujus trientis multi modi numerantur : pauci tamen ſunt, ſi ſtabile illud fundamentum teneamus, non deberi trientem uſusfructûs, niſi de iis terris de quibus obiit maritus ultimò veſtitus. Nam in damnato majeſtatis vidua trientem amittit, quia maritus in hora mortis non obiit veſtitus & ſaſitus *(b)* ; nam ex quo ſententia lata eſt, feudum amittit, & proinde nullus ejus triens uxori in uſufructu debetur, & ideo nullâ ſpeciali cautione hic opus eſt aut exceptione à regula. Idem, ſi maritus alienaverit, aut in manus ſui ſuperioris reſignaverit, aut quoquomodo proprietate feudi denudatus & deveſtitus fuerit, etiam licet pactum de retrovendendo ſive reverſio interceſſerit. At ſi ipſa adulterii damnata fuerit, aut ſi ſine juſta causâ virum reliquerit, & adultero cohæſerit (etiam licet non damnata,) nec viro ante mortem reconciliata, aut cum eo cohabitaverit (nam cohabitatio poſt diſceſſum reconciliationem præſumi facit) trientem amittit ; quod & juri Anglorum convenit : neque enim ratio permittit, ut ex matrimonio illo, contra quod peccavit, mulier commodum accipiat ; fruſtra enim legis beneficium implorat, qui in legem peccat. Sic, jure Anglorum, ſi monumenta & evidentias mariti abſtraxerit, quod eâdem ratione niti videtur ; ut in jure, qui tabulas teſtamenti ſubtrahit, à legato & omni eo quod ei ex teſtamento debetur, cadit *(c)*. Amittitur autem triens, ſi ſuperior de quo tenetur damnatus majeſtatis fuerit : ſententia enim contra eum lata tollit omne jus quod valvaſſores poſſunt prætendere, & uti valvaſſores jus ſuum amittunt, ſic & eorum conjuges conjunctam ſuam infeudationem ſeu uſumfructum, & trientem ſive tertiam, niſi forte ante damnationem ſuperioris, vidua hæc legitimè ex morte ſui mariti in tertiam deſervita & recognita fuerit. Nam quod ei ſemel eſt adjudicatum, duriùs ab ea tollitur, & favor matrimonialis aliquo modo etiam obſtat. Quòd ſi heres cum domino ſuo ſuperiore tranſegerit, licet alioqui relicta non habeat tertiam, ſolvendo tamen ſuam partem tranſactionis, recuperabit eam. Idem, ſi principalis tenens tranſegerit ſuper recognitione à domino facta. In non-introitu, ſi non-introitus decernitur ob defectum ſolius viri, non nocet tertiæ : ſecus ſi ob defectum aliorum prædeceſſorum.

36. Jure præterea Anglorum mulier tertiam amittit, ſi ipſa alicujus publici & magni criminis damnata fuerit, veluti majeſtatis, murthuri, veneficii, feloniæ ; etiamſi poſtea reſtituta ſit, & crimen ei condonatum fuerit. Nam cum per ſententiam illa civiliter mortua reputetur, trienſque hic per eam ſententiam mariti heredi accreverit ; reſtitutio (quam *gratioſam* dicimus) nunquam quod jure ab ea ablatum eſt ad illam licet reſtitutam reducet, niſi ſententia damnationis tota ſit reſciſſa. Si ex facto mariti, poſt ejus mortem, feudum fuerit recognitum (ut loqui ſolemus) mulier à tertia ſua cadet : at ſi principalis tenens pro recognitione cum domino tranſegerit, vidua ſolvendo partem tranſactionis pro rata in ſuam tertiam admittetur :

(*a*) Cap. 25. legum burgorum. (*b*) l. 5. § 4. & l. 8. C. ad leg. juliam majeſt. cap. 36. Parl. 2. & cap. 2. Parl. 9. Jac. VI. ſed mitiori methodo hodie apud nos proceditur per cap. 33. ſtatuum hujus regni Anno 1689, & cap. 33. Seſſ. 2. Parl. unic. Gul. & Mariæ. (*c*) l. 25. C. de legatis.

tur, ut ex illa magna recognitione Jacobi IV. conſtat. Si vir religionem ingrediatur, licet ab eo tempore mortuus mundo dicatur, tamen tertia non competit ejus uxori, quamdiu vir vivet: nam mortis tempus in his potiſſimùm ſpectatur, aut ſaltem civilis mors, quæ per ſententiam fit, non exilium. Itaque ſi ob adulterium viri, matrimonium fuerit ſeparatum, licet quodammodo tum civiliter mortuus præſumatur, tamen mulier tertiam non habebit, ſed nudum tantùm uſumfructum. Si vir intra annum & diem nullis relictis liberis moriatur, tertia non debetur, ut neque conjuncta infeudatio, aut inveſtitura, ut nuper dixi *(a)*.

37. Triens hic, ſive tertia, ab omni warda & relevio, etiam & non-introitu libera eſt. Quod verum eſt, ſi maritus, qui eſt immediatus vaſſallus, moriatur; nam licet ejus heres cuſtodiam & relevium debeat, aut à morte patris feudum ingredi ceſſaverit, tertia tamen integra viduæ debebitur. Aliud, ſi is, de quo maritus ejus & fortè illa feudum tenuit, ſit in non-introitu, & wardam & relevium debeat; nam cum vidua melioris conditionis eſſe in triente non poſſit, quàm maritus ejus in toto aſſe fuiſſet, ſi viveret, & ubi maritus in aſſe jus non habet, ſi viveret, nec mulier in triente. Vidua autem, quæ de Rege tenet, ſine conſenſu domini ſui Regis nubere non poteſt, ſi de eo feudum teneat; nec qui viduam, cui tertia debetur, in uxorem ducit, domino feudi hominium debet, cum ſit nudus uſusfructus: fidelitatem tamen debet, ſi verum ſit Anglorum diſcrimen inter hominium & fidelitatem.

38. An autem hæc tertia ſive hic triens obnoxius ſit debitis hereditariis aliiſque oneribus & ſervitiis, pro rata ſui trientis, dubitari vidi; cum triens hic ex lege deſcendat: ſed hoc jure utimur, ut omnibus hereditariis oneribus aſſi hereditatis inherentibus (quæ *debita fundi* dicimus) pro ſuo triente, pro rata trientis, teneatur & pro iis reſpondere; nam triens hic tranſit cum oneribus realibus, & quæ tempore mortis defuncti rei inherebant, non autem perſonalibus. Et hæc de triente, qui ex lege deſcendit. Quòd ſi ex proviſione hominis proveniat, tenebitur de debitis realibus ante proviſionem factam & ſaſinam inde ſequentem: de debitis autem poſterioribus ſuâ ſaſinâ, non tenetur; & de prioribus actionem adverſus mariti heredem de evictione habebit.

39. Hanc autem tertiam mulier durante vitâ mariti ſui refutare ſive renunciare non poteſt, neque vendere, neque alienare, neque de ea quomodolibet contrahere, marito ſtante & moriente in feudo. Ratio eſt, quia nullum jus adhuc habet, nec etiam habere poteſt ad hunc trientem: & videtur hæc ratio ex jure Civili deſumpta, ubi heres, antequam ei deferatur hereditas, & poterit eam adire, renunciando nihil facit *(b)*: & non obſtante renunciatione, quæ facta eſt, cum non poterat adire, poſtea adire & deſerviri poteſt *(c)*. Tamen ſi hæc uxor, tempore vitæ mariti ſui, prædium aliquod in compenſationem ſui trientis acceperit, quod nihil aliud eſt quàm tertiam ſuam in certo loco conſtitutam accipere, eo caſu à legitimo triente cadit.

40. Supereſt ut de Curialitate aliquid ſubjiciamus; cujus eadem eſt ratio, quæ trientis ſive tertiæ partis uſusfructûs: uterque enim non ex proviſione hominis, ſed legis deſcendit; triens (ut dixi *(d)*) ut eſſet unde honeſtè vidua poſſit ali & habitare; Curialitas ob reverentiam prioris matrimonii, quod quis cum uxore herede contraxerit, ne eâ mortuâ ad egeſtatem maritus reducatur. Angli *Curialitatem Anglicam* vocant, quaſi ea apud ſolos Anglos locum haberet; ſed falluntur, nam & apud nos & Normannos huic Curialitati locus eſt, imò ejus origo ex jure Civili non incommodè deduci poteſt. Ex Conſtantini enim reſcripto ſancitum eſt, ut hereditatis maternæ pater uſumfructum, filii proprietatem haberent *(e)*; cum antea libera permitteretur patri diſpoſitio de omnibus eis bonis quæ per matrem ad liberos deveniſſent.

41. Quod ad quantitatem attinet, à triente differt, quòd triens ſit tantùm tertia pars uſusfructûs totius: at Curialitas ſive Curteſia eſt totius patrimonii, quod ad

(a) § 23. (b) l. 13. ff. de acquir. vel omit. heredit. (c) l. 35. § 1. C. de inoff. teſtam. (d) § 25. (e) l. 1. C. de bonis maternis.

uxorem pertinebat, dum morerêtur. In reliquis eâdem lege & paritate terminantur: nam ut triens non debetur, niſi de iis prædiis, quæ ad maritum pertinebant tempore deceſsûs; ita nec Curialitas, quæ eſt uſusfructus totius aſſis ſive patrimonii, niſi de iis terris de quibus mulier in vita & tempore mortis ſaſita obiit. Præterea uſusfructus ſemper præſumit proprietatem, & ubi non erat proprietas in muliere, non eſt aut erit uſusfructus in viro: adeo ut, ſi delata mulieri viventi fuerat hereditas, neque tamen adiit, maritus uſumfructum eâ mortuâ non habebit, cum imputari ei poſſit, quòd uxorem ſuam, dum viveret, non curaverit hereditatem agnoſcere, & hereditarium prædium ingredi. Et hæc tam noſtro quàm Anglorum jure.

42. Competit autem hæc Curteſia, quoties quis heredem fœminam in uxorem duxerit, & ex ea ſobolem vivam ſuſceperit; nam tum mortuâ conjuge maritus totius hereditatis uſumfructum habebit, eodem modo ac ſi verè infeudatus in uſufructu fuiſſet: nec minus hæc Curialitas, quæ à lege deſertur, operabitur, quàm ſi à domino ſuperiore fuiſſet per inveſtituram conſtitutus uſusfructus: nam & non-introitum impedit, neque wardæ aut relevio eſt obnoxia; obventiones tamen maritus non lucratur, ut in conjuncta infeudatione. Dixi *ſobolem vivam naſci debere, licet poſtea & mox moriatur:* jus ſcriptum vult ita naſci, ut ejus vagitus ſive braia (ut vocant) inter muros audiatur, alioqui non deberi Curialitatem *(a)*: neque enim naſci videtur, qui nullum nativitatis per clamorem & braiam ſignum edidit. Probatio autem hujus clamoris ſive braiæ per mulieres, quæ puerperæ aderant, fieri poteſt, cum alii parientibus adeſſe non ſoleant.

43. Nec intereſt viduane hæc ſit heres, an virgo, modò dum moritur fuit heres & in tenemento; nam & ſecundo viro, poſt mortem primi, etiamſi primus habuerit heredes, debetur: ut neque intereſt quale feudum ſit, francumne an militare, emphyteuticum an burgenſe *(b)*; nam in his omnibus, æquo & pari jure, Curialitas ſive Curteſia debetur viro ſuperſtiti. Idem, ſi mulier heres fuerit linealis (ut dici ſolet) aut talliæ: licet rarò mulier in tallia ſuccedat, aut ſi heres fuerit cum nupſit, aut hereditas conſtante matrimonio ſupervenerit. Si nulla proles ſuſcepta fuerit, nihil maritus mortuâ uxore ex uſufructu conſequitur, ſed tota hereditas plena ad ejus heredem devolvitur.

44. Eodem etiam modo Curialitas hæc amittitur, quo tertia, niſi quod jure Normannorum Curteſia hæc tantum duret, donec maritus hic novas nuptias contraxerit, & ſecundo matrimonio ſe conjunxerit; nam id præſumitur facere, ut commodè ex hoc ſecundo matrimonio vivere poſſit. Itaque eo, quod ex ſuperiore matrimonio conſequutus eſt, per ſubſequens ſecundum matrimonium privabitur: maritus autem hic, cui Curialitas competit, ſatiſdare eodem modo cogetur, quo uſufructuarii ſolent; & ſi pauperiem fecerit tempore hujus legitimi uſusfructûs, tenebitur reficere *(c)*.

(a) Cap. 58, lib. 2. Reg. Majeſt. cap. 44. legum burgorum. (b) d. cap. 44. leg. burg. (c) Ut § 12. dictum.

FEUDO-

FEUDORUM

LIBER TERTIUS,

Continens ea quæ ad amissionem Feudi pertinent,

Diegesis prima,

De Resignationibus & Renunciationibus.

SUMMARIA.

1. *Transitio ab acquisitione & continuatione feudi, ad modos quibus finitur. Desinit sive cessat feudum extinctione vel amissione. Extinctio & amissio quid? Utraque dupliciter fit. Feudi interitu, vassallus ab omni servitio liberatur.*
2. *An vi hostium occupato feudo, & postea recuperato, feudum ad priorem dominum redeat? Feudum extinguitur ex partium conventione tacita vel expressa.*
3. *Quatuor modis feudum amitti docent plerique Interpretes, viz. morte, delicto, defectu & refutatione. Mors non est modus amittendi feudi.*
4. *De defectu casu, vel ex nativitate orto. Diversæ sunt Jurisconsultorum de hac re sententiæ. Defectus apud nos non numeratur inter modos feudi amittendi. Si familiæ heres ad servitia non sit idoneus, debet per proximum ex familia servire.*
5. *De defectu in statu; ut si quis sit religiosus, is à feudo cadit, locusque fit proximè successuro. Si paternum sit feudum, agnato; si novum sit, domino aperietur.*
6. *De modis apud nos feudi amittendi, & primùm de Resignatione. Ea est vel ad perpetuam remanentiam, vel in favorem.*
7. *Forma resignationis ad perpetuam remanentiam. In ea quæ facta, probanda sunt; & non præsumuntur.*
8. *An bacilli, sive alterius cujusvis symboli, traditio necessaria sit?*
9. *Resignatio ad perpetuam remanentiam fieri potest invito domino.*
10. *Exceptiones tamen sunt. Prima in vassallo ligio.*
11. *Secunda, cùm vassallus refutare vult feudum, ut evitet aliquod onus impositum: hoc enim casu refutatio prohibetur; sed, eo onere soluto, admittitur.*
12. *Resignatione hac ad perpetuam remanentiam, feudum ad dominum redit; non ut cùm pro tempore ratione wardæ, aut cùm in perpetuum ob delictum, quale ab initio constitutionis erat; sed quale apud vassallum est tempore refutationis, omnibus oneribus subjectum.*
13. *De resignatione in favorem. Ea fieri non debet absque præsentia & consensu domini; sed quod directè obtineri non potest, sæpe indirectè impetratur.*

14. *Resignatio hæc in favorem necessariò fieri debet in præsentia domini, aut ejus qui speciale mandatum ad id habeat. Resignatio non potest fieri in manus alterius quàm domini, ne quidem filii qui patri successurus est.*

15. *Quæ à domino in his resignationibus sint facienda?*

16. *Si dominus post acceptatam resignationem investire noluerit, à Senatu cogi potest, intrà tempus illius arbitrio limitandum.*

17. *Si resignantem pœnituerit, & in alterius favorem resignaverit, eumque primum dominus investiat, uter præferendus? Ut in beneficiis Ecclesiasticis obtinet, item & hîc locum gratificationi, & qui prior est investitus, præferendum esse, variis argumentis Auctor contendit. Ex jure dominium non amittitur, nisi alteri acquiratur. Inviti & contradicentes dominium non acquirunt: nec ignorantes, nisi fiscus, legatarius, Ecclesiæ & civitates.*

18. *Aliter in hac re à Senatu judicatum, & ex sola resignatione devestitum resignantem, non probat Auctor.*

19. *An hæc traditio vel investitura, quæ secundæ personæ danda est, fieri debeat incontinenti, an ex intervallo? Apud nos quocunque tempore fieri potest nova investitura, domino vivo, & in cujus favorem facta est resignatio, licet qui resignaverit sit mortuus.*

20. *De renunciatione simplici. Ea vel expressa est, vel implicita per consensum. In expressa duo sunt consideranda:* 1. *An dominium rei renunciatæ transeat in eum in cujus favorem facta est?* Et 2. *an devestiat renunciantem?*

21. *Primo respondetur, Simplicem renunciationem non transferre dominium, nisi fiat in manibus domini acceptantis, & non recusantis.*

22. *Secundo respondetur, Si talis renunciatio procedat ex sententia, ut in redemptionibus necessariis ac voluntariis, sufficere: sed non ad redemptorem investiendum, si res alienata de superiore sit tenta. Quòd si de ipso alienante teneatur, sufficit sola hæc renunciatio, tam ad devestiendum renunciantem, quàm ad consolidationem dominii utilis cum directo: at extra judicium non sufficit.*

23. *Renunciatio juris quod in obligatione consistit, & ubi sasina non est necessaria, sufficit ad denudandum renunciantem eo jure quod renunciat. Renunciatio, quæ apud Anglos* Relaxatio *vocatur, est stricti juris.*

24. *Auctor, à renunciationibus quæ apud nos, ad relaxationes quæ apud Anglos sunt in usu, procedit.*

25. *De jure Anglorum in renunciationibus, quas* Relaxationes *vocant.*

26. *Quid Reversio apud Anglos significet; quid remanentia? Relaxationum tria sunt genera, juxta triplicem earum operationem. Relaxatio primi generis quid sit?*

27. *Relaxationum secunda species.*

28. *Relaxationum tertia species.*

29. *An consentiens rei suæ alienationi, à dominio ejus cadat? Distinguitur inter rem mobilem & immobilem. Dominus alienationi rei mobilis consentiens, alienanti parificatur. Idem in renunciatione, sive consensu usufructuarii, aut alterius cujusvis juris, de quo non est investitura: sed consensus hic expressus intelligitur, non tacitus aut præsumptus. In alienatione rei immobilis, si principalis alienans coloratum titulum habeat, suppletur consensu veri domini. Secus, si is qui disponit nullum titulum habeat: eo enim in casu veri domini consensus non nocet. Conventio invalida traditione vestita, præfertur validæ absque traditione; præcipuè si veri domini consensus accesserit.*

30. *Speciales quædam casus sunt, in quibus dominium rerum transfertur absque rei traditione.*

31. *Quando consensus sit interponendus? & quid inter se differant jussus, auctoritas, consensus, licentia & consilium? Sive præcedat, sive sequatur consensus, actus valebit.*

32. *In omni renunciatione, sive sit rei mobilis, sive immobilis, si per procuratorem fiat, speciale ad id mandatum requiritur. Nemo juri futuro renunciare potest. Idemque apud Anglos observatur.*

33. *De iis quæ renunciationis validitatem impediunt.*

34. *Mulier renunciare potest apud nos in favorem viri: secus apud Anglos, ubi mulieres nihil rectè agunt, stante matrimonio, nisi de jocalibus.*

35. *Nuda voluntas domini & vassalli, à feudo antiquo recedere volentium, non sufficit absque consensu agnatorum.*

1. ABSOLUTIS omnibus, quæ ad feudi acquiſitionem & continuationem pertinere videbantur, ſupereſt ut quibus modis feudum deſinat & finiatur exponamus. Deſinit itaque ſive ceſſat feudum, vel *Extinctione* vel *Amiſſione*. *Extinctio* dicitur, cùm prorſùs deſinit eſſe feudum; *Amiſſio*, cùm illius deſinit eſſe cujus antea fuerat, vel ex mutua domini vel vaſſalli voluntate priori contraria, vel ex culpa ſive delicto. Extinguitur autem feudum duplici modo; aut rei feudalis interitu, aut ex tacita ab initio contrahentium voluntate. De interitu rei feudalis brevis eſt diſputatio: nam feudi interitu ſine culpa vaſſalli contingente *(a)*, veluti ſi incendio, chaſmate, inundatione aut eluvione, vel vi hoſtili & occupatione perierit, vaſſallus ab omni feudi ſervitio liberatur, nec in hoc caſu feudum in quenquam devolvitur.

2. Sed quæri poteſt, an ceſſante inundatione, aut armis ab hoſte recuperato feudo, cui cedat? Celebris eſt illa apud Demoſthenem oratio de Haloneſo inſula, quam Athenienſibus piratæ eripuerant. Philippus rurſus cùm piratas expuliſſet, Athenienſes per legatos flagitabant, ut ſua inſula ſibi redderetur. Philippus, ut reddere recuſavit, ſic ſe non gravatè daturum, quaſi ex munificentia obtulit: quod cùm Athenienſes recuſâſſent, graviſſimi belli occaſio nata eſt. Ego ſanè in tali ſpecie, priorum vaſſallorum feudum manere puto, niſi vel ex legibus pacis hoſti ſit relictum, vel tempus ultra hominum memoriam interceſſerit: quo caſu abjecta ſpes recuperandi erat, & proinde occupantium puto eſſe; nam quam quis rem pro derelicto habet, ab ejus dominio cadit. *Extinguitur* item feudum ex tacita partium conventione ab initio; veluti, ſi tantùm vaſſallo & ejus heredibus de corpore deſcendentibus feudum conceſſum ſit: nam eo decedente, nullo deſcendente relicto, feudum extinguitur, & ad dominum ſuperiorem redit; alioqui proximus, ſive ex ſanguine, ſive proviſione, vaſſallus in defuncti locum ſubſtituitur, illâ limitatione non expreſsâ. Idem obtinet, ſi vel ad tempus, vel ſub modo aut conditione, feudum ſit conceſſum: nam finito tempore, aut ex eventu conditionis aut modi, feudum etiam extinguitur. His caſibus propriè *extingui* feudum dicimus; jam de *amiſſione* feudi dicendum.

3. Plerique feudalium conſuetudinum Interpretes quatuor modos feudi amittendi conſtituunt; *mortem*, *delictum*, *defectum* & *refutationem*. Sed mortem non eſſe modum feudi amittendi, ſed potiùs conſervandi & continuandi, antea demonſtravimus *(b)*, & doctiores ex Interpretibus nobiſcum conveniunt; mors enim locum facit ſucceſſioni, quæ inter modos acquirendi feudi à multis ponitur.

4. *Defectum* autem non eſſe modum amittendi feudi antea explicatum *(c)*: nam ſi defectus ex fortuito caſu ſupervenerit; veluti vaſſallus bello, ſi dum fortem & fidelem operam domino navat, aut claudus aut cœcus aut mancus fuerit factus; aut ſi quicunque alius caſus, quales quotidie inter homines occurrunt, acciderit, veluti ſi crus ex caſu ſit debilitatum, aut oculi ex morbo amiſſi, paralyſis, aut alius defectus inciderit, iniquiſſimum eſſet ex his defectibus vaſſallum feudo privari. Quòd ſi à nativitate defectus hic proceſſerit, veluti ſi quis mutus, cœcus, ſurdus, claudus natus fuerit, diverſæ ſunt Jureconſultorum de hac re ſententiæ. Quidam veterum feudi jure privandos omnino putant; alii feudum retinere poſſe, dummodo per ſubſtitutum ſerviant: nos mediam viam amplexi ſumus, ut *lib.* 1. *Dieg.* 4. *(d)* declaravimus, doctiorum opinionem in eo ſequuti. Sanè apud nos defectus, ſive à caſu ſive à natura procedens, inter modos feudi amittendi non numeratur, etiamſi furor ſit naturalis, dummodo qui proximè in feudum ſit ſucceſſurus agnatus, aut ipſe, ut feudum in familia retineat, ſervire ſit paratus, & ad hoc idoneus ſit, aut idoneum ſervientem, qui officium ſuppleat, ſupponat. Quid enim ſi curſori, cui feudum datum eſt ut domini negotia currendo expediat, claudus ſucceſſerit; aut Advocato, qui ob id ſervitium feudum acceperat, mutus; aut, ut vidi in Conſtantino Walkinſchaw, famulo Comitis Argadiæ, qui, cùm ipſe machinarum bellicarum eſſet imperitus,

(a) Arg. pr. Inſt. de uſufr. (b) Lib. 2. D. 13. § 1. (c) Lib. 2. D. 18. § 30. (d) § 10. ad finem.

ritus, feudum tamen uni ex Argadia conceſſum eo nomine, ut artem jaculandorum tormentorum, ſi quando Comites Argadiæ in expeditione eſſent, exerceret, ab eo redemit, & novam inveſtituram cum eadem conditione ſuſceperat, an hic feudo privandus, ſi per alium idoneum ſatis ſervire ſit paratus ? Eſt autem apud Anglos familia antiqua Dinmocorum, quæ feudum ſuum habet eo nomine, ut princeps familiæ, die inaugurationis Regis Angliæ, ſe in aula Regia armatum & equo inſidentem ſiſtat, ibique, ſi quis de Regis titulo contradicere audeat, monomachiam inſtanter offerat; ſi, inquam, is qui in eam familiam ſuccedit, imbellis, debilis, aut ad capeſſendum duellum inidoneus fuerit, feudúmne ad Regem redibit, nullâ antiquitatis familiæ habitâ ratione ? Sunt & apud nos pleræque illuſtres familiæ in eodem aut pari caſu : nam quidam ſunt, qui feuda ſua habent, ut Regem in die prælii loricâ & armis induant, ut Humeus Aitonius ; alii, ut calcaribus ornent ; alii, ut vexillum Regium præferant, quâ dignitate Scrimgerorum clariſſima familia hodie illuſtratur ; alii, ut pincernam agant ; alii denique propter alia certa & ſtata ſervitia *(a)*. Si ſervitium debitum per ſubſtitutos (cùm ipſi ſervire non poſſint) ſuſtineatur, & præcipuè ſi per proximum agnatum, qui in feudum eſt ſucceſſurus, in his feudum domino ex defectu non aperitur : ſemper enim (ut dixi) mitiores pœnæ nobis placuerunt, & adminiſtratio, tam ſervitii quàm feudi, proximo agnato permittitur, ſi ipſe heres adminiſtrationi non ſufficiat, aut ſuffecturus ſperatur ; quo caſu ne egeat tantùm providendum eſt.

5. Eſt & alius defectus, non in perſona, ſed in ſtatu ; veluti, ſi quis nullum in perſona defectum habens, factus tamen ſit religioſus, cùm nemo poſſit & Deo & ſeculo ſervire, cùm hic defectus per ſubſtitutum ſuppleri non poſſit, ſed per ipſum in religionem ingreſſum, religioſus iſte à feudo cadit, locuſque fit proximè ſucceſſuro, qui & ad ſervitia à domino admittendus eſt, & feudi fructus ſuos faciet. Itaque defectum hunc inter modos amittendi feudi non numeramus, cùm ob eum defectum feudum domino non aperiatur. Et ex jure, ſi quando feudum ob defectum amittitur, ſervanda eſt generalis illa regula, Si paternum fuerit feudum, ad agnatos proximos pertinebit ; ſi novum, domino aperietur. Et hæc de defectu *(b)*.

6. Duo apud nos feudi amittendi tantùm modi ſunt, nempe *Refutatio (c)* (quæ ex contraria voluntate domini & vaſſalli à primo feudo recedere volentium naſcitur) & *Delictum*. De *Refutatione*, quam *Reſignationem* ſive *Renunciationem* dicimus, primò dicendum. Et quidem duplex eſt apud nos refutatio : altera, quæ in manibus domini ſuperioris præſentis, aut alterius ab eo ſpecialem poteſtatem ad hoc habentis fit ; altera pura, & quæ extra ejus præſentiam fit. Prior *Reſignatio* dicitur, & eſt duplex ; altera, quæ apud nos *ad perpetuam remanentiam* vocatur ; altera, quæ *in favorem*. Prior in manibus domini fit ſimpliciter, in ſolius domini favorem & commodum, ut feudi proprietas integra ad dominum redeat, & in perpetuum remaneat, ſic ut dominium utile cum directo conſolidetur. Quæ *in favorem* dicitur, in manus domini non minùs fit ; non tamen ut apud eum feudum maneat, ſed tantùm ut dominus alteri, ut convenerat, & in cujus favorem facta eſt, reſtituat : & eſt quaſi fideicommiſſarium feudum, quales in jure ſunt fideicommiſſæ hereditates aut legata ; niſi quòd in hoc caſu nihil apud reſignantem remaneat, nihil dominus ſibi reſervet.

7. De hac prima reſignatione hæc tantùm monenda ſunt, quòd poſtquam inter dominum & vaſſallum convenerit, ut vaſſallus feudum ſuum inter domini manus reſignet ad perpetuam remanentiam, ante dominum vaſſallus comparere debet, vel ipſe, vel ejus legitimus procurator, ad hoc ſpeciale mandatum habens, eâque quâ decet vaſſallum reverentiâ, cum omni humilitate, præſente Notario & teſtibus, (quatuor ad minimum hodie, antiquitùs pauciores ſufficiebant,) hæc verba efferre, *Domine mi, ſuperior hujus feudi, hoc meum feudum ſeu prædium in manibus tuis reſigno, & ſimpliciter renuncio, ut apud te & tuos heredes perpetuò remaneat, & cum ſuperioritate ſive dominio directo conſolidetur :* bacillumque, ſive virgulam, quam in manu habebit, domino tradet, dominuſque ſuper eo facto inſtrumentum à Notario poſcet, teſteſque rogabit,

(*a*) 2 F. 23. in fine. (*b*) 2 F. 21. 2 F. 26. § Qui Clericus, & 2 F. 30. in fine. (*c*) 2 F. 14 & 38.

rogabit, ut in poſterum rei geſtæ memores ſint. Et hæ ſunt ſolennitates extrinſecæ, quæ cùm omnino ad actum ſint neceſſariæ, in jure nunquam præſumuntur niſi manifeſtè de eis conſtet; nempe, ut vaſſallus ipſe, vel per procuratorem præſens ſit, & ut dominus traditionem illam ſive renunciationem recipiat, & in ſignum acceptationis inſtrumentum à Notario poſcat, eique (quod antiquitùs tenaciſſimè obſervabatur) pro eo inſtrumento ſolvat præſentem pecuniam. Nam exceptio hæc, cùm ſit facti, non puto per alterutrius partis chirographum vel utriuſque ſyngraphàm probari poſſe, (licet hodie chirographis potiùs credatur, quàm inſtrumentis à Notario conſcriptis, propter dubiam Notariorum fidem:) actus enim ut aliquis reſignationis publicus interveniat, neceſſe eſt Notarii adhibeantur, ut de facto conſtet; aliud enim eſt facere, aliud ſcribere ſe feciſſe: itaque confeſſio per chirographum reſignationis non ſufficit, niſi actus aliquis extrinſecus & publicus interveniat. Renunciatio enim nec facta præſumitur niſi probetur, neque per confeſſionem partis probatur, non magis quàm ſi quis ſcribat ſe ſaſinam dediſſe, quæ fortaſſe nunquam data erat, nec intervenerat. Itaque in his reſignationibus, ut actus aliquis publicus interveniat neceſſe eſt, qui niſi per Notarium & teſtes probari non poteſt *(a)*.

8. Sed quorſum, dicet aliquis, bacilli ſive virgulæ traditio interponatur, an & hæc de neceſſitate ſit? Profectò ego hoc adhuc quærendum relinquo: certum tamen eſt, & antea ſæpius monui, nullam eſſe in jure Civili dominii tranſlationem ſine aliqua traditione, vel vera vel ficta; vera, quando res ipſa traditur, aut quis in præſentem poſſeſſionem inducitur, per ſaſinam ſive apprehenſionem corporalem ipſius rei cujus dominium transfertur: aut, ſi ipſa res tradi quidem non poteſt, aut eo tempore non poteſt, (nam reſignatio, extra locum rei reſignatæ, quocunque alio loco fieri poteſt,) ſuppletur per imaginariam traditionem, ſive potiùs ſymbolum traditionis; veluti, veſtis, vexilli, baculi, annuli, libri, nummi, & ſi quæ ſint alia in uſu ſymbola. Solebant enim Septentrionales gentes ſignum ſive ſymbolum poſſeſſionis aut dominii ſemper interponere; quod apud Limitaneos noſtros & Montanos adhuc obſervatur, licet ineptis & planè ridiculis ſymbolis utantur. Itaque vaſſallus bacillum tradit, ut planè declaret, quemadmodum bacillum hunc in ſymbolum tradit domino, ſic ſe jure quàm optimo rem ipſam tam jus quàm poſſeſſionem tradere.

9. Accidit tamen aliquando, ut licet vaſſallus ad perpetuam remanentiam reſignare ſit paratus, dominus tamen recipere nolit, ac refutationem non admittat. Quod quomodo evenire poſſit, ſi quis quærat, expediam paucis: nam licet hæc reſignatio domini commodum ſemper videatur reſpicere, cùm ſolida proprietas feudi ſui ad eum redeat, nec evenire poſſe plerique putant, ut dominus præſens commodum rejiciat, & refutatio eſt quædam ſpecies alienationis feudi, quæ alienatio ſine conſenſu domini prohibetur *(b)*: ſunt tamen quidam caſus, in quibus hæc de facto occurrere vidi. Memini ante annos viginti, Dominum de Drumkilbo, cùm prædiolum ſive partem aliquam Baroniæ de Kilrynny in capite teneret de Comite Anguſiæ per ſervitium militare, patreque ſuo functo vitâ, cùm ejus maritatio ad Comitem Anguſiæ ratione feudi pertineret, qui jus ſuum in Joannem Ogilvæum Dominum de Innerquharatie tranſtulerat, à quo dictus Dominus de Drumkilbo graviter vexatus pro æſtimatione maritationis, quæ taxabatur nullâ habitâ ratione prædioli, quod ſolùm de Comite Anguſiæ tenebat, ſed ad totum ipſius patrimonium, quod amplum erat: memini, inquam, Drumkilboum obtuliſſe Comiti Anguſiæ in Senatu refutationem ſui prædii, quòd nunquam ut heres adhuc adierat, nec aditurum ſe promiſerat; ſed ab Anguſio repulſum, niſi maritationis æſtimationem, quæ jam obvenerat, vellet exſolvere. Vidi etiam, cùm gravis exactio civibus Edinburgenſibus imponeretur *(c)*, Joannem Moriſonum, civem inter primos opulentum, cùm de iniquitate indictæ ſibi collationis quereretur, paratum ſe obtuliſſe privilegio civitatis renunciare, modò ſua portio prædictæ collationis ei remitteretur: quod & nuper in Joanne Fairley etiam accidit. Itaque evenire poſſunt caſus, cùm magis expediat vaſſallo feudum

(*a*) Sed hodie requiritur ut reſignatio talis regiſtretur intra 60 dies à Data dictæ reſignationis, per cap. 3. Parl. 2. Seſſ. 1. Car. II. (*b*) 2 F. 52 & 55. (*c*) Lib. 1. D. 16. § 20.

refutare quàm retinere. Ad quæstionem redeo : Si vassallus invito domino possit feudum refutare, sive (ut nos loquimur) resignare *ad perpetuam remanentiam ?* Multi negant, & hanc pro se rationem adducunt : Quòd feudum sit mutuus contractus inter dominum & vassallum ; & sicut mutuo consensu contrahitur, sic mutuo consensu dissolvendus. Alia ratio est, Quia dominus & vassallus in feudo parificantur, & paris conditionis censentur : ut sicut dominus invito vassallo feudum ad se revocare non potest, nisi ex delicto aut ingratitudine ; sic nec vassallus invito domino refutare. His tamen non obstantibus, communis Feudistarum opinio est, etiam invito domino vassallum refutare sive renunciare feudum posse : nam revocare feudum sine vassalli incommodo dominus non potest ; vassallus, si feudum refutaverit, domini sui conditionem facit meliorem. Quod & nostris moribus convenit, nec à jure Civili dissentit, in quo quilibet favori pro se introducto renunciare potest. Feudum enim, licet ex beneficio domini nascatur, commodum tamen vassalli solius respicit.

10. Duæ tamen sunt exceptiones, sive duo casus, in quibus invito domino vassallus feudum refutare non potest. Primus, si vassallus ligius sit, & feudum ligium : neque enim ferendus vassallus ligius, si velit fidelitatem domino suo & Principi, sub quo natus est, renunciare ; Princeps enim pater est totius patriæ, cujus jurisdictioni & cognitioni vassallus se, suam familiam, liberos, bona, tam mobilia quàm immobilia, subjecit, aut saltem ex nativitate cum eis omnibus subjectus est ; & graviter Principem offendit, qui cupiat ab eo resilire, fidemque ei datam paratus est ejurare. Itaque Princeps in hunc vassallum, si fidem mutaverit, & alterius Principis clientelæ se mancipaverit, manûs injectionem semper retinet, ut possit eum ubicunque invenerit comprehendere, etiamsi ab eo Principe, cui se mancipaverit, legatus venerit ; ut à plerisque notatum est.

11. Secundus casus, si, antequam vassallus refutare paratus sit, grave servitium in eum ratione feudi sui, sive grave onus incubuerit ; quod, ut subterfugiat, feudo suo vel privilegio velit renunciare. Sed in hoc casu non simpliciter prohibetur refutatio, sed tantùm ad tempus recusari potest à domino, donec vassallus se præsenti gravamine, quod ei ex causa præterita ratione feudi incubuit, liberabit : nam tum refutationem ejus admittendam puto. Et hæc est ratio cur refutatio Domini de Drumkilbo non fuit admissa, quia onus & gravamen, quod antea ei ratione feudi incubuerat, noluisset exsolvere : quod si voluisset aut obtulisset, satis validam puto resignationem feudi futuram ad perpetuam remanentiam, etiam invito domino. Eademque ratio in ea secunda Joannis Morisoni renunciatione, qui civitatem ejurare voluerit post indictam taxationem : quòd si, solutâ taxatione, privilegio civitatis renunciare voluisset, admittendus erat etiam invito civitatis Prætore.

12. Alia quæstio, & ea quidem magna, in his refutationibus occurrit : Qualiter feudum ad dominum ex refutatione vassalli redit ; an tale redit quale ab initio à domino in favorem vassalli fuerit constitutum, an quale tempore resignationis est ? Movet quæstionem, quòd cùm feudum domino aperitur, sive pro tempore, ut in minore ætate heredis, sive in perpetuum, ob delictum, tale semper aperitur, quale ab initio constitutionis erat : nam tempore custodiæ heredis, dominus neque alienationes à vassallo factas, neque alienationes aut servitutum constitutiones, si à se causam non habeant, nisi aut ejus consensu factæ sint, aut is eas ratas habuerit, tenetur agnoscere, ut superiùs annotavi *(a)*. Sic in recognitionibus, aut aliis offensionum aut ingratitudinum causis, ob quas vassallus feudum ex jure amittit, tale feudum ad dominum redit, quale ab initio fuerat constitutum, nullâ habitâ valvassorum aut subvalvassorum ratione. In nostro verò casu refutationis feudi, tale feudum ad dominum solummodo redire puto, quale apud vassallum tempore refutationis fuerat, dominumque omnia onera hereditaria, quibus vassallus legitimè feudum gravaverat, teneri agnoscere. Quæ opinio ut sanior, sic, nisi recipiatur, teneſtram ad omnem nequitiam patefaciet : nam colludente domino cum vassallo, & refutatione solenniter in ejus manus factâ, subvassallorum omnia jura subvertentur, & præbebitur occasio

(a) Lib. 2. D. 20. § 18.

caſio miſeros valvaſſores fallendi manifeſta, ſi cùm vaſſallus pecunias ab eis acceperit, eoſque inveſtierit ſive ſubinfeudaverit, ut facta hæc ſua ſubvertat & inania reddat, in domini ſui manus feudum velit refutare. Nec idem tenendum videtur in aperto per cuſtodiam ſive delictum feudo atque in refutatione : nam priora hæc, ratione juris communis feudorum, & ex ejus diſpoſitione procedunt ; naturalis enim ratio ſuadet, quod ob certam cauſam conceſſum eſt, ſi ea non ſequatur, ut condici poſſit ; & ſi deterius factum ſit, ut æſtimatio præbeatur, & ſic tale quale à principio fuit præſtandum eſt. Itaque ſi feudum ob delictum vel ingratitudinem vaſſalli ad dominum redierit, qui id ob ſervitium tantùm & fidem ab initio conceſſerat, fractâ fide, feudum jure repoſcere videtur in ea qualitate quâ conceſſerat. Si verò heres vaſſalli in cuſtodia domini fuerit ex conditione naturâ feudo inhærente, dominus feudi fructus omnes (cujuſmodi tempore primæ conceſſionis feudalis à vaſſallo percipi poterant) ſuos faciet, quamdiu vaſſallus ob minorem ætatem ad ſervitia facienda non ſit idoneus, ut interea dominus ſe de ſerviente ex fructibus feudi poſſit providere. Atque in his feudi apertionibus per cuſtodiam vel delictum dominus ſuo jure utitur, & ſe auctorem tantùm ſequitur ; itaque quale feudum à ſe auctore profectum eſt, tale ad eum redibit. Aliter verò res ſe habet, ſi feudum ex pura donatione aut ſimulata conventione ad dominum redit : nam dominus paciſci videtur de tali feudo, quale tum erat, tantùm recipiendo, nec ulteriùs audiendus eſt, cum auctorem tantùm habeat vaſſallum in hac ſpecie refutationis ; itaque eo tantùm jure utitur, quod vaſſallus habuit, cùm refutavit. Et hæc de refutatione *ad perpetuam remanentiam*. In ſcripto feudorum jure, poſt refutationem, ſi paternum ſit feudum, locus fit agnatis proximioribus *(a)*, qui à domino inveſtituram petant, ſi modò ex primo ſtipite deſcendant : ſed eo jure nos non utimur.

13. Altera reſignatio eſt, quæ *in favorem* dicitur, cùm vaſſallus ſuum feudum, quale tum habet, in manibus domini reſignat, non ut apud eum maneat, ſed ut dominus incontinenti alium in eodem inveſtiat, eodem modo & eâdem formâ quâ vaſſallus reſignans à domino inveſtitus fuit. In qua reſignatione, non ſolùm domini præſentis, vel ſaltem ejus qui ab eo poteſtatem reſignationes acceptandi habeat, ſemper perſona eſt neceſſaria, ſed etiam conſenſus : nam ſine domini conſenſu, talis reſignatio non valet ; non enim cogendus eſt dominus unum vaſſallum, fortaſſe ſibi ignotum, & fidei fortaſſe dubiæ, aut ſaltem incognitæ, in ſuo feudo & ad ſua ſervitia recipere, nec tenetur voluntatem vaſſalli, dominum mutare cupientis, ſequi. Itaque domini conſenſus ut interponatur, ex neceſſitate requiritur. Quod tamen, hominum nimiùm acutorum diligentiâ, hodie penè ſubvertitur, magno cum dominorum damno *(b)* : nam ſcio, & in actum deduci ſæpe vidi, cùm domini conſenſus impetrari nequit, ſolere vaſſallum colludentem cum eo, cum quo jamdudum de feudi alienatione convenerat, obligationem pro gravi ſumma ei, cui reſignare promiſit, aut omnino conſtituerat concedere, ut ſive eâ obligatione in acta publica (quod *Regiſtrum* dicimus) redactâ, ſive ſententiâ ſuper ea habitâ, ſimulatus creditor & verus emptor, diſcuſſis bonis moventibus ſui debitoris, (quæ ſubtrahi partes curant ne diſtringantur,) feudum ipſum licitationi ſive ſubhaſtationi ſubjiciat, prænonitione (ut fieri ſolet) ad perſonam ſimulati debitoris, ſuper feudo ipſo, & apud crucem principis burgi in Vicecomitatu factâ, licitationeque per quindecim virorum ſacramentum deductâ : inde Senatus mandat Cancellariæ cuſtodi, ut præcepta dirigat ad dominum etiam nolentem & invitum, ſaltem has artes ignorantem, ut novum emptorem in tenentem recipiat & inveſtiat. Et ſic dominus, niſi malit pro tempore vitæ dominium directum amittere, eum quem non vult ſæpe cogitur recipere. Et profectò, licet has colluſiones ſimulatè fieri nemo non videt, & à jure prohiberi, ac quod majus eſt, cùm ſimulatio ſpecies ſit falſitatis ; nunquam tamen has licitationes ſeu ſubhaſtationes in judicio reſciſſas, ſub prætextu aut colluſionis aut ſimulationis, audivi.

14. Sed, ut ad noſtras reſignationes, quæ *in favorem* dicuntur, redeam, non ſo-

(*a*) 2 F. 26. Titius filius. (*b*) D. 3. § 17.

lùm præſentia domini eſt neceſſaria, ut dixi *(a)*, ſed etiam conſenſus: præſentia, quoniam niſi in manibus domini fiat renunciatio, nihil operatur. Per dominum intelligo & eum, qui à domino ſpeciale mandatum ad hunc effectum habeat. Nam quemadmodum jure Civili & Pontificio, reſignatio ſeu abdicatio juriſdictionis ſeu beneficii, niſi in manibus mandantis aut ſuperioris acceptantis fiat, nullum effectum habet, ſic etiam jure Feudali; cùm iniquum ſit dominum cogi in feudo ſuo ſequi voluntatem vaſſalli. Et quidem jure Civili hoc conſtat ex reſponſo Papiniani, dum ait, *Legatus Cæſaris, Præſes, vel rector provinciæ, abdicando ſe non amittit imperium (b)*; quod & Bartolus in omnibus reſignationibus ait obſervandum. Sic Epiſcopus renunciare non poteſt, niſi in manibus Papæ. Sed multò major ratio eſſe videtur in feudo ſeu jure Feudali, cùm dominus ſemper dominium directum apud ſe retineat; nec impunè liceat vaſſallo, domino inſcio, alienare. Adeò autem reſignatio feudi in manus alterius quàm domini in jure Feudali eſt prohibita, ut nec reſignatio in manibus filii domini, qui in feudo ſucceſſurus eſt patri, quicquam operetur. Et licet renunciatio beneficii in manibus laici jure Pontificio reſignantem privet beneficio *(c)*, & ſic cuivis videri poſſit renunciationem in manibus non domini ſuperioris ſufficere ad amiſſionem beneficii; reſpondeo tamen reſignationem illam non ideo damnari, quia in manibus non domini ſuperioris fiat, quæ certè meritò inanis eſt, ſed in odium reſignantis, qui laicum veluti ſuperiorem beneficii Eccleſiaſtici agnoverit, & per reſignationem in manibus ejus factam, jura Eccleſiaſtica graviter offenderit.

15. Secundò dixi, opus eſſe in his reſignationibus etiam conſenſu domini, ut antea monui *(d)*, ut dominus reſignationem apud ſe factam acceptet & probet, quod fit per bacilli traditi receptionem, & inſtrumenti in manibus Notarii rogationem: nam in jure reſignatio à domino non acceptata non nocet; acceptatâ autem reſignatione, dominus immediatè tenetur inveſtire eum, in cujus favorem reſignatio facta eſt, & pro vaſſallo eum agnoſcere, præſtito fidelitatis ſacramento; aut, ſi hoc juramentum omittatur, (ut fieri apud nos ſæpe ſolet,) fidelitate tamen promiſsâ, quæ tacitè omni feudo inhæret naturaliter, tanquam accidens inſeparabile.

16. Quòd ſi dominus noluerit eum, in cujus favorem reſignatio facta eſt, inveſtire, ſupplicatione ad Senatum exhibitâ, ſolent ab eo literæ impetrari, ut dominus ſub pœna rebellionis cogatur intra certum tempus, à Senatu pro qualitate negotii temperandum, novum hunc vaſſallum in tenentem recipere, eique inveſtituram concedere: nec quicquam de fructibus lucrabitur ratione non-introitûs, quamdiu feudum in manibus ejus eſt, cùm ipſe ſit cauſa hujus non-introitûs, & proinde in mora. Quòd ſi mora aut ceſſatio, ex parte ejus, qui inveſtituram accipere debet, intervenerit, dominus quàm optimo jure fructus ſuos interea facit.

17. Quòd ſi interim reſignantem pœnituerit, & novam reſignationem in manibus domini ſui fecerit, in favorem alterius quam cujus prior reſignatio facta eſt, dominuſque huic poſteriori poſſeſſionem tradat, eumque primum inveſtiat, uter alteri præferendus ſit, dubitari ſæpe vidi. Nam in beneficiis Eccleſiaſticis, à quibus ad beneficia feudalia commodè ſatis argumenta deduci poſſunt, ſi patronus, qui jus præſentandi habet, unum Ordinario præſentaverit, & hic, dum examinatur, moram trahit, interea patronus alium præſentaverit, Epiſcopi eſt electio, cui velit gratificari, & cui velit collationem ſive inſtitutionem canonicam concedere; & ſi poſteriori primam collationem conceſſerit, is in eo beneficio in perpetuum præferetur, licet alius prior præſentatus fuerat *(e)*. Similiter in beneficiis feudalibus, quoties duplex reſignatio facta eſt in favorem duorum diverſorum, una prior, altera poſterior, videtur in arbitrio domini, quem velit in vaſſallum recipere, præcipuè in feudo, quod ad dominum ſuperiorem pertinet, & ſine cujus conſenſu neuter jus reale in feudo prætendere poteſt, & ſic locus ei erit cui velit gratificari: quemadmodum in duplici feudi conceſſione, qui prior inveſtituram, id eſt, ſaſinam acceperit, præferetur; & in alienatione facta duobus, prior à domino confirmatus videtur præferendus. Præterea, quod in titulo

De

(a) § præcedenti. (b) l. 2. ff. de officio Præſidis. (c) Cap. 8. tit. 9. de renunciatione, lib. 1. Decretalium. (d) § 13. (e) Nov. 57. cap. 2. 123. cap. 18. jus præſentandi quid minus & diſtinctum atque inferius ab ordinatione.

De inveſtitura monui *(a)*, inveſtituram eſſe unicum actum, ex duabus partibus conſtantem, nempe ex charta, ut loquimur, & ſaſina; & quòd ex charta (quæ tamen continet omnimodam & plenariam diſpoſitionem, cum renunciatione illius juris, quodcunque concedens diſponere poterat) non detur actio, nihilque ad eum qui recipit tranſeat, donec ſaſina ſequatur; ita ut meo judicio inveſtitura non dicatur, niſi utraque ſequatur: idem in hoc caſu repeto, nempe reſignationem hanc ex tribus conſtare partibus; (prima eſt renunciatio perſonæ reſignantis in favorem alterius, ſecunda eſt domini acceptatio, tertia traditio, & inveſtitura illi facta, in cujus favorem reſignatio facta eſt:) nec quicquam primam hanc reſignationis partem, quæ eſt renunciatio in manibus domini, operari, niſi totus actus ſequatur & abſolvatur, ſecundum illud D. Marci reſponſum, ex Lucano Poëta deſcriptum, *Nil actum credens, ſi quid ſupereſſet agendum (b)*. Itaque meo judicio ille præferendus erit, qui totam illam reſignationem ſimul & tanquam unicum perfectum actum conjunget; nec quicquam ex ea actum putet, donec aliquid agendum ſupereſt, donec actus ille ex omnibus ſuis partibus completus & perfectus fuerit, & ſi pars aliqua non fuerit impleta, totum actum cadere ſive reſcindi oportere. Tertia ratio, quæ pro hac opinione facere videtur, ex jure Civili depromitur: nam dominium ex jure Civili nunquam amittitur, niſi alteri acquiratur, ut diſertè vult Papinianus, dum ait *(c)*, *Nec utilem actionem ei tribui oportet; cùm ſit iniquiſſimum auferre domino, quod uſus non abſtulit; neque enim intelligitur amiſſum, quod ablatum alteri non eſt: ablatum* (inquit gloſſa) i. e. *quæſitum*; adeo ut nunquam dominium cenſeatur amitti, niſi alteri acquiratur. Pro eadem eſt opinione Bartolus, eamque propoſitionem tanquam juris indubitati proponit & confirmat. Quid enim ſi hic, in cujus favorem facta eſt reſignatio, nolit recipere? An apud dominum remanebit? Sed nemo in ea erit ſententia; neque enim hoc agebatur, ut domino aliquid acquireretur. Neque is acquirit in cujus favorem facta eſt reſignatio; nam invito & contradicenti nihil acquiritur: imò, quod majus eſt, etiamſi ignoraverit factam reſignationem in ſuum favorem, nihil adhuc acquirit; nam ignorantiâ dominia rerum non acquiruntur, niſi per ſervum, procuratorem aut filiumfamilias *(d)*. Si ergo ei nihil acquiri poſſit, licet reſignans & dominus conſenſerit, hic acceptando, ille reſignando; nihil factum puto, nec reſignantem dominio privari. Fateor cum Bartolo tamen, aliud eſſe in renunciatione poſſeſſionis, quæ ſolo animo, multò magis ex alicujus renunciatione amittitur; nec ſuperioris conſenſu hîc opus eſt, ut in manibus proprietarii fiat: licet, ſi Ulpiano hic credimus, ne poſſeſſio quidem amittatur, niſi alii acquiratur, nempe ei in cujus favorem renunciatio facta eſt. Sed in dominio non idem ex jure Civili, niſi fortè qui ſunt ſpeciales caſus, veluti ſi quis rem pro derelicto habeat; nam amittit ille dominium antequam alteri acquiratur *(e)*. At cùm quis id dat & diſponit, quod alius non eſſet conceſſurus, niſi eâ conditione ut ad alterum perveniat; ſi is accipere recuſaverit, puto in hoc caſu dominium apud priorem dominum manere, non obſtante reſignatione: quia reſignatio hæc eſt ſub modo, nempe in favorem alterius *(f)*, qui ſi favorem hunc agnoſcere nolit, apud priorem dominum remanet; & eſt quaſi conditio implicita reſignationi, quæ ſi non ſequatur, licet reliqua intervenerint, nihil actum puto, ut in hereditatibus & legatis fieri videmus. Nam ſi is, qui heres à teſtatore inſtitutus eſt, noluerit agnoſcere vel adire hereditatem, remanet hereditas apud defuncti heredes ab inteſtato *(g)*; ut qui legatum agnoſcere non vult, heredi, ad quem priùs pertinebat, relinquit *(h)*. Quod autem dixi, errantem aut ignorantem non acquirere; in errante ſequutus ſum Ulpiani verba *(i)*, de ignorante limitandum eſt *(k)*. Quædam enim ſunt, quæ ignorantes aliquando acquirimus: nam fiſcus bona damnatorum acquirit etiam ignorans; quod in favorem fiſci introductum eſt, cùm delictorum pœnæ & ſupplicia non ſemper fiſco innoteſcunt: ita neque ſa-

(a) Lib. 2. D. 2. § 17. D. 3. § 1. & D. 4. § 12. (b) l. 11. in fine, C. de his quibus ut indignis. (c) l. 20. ff. ex quib. cauſ. maj. (d) Tit. Inſt. per quas perſonas cuique acquiritur, & l. 1. § 5. ff. de acquir. vel amit. poſſeſſ. (e) § 47. Inſt. de rerum diviſione, l. 1 & 5. § 1. ff. pro derelicto. (f) l. 40. § 5. & l. 80. ff. de condit. & demonſtr. (g) pr. Inſt. de heredit. quæ ab inteſtato defer. (h) l. 76. § 1. ff. ad legem Falcid. (i) In l. 34. pr. ff. de acquir. vel amit. poſſeſſ. (k) Vid. § 30.

sinâ hîc opus est in immobilibus, nec possessione & apprehensione in mobilibus *(a)*. Sic ex testamento ignorantibus bona acquiruntur, favore ultimarum voluntatum *(b)*; qui quidem favor & in Ecclesiis & civitatibus militat, quæ utræque etiam ignorantes acquirunt. Secundum igitur meam opinionem, hæc regula procedit, resignantem à dominio feudi non cadere, nisi is, in cujus favorem resignatio facta fuerit, eam receperit: quod fieri non potest, nisi ipsa resignatio, acceptatio & nova investitura ejus, in cujus favorem facta est, unicus tantum esset actus, cujus pars non impleta totum actum reddit imperfectum, nihilque fiat quamdiu aliquid supereſt agendum. Pœnitentiæ itaque locus erit, licet resignatio in manibus domini fiat, si alteri nondum facta sit traditio; possequeque renunciantem, quasi nondum devestitum, de novo in manibus sui domini resignare in favorem alterius à priore, qui primò acceptans investituram, si priùs investitus à domino fuerit, priori erit præferendus.

18. Scio tamen hodiè à Senatu aliter observari, & ex resignatione sola devestiri resignantem, licet is in cujus favorem facta sit, nihil inde consequutus sit. Id obtinuit primus vir sanè magnus David Macgilleus, inter Advocatos tum primus, & postea Regius Advocatus factus, sed non sine magna controversia, in quæstione cujusdam Perthensis; in cujus favorem cum priùs resignatio facta fuisset, nihilque ex eo sequutum, postea annis ferè viginti, idem, quasi inanis fuisset resignatio prima, alteram in favorem filii sui fecerat: quæ tamen posterior resignatio irrita declarata est à Senatu, quasi ab eo facta, qui jus & potestatem resignandi non haberet, cum per priorem resignationem devestitus, omnem à se potestatem abdicasset. Ante quod Senatûs decretum, nunquam à majoribus nostris fuit dubitatum, quin, si ex priore resignatione, quasi ex imperfecto & invalido actu, nihil sequutum fuerat, posset de novo resignatio fieri in favorem alterius, isque, qui primò sasinam recuperaverat, præferendus esset. Quam opinionem adjuvat & illud, quod à nobis titulo *De investitura* dictum est *(c)*, si duplex charta aut titulus intervenerit, priorem esse eum qui investituram, id est, sasinam primus acceperit: neque enim ego hanc resignationem plus juris habere puto, quàm ipsam chartam, quæ à domino fit, de feudo per resignationem in ejus manibus vacante; qui si duas diversas fecerit duabus personis, quæ prior sasinam acceperit præferenda est. Licet ab aliquot annis invaluit, ut per resignationem quis ita devestiatur, si per dominum acceptata sit, ut aliam dominus dispositionem facere non possit, cogique posse dominum ad eum investiendum, in cujus favorem resignatio facta priùs fuerat, quasi duo essent continui & discreti inter se actus, quorum unusquisque per se suam habet potestatem & effectum. Sed non tam considerandum est, quid ab his viginti annis observatum sit, (nam ulteriùs, nisi vehementer fallor, exemplum non habemus) quàm quid in ratione positum. Nam si admittamus vassallum per priorem resignationem omninò devestiri, si is in cujus favorem facta est recusaverit; non video quomodo resignans ad suum feudum redire possit: nam contra dominum pro retractanda resignatione vix video actionem posse competere, cum vassallus sciens & prudens refutationem fecerit, & dominus nihil promiserit, nec ex ulla obligatione vassallo devestito teneatur. Itaque sequatur id quisque quod rationi putat convenire, mihi hæc antiqui juris & consuetudinis novatio omnino non placet.

19. Sequitur & alia quæstio, quæ licet ex priori dependeat, eandemque videatur dubitationis rationem continere, à nostris tamen hodie nullatenus in dubium vocatur, An hæc traditio, quæ secundæ personæ danda est, fieri debeat incontinenti, an ex intervallo? Nam stipulatio nihil aliud est quàm unius partis interrogatio, alterius responsio; & ex his duabus ita constituitur, ut si alterutra defecerit, tollatur tota stipulatio, quod non incommodè ad ea quæ de renunciatione nuper diximus potest transferri. At in stipulatione, nisi incontinenti alter responderit, nullam stipulationem contrahi putamus; juxta regulam hanc, quam ponit Ulpianus *(d)*, *Qui præsens interrogavit, si antequam sibi responderetur, discessit, inutilem facit stipulationem.*

Sin

(a) l. 8. C. ad legem Jul. majest. (b) l. 64. ff. de furtis. (c) lib. 2. D. 2. § 5. in fine, & § 22. (d) l. 1. § 1. ff. de V. O.

Sin verò præſens interrogaverit, & anteqtiam reſponderetur diſceſſit, & reverſo reſponſum; eſt, obligatur: intervallum enim medii temporis modicum ſtipulationem aut obligationem non vitiat. Illud autem *intervallum medii temporis* intelligo, ſi nullus actus extraneus in medio interveniat, qui obſtet ſtipulationi: neque enim obſtat, ſi vel ex naturæ neceſſitate, vel quid ad naturam contractus fiat; nam utroque caſu, non interrumpitur actus ipſe. Bartolus illud intervallum ſpatio unius diei moderatur; & ſanè dominus, qui accipit reſignationem, ſolet imaginariam inveſtituram in ipſo tempore tradere, præbendo nempe immediatè, quem receperat à reſignante, bacillum ſive virgulam ei in cujus favorem facta eſt reſignatio. Et hoc apud nos adhuc locum habet, licet alioquin nullum certum tempus definiatur, intra quod dominus debeat inveſtituram novo vaſſallo facere, putantque noſtri ſufficere, ſi quocunque tempore, domino vivo, & eo in cujus favorem reſignatio facta ſit, inveſtitura nova ſequatur, licet qui reſignaverit mortuus fuerit: quod quandam habet in ſe difficultatem *(a)*. Hæc de reſignatione quæ in manibus domini ſuperioris fit.

20. Alterum membrum diviſionis, quam ſupra *(b)* poſui, eſt renunciatio ſimplex; quæ vel expreſſa eſt, vel implicita per conſenſum. Expreſſa renunciatio vel fit per contractum, obligationem, aut quid ejuſmodi; vel ante judicem aut Notarium publicum, ubi vaſſallus ſimplicia verba hæc aut ſcribit aut profert, *Tali feudo & omni juri mihi in eo competenti in favorem tuam renuncio.* In hac quæſtione duo ſunt conſideranda: Primum, an per talem renunciationem dominium rei renunciatæ trasferatur in eum, in cujus favorem fit: Secundum, an ſaltem ea renunciatio, ſi non transferat dominium in eum cui fit, renunciantem deveſtiat *(c)*.

21. Quod ad primum attinet, neminem in ea opinione futurum exiſtimo, ut putet renunciationem ſimplicem, quæ non fit in manibus domini ſuperioris, eſſe habilem modum transferendi feudi ſive dominii; alioqui vanum eſſet quod reſcripſerunt Imperatores Diocletianus & Maximinianus, *traditionibus & uſucapionibus, non nudis pactis, dominia rerum transferri (d)*; ubi gloſſa *nuda pacta* vocat, quæ non ſunt traditione veſtita (ut renunciationes tantum nuda pacta eſſe vult Bartolus;) & ita ex jure antiquo Cæſareo, cum nondum utilis & directi dominii nomina cognita eſſent. Sed poſtquam jus Feudale in Europæis gentibus radices agere cœperat, & ſuperioris & inferioris dominii voces in uſum irrepſerant, multò minus dominii tranſlatio, ſive inveſtitura, ſine inductione in poſſeſſionem admittitur: alioqui quorſum inveſtituræ aut ſaſinæ nomina, aut quis earum uſus, ſi ſine eis dominia feudorum ritè de uno in alium vaſſallum transferri poſſunt? Et ſanè ſi quid tale apud nos admitteretur, pleraque incommoda ſequerentur; & quidem totus Cancellariæ uſus ceſſaret, ac nullus de jure ſuo certus fieret, ſive emere ſive permutare ſive donare, aut dono accipere voluerit, quum ei agenti occurret ſemper exceptio renunciationis privatæ. Adde ſi quis auctorem ſuum velit dominum fuiſſe probare, ut in multis actionibus neceſſè eſt, & tantum renunciationem vel ſimplicem contractum pro renunciatione in judicium producat, nemini ſano videbitur probaſſe intentionem ſuam de dominio. Et ſi quis procuratorem ſuum conſtituerit ad renunciandum, & hæc verba expreſſerit; *prout tenore præſentium renunciat*, etiam antequam procurator mandato uſus fuerit apud dominum, aut dominus acceptaverit, poterit quis jure dicere conſtituentem ante reſignationem deveſtitum eſſe, cum in ipſo mandato ſe renunciaſſe expreſſerit: & infinita alia incommoda occurrerent. Itaque meo judicio non transfert dominium, niſi in manibus domini ſuperioris acceptantis & non recuſantis fiat.

22. Secunda in renunciatione ſimplici quæſtio magis ardua & difficilis eſt, nempe, ſi talis renunciatio non videatur eſſe habilis titulus transferendi rerum dominia, an ſaltem ſufficiat ad deveſtiendum renunciantem, qui de injuria quæri non poteſt, cum nihil ei niſi volenti fiat? Sic tamen breviter reſolvendum exiſtimo: Si hæc renunciatio ex ſententia procedat, ut in redemptionibus fieri videmus, cum ex ſententia fertur, terras ritè eſſe redemptas, eumque qui priùs inveſtitus fuerat, eis renunciare debere; per hanc tamen renunciationem, nihil qui redemit conſequetur,

(a) Quæ removetur cap. 35. Seſſ. 4. Parl. unic. Gul. & Mariæ. (b) lib. 2. D. 4. § 19. (c) Vid. § 29. (d) l. 20. C. de pactis.

nec ullum jus hereditarium in re redempta habebit, donec per literas Senatûs à domino ſuperiore, à quo literam regreſsûs habuit, rurſus & de novo inveſtiatur, ut ſupra monui *(a)*. Idem de voluntariis redemptionibus prædiorum, & etiam annuorum redituum. Nam renunciatio ejus qui fuit ante ſaſitus, ad eum deveſtiendum ſufficit, non tamen ut redemptorem inveſtitum faciat, ſi modò res alienata de domino ſuperiore tenta fuerat. Quòd ſi de ipſo alienante tenebatur, ſola renunciatio hîc tam ad deveſtiendum eum qui prius inveſtitus erat, quàm ad conſolidationem dominii utilis cum directo ſufficit, & hoc in ſententia redemptionis tantum. At extra judicium, præcipuè extra præſentiam partis, ſimplicem renunciationem deveſtire renunciantem non puto, cum nihil ad alium perveniat ex ea renunciatione; neque enim dominium, ut antea monui *(b)* uni amittitur, donec alii acquiratur.

23. In renunciatione tamen juris, quod in obligatione conſiſtit, & in quo ſaſina non eſt neceſſaria, ut in reverſionibus, obligationibus hereditariis, aut eis quæ ad jus aliquod hereditarium pertinent, veluti in ſervitutibus & ſimilibus oneribus, quæ feudum ipſum non trahunt ſecum, ſed tantùm jus in feudo, puto ſimplicem renunciationem ſufficere. Prodeſt autem hæc renunciatio omnibus jus habentibus in re ſive feudo; veluti, renunciatio in favorem ejus qui ſaſitus eſt, proderit uſufructuario, licet cauſam ab eo non habeat; alioqui renunciationes hæ, tam apud nos quam vicinos noſtros, apud quos *Relaxationes* dicuntur, ſtricti ſunt juris: adeo ut renunciatio ſive relaxatio omnium actionum perſonalium, quas quis habet contra debitorem, non extendatur ad reales, ut nec è contra. Ad miſtas tamen actiones, quæ partim reales ſunt, partim perſonales, utravis apud vicinos noſtros ſufficit; adeo ut ſi creditor omnes actiones perſonales contra debitorem relaxet ſive renunciet, vindicanti tamen rem ſuam actione reali non obſtabit exceptio. At in actione bonorum raptorum & ſimilibus, exceptio renunciationis omnium actionum perſonalium obſtabit; etiam ſi pro his bonis tam actionem realem quàm perſonalem habuerat qui renunciat. Neque renunciatio omnium actionum tam perſonalium quàm realium, quas quis habet, tollit vel apud eos, vel fortè nec apud nos, actionem de felonia, aut de gravi crimine quod morte punitur: imò quod magis mirum eſt, ſi quis omnibus actionibus in genere renunciaverit, & actio in rem judicatam tranſierit, non videtur executioni rei judicatæ renunciaſſe; nam executio jam non eſt actio.

24. Et hæc brevibus de renunciatione ſimplici expreſſa mea eſt ſententia, cui cum maximè ex jure Anglorum aſſimilari videantur, quas vocant *Relaxationes*, non abs re erit hic paululùm ſiſtere, ut explicatâ ratione, quam in his Angli videntur obſervare, diſcrimen aliquod hâc in parte inter jura noſtra & jura Anglorum illuceſcat, atque ut diſcrepantia vel contraria juxta ſe poſita magis innoteſcant.

25. Quæcunque autem ex jure Anglorum huc attulero, Litteltonum ferè ubique, probatiſſimum auctorem, atque apud eos plurimæ fidei, ſequar. Ac in primis quod Joannes Perkenſis pro dubio relinquit, ego puto apud eos ſatis manifeſti juris eſſe, feudi tenentem, ſive ſimplicis ſive talliati, qui feudum aliquod tenet ſibi & heredibus ſimpliciter, vel ſibi & heredibus de corpore ſuo, &c. feudum refutando domino, vel renunciando, aut reſignando in manibus domini, nihil penitùs agere, nec feudo feudive poſſeſſione, ſive, ut loquitur, libero tenemento deveſtiri intelligi, niſi domino fundi poſſeſſionem tradiderit, quod *liberare ſaſinam* dicunt, ſicut alteri cuilibet, in quem rei dominium ac liberum tenementum transfertur inconſulto domino, quem dominus novum tenentem poſt notificationem ſibi factam, ſervitiaque à retro debita perſoluta, & homagium ſive fidelitatem præſtitam, agnoſcere tenetur, ac ſuper eo diſtrictionem advocare. Apud nos (ut nuper dixi) idem penè obſervatur, & traditionem baculi aut alicujus teſſeræ pro traditione poſſeſſionis ſumimus: nam niſi aliqua poſſeſſionum traditio interceſſerit, ſaltem ſymbolum aliquod pro ea, renunciatio neque ex jure noſtro neque jure Civili valet. Hæc traditio tam in hereditariis titulis quam uſufructibus requiritur, non autem in locationibus pro termino annorum. Atque talis reſignatio in manibus domini, apud illos, *ſurſum Redditio* dicitur,

(*a*) lib. 2. D. 6. § 24. (*b*) l. 20. ff. Ex quibus cauſis majores, vid. § 17.

citur, per quam feudum (inquam) in dominum tenens transferre nequit, niſi ſit unum ex ruſticis illis feudis ignobilibus, quæ vocant COPIEHOLDES, hoc eſt, *tenuras per copiam rotuli Curiæ:* per illam etiam *ſurſum redditionem*, apud illos, finiuntur ſtatus ad terminum vitæ, vel annorum (quos vocant *ſtatus particulares feudo ſuppoſitos*) ſi à tenentibus reſignentur, ſive ſurſum reddantur in manibus eorum, qui habeant vel proprietatem, vel proximam quamlibet reverſionem, vel remanentiam majorem, eam quidem quæ veluti in ſe abſorbere valeat ſtatum hunc reſignandum ſive ſurſum reddendum. Nam non tantùm jus in re is, in cujus favorem renunciatio facta eſt, habere debet, ſed etiam tale quod juris renunciantis ſit capax: nam fruſtra, ut dixi, fit in ejus favorem, qui nullum jus in re habet, cum renunciatio per ſe, nec ex jure Civili, nec noſtro, ſit modus habilis transferendi rerum dominia in quoſcunque, niſi in eos, qui vel dominium, vel jus quod dominii capax ſit, habeant. Dixi *juris renunciantis capax*; nam aliàs non valet juris illius renunciatio magis in ejus perſona, ſi non ſit capax, quàm extranei: veluti, ſi quis in feudo inveſtitus, alium in annuo reditu inveſtiret, & poſtea feudum ſuum in favorem ejus, qui annuum reditum habet, renunciaverit, licet is qui annuum reditum habet, jus aliquod in feudo habeat, nempe annuum reditum, tamen renunciationis ipſius feudi hic annuus reditus non eſt capax, cum annui reditûs dominus jus renunciationis totius feudi capere ex ſimplici renunciatione non poſſit.

26. Sed ne error in nominibus noceat, reverſio terrarum apud eos dicitur *proxima ſucceſſio*, poſt mortem ejus qui præſens poſſidet, cum latè ſumitur; ſed cum ſtrictè, ſignificat *redditionem quaſi aut circumductionem ad dominum qui inveſtiit*, (illi *Forisfacturam* vocant) aut ejus heredes, propter delictum vaſſalli aut defectum heredum. Remanentia autem eſt jus terrarum in aliquem collatum, poſt terminum conductionis, aut alterius tituli, ad annos aut vitam duraturi, finitum: & in hoc differt à reverſione, quia reverſio fit propriè ad dominum, & ejus heredes, unde jus primò derivatur; remanentia autem ad tertium aliquem, qui neque dominus, neque tenens inſtanter eſt. Hæc ne in nominibus labamur. Item, ſi quis ſaſitus in favorem coloni renunciaverit, licet hic colonus ad vitam habeat, renunciatio tamen nihil operatur. Reſignatione etiam ſive ſurſum redditione finitur annuus reditus, ſi charta ſive ſcriptum (quod vocant *Factum*) in manibus liberi tenentis retrotradatur: eodemque modo quælibet ſervitutes prædiales, ut communia paſturæ, corrodia, & hujuſmodi extinguì ſolent, non minus quàm per relaxationem. Adeoque refutationes ſive reſignationes noſtræ à feudis Anglorum alienæ ſunt; nec tenentes liberum tenementum cum dominio aliter quàm per traditionem poſſeſſionis, quam *liberationem* vocant, conſolidant, & versâ vice ſolo pacto renunciationis domini tenentibus ſuis jus omne dominii relaxant, ut loquuntur. In eorum autem relaxationibus, quarum cauſa hæc facta fuit digreſſio, pro generali regula tenent, quòd nemini prodeſſe poſſit relaxatio aliqua, niſi ei fiat, qui vel liberum tenementum habeat de facto, vel ex lege, ut heres ante introitum in fundum à morte defuncti, cui tunc ritè fiet relaxatio, etiamſi hic heres apparens in primo gradu non ſit ſucceſſurus, ſed vel in ſecundo vel in tertio. Et hæc renunciatio etiam gradu prioribus proderit, vel ſtatum in facto aliquem libero tenemento æqualem ſuper eodem ſuffultum, vel etiam ei à tenente ad terminum annorum fiat, ab eo qui proximam illius habeat reverſionem ſive remanentiam, quæ magis agnoſcitur propter immediatam tenuram, ſive (ut vocant) *privitatem*, quæ inter eos eſt, quam propter jus aliquod in re, quod habeat tenens ad terminum annorum ad recipiendam atque ſuſtinendam hujuſmodi relaxationem. Tria autem genera habent relaxationum, juxta triplicem eorum operationem: vel enim operantur per augmentationem, vel per tranſpoſitionem, vel per extinctionem. Per augmentationem ſtatûs intelligitur relaxatio, cum proprietarius ſive reverſionarius quilibet, ut eorum vocabulis utar, ſub ſe minorem ſtatum habenti relaxat, ac ſecundum verba relaxationis majorem ſtatum ei confert. Si enim ſimpliciter fiat tenenti ad terminum annorum ſine mentione heredum, is habebit liberum tenementum pro tempore vitæ ſuæ (qui major ſtatus illorum jure æſtimatur quolibet termino annorum etiam longiſſimo;) aut ſi relaxatio illi fiat, & heredibus

de corpore, habebit feudum talliatum; vel ſi illi fiat & heredibus ſimpliciter, habebit feudum ſimplex. Idemque, ſi fiat tenenti ad terminum vitæ, niſi quòd ſi ei fiat ſimpliciter, nihil operatur; majorem enim ſtatum quam prius habuit, ei non concedit. Ac ſimiliter, ſi is, qui feudi reverſionem ſive remanentiam habet expectantem feudi talliati determinationem, tenenti talliæ relaxet, & heredibus ſuis ſimpliciter, is qui talliam habuit, nunc duplex habebit feudum talliatum, nimirum ſibi & heredibus de corpore, cum remanentia ſibi & heredibus quibuſcunque: non enim feudum ſimplex ſuperveniens extinguet talliam. Quin, ex ratione ſtatuti Weſt. 2. *de donis conditionalibus*, ſi alienatione feudum diſcontinuatum fuerit (hæc enim eorum eſt locutio,) heredi talliæ competet remedium actionis ſecundum formam doni, quam vocant *Formedon*, quæ nihil aliud eſt niſi forma Brevis, quâ heres ex tallia inveſtit extraneum in terris ſuis talliatis; quo caſu, heres talliæ habet Breve *Formedon*, ut jus ſuum recuperet: nam heredes talliæ apud eos ſunt tantùm cuſtodes, nec in præjudicium aliarum perſonarum in tallia contentarum poterunt alienare.

27. Secunda ſpecies relaxationum eſt per tranſpoſitionem, eamque duplicem, vel ſtatûs, vel juris. Relaxatio per tranſpoſitionem ſtatûs eſt, cùm duo junctim tenentes ſunt unius feudi vel termini vitæ vel annorum, quorum unus alteri relaxat, & ſic totum ſuum ſtatum in alterum confert. Relaxatio per tranſpoſitionem juris eſt, cum quis de feudo ac libero tenemento deturbatus, ac (ut loquuntur) diſſaiſitus fuerit ac deturbatus, deturbatori jus ſuum relaxat: quod ſi vel in momentum fiat in perpetuum remanebit; iſte enim deturbator in jure feudum ſimplex utcunque violentum habere cenſetur, nec enim minorem ſtatum ſibi aſcribere poterit, ac ſuæ eſſe injuriæ arbiter, ut Practici dicunt, *Nul poit apportioner ſon tort*: unde cum feudum ſimplex, & liberum tenementum habeat, etſi injuriâ, relaxatio illius, qui jus habet ſuperveniens, poſſeſſionem ſuam ac ſtatum omnem legitimum efficiet. Si autem deturbator, ante relaxationem aliquam, liberum tenementum alteri liberaverit ad terminum vitæ, cum variis remanentiis ad vitam, vel in tallia ſibi reſervatâ reverſione feudi ſimplicis, vel eo etiam ad remanentiam alteri relicto, ſi cuilibet omnium horum relaxatio facta fuerit, omnibus proderit, ac ſtatus omnes hoſce catenatos invicem corroborabit. Sin verò à deturbatore aliquis conduxerit ad terminum annorum, &c. ac deturbatus conductori relaxaverit, neque proderit conductori, nec deturbatori, nec cuilibet alteri ſuper hac conductione remanentiam habenti; terminus enim annorum tam exiguus ſtatus cenſetur in illorum jure, ut relaxationem juris tranſpoſitam ſuſtinere non valeat.

28. Tertia ſpecies relaxationum eſt per extinctionem, ut in caſu à quo cœpimus, cum dominus feudi tenenti dominium quod vocant relaxat, vel aliquis reditum habens onerarium è feudo progredientem, vel aliam ſervitutem, ut communia paſturæ, corrodia & hujuſmodi, vel etiam reditus ſervitii, ut qui in antiqua conceſſione feudi, ante ſtatutum (quia emptores terrarum cum feudorum tenuras creare liceret) pro canone reſervabantur, vel adhuc hodie reſervantur ſuper conceſſione termini annorum, vel ad vitam vel feudi talliati, cujuſmodi reditus coincidentes ſunt reverſioni vel remanentiæ, & eam concomitantur, quemadmodum illi antiqui reditus ſervitii dominicales coincidentes ſunt dominio, qui ſi à dominio remanentiâ vel reverſione ſeparentur, naturam reditûs ſervitii amittunt, ac reditus fiunt onerarii: quæ, inquam, omnia ſi relaxantur, liberum tenementum habenti, prorſus extinguuntur & intereunt, atque ideo hæc dicuntur *relaxari per extinctionem*, quod is cui relaxantur ea percipere nequeat; nemo enim ſibi ſervire, aut ſibi reditum vel ſervitutem quamlibet è ſuo fundo præſtare poteſt. Non autem ideo, quod ab eo qui relaxavit penitùs decedant; hoc enim pacto ſecundæ relaxationes per tranſpoſitionem dici poſſent per extinctionem fieri, cum is qui relaxavit, nullum jus retineat, ſed penitùs ab omni ſuo jure ſe ſemper ſeparet, illud tamen non extinguitur, ſed in alium transfunditur; nam pro regula tenent, quòd jus non poteſt mori. Et hoc paucis de jure Anglorum.

29. Nunc ad propoſitum redeamus. Supereſt ut de conſenſu dicamus, an hic ad dominii tranſlationem per ſe & ſolus ſufficiat; exempli causâ, ſi quis verus dominus non

non domino alienanti conſenſerit, an hic conſenſus nudus dominium transferat? Cauſam dubitationis præbet regula juris, *Aliud eſt vendere, aliud vendenti conſentire (a)*; & ex jure nudus conſenſus alienationem non inducit, neque ad amiſſionem dominii ſufficit, Ulpianus ait: & licet in textu denotetur Advocati ignorantia in jure ſibi competenti, tamen Bartolus ibidem ait, idem eſſe ſi Advocatus ſciverit, neque conſenſum ſufficere ad amiſſionem dominii, cùm in omni etiam nudo pacto conſenſus duorum interveniat, neque tamen ex nudo pacto vel actio oritur vel dominium transfertur, quod majus eſt. In contrarium tamen videtur jus Feudale eſſe, ubi planè aſſeritur, *Si is ad quem feudum per ſucceſſionem jure obvenire debet, conſenſerit eos inveſtire, ad quos ſecundum rectum morem feudum non pertinet, nullo modo ad eum repetendum regreſſum habebit (b)*; ergo concludere quis poteſt ex ſolo conſenſu renunciantem deveſtiri. In his difficultatibus cùm pleroſque hærere viderem, ut ſæpe voce, nunc ſcripto, meam ſententiam ſecundum mores quibus hodie utimur, aperiam.

Ac ut res tota fiat explanatior, conſiderandum primùm puto, utrum hic conſenſus adhibeatur in alienatione ſive diſpoſitione rei mobilis, an rei immobilis? Quod ad res mobiles, licet in harum diſpoſitione cum conſenſu veri domini, Juriſconſulti inter ſe diſſentiant, (ſiquidem communis opinio eſt, verum dominum conſentiendo ſibi præjudicare,) Bartolus tamen negativam partem tueri videtur, dominum alienationi rei ſuæ conſentiendo non præjudicare, niſi aut pretium receperit, aut doloſè tacuerit, aut ſaltem cauſam ſui juris ab eo habeat cui conſentit. Rejectis tamen Doctorum ſubtilitatibus & controverſiis, hoc puto ex moribus noſtris in rerum moventium alienatione ſervandum, ut par ſit alienantis & conſentientis alienationi conditio, & quo caſu alienans, ſi verus eſſet dominus, à dominio ſuo caderet, eodem modo & ei conſentiens, cùm ſine dolo conſentire non potuiſſet *(c)*. Quod & in renunciatione, ſive conſenſu uſufructuarii, alienationi proprietatis conſentientis, obſervandum eſt, licet inter res mobiles non numeretur. Sic in reverſione aut renunciatione juris alicujus, de quo non eſt inveſtitura ſive ſaſina facienda *(d)*. Imo & ſunt qui putant præſentiam & taciturnitatem pro hoc conſenſu ſufficere, cùm dolo carere non poſſit, qui rem ſuam ſe præſente, & cùm poſſit non contradicente, vænire paſſus eſt. Conſenſum tamen hîc expreſſum & apertum requiro, non præſumptum, neque ex juris interpretatione aut circumſtantiis collectum; cum qui taceat, licet non diſſentiat, conſentire non videtur, & ſilentium medium quiddam eſt inter conſenſum & diſſenſum.

In rerum autem immobilium & corporalium diſpoſitione, ſi verus dominus non domino alienanti conſenſerit, quærendum puto, ſi hic alienans principalis aliquod jus aut juris ſpeciem habeat, ac, ut regulæ Cancellariæ loquuntur, aliquem titulum, ſi non verum, at coloratum tamen, & verum titulum habens ei conſenſerit, & traditio ſubſequuta ſit? In qua quidem ſpecie alienationis feudi quidam alienationem ſubſiſtere tradunt, ex Bartoli ſententia, qui ait etiam ex inutili contractu, traditione ſubſequente, dominia rerum transferri, modò contractus ille non ſit contra leges. Et textus ille, quem ex feudis antea produximus *(e)*, ait eum dominum fieri, qui jus ſecundum rectum morem non habet, ſi is ad quem feudum jure per ſucceſſionem pertinere debet, conſenſerit: ſi ergo verus dominus ſit, profectò & jus transferendi illud prior qui conſenſit habuit. Alii ſunt qui putant neminem plus juris in alium transferre poſſe, quàm ipſe habet; itaque eum qui verum dominium non habuit, nec illud tranſtuliſſe volunt: tale enim dominium traditur, quale apud tradentem eſt, neque qui conſentit tradit, ſed traditio à non domino fit; itaque nihil transferre videtur: præcipuè quòd in his alienationibus in conſentientem tantùm, nulla de evictione actio de jure aut uſu noſtro competat; & quæ antè de renunciatione dixi *(f)*, qui in hac opinione ſunt, ea pro ſe hîc producunt, & conſenſum nihil plus operari quàm nudam renunciationem volunt: nam Bartolus conſentire & renunciare idem putat, nec diverſos operari effectus.

(a) l. 160. de R. J. (b) 1 F. § 1. (c) Vid. l. 26. C. de adminiſt. tut. (d) Vid. § 23. (e) § 29. (f) § 21.

Quod ad me attinet, in hanc quæſtionem potiùs inquirendum adhuc, quàm quid decernendum puto; cùm nuper in Senatu animadverterim, pleroſque magni nominis viros ad eam ſententiam inclinare, ut ex ſolo conſenſu dominia rerum non transferantur. Ex mea tamen ſententia, cùm non tam interſit quid fiat, quàm quomodo fiat, ſi is qui putativum titulum habet, cum ſaſina ſive inveſtitura diſponat, cum conſenſu ejus qui jure ſuccedit, aut ad quem aliunde jus verum illius feudi pertinet, diſpoſitio ex moribus noſtris valebit; nam hic conſenſus veſtitur traditione verâ, & conſenſus veri domini ſupplet defectum tituli. Quòd ſi is, qui diſponit, nullum titulum ſive nullam inveſtituram habet, aut ejus titulus ad deveſtionem redactus fuerit, in hoc caſu conſenſus veri domini ab initio interpoſitus non nocet; & hæc eſt Doctorum omnium opinio. Nam ex inutili (ut nuper dixi) contractu, dominium ſæpe transfertur, traditione ſubſequente: *inutilem* dico, ſi non ſit expreſsè contra leges, licet ſit præter leges, ut loquitur Bartolus. Quòd ſi contra legem fiat, neque conſenſus veri domini interpoſitus quicquam operatur: malo enim peccari in titulo, quàm in traditione, quæ eſt forma, & dat eſſe rei. Itaque conventionem invalidam veſtitam traditione potiùs valere puto, præcipuè ſi veri domini conſenſus acceſſerit, quàm veram alienationem, nullâ traditione interveniente, ad rei dominium transferendum.

30. Neque tamen hoc univerſale eſt, ſine traditionibus dominia rerum non transferri: uſque adeò in jure omnis definitio periculoſa eſt. Sunt enim quidam caſus ſpeciales, in quibus dominia rerum ſine traditione transferuntur, quas licet priùs attigi *(a)*, cùm de eis caſibus tractarem quibus ignorantes acquirimus, tamen & hîc repetere non gravabor. Prima cauſa fiſci eſt: nam bona damnatorum ſine traditione aut apprehenſione poſſeſſionis, ipſo jure ad fiſcum pertinent *(b)*, quod & in immobilibus quæ de Rege tenentur locum habet, cùm Rex ſe ſaſire, aut præcepta dirigere ad ſe inveſtiendum, non poſſit *(c)*. Idem in Eccleſia & civitate: nam cùm utraque privilegio minoris gaudeat, in eorum etiam favorem introductum eſt, ut bona ad eos pertineant, etiam neque per poſſeſſionem neque ſaſinam apprehenſa *(d)*: quota enim pars eſt Eccleſiarum ſive civitatum in hoc regno, quæ de ſuis juribus aut privilegiis ſaſinam demonſtrare poteſt. Sic etiam in eis bonis mobilibus, quæ ex ultima voluntate ad quempiam devolvuntur; nam heres ſolo animo, ſi eum declaraverit, adire hereditatem poteſt, (licet aliud in feudo apud nos hodie,) & legatariis legata cedunt, etiam ſine poſſeſſione aut traditione *(e)*. Sic & in omnibus, quæ ex mortis cauſa procedunt; nam favorabiles ſunt defunctorum voluntates.

31. Sed quando conſenſus ille interponendus eſt? quæret aliquis. Si ex neceſſitate requiratur ejus interpoſitio, an in ipſo actu, quemadmodum auctoritatem & conſenſum tutorum dicimus in ipſo actu interponendum, alioqui quod fit non valere; an verò ſufficiat, ſi ante aut poſt accedat? Bartolus hanc quæſtionem egregie expedit, dum diſtinguit hæc quinque, juſſum, auctoritatem, conſenſum, licentiam & conſilium: nam juſſum præcedere debere, ait, rem geſtam; auctoritatem in ipſo actu interponi; conſenſum, tam in ipſo actu, quàm poſt aut ante actum; licentiam præcedere debere actum, ait: ſic & conſilium, & hæc omnia legibus confirmat. Itaque ſecundum eum puto valere, ſi conſenſus hic veri domini diſpoſitionem vel præcedat vel ſequatur, non minùs quàm ſi in ipſo actu interveniat.

32. Sed nunc, ut renunciationes noſtras retroſpiciamus, in eis hæc regula generalis obſervanda eſt, quòd non ſolùm in feudis, ſed etiam in omni renunciatione, ſive rei mobilis, ſive immobilis, juris, exceptionum, actionum, privilegiorum, ſi ea per procuratorem fiat, neceſſè eſt ut habeat ſpeciale mandatum *(f)*: nam renunciatio hæc habet ſpeciem donationis, quam nemo de re aliena facere poteſt, niſi ad id ſpeciale habeat mandatum. Sed in feudis, ſpeciali acto *(g)* trium Ordinum cavetur, ut procurator hic habeat mandatum ſubſcriptione & ſigillo reſignantis roboratum. Quòd ſi quis perſonaliter præſens reſignaverit, & is inſtrumento reſignationis ſubſcribere & ſigillum apponere debet. Quod ſi pendente reſignatione dominus deceſſerit, pro-

(*a*) § 17. in fine. (*b*) Lib. 1. D. 16. § 47. (*c*) l. 8. C. ad legem Jul. majeſt. (*d*) l. 23. C. de ſacroſanctis Eccleſ. & ibi gloſſa ex Bartolo. (*e*) l. 64. ff. de furtis. (*f*) l. 40. ff. de procuratoribus. (*g*) 38. Parl. 6. Reg. Mariæ.

procuratoris officium expirat. Secundò, quòd nulla renunciatio juris futuri esse possit aut valeat *(a)*, nisi causam habeat in præsenti. Itaque aditioni hereditatis nemo renunciare potest, priusquam adire possit, id est, ad eum sit devoluta; neque quis renunciando juri quod nondum competebat, prohibebitur jure illo uti cùm competet. Quod & in jure Anglorum observatur: nam nemo potest renunciare juri futuro, neque unquam renunciatio sive relaxatio ad jus quod nondum competit, sive ad jus futurum extenditur, quibuscunque verbis fiat; nec superveniens jus auctoris prodesse putant, nisi ut quis de evictione teneatur.

33. Quæ autem validitatem renunciationis impediunt, unicâ regulâ licet comprehendere. Nam si renunciatio hæc ex causa onerosa procedat, cum venditione ferè in omnibus convenit, adeò ut quæ venditionem impediant, ea & resignationem: si ex causa lucrativa, sequitur naturam donationis; & quicunque donare non potest, nec ex causa lucrativa resignare. Is de cujus crimine agitur, & de eodem per judicem inquiri cœptum est, si resignationem fecerit, à dubio eventu ea pendet. Nam si damnatus fuerit, ex quo crimine bona resignata ad fiscum pertinere debuerant, si non resignasset, in eo casu renunciatio non valet jure nostro: secus si absolutus judicis sententiâ fuerit, aut resignatio facta sit antequam de crimine inquiri cœptum sit, licet commissum ante. In crimine tamen majestatis, post crimen commissum resignatio non valet. In aliis criminibus puto ponderandum, si colluforia fuerit resignatio necne, & in fraudem fisci facta, & in favorem consanguinei, retentâ possessione. Nam in crimine fiscus est creditor, & videndum ne quid in fraudem verorum creditorum fiat; itaque resignatio in hoc casu non valebit, quod in fraudem aliorum creditorum non valet: solutio tamen facta vero creditori meo judicio valet, si modo antequam de crimine cognosci incipiatur ea facta sit.

34. Mulier in favorem viri moribus nostris in manibus superioris potest resignare feudum, nec eam renunciationem revocationi puto obnoxiam. Aliter ex jure Anglorum: nam quod vir uxori, constante matrimonio, aut uxor viro concesserit, poterit etiam post alterutrius mortem revocari; & proinde & renunciationem, si quam mulier fecerit, mortuo marito, potest revocare: adeò ut si vivo viro consenserit obligationi per eum factæ, & se subscripserit, non teneatur; saltem revocationi locus est: licet alioqui in omnibus causis, quæ ad eam aut contra eam movebuntur, ipse citari debeat; nec illa sine ejus consensu respondebit, & si fecerit, nihil facit: imò nec fidejussor ne pro viro esse potest, nec de suis rebus sine viri consensu disponere, præter eleemosinam, vestes, & ea quæ vocantur *Jocalia* (ut verè sunt) sive paraphernalia.

35. Ex jure Feudali, nuda voluntas domini & vassalli à feudo recedere volentium non sufficit in feudo antiquo, nisi ut consensus eorum, quorum interest, i. e. agnatorum, etiam accedat *(b)*: nam neque dominus neque vassallus eis præjudicare potest, quibus jus jam quæsitum est in futura feudi successione *(c)*.

Diegesis secunda,

De Licitatione, quam Appretiationem dicimus, & Adjudicatione.

SUMMARIA.

1. *Feudum amitti potest contra utriusque & domini & vassalli voluntatem, & tenorem ipsius investituræ. Licet vassallus feudum suum contra domini voluntatem*

(a) l. 35. § 1. C. de inoff. testam. (b) D. 4. § 1. (c) 2 F. 39. pr.

tatem non alienat, tamen casus sunt aliqui à lege introducti, propter publicam utilitatem, quibus quis, etiam sine consensu domini, feudum vel ejus partem possidere potest, ut in viduæ Tertia & Curialitate.

2. *Quid sit appretiatio sive licitatio? Ubi quinque sunt consideranda.*

3. *Primum est, ut justum subsit debitum, & liquidum. Quid sit liquidum? Liquidato per sententiam debito, monetur debitor intra terminum solvere, ne aliàs velit bona sua mobilia & immobilia hastæ subjici.*

4. *Quæ dicantur* literæ quatuor formarum? *Qui rebellis (apud Anglos* Utlagus) *denunciatur, non solùm ejus corpus custodiæ mandatur, sed omnia mobilia in fiscum rediguntur; cum onere tamen debiti, nisi supplicatione ad Senatum factâ, ut sententiam rebellionis evitet.*

5. *Si debitor Senatui supplex non fuerit, nec caverit, procedit creditor ad liquidationem, & postea ad appretiationem. Apud majores nostros moris erat, ut si debitor se volens, vel à magistratu comprehensus, custodiæ tradidisset, ulteriùs ad executionem sententiæ progredi non liceret: sed hodie Senatus solet literas de bonis debitoris licitandis concedere, licet debitor sit in custodia.*

6. *An nominibus debitorum non discussis, ad appretiationem procedi possit? Usus noster est diversus à jure Civili in hac re. Soli apparitori credendum, an sint bona mobilia.*

7. *Secundum, quod in hac appretiatione considerandum, est, inter quos hæc actio consistat, actorem sciz. & reum; quorum si alteruter mutetur, opus est translatione vel activâ vel passivâ. Translatio etiam fit in intromissorem; & si plures sint intromissores, in quemlibet Senatus translationem debiti permittit in solidum: at Commissarii in omnes dant, & pro partibus virilibus tantùm.*

8. *Licet ante annum in heredem transferri possit actio, executio tamen sustinetur in annum. Si heres, qui convenitur, ejurare hereditatem paratus sit, potiùs quàm actionem cum oneribus suscipere, est absolvendus: nisi res non sit integra; nam tum omnino pro herede habebitur. Quòd si ita replicari ab actore non possit, & rem integram esse constet, absolvitur heres apparens, & actori fit adjudicatio bonorum defuncti hereditariorum. Translatio hæc passiva fit in solum heredem verum, vel universalem successorem. Executor non tenetur de evictione rei immobilis.*

9. *Si alius à vero debitore compareat, ut appretiationem impediat, non est admittendus, nisi jus reale habeat, & id instanter doceat. Quòd si admittatur, ad omnes defensiones admittitur, quæ reo principali competerent, si judicio interfuisset. Si falsa instrumenta producantur, sistitur judicium appretiationis, utpote incompetens, & tota quæstio ad Senatum defertur.*

10. *Si, qui comparet, verum quidem titulum habeat, sed nudum tantùm, & possessio per aliquot annos apud reum principalem fuerit, non est admittendus, sed ad licitationem proceditur. Sæpe etiam aliis calidis machinationibus auctioni objicitur, veluti si reus in aliis bonis adhuc sit solvendo: sed hæc exceptio repellebatur judicio contradictorio.*

11. *Tertium quod in hoc judicio est considerandum, est, in quibus rebus locum habeat, mobilibus sciz. & immobilibus; de quibus posterioribus præcipuè hoc in loco agitur.*

12. *Bona non moventia licitanda sunt, vel auctoritate Senatûs, vel judicis inferioris. Senatus mandat Vicecomiti, ut bona moventia licitationi subjiciat, & plus offerenti ad solutionem debiti assignet; aut, si nulla bona moventia sint, ad auctionem prædiorum proceditur. Ordo in literis observandus: si à judice inferiore, non ultra districtum illius judicis bona sunt perquirenda, nisi literæ in supplementum impetrentur; & si nullibi bona mobilia reperiantur, proceditur ad immobilium appretiationem. Aliquando intentatur à debitore actio rescissoria auctionis, quòd bona mobilia non priùs licitásset: sed ea semper inefficax.*

13. *Non solùm ipsa prædia, sed jura, & id quod non est, appretiatur. Ususfructus æstimandus ex diversitate ætatis & arbitrio inquisitorum.*

14. *Id quod non est posse interdum licitari, exemplum adfert Auctor, nempe, annuum reditum ex fundo, qui antea erat liber; in qua re præscribitur nostro jure, ne 5 libras sive marcas pro quibuslibet centenis auctio excedat; sed Senatus solet*

10 *indulgere creditoribus, utpote quorum partes ſunt favorabiles, debitorum verò odioſæ.*

15. *Quid ſit apud nos & Anglos reverſio? De reverſionis appretiatione ſive licitatione. Licitari poſſunt officia publica hereditaria; vix autem alia. Appretiari quoque poſſunt ſervitutes, quas, ut omnes alias utilitates ex prædiis vaſſalli, creditores in ſolutionem debiti ſui licitationi ſubjicere poſſunt.*

16. *Quartum conſiderandum in hac materia, eſt forma & ordo hujus auctionis; qua diſcuſſis mobilibus, ad immobilia proceditur, denunciatione factâ ad crucem foralem præcipui burgi iſtius diſtrictûs, in quo prædium eſt; & apparitor, perlecto præcepto, denunciat tale prædium, ad inſtantiam talis creditoris, appretiari, & ut adſint tali die, qui intereſſe habent, & emere velint.*

17. *Denunciatio hæc duplex eſt, vel alicujus ſingularis prædii, vel omnium prædiorum & jurium, quæ quoviſmodo ad debitorem pertinent; & peccatum erit, ſi plus ſit in libello appretiationis, quàm in denunciatione: ſed generalis denunciatio magis eſt hodie in uſu. Antiquitùs ſolebat fieri denunciatio die promercali; ſed quolibet die fieri poteſt ſub præmonitione quindecim dierum, quæ debitori inſinuanda eſt.*

18. *Die & horâ veniente, executor ſententiæ curiam ſuam inſtituet; & poſt duodecimam horam, admiſsâ proteſtatione contra non comparentes, ad actionem procedit: ſed ſi reus ante duodecimam comparuerit, eſt admittendus ad omnes ſuas defenſiones; ſin nihil objiciatur, creditor executori ſuum libellum exhibet, & ab inquiſitoribus petit hoc prædium pro ſolutione debiti ſui ſibi aſſignari.*

19. *An in appretiatione prædii producenda ſit ſaſina debitoris? Exhibito libello creditoris, inquiſitores eliguntur, contra quos reus objicere auditur: tum libellus creditoris legitur, & reus citatur. Si alius compareat, ſuumque prædium dicat, ſi is jus manifeſtum habeat, judicium ſiſtitur, & omnis hæc cognitio ad Senatum rejicienda eſt: ſin hic tertius jus ſuum producere non poſſit, proteſtari quidem poteſt contra appretiationem, ſed res arbitrio inquiſitorum permittitur. Vicecomes in hac parte habet viceſimam partem pretii pro ſuo feudo. Si debitor, vel alius pro eo, creditori offerat pro debito, creditori non eſt aſſignandum prædium.*

20. *Hoc proceſſu finito, & ſententiâ extractâ, à Senatu literæ impetrantur, quibus mandatur prædii domino creditorem hunc loco prioris vaſſalli, eâdemque formâ, recipere. Si prædium de Rege teneatur, literæ ad Cancellariæ cuſtodem diriguntur: ſi de alio quàm Rege, & dominus ter requiſitus recuſet, ad ejus ſuperiorem recurritur, & de uno ad alium, donec ad Regem perveniatur. Et hæc licitatio debitorem in tantum liberat.*

21. *Quintum in appretiatione conſiderandum eſt reverſio legalis.*

22. *Debitor intra ſeptennium creditori ſuo offerre poteſt ſummam pro qua appretiatum eſt prædium, unà cum Vicecomitis feudo, nec creditor unum ſine alio recipere cogitur. Quatenus legalis hæc reverſio à conventionali differat? Non ſolùm ſumma principalis, cum ea quæ Vicecomiti debetur, offerenda eſt; ſed etiam arriagia ſine quibus creditor non tenetur renunciare. Si nec debitor, nec alius pro eo, ſed ipſe creditor, vel aliqus alius fructus collegerit, debitor offerendo ſummam, cum ea quæ Vicecomiti debetur, ſuum prædium recuperabit, ſalvâ actione ei ad fructus hos, à quocunque fuerint collecti, recuperandos.*

23. *De adjudicatione. Quid ea ſit? Formâ & regulis ab appretiatione diverſa. Quàm maximè convenit cum eo juris titulo,* De bonis auctoritate judicis vendendis. *Majoribus noſtris incognita, & neceſſitate à recentioribus introducta, ad transferendum dominium eorum bonorum, quæ nec commodè transferri aut appretiari poſſunt, ut rei incertæ aut hereditatis. Aliquando etiam fit adjudicatio rei ſingularis, cùm debitoris alicujus heres apparens, monitus ut hereditatem adeat, eidem renunciat; & inde ſequitur, ex ſententia judicis, illius prædii adjudicatio. Ex hac adjudicatione, præcepta è Cancellaria diriguntur ad dominum, pro eo inveſtiendo cui adjudicatum eſt.*

24. *Adjudicatio hæc rei ſingularis, ut in quibuſdam convenit cum appretiatione, in aliis etiam differt. An qui ſemel in judicio renunciavit, iterum ad adeundam hereditatem poſtea admitti poſſit? & an legalem reverſionem habeat hic reus? Eſt etiam adjudicatio ſpecialis.*

1. Est & alius modus feudi amittendi, sed is neque ex voluntate pura vassalli, neque ex voluntate domini superioris, imò frequentissime contra utriusque voluntatem, & contra manifestum tenorem ipsius investituræ, quam a domino vassallus habet, ne ad alium transeat, procedit; prægravante scilicet publicâ utilitate privatorum pactiones & jura. Nam (ut antea dixi) licet vassallus in alterius favorem, nisi consentiente domino, feudum suum aut tenementum non alienat; attamen aliqui casus sunt, à lege introducti propter publicam utilitatem, in quibus quis, etiam sine consensu domini, feudum vel ejus partem poterit possidere *(a)*. Ante dixi de viduarum tertia vel triente usufructûs illius feudi in quo vassallus moritur, hunc enim trientem vidua sive relicta, tanquam ad eam ex dispositione juris communis descendentem, etiamsi dominus nunquam consenserit, legitimè possidebit *(b)*, servitiaque domino debita persolvet, etiam eo invito, nisi fortè dominus ei remittet, aut recipere noluerit; nam nemo cogitur servitia nisi velit recipere. Idem in Curialitate; nam eo jure toto feudo, in quo uxor obiit ut de feudo, maritus utetur & fruetur quamdiu vivet, cum sit hæc Curialitas à jure introducta, licet à domino nullum sit consequutus jus, nullum consensum aut titulum, imò licet dominus ejus jus velit invertere *(c)*.

2. De hac Appretiatione aliqua dicenda sunt: est enim Appretiatio, translatio juris quod quis in feudo habet, vel in ejus usufructu, in alium, nempe creditorem, auctoritate judicis introducta, cum quis pertinaciter & obstinatè, quod debet, recusat solvere. In quâ definitione multa sunt consideranda: Primum, in quibus casibus ad eam in jure nostro proceditur: Secundum, inter quos is processus deducatur: Tertium, quæ res sint quæ appretiari possunt & debent: Quartum, de forma hujus licitationis & appretiationis, & quæ eam impediant: Quintum, de legali quam vocant reversione, quæ vassallo competit post licitationem sive adjudicationem factam: nam certum est, tempus aliquod sive spatium vassallo indulgeri à jure, quo possit rem suam sive feudum, sive jus à feudo dependens, si velit & possit, recuperare, & creditori debitum suum exsolvere.

3. In primo hæc consideranda sunt, quòd nunquam apud nos ad hanc licitationem sive subhastationem perveniatur, nisi causa aliqua justi debiti præcesserit, nempe, cum vassallus, sive ex proprio facto, sive prædecessoris sui, cui tanquam vel heres vel successor universalis fuerit, ex justa & legitima causa debitor constitutus, & creditor legitimo judicio debitum suum evicerit, debitorque obstinatè adhuc solvere recusaverit, & prædia vel res suas immobiles distrahere, si nullæ res mobiles sint, quæ distrahi possunt, ut creditori satisfiat, moras nectat, judex defectum partis supplet, & quod debitor vendere vel distrahere recusat, ille vendendum publicè proponit, & quindecimvirali judicio, juramento omnium interveniente de pretio legitimo ab iis constituendo, subjicit: itaque nunquam ad hanc appretiationem proceditur, nisi ex debito, legitimo judicio & determinatâ sententâ evicto. In quo hæc secunda etiam cautio est, ut illud debitum sit in pecunia numerata liquidum. Scimus ex jure ea debita liquida dici, quæ pondere, numero, aut mensurâ constant: sic debitor est ex liquido debito, qui centum amphoras vini debet, aut qui in tot modios frumenti hordei aut ejusdem generis alterius rei tenetur. Sed ut ad appretiationem nostram perveniamus; hæc licet ex jure liquida censeantur, tamen antequam ad appretiationem perveniendum est, hæc ipsa liquida rursus liquidanda sunt, & ad certum numerum nummorum, sive librarum, sive marcarum, sive solidorum, etiam per sententias reducenda, & pretio certo nummorum à judice, vocatis & citatis partibus, æstimanda, antequam ad appretiationem sive licitationem perveniatur. Itaque postquam debitum illud, sive sit facti, sive dandi, sive suum proprium, sive prædecessorum suorum quibus successerat, in unam monetæ, quam vocant currentis, summam fuerit per sententiam redactum, monetur debitor per literas

(a) Cap. 24. Alex. II. cap. 37. in fine, Parl. 5. Jac. III. quæ omnia ex jure communi descendunt, l. 15. §. 2. ff. de re judicata. (b) De qua lib. 2. D. 22. § 25. (c) De qua ibid. § 40.

ras à judice latore ſententiæ impetrandas, ut is, intra terminum juris, illud creditori ſolvat, aut ejus prædia vel feuda ſua, ſive aliæ res quæcunque ad illum pertinent, haſtæ & licitationi ſubjicientur, ut ex eorum pretio creditori ſatisfiat. Monitio hæc, ſi ab inferiore judice procedat, quindecim dierum ſpatium debitori indulgebit, ut interea ad ſolutionem ſe paret: aliqua enim ex jure Civili mora debitori ut ſe expediat indulgetur, quibus elapſis ſi non ſatisfecerit, & ſumma debita per ſententiam in pecunia numerata conſiſtat, proceditur primò ad diſtractionem rerum mobilium, veluti pecorum, armentorum, & ſi quæ ſunt his ſimilia, mox ad ſubhaſtationem prædiorum ſive immobilium *(a)*, ut mox dicemus.

4. Quod ſi debitum in facto tantùm conſiſtat, vel etiam in dando, ſi modò ad certam quantitatem nondum redactum, tunc productâ coram Senatu ſententiâ, & monitionibus debitori ut ſolvat factis, à Senatu impetrantur *literæ*, quæ *quatuor formarum* dicuntur; quibus mandatur debitori, ut intra tres vel pauciores dies ſolvat creditori ſub graviſſima pœna, nempe rebellionis: & hæc *prima* dicitur *literarum forma*. Quòd ſi interea non pareat, adhuc monetur *ſecundò*, ut ſententiæ pareat ſub pœna cuſtodiæ & carceris. Si nec tum ſatisfecerit, *tertiò* monetur, ut niſi pareat, corpus ſuum certæ cuſtodiæ in literis deſignandæ tradat intra tres dies. Quòd ſi nec tum paruerit, *tunc* certificatur, niſi infra poſtremum triduum creditori ſolvat, rebellis (Angli *Utlagum* vocant) denunciabitur: quo etiam elapſo, ſi necdum paruerit, inſtante creditore, rebellis Regi & regno declaratur debitor ad crucem *(foralem* vocant) præcipui in eo diſtrictu ſive juriſdictione burgi, eâque denunciatione factâ, literæ ad quoſcunque magiſtratus, in quorum territoriis poteſt debitor apprehendi, à Senatu diriguntur, ut debitoris corpus cuſtodiæ mandent. Interea ex hac denunciatione mobilia omnia in fiſcum rediguntur; ita tamen, ut vel quæſtor Regius, vel qui ab eo jus impetraverit, de primis illius debitoris contumacis bonis creditori, ad cujus inſtantiam rebellis declaratus eſt, de ſuo debito ſatisfaciat: quod ſupereſt in fiſcum refertur. Interea, ſi debitor, ne rebellionis ſententiam incurrat, Senatui per libellum ſupplicabit, malè ſe ſententiæ executione gravari, ob cauſas quas allegabit, (quæ tamen raræ ſolent eſſe ſtante ſententiâ,) aut paratum ſe ſolutioni, ſaltem illius quod intereſt, cum factum illud, aut ſi quid aliud ſit in ſententia, à ſe jam non poſſit præſtari: itaque præſtitâ cautione Senatui de eo quod intereſt ſolvendo, citatur ad diem creditor, ut ſaltem eo, quod ejus videbitur intereſſe, ſibi ſatisfieri videat. Quo die adveniente, à creditore valor ejus rei, de qua ſententiam obtinuit, in ſcripto Senatui exhibetur, auditâque debitoris replicatione, Senatus, quid creditoris interſit, æſtimat, & in liquida ſumma pecuniæ taxat: hanc liquidationem creditor aſſecutus, jam ad appretiationem procedit, ut mox dicemus.

5. Quod ſi debitor ſupplex Senatui non fuerit, nec caverit, ſententiaque, ut dixi, in facto conſiſtat, ſaltem non in certa ſumma liquidata, poterit ipſe creditor, in favorem ſuæ ſententiæ, libellum à Senatu petere, ut debitor citetur, ut quod ejus intereſt æſtimari audiat, & æſtimatione in libello porrectâ, ſi debitor non compareat, aut comparere non poterit, propter ſententiam rebellionis contra eum latam, creditor petet eam liquidari (ut ſolemus in foro loqui) & in unam ſummam monetæ, quam currentis vocant, taxari, quod non gravatè Senatus concedit, rebuſque omnibus ex æquo & bono æſtimatis, valorem rei in ſententia contentæ taxabit & declarabit, proque ea ſumma, tanquam intereſſe (ut vocant) liquidato, ad appretiationem ſive judiciariam venditionem proceditur. Fit tamen ſæpe, ut debitor, cum ex mandato literarum vel ſe cuſtodiæ mancipaverit & tradiderit, vel etiam auctoritate magiſtratûs captus, & in cuſtodia detentus, eâ excuſatione utatur, quòd ſententiæ jam paruerit, cum ſecundum præceptum literarum ſe cuſtodiæ mancipaverit, ibique etiam paratus ſit permanere, donec ſatisfecerit ſententiæ, & eâ causâ executionem literarum differre moliatur: & profectò, apud majores noſtros, ſi debitor vel ſe cuſtodiæ volens tradidiſſet, vel à magiſtratu comprehenſus fuiſſet, ulteriùs ad executionem ſententiæ progredi non erat licitum; & præſumebant veteres, ſqualo-

(a) Prout jure Civili, l. 15. § 2. ff. de re judicata.

re ſive diuturnitate carceris, debitorem aliquando cogendum, ut ipſe res ſuas diſtrahat, pretiique reliquum ad uſus ſuos convertat; quod æquius putabant, quàm ut alieno arbitrio res auctioni ſubjiceretur. Sed quoniam eo facto contumacibus debitoribus feneſtra aperiebatur ad fraudes innumeras, aliquando enim vel in cuſtodia pertinaciter ad mortem uſque debitoribus contumacibus permanentibus, magnæ & inutiles dilationes emergebant, quibus creditor protrahebatur in rei ſuæ ſolutione, quæ in jure favorabilis eſt; hodie Senatus creditori poſtulanti concedere literas de bonis & prædiis licitandis ſolet, etiamſi adhuc debitor in cuſtodia ſit: quod magnâ cum æquitate introductum eſt.

6. Quæri ſolet, an ad appretiationem bonorum immobilium ſive prædiorum poterit creditor procedere, non diſcuſſis nominibus debitorum? Ratio dubitationis eſt, quòd in jure Civili hic ordo in rebus diſtrahendis in executione ſententiæ præſcribatur *(a)* ut primò mobilia debitoris diſcutiantur, ſi quæ habeat; ſecundò ut nomina debitorum pro debito, habitâ ratione impenſarum & rerum aliarum ad eam neceſſariarum, licitentur pro rata debiti; tertiò ut, his deficientibus, tandem ad prædiorum ſive feudi ipſius diſtractionem deſcendat. Sed nobis aliter hodie placet, nempe ut, non occurrentibus bonis mobilibus, ad ipſa prædia ſive immobilia licitationi ſubjicienda ſtatim recurratur; hoc ſi è re creditoris ſit, malitque ſtatim ad prædiorum licitationem pervenire, quàm longiorem fortaſſe actionem de nomine debitoris perſequi, ita tamen ut ejus arbitrio hæc omnia permittantur. Sed de nominibus debitorum mox dicemus. An autem occurrant mobilia, quæ debito exſolvendo ſufficiant, quod ſemper primum eſſe debet, executioni ipſius officiarii ſive apparitoris credendum eſt; ſi modò is in ſua executione ſe dicat mobilia bona debitoris undique inveſtigaſſe, nec ulla potuiſſe reperire, quæ pro debiti ſolutione potuit diſtringere: Licet, ſub prætextu hujus inveſtigationis mobilium, gravia aliquando mendacia committantur, nunquam tamen, licet debitor ſe offerat probaturum mobilia ſuper ſolo exſtitiſſe, quæ debiti quantitati reſpondebant, hoc prætextu appretiationes has reſciſſas vidi *(b)*.

7. Secundum, quod in hac licitatione ſive auctione conſiderandum, eſt, inter quos hæc actio conſiſtat. Ad quod breviter reſpondendum eſt, inter actorem qui decretum pro ſe impetraverit, & reum qui condemnatus eſt, tantum conſiſtere: itaque ſi alterius perſona morte, vel rebellione, vel juris ceſſione mutata ſit, & actionem vel heres, vel executor, vel ſucceſſor (quem *intromiſſorem* dicimus,) vel quilibet alius particularis ſucceſſor, qui jus actionis nactus fuerit ex ea ſententia, velit ad auctionem procedere, non poteſt; ſed eatenus hæc actio ſuſtinebitur, donec prior ſententia ſive decretum in hunc generalem ſive particularem ſucceſſorem aut ceſſionarium transferatur. Exempli causâ, Titius, poſt recuperatam ſententiam de ducentis contra Mævium, morte interceptus eſt; non ſuſtinebitur hæc licitatio ſive auctio, nec heres ſive executor ex ea ſententia appretiationem perſequi poteſt, donec novâ actione, ejuſdem aut ſuperioris judicis auctoritate, inſtitutâ, pro debito in ſe tanquam Titii heredem aut executorem activè transferendo *(c)*. *Activè* verbum forenſe eſt, & id ſignificat, ut actio hæc ſibi adjudicetur tanquam in jure perſonam actoris repræſentanti, nempe ejus vel heredi vel executori, aut ſaltem ceſſionario, in quem defunctus omne jus ſuum quacunque ex cauſa tranſtulit, vel qui in jus actoris ex juris diſpoſitione ſucceſſor ſit, veluti ſi omne jus actoris per rebellionem ad fiſcum ſit devolutum; neque enim vel fiſci advocatus, vel fiſci donatarius ex priore ſententia ad auctionis executionem admittetur, priuſquam declaratoriam ſententiam obtineat *(d)*, creditorem legitimè rebellem declaratum, & jus omne ſuum in eo debito, quod in ſententia continetur, amiſiſſe, & illud jam per ejus rebellionem ad fiſcum devolutum, aut fiſci donatarium: quam ſententiam ſi vel fiſcus, vel ejus donatarius ſemel obtinuerit, tunc tanquam pro ſuo debito ad auctionem ſive appretiationem procedit. Eadem eſt ratio ceſſionarii, ſive ejus in quem creditor jus debiti

(*a*) l. 15. § 2. ff de re judicata. (*b*) § 12. (*c*) At hæc tranſlatio, ut ſuperflua, ſublata eſt cap. 15. Sect. 4. Parl. unic. Gul. & Mariæ. (*d*) 1 F. 21. ibi, Cognitâ culpâ.

biti ſui tranſtulerat; nam & hic novam actionem inſtitutet contra debitorem, ut illa ſententia, quâ debitor damnatus eſt, in ſe transferatur, cum omni jure quod inde poterat ſequi, & prioris ſententiæ principalis executionem in ſe activè petet devolvi, ut ipſe eandem executionem appretiationis jam habeat, quam ejus auctor ſive cedens priùs habuerat: quâ ſententiâ pro ſe latâ, jam tutò ad auctionem procedet. Solet tamen hodie Senatus, ſi utraque pars ſcilicet tam actor quàm reus in vita ſit, literas quas vocant executoriales huic ceſſionario concedere, tam pro monendo debitore, quàm pro ejus rebus licitandis tam mobilibus quàm immobilibus; cum favor rei judicatæ ex una parte moneat, & ne lites longiùs producantur.

In debitore, ſi is ante debiti ſolutionem moriatur, non ſuſtinebitur eodem modo debiti executio, donec ſit in jure qui ejus perſonam repræſentet, & in quem actio eadem paſſivè transferatur. *Paſſivè* vox eſt, quæ *activè* opponitur: nam tranſlatio paſſiva eſt, quâ quis quaſi patitur, dum defuncti debitum in ſe veluti heredem vel executorem (qui etiam heres in mobilibus eſt) recipere cogitur. Itaque paſſivè tranſferri debitum ſive ſententia pro debito dicitur, quoties alia perſona, quæ defunctum repræſentat, in jure ſufficitur, qui debitorem principalem repræſentet, & eandem in ſe actionem paſſivè ſuſcipiat, quam debitor principalis, ſi adhuc viveret, ſuſtinere cogeretur. In ſolum aliquando bonorum intromiſſorem (quem dicimus) hæc tranſlatio competit, cum, antequam ſe bonis alienis immiſceret, ſcire debuiſſet, & apud ſe expendere, non licere ei ſe rei alienæ ſive bonis alienis immiſcere ſine titulo, niſi & bonorum onera velit agnoſcere; & meritò hoc ei imputandum eſt, qui cum potuit ab hac intromiſſione ſe continere, non tamen continuit avaras manus: itaque non minus in eum quàm legitimum ſucceſſorem dabitur tranſlatio debiti.

Sed dubium occurrit, quid ſi plures ſint, qui ſe bonis defuncti immiſcuerint *(a)*, an electioni locus ſit? an omnes æqualiter conveniendi? Et in hac quæſtione controverſum vidi inter Senatum & Commiſſarios fori Eccleſiaſtici, viros ſanè graves; dum Senatus in quemcunque immiſcentem ſe bonis alienis actionem permittit, ut in delictis, ubi de furto aut vi bonorum raptorum agitur, omnes qui delictum fecerint in ſolidum tenentur, & proinde electioni locus eſt, quem ex omnibus actor eligere velit pro damno ſuo recuperando: Commiſſarii verò mitiorem ſententiam ſequentes, ſi reus, qui ſe immiſcuit, tanquam unus de pluribus ſe immiſcentibus, replicet, & in ſe probationem, omnes hos quos nominat immiſcuiſſe, recipiat, & probaverit, in partes viriles dividunt actionem, ſententiaque pro virilibus ſingulorum partibus executioni mandabitur; & obtinuit poſt multam controverſiam, cum quæque pars quo ſe tueretur, haberet, ut ſi plures ſint qui ſe bonis hereditariis immiſcuerint, idque reus probaverit, in viriles partes teneantur.

8. De herede autem quæſtio eſt, cum ante annum, qui heredibus ſolet indulgeri, ut interea de adeunda hereditate, ſi damnoſa vel lucroſa ſit, deliberent *(b)*, recipere has actiones in ſe non tenebantur heredes, hodie indiſtinctè ſententiam in ſe recipere paſſivè coguntur, ejus tamen executio in annum ſuſtinetur, & eo jure hodie utimur. Sed cum plerique, ne actiones has aut debita agnoſcere cogantur, hereditatem dolosè differant agnoſcere, ſolet Senatus, in favorem creditoris (cujus in his cauſa ſemper favorabilis eſt) literas concedere, quibus monetur, ut intra quadrageſimum diem hic apparens heres, qui proximè ſucceſſurus eſt, hereditatem (ut loqui ſolemus) ingrediatur ſive adeat, pro vero herede actiones alioqui in ſe recepturus *(c)*. Quibus quadraginta diebus elapſis, ſi hic heres apparens actione conveniatur, ut tanquam heres, aut ſaltem qui hereditatem legitimè monitus ſit adire, actionem in ſe recipiat paſſivè, ut in locum defuncti debitoris ſubſtituatur, taliſque executio aut actio contra eum decernatur, qualis contra defunctum debitorem aut lata eſt, aut ſaltem ferri debuit *(d)*: quòd ſi is, inquam, in judicio citatus, reſponderit ſe ejurare hereditatem paratum potiùs, quàm actionem pro debito & aliis defuncti oneribus in ſe recipere, abſolvendus eſt, niſi actor rem non eſſe jam inte-

(*a*) Lib. 2. D. 17. § 3. (*b*) Cap. 76. Parl. 6. Jac. IV. (*c*) Cap. 106. Parl. 7. Jac. V. vid. § 23. (*d*) Cap. 27. Parl. 23. Jac. VI.

gram replicet, huncque ipsum qui monitus est, jam immiscuisse se hereditati, vel bonis hereditariis mobilibus, (nam sunt & bona quædam mobilia, quæ ad heredem & non ad executorem pertinent, ut antea *(a)* dixi,) vel assedationibus, quæ ad heredes solos descendunt, vel decimis vel possessionibus quibuscunque terrarum, quarum jus ad heredem solum ex jure pertinet : nam his casibus *(b)*, quasi re non integrâ, omnino pro herede habebitur, si quid quod ad heredem solum debet pertinere ad eum pervenerit. Quòd si replicari ab actore non possit, hunc apparentem heredem se bonis hereditariis, quæ alioqui ad heredem solum essent perventura, immiscuisse, & rem adhuc esse integram constet ; tunc, absoluto hoc, qui ut adeat hereditatem monitus est, bonorum defuncti hereditariorum fit actori adjudicatio, de qua adjudicatione mox dicemus *(c)*. Itaque translatio hæc passiva solum ferè in verum heredem competit, qui in judicio semel hereditatem agnoverit vel adierit, vel in successorem quem *universalem* dicimus, (*universalis* autem dicitur etiam si quamvis minimam partem adierit, cùm & reliquas partes non minùs adire potuisset,) aut in eum qui bona hereditaria mobilia, sive quæcunque ad heredem solum pertinentia, adierit, aut qui monitus est ut adeat, nec legitimè & coram judice abdicaverit. Obiter etiam notandum est, communiter in executorem non datur actio de evictione rei immobilis, licet defunctus eâ tenebatur. Et hæc, si vel actor, vel reus principalis jam fato functus est, de translatione actionis sive sententiæ sive activa sive passiva.

9. Sed evenit sæpe, ut reus callidè judicium subterfugiat, neque in hac auctione sive appretiatione compareat ; imò aliquando alius, qui jus reale ad bona appretianda bonâ fide prætendat, cùm rem suam agi & periclitari videat, is, ut appretiationem sive auctionem impediat, se judicio objiciat : in quibus casibus an talis sit admittendus, præcipua quæstio est. In qua expedienda, primùm videndum est, de jure ejus qui postulat ; nam nisi jus reale in re quæ licitari petitur, se habere demonstret, non est ullo modo admittendus, cùm ejus non interfit, nisi realiter interfit ; veluti si Tusculanum prædium auctioni subjiciatur, quicunque in eo sasitus est, jus reale sive sasinam habet vel usumfructum, in eo processu admittendus est, si modò instanter de jure suo scripto doceat. Quòd si tantùm actionem habeat ad rem, ut debitor eum investiat in agro Tusculano, imò licet sententiam obtinuerit contra fundi debitorem, tamen quia jus reale nondum est consequutus, non est admittendus. Solet itaque, inter actorem & eum qui admitti petit, acerrimè controverti de jure quod in scriptis producitur, sufficiátne in hoc casu comparenti personam in judicio standi præbere, & de re licitanda contendere, & partes facere ? an, actore contendente, & jus productum pro interesse elevante & minuente ne admittatur, sit repellendus ? altero enitente summâ vi, ut jus ejus ad eum admittendum sufficiat : & hinc inde allegationes & responsiones suscipiuntur. Sunt tamen judices nostri faciliores ad aliquem admittendum, si modò aliquem titulum, imò vel præsumptivum, jus illud, quod pro se exhibet, contineat ; isque tum admissus, veri rei personam sustinet, & ad omnes defensiones admittitur, quæ reo principali competerent, si judicio interfuisset. Sed aliquando non veri tituli, sed adulterini, pro interesse hujus personæ, veluti aliquando falsi, falsis instrumentis nitentes, aliquando veri quidem sed antiqui, & qui jam sunt suppressi, aut à quorum possessione qui producit jam diu excidit : quid hîc à judice faciendum erit ? Si falsa instrumenta producantur, judicium omnino sistetur : neque enim ejus, qui de appretiatione judex constitutus est, cognitio est, falsáne sint hæc instrumenta an vera ; sed omnis hæc quæstio ad Senatum sive judicem ordinarium rejicienda est, & interea ab ulteriori processu judex abstinebit.

10. Quòd si veri quidem sint tituli, sed qui eis uti velit nudum tantùm titulum habeat sine possessione, & possessio cum titulo aliquot annos apud reum principalem fuerit, licet cognitio de titulo ad judicem hunc non pertineat de jure, puto tamen judicem non peccare, si non obstante hoc titulo ad licitationem procedat. Sæpe enim

(*a*) Lib. 2. D. 17. § 7. (*b*) Atque insuper ex stat. 24. Sess. 5. Parl. unic. Gul. & Mariæ, alius est titulus passivus introductus. (*c*) § 23.

nim fit, per callidos rerum machinatores, ut tituli ſive ſaſinæ terrarum, quæ jam redemptæ ſunt, producantur pro veris titulis : quemadmodum & ſæpe fit, ut debitores, cùm licitationem terrarum ſuarum imminere vident, aliis ſaſinam earum tribuant. Sed harum ſaſinarum nulla vis eſt, cùm in fraudem factæ videantur, & à Senatu ſoleant literæ impetrari, quibus imperatur judici & inquiſitoribus, ut, non obſtantibus his doloſis ſaſinis, ad auctionem procedant, præcipue ſi vel poſt debitum recuperatum ſaſinæ hæ conceſſæ fuerint, vel poſt prohibitionem à judice, ne reus ſive debitor ullas ſuas terras aut prædia in fraudem creditoris alienet, aut hypothecæ ſubjiciat : nam ſine his literis, ſive, ut noſtri in foro loquuntur, ſine hoc *Warranto*, vix ſolent ad auctionem ſive licitationem procedere, qui auctioni præſunt; cùm multæ cauſæ poſſint intervenire, cur hæ literæ prohibitoriæ non debeant auctionem ſive appretiationem impedire, veluti ſi reus, præter ea bona auctioni jam ſubjicienda, in aliis bonis ſit ſolvendo, vel ſi quæ ſit falſitas, aut aliud quodcunque vitium in executione harum literarum, cujus cognitio ad hunc judicem non pertineat, & literæ hæ ſoleant plerumque facilè & ſine juſta cauſa impetrari. Hæc tamen exceptio, quòd debitor ſit ſolvendo in aliis terris quàm iis quarum alienatio ei prohibita eſt, non ſemper ſufficit. Nam inter Campbellam Comitiſſam & Dominum de Garthland acerrimè controverſum vidi in Senatu, cùm Dominus reductionem cujuſdam alienationis ſuarum terrarum ſub eo prætextu vellet excludere, quòd ipſe eſſet reſponſalis (ut aiunt) in aliis terris alibi, & haberet ſufficientia prædia, ut debitum illud, pro quo inhibitio ſive prohibitio facta eſt, ſolveret, & proinde dictam Comitiſſam non rectè petere reſciſſionem alienationis, cùm res ei aliunde ſalva eſſe poſſet : nec admiſſa tamen hæc ejus exceptio eſt.

11. Tertium, quod in hac auctione ſive licitatione conſiderandum, eſt, circa quæ verſetur hæc auctio, & in quibus rebus locum habeat, & quæ res poſſint & debeant appretiari ſive licitari. In quo hoc primùm ſtatuendum eſt, omnes res, quæ verè debitoris ſunt, vel pertinere ad debitorem conſtat, ſub hanc auctionem venire, & ei ſubjici. Et primùm de mobilibus certum eſt, ſi debitum in pecunia numerata ſit in ſententia (ut dixi *(a)*) liquidum, pro eo quaſcunque debitoris ſummas liquidas poſſe appretiari, & creditori aſſignari. Si eæ ſummæ quæ debentur non ſint liquidæ, tunc eæ licitationi ſubjiciuntur, ut publicè appretientur, ut cuicunque emptori, &, ſi plures ſint, plus offerenti res adjudicetur, pretio interim creditori in ſolutionem debiti aſſignando; vel ſi ſit plus in debito quàm in auctione, ut eatenus creditori de ea pecunia ſatisfiat, reſervatâ, pro eo quod ſupereſt, creditori executione ſui debiti contra ipſum debitorem. Ad ſimilitudinem rerum mobilium, quæcunque alia jura, quæ inter mobilia cenſentur, ſolent appretiari. Sed quoniam hæ appretiationes in uſu quotidiano vel cuicunque è populo ſunt familiares & penè vulgares, nec noſtri inſtituti ſit niſi de appretiatione ſive auctione rerum immobilium tractare; ideo de rerum mobilium licitatione, quibus modis & à quo judice, & quibus perſonis & quo loco fiat, (nempe in territorio eo in quo bona ſita ſunt, præcipuè ſi intra diſtrictum judicis à quo ſententia lata fuit,) hic prætereo, & ad auctionem prædiorum ſive feudorum, de quibus ſolis hæc noſtra inſtituta eſt diſputatio, accedo.

12. Bonorum horum immobilium appretiatio ſive auctio, vel fit auctoritate Senatûs, vel judicis inferioris à quo ſententia lata eſt. Auctoritate Senatûs, ſi vel ſententia principalis ſit à Senatu lata, vel ex conventione partium in contractu reciproco, ſive unius partis in obligationibus in libris Senatûs inſertis, & quibus Senatus auctoritatem ſententiæ ſuæ interpoſuit, debitum ſit æſtimatum certâ ſummâ, & ſic liquidum : nam his caſibus mandat Senatus, vel Vicecomiti principali ejus diſtictûs in quo prædia hæc ſita ſunt, vel ſpeciali alicui apparitori, quem Senatus per literas ſuas judicem conſtituit, (nos *Vicecomitem in hac parte* dicimus, quòd alius ſit à Vicecomite principali,) ut bona moventia ſicubi poſſunt inveniri haſtæ publicæ & licitationi ſubjiciat, pluſque pro eis offerenti, ſive pluris licitanti, in ſolutionem debiti aſſignet;

(a) § 3.

assignet; aut si nulla inveniri possint, tunc ad auctionem prædiorum sive tenementorum procedat. In quibus literis hic ordo præscribitur, ut primùm bona moventia undique perquirantur & distringantur, si modò executio sententiæ à Senatu latæ fiat; nam Senatus judicem in toto regno hunc apparitorem constituit, ut undiquaque bona hæc mobilia perscrutetur. Quòd si à Barone, vel à Vicecomite, vel inferiore judice præceptum pro executione sit directum, executor non ultra districtum illius judicis qui sententiam tulit bona perquiret, donec creditor in supplementum literas à Senatu impetraverit de bonis ubicunque investigandis & distringendis. Quòd si ea nulla sint, vel nullibi reperiantur, fraude fortasse debitoris subtracta, (solent enim debitores, nonnunquam & ipsi creditores, ut facilior sit ad appretiationem prædiorum accessus, res mobiles subtrahere,) ad appretiationem prædiorum proceditur. Et quanquam sæpe à debitoribus ipsis actionem auctionis sive appretiationis rescissoriam coram Senatu motam vidi, ut ex ea causa appretiatio rescinderetur, quòd executor, cùm licuit, bona mobilia, quæ præsto erant & ad licitationem parata, non priùs hastæ subjecerit; tamen nunquam ex ea causa prævaluisse debitorem vidi *(a)*, sed respondisse, tacite saltem, Senatum, debitorique ipsi objecisse, cur non ea bona, cùm haberet, ipse potiùs vendidisset, & à debito eatenus liberasset: itaque nunquam ex ea causa rescissoriam actionem concessam memini. Alia fortasse causa erat: nam aut nulla bona mobilia reverà erant, & tunc necessariò ad auctionem prædiorum & rerum non moventium procedendum erat; aut ea bona dolo & fraude debitoris fuerant amota, & tunc fraudem suam & dolum suum sibi imputare debet.

13. Neque solùm ipsa prædia, sed etiam jura & servitutes reales, imò aliquando quod non est, appretiatur *(b)*. Exemplum in usufructu est, quem si quis solùm in prædio habet, ad solius ususfructûs appretiationem proceditur. Sed inquiri solet, quanti in his licitationibus hi ususfructûs æstimabuntur? Respondeo, periculosam esse ususfructûs æstimationem, cùm vitâ hominis, ex qua ususfructus dependet, nihil sit incertius. Sed hoc totum arbitrio inquisitorum permittendum, qui variè usumfructum solent æstimare, nunc ex senectute ingravescente, nunc media, nunc ineunte, præcipuè si morbus accesserit, qui vitam potest præcipitare aliquando: nam si usufructuarius, sive sit mas, sive fœmina, quæ in conjuncta investitura cum viro usumfructum prædii obtinuit; sive ususfructus hic à lege introductus sit, ut in Dominarum tertiis & curialitatibus quotidie fieri videmus, & usufructuarius hic nondum quadraginta annos excesserit; solet ususfructûs æstimatio ad quinque annorum fructûs æstimari, id est, ut quanti fructus fuerint, quos quinque annis, sive immediatè præteritis, sive mox sequuturis, prædium solet præstare, aut verisimile est præstiturum, tanti ususfructus hic in auctione æstimetur. Quòd si quadraginta annos jam usufructuarius hic compleverit, & ad quinquagesimum annum vergat, ad quatuor annorum fructus solet ususfructus prædii qui ad illum pertinet æstimari; adeò ut quanta summa ex fructibus illius prædii quatuor proximis annis speratur posse colligi, tantidem ususfructus soleat æstimari. Quòd si quinquagesimum annum excesserit, & sexagesimus immineat, aut si usufructuarius hic sit jam sexagenarius aut supra, tunc ususfructus ejus æstimabitur ad trium tantùm annorum fructus, aliquando pauciorum, si vel morbus, vel alia justa causa quæ usumfructum intercipere potest, cum senectute conjungatur. Itaque quindecim virorum, qui *Inquisitores* dicuntur, & ad auctionem faciendam sunt delecti, arbitrio, omnia hæc permittuntur, qui variè, ex verisimilibus caulis & occasionibus, rem omnem æstimabunt. Quod de usufructu dixi, idem in servitutibus aliis dicendum, si quæ sint quæ commodum post auctionem possint creditori adferre.

14. Dixi *(c) aliquando id quod non est posse licitari sive appretiari.* Exempli causâ, creditor, cujus debitum forte non sit tale, quod ad valorem totius prædii appretiandum sufficiat, tunc ad annuum reditum, è prædio sibi annuatim pendendum, appretiandum, pro quantitate summæ debitæ, animum adjicit: hic enim annuus reditus antea nullus erat, cùm fundus antea esset liber, & ab omni annuo reditu immunis; tamen

(a) § 6. in fine. (b) Ut § 14. dicetur. (c) pr. § præced.

tamen hoc creditori licere quotidie in uſu videmus, ut annuum reditum ſibi in ſatisfactionem debiti curet appretiari. In qua appretiatione hic modus præſcribitur ex actis Parliamentorum, ut auctio ſive appretiatio hæc quinque libras ſive marcas pro quibuſlibet centenis non excedat: exempli causâ, ſi mille libræ debeantur, creditor è prædio debitoris non poteſt annuum reditum ultrà quinquaginta librarum annuarum ſibi appretiari petere; aut ſi centum tantùm in debito ſint, annuus reditus quinque librarum tantùm appretiandus eſt, ita ut proportio quinque ad quælibet centena in omnibus his appretiationibus ſervetur; alioqui tota appretiatio reſcindetur, quia ſuperat præſcriptum legis. Sed cùm hæc appretiatio rarò ſoleat hodie commodo creditoris cedere, neque enim æquo animo ferunt pro quibuſlibet centenis annuum reditum ſibi quinque tantùm appendi, debitoremque ſic liberari, ſolent à Senatu literas *diſpenſatorias* quas vocant petere, ut inquiſitoribus liceat, ſine perjurii pœna, decem annua pro quibuſlibet centenis appretiare, & ne pœnâ legis, ſi id fecerint, teneantur, vel fraudi eis ſit. Quod Senatus aliquando non gravatè ſolet indulgere, præcipuè ſi ita inter partes convenit, ut plerique hodie ſolent paciſci, ut pro ſingulis centenis debitis decem annua ſibi liceat appretiare; vel ſi is fundus, qui licitandus eſt, hypothecatus ſit alii in denis annuis pro quibuſcunque centenis. Et ſæpe aliàs illud a Senatu permiſſum vidi, cùm favorabiles ſint creditoris partes, qui nil niſi quod ſibi ſummo jure debetur ambit, & debitoris odioſæ, qui debiti ſui ſolutionem tamdiu differat, cùm bona habeat moventia, ſive non moventia, quæ, cùm vellet, poterat pro arbitrio vendere, ut à credito liberetur.

15. Reverſio, quæ apud nos dicitur obligatio, quâ quis ſuum mortuum vadium, ſive terram à ſe vadiatam, poteſt redimere & relaxare, (licet apud vicinos noſtros pro ſucceſſione ejus, qui poſt obitum præſentis poſſeſſoris proximè ſucceſſurus eſt, ſumatur,) eodem modo quo uſusfructus appretiari ſolet; ſive ea reverſio jam ſit in rerum natura, ab eo conceſſa qui reverſionis eſt debitor, aut tantùm in obligatione conſiſtat, cùm tantùm ut reverſionem concedat quis obligatur; vel ſi legalis hæc ſit reverſio, à lege conceſſa, de qua poſtea *(a)*: nam omnibus his caſibus jus illud reverſionis poteſt appretiari; in quo creditor hoc moderamine utetur, ut, prædio toto uno pretio æſtimato, quantum ejus pretii ſit in vadio, id eſt, pro qua ſumma prædium ſit alienatum ſive vadiatum, expendatur; eâque ſummâ priùs deductâ, quia ea non eſt in bonis debitoris, pro reliquo pretii, quod valorem prædii æquet, reverſio licitabitur, & ſic pretium integrum prædii vel in alienatione ſive hypotheca comprehendetur, vel quod ſupererit reverſioni imputabitur, & à creditore appretiabitur. Idem, ſi debitor aliquod officium ſive adminiſtrationem publicam, quæ ei eſt hereditaria, habuerit; nam & ea, ut ejus propria, poteſt licitari. Dixi, *ſi hereditariam juriſdictionem habuerit*: nam ſi tantùm vitalem, ea tantùm ei ex arbitrio alieno permittitur, & rarò ſolet auctioni ſubjici, cùm delegans poſſit non ſine ratione aſſerere, juriſdictionem illam ad ſe jure quàm optimo pertinere, beneficiumque illud perſonale, quod alicui indulſit, perſonam ejus non egredi, nec ſe poſſe cogi ut alium in ejus locum recipiat. Idem, in ſervitute pecoris paſcendi in fundo debitoris, aquæ hauriendæ, ſive ad molam ducendæ, focalia quæ vocamus effodiendi: nam & hæc omnia, cùm jura ſint & ſervitutes, ut omnes aliæ utilitates ex prædiis vaſſalli, poſſunt à creditore in ſolutionem ſui debiti licitationi ſive auctioni ſubjici, ut undiquaque quod ſibi deeſt per contumaciam debitoris recuperare poſſit creditor. Et hæc de rebus quæ auctioni vel licitationi ſubjacent.

16. Quartum, in conſideratione hujus materiæ, eſt, de forma & ordine hujus auctionis, qui ita fit: Diſcuſſis mobilibus, (ita enim præcepto ſive literis diſtrictionis præcipitur,) hoc eſt, vel appretiatis bonis moventibus, ſi reperiantur; vel, ſi nulla ſint, ſaltem nulla ſint obvia perquirenti, tum ad auctionem ſive appretiationem bonorum non moventium, ſive prædiorum, proceditur. Et primò denunciatio publicè fit apud burgi in eo diſtrictu, ubi hæc bona non moventia ſunt ſita, crucem, quam vocant *foralem*, id eſt, eam apud quam forum rerum venalium exercetur; & ibi apparitor ſive exe-

(*a*) §§ 21 & 22.

cutor ſententiæ, publicè lecto priùs judicis præcepto, quo ei mandatur ut ad auctionem procedat, denunciat tale prædium, quod ad debitorem pertinet, tali die in prætorio, ſive loco publico in quo judicia exercentur, licitandum ad inſtantiam talis creditoris: itaque ſi quis ſit, qui intereſſe habeat, aut ſi quis ſit qui velit emere, eo die veniat; ſi æquum poſtulaverit, juſtitia ei adminiſtrabitur.

17. Sciendum autem eſt duplicem hanc denunciationem poſſe eſſe, unam alicujus prædii ſingularis, veluti Tuſculani, alteram omnium prædiorum, reverſionum, jurium, quæ quovis modo ad debitorem pertinent in genere; & cavendum eſt in libello appretiationis, ne aliquid in ea deducatur, aut procedatur ad id quod non fuit in denunciatione: & ſæpè in eo peccatum vidi, cum ex particulari denunciatione, ad quodvis quod ad debitorem pertinebat proceditur, licet hodie generales denunciationes ſint magis in uſu. Antiquitùs erat delectus in die, ut denunciatio non fieret niſi in die promercali, eo die quo omnia exponuntur publicè emptoribus: &, ut ſcimus omnes, quiſque burgus ſuos habet dies promercales; Edinburgus tres in ſeptimana quâque, reliqui burgi ſinguli ſuos ſingulos in hebdomade. Hodie de die minus ſumus ſolliciti, & ſufficit ſi quocunque die fiat, ſi modò apud crucem quam vocant foralem præcipui burgi fiat, horâ debitâ, nempe quâ merces publicè venum exponuntur, ut denunciationis hujus notitia ad plures perveniat. Denunciatio hæc poſtquam facta fuerit (fieri autem debet ſub præmonitione 15. dierum) inſinuanda eſt debitori, vel ad faciem, quod nos *perſonaliter* dicimus, vel ad locum habitationis, ſive ubi uxorem & familiam, ſive larem, ſive focum habeat; nam ea in jure cenſetur alicujus habitatio.

18. Die adveniente, executor ſententiæ in publico juris auditorio, (nos *Prætorium* dicimus, ubi jura dicuntur) horâ undecimâ curiam ſuam inſtituet, officiarios, apparitorem, & adjudicatorem, cum clerico, ſibi ſolenniter priùs juratos, creabit & adjunget; ita tamen ut duodecimam expectet antequam ad auctionem procedat. Poſt duodecimam, proteſtatio contra non comparentes admitti ſolet; ita tamen, ut ſi qui ante delectum inquiſitorum compareant, adhuc admittantur: poſt aliquot ſuper inquiſitione juratos, nemo temere ad opponendum eſt admittendus, niſi forte in eo ſtatu cauſæ quo tunc eſt, nempe ſi res non ſit integra, veluti ſi unus aut duo inquiſitorum ſint jam jurati & admiſſi, tantùm ad objectiones contra reliquas perſonas inquiſitorum faciendas, aut peremptorias exceptiones, cur feudum non licitandum ſit, admittetur. Si reus mox citatus ante horam duodecimam comparuerit, ad omnes ſuas exceptiones ſive defenſiones admittendus eſt, tam contra executoris perſonam, ſi quæ ſunt, quàm reliquorum membrorum curiæ (ut vocant,) ſi forte vel actuarius, vel clericus, ſit affinitate vel conſanguinitate creditori conjunctus, vel inimicitiæ juſtæ intercedant, aut aliqua alia offenſio aut cauſa, quæ teſtem rejicere poterit. Si nihil habeat contra perſonas judicantium, tunc contra ipſam denunciationem ſive publicationem, ſi quid habet objiciendum, audiendus eſt; ſi ea non ſolenniter, & ut leges præſcribunt, facta ſit, nec ſolennia omnia obſervata. Quòd ſi nec hîc rima aliqua ſit, & omnia legitimè facta inveniantur, creditor ſive petens libellum ſuum ſive petitionem judici, aut ſaltem executori ſeu apparitori exhibet, ſub hac forma; *Titius mihi ducenta debet, ſuper quibus etiam ſententiam contra eum obtinui; ejus bona mobilia perſcrutari feci, ut pro debito hoc diſtringantur, nec reperta ſunt: itaque in ſupplementum peto à vobis inquiſitoribus, ut prædium hoc, quod ad debitorem pertinet, æſtimetis, & mihi in ſolutionem debiti mei adjudicetis: quod quidem prædium*, ſi modò urbanum ſit, *annuatim tantum pendere ſolet domino, ſed deductis impenſis* (quæ plurimæ ſuper burgali feudo ſolent fieri) *in bono annuo reditu tantum pendere ſolet, & propterea ex æqua æſtimatione tantum valet, tantique æſtimandum eſt, ſive appretiandum, & mihi pro ſolutione debiti mei aſſignandum.* Quòd ſi ruſticum ſit prædium, & fructus in pecunia æſtimata ſit, tanti æſtimandum petet, quantum annuatim pendit, ita ut pro ſingulis centenis tantum ſingula quinque numerentur. Sed ad communem æſtimationem ſive boni viri arbitrium æſtimatio ſit, & plerumque infra verum pretium.

19. Quæret aliquis, an cum hoc libello neceſſe ſit debitoris ſaſinam aut inveſtituram, quâ ille in prædio appretiando inveſtitus fuit, ut exhibeat creditor? Sanè tutius

us fecerit, ſi quam habet, ut in judicio eam producat. Quòd ſi eam non habeat, quippe cum prædiorum monumenta ſive evidentiæ ſoleant apud dominum rémanere, nec eorum vel exemplar ad creditorem pervenire probabile ſit, procedet tamen creditor in proceſſu ad inquiſitionem, cùm ſuo periculo id facere videatur : nam ſi debitor in prædio quod licitari petitur jus non habeat, id damno creditoris cedit, cum, ſi ille nihil habeat, nihil amittat, & creditor nihil conſequatur. Exhibito libello, ſi nulla juſta cauſa à debitore allegetur, cur auctio ſit ſiſtenda, tunc deliguntur inquiſitores, contra quorum perſonam reus auditur objicere, ut antea dixi *(a)*, contra perſonam judicis & membrorum curiæ : nam quæcunque teſtem à teſtimonio dicendo repellunt, eadem allegata contra inquiſitorum perſonas, eas, ne in hac auctione cognoſcant, etiam rejicere ſolent, ut in eorum locum alii ſubſtituantur, ita ut & contra eos ſuæ objectiones reo competant. Inquiſitoribus delectis, ſive quindecim, ſive tredecim, aliquando & undecim *(b)* (ſemper tamen in numero impari,) tunc libellus oblatus legitur, & reus citatur, ſi quid habeat quod appretiationem hujus prædii poſſit ſiſtere; & in omnibus ſuis exceptionibus audiendus eſt, niſi quòd ipſe non poſſit prædium illud ad alium pertinere allegare, cum nihil illi decedat, ſi prædium alienum pro ſuo debito appretietur. Si alius compareat, ſuumque prædium dicat *(c)*, & proinde pro debito alieno non poſſe licitari, jus, ſi quod in prædio habet, in judicio & inſtanter prodet, & neque illud alleganti creditur : ſi verò produxerit, & ejus virtute prædium ad ſe pertinere dicat, audiendus eſt creditor, ut hunc pro ſuo intereſſe comparentem quoquo modo excludat. Quòd ſi id fieri non poſſit, & jus hujus comparentis manifeſtum ſit, præcipuè ſi in poſſeſſione per aliquot annos fuerit, (quo caſu titulus coloratus plerumque ſufficit) judicium ſiſtitur : neque enim hujus pedanei judicis cognitio eſt de validitate tituli producti, ſufficiatne an non, ſed omnis hæc cognitio ad judicem ſuperiorem rejicienda eſt. Quòd ſi hic tertius qui comparet, jus ſuum & titulum jam non habeat ut poſſit inſtanter producere, tutius eſt, ut tantum proteſtetur, ne ejus damno hæc licitatio procedat, juſque ſuum intactum illi maneat, nullatenus ex hac auctione præjudicatum, & ſic demum res arbitrio inquiſitorum permittitur. Poſtquam ſacramentum præſtiterunt, ſe legitimo pretio rem æſtimaturos & appretiaturos, & ita poſtquam inter ſe ſunt interloquuti, omnemque rem & ejus valorem undique verſarunt, redeunt in judicium, quidque illis videatur exponunt per Cancellarium à ſe vel ſuorum maximâ parte delectum, & de valore illius prædii renunciant, nempe prædium tali ſummâ à ſe æſtimari : ſuper qua declaratione cum creditor inſtrumentum ceperit, judex, quicunque ille ſit ad quem cognitio pertinet, declarationem publicabit, & creditori, imo vel ipſi debitori, vel cuicunque alii, illis recuſantibus, prædium pro hoc pretio aſſignabit, & pro viceſima parte prædii pro ſuo, ut vocant, feudo; nam Vicecomiti huic, ſive cuicunque alii, cui judicium hoc delegatum eſt, licet viceſimam partem pretii ſibi arrogare pro ejus opera, ut aiunt, ſive feudo, & pro hac viceſima parte ſolet creditor vel cum judice tranſigere, vel ei ſatisfacere : ſed prudentiores ſolent in initio tranſigere modico forte pretio. Quòd ſi debitor ipſe, vel ſi quis alius inſtanter pro integro debito paratum ſe ſatisfacere dicat, cum offert audiendus eſt, nec creditori prædium pro debito aſſignandum.

20. Hâc auctione ſic factâ, & poſt unum aut alterum diem in ſcriptum redactâ, ſolet proceſſus integer extrahi, & Senatui ſupplicatio exhiberi, ut literas expediat, quibus domino ſuperiori illius prædii mandetur, ut hunc creditorem in locum prioris vaſſalli ſub eadem forma inveſtituræ ſuſcipiat, qua prior tenuit, aut ab eo fuit inveſtitus. Quòd ſi de Rege prædium teneatur, ſolet Senatus literas ad Cancellariæ cuſtodem dirigere, ut is rurſus ad Vicecomitem illius diſtrictûs principalem præceptum regium dirigat, ut creditorem hunc de novo in hoc feudo inveſtiat, & in locum prioris & iiſdem conditionibus ſufficiat : ita tamen ſi proceſſus hic appretiationis legitimè videatur deductus; nam ſi quod vitium in proceſſu offenderint, non ſolent illud admittere, donec omnia legitimè perficiantur. Si prædium de alio quàm de Rege teneatur, & dominus ſuperior ter requiſitus recuſet, tunc ad ejus

(a) § 18. (b) Vid. lib. 1. D. 8. § 5. (c) Vid. § 5.

ſuperiorem recurritur, & literæ à Senatu impetrantur, ut is creditorem inveſtiat, & ſic de ſuperiore in ſuperiorem, donec ad Regem perveniatur, qui nunquam ſolet recuſare. Sunt tamen qui putent ex primi domini recuſatione immediate ad Regis capellam, ſive Cancellariam, poſſe literas à Senatu dirigi, ut præcipiatur Vicecomiti, ut is defectum contumacis domini ſuppleat, & creditorem in prædio licitato inveſtiat. Semper autem hæc licitatio reum ſolutione ſui debiti pro tanto liberat, quanti auctio facta fuit, & ſemper deveſtit vaſſallum, id eſt, dominium ab eo tollit.

21. Ad quintum ſive poſtremum, quod in hac licitatione conſideratur, accedo: nam licet hæc auctio ſive licitatio nihil à vera venditione differat, eaſdemque vires habeat (quid enim intereſt, ſi prædium, vel ab ipſo domino, vel eo contumace & recuſante, à judice vendatur? imo hæc etiam majoris auctoritatis videatur, quod judicis decretum accedat,) & dominium in creditorem ſive emptorem non minus tranſeat, quàm in pura & ſimplici venditione; tamen hoc dominium non ita tranſit, quin adhuc ſpes aliqua debitori relinquatur, ad aliquod temporis ſpatium, ut illud poſſit, venditis aliis ſuis rebus, recuperare: juſque hoc, quod debitori relinquitur, *Reverſio legalis* dicitur, *legalis*, quòd à lege ſit introducta, & ut differat à conventionali. In cujus explicatione brevior ero, cum quæ de hac legali reverſione dicenda erant, à me cum de reverſionibus tractarem, in genere dicta ſint *(a)*.

22. Hujus legalis reverſionis ea eſt natura, ut quocunque tempore, intra ſeptennium, à die appretiationis de momento in momentum numerandum, debitor poſſit ſummam creditori offerre pro qua appretiatum eſt prædium, cum ea ſumma quam Vicecomes ratione ſui, ut vocant, feudi ſive operæ in deducendo pretio arrogavit *(b)*: nam utraque ſimul offerenda eſt, aut nihil fit, nec creditor qui judici pro ea ſatisfecit vel tranſegit, niſi utraque offeratur, tenetur recipere. Sed in hoc à reverſione conventionali differt, quòd conventionalis (ut antea dixi *(c)*) ſub prænonitione quadraginta dierum ut plurimum fiat, niſi aliud convenerit; hæc reverſio, vel unius ſeptimanæ, vel forte unius diei prænonitione fit: plerunque in illa, locus certus in reverſione deſignandus eſt; hîc, in prænonitione tantum ſufficit deſignari, modò acceſſus tutus nec aliquâ aliundè causâ impeditus pateat. Quòd ſi creditor, aut is qui rem appretiatam habet, ſe paratum dicat, vel in præſenti recipere, vel diem craſtinum ante magiſtratum aliquem & locum deſignet, ubi numerationem velit fieri, audiendus eſt; adeo ut, niſi hæc legitimè eo inſtanti impleantur, redemptioni huic legali non ſit locus: neque enim cogendus eſt creditor, in locum remotum aut longinquum ſecedere, ut recipiat, ſi modò vel ſe in loco, quo conſiſtit, & prænonetur, vel eo ipſo die paratum dicat recipere. Sed non ſolum ſumma principalis, cum ea quæ Vicecomiti debetur, offerenda eſt, ſed ſi reus in poſſeſſione remanſit rei appretiatæ toto hoc ſeptennio, hi etiam reditus, qui à noſtris *Arreragia* dicuntur, ſimul ſunt offerendi; neque enim æquum eſt, debitorem rei alienæ fructus toto hoc ſeptennio lucrari, qui aliquando ipſius rei appretiatæ juſtam æſtimationem æquabunt, nec niſi his fructibus ſimul oblatis tenetur creditor renunciare. Quòd ſi ipſe debitor neque fructus interea collegerit, nec aliquis ab eo cauſam ſeu titulum habens, ſed vel hi ab ipſo appretiatore collecti fuerint, vel ab alio quocunque, debitor pretium, pro quo appretiatum fuerat ejus prædium, cum impenſis & iis ſummis quæ Vicecomiti debentur, offerendo creditori, recuperabit: nam ſi alius hoc tempore occupaverit, ſibi creditor imputabit, qui non collegerit, cùm jus colligendi haberet, quòd colonos non removerit, quòd cætera pro jure dominii non fecerit cum potuit; ſalvâ ſemper actione ei ad fructus hos, à quocunque poſſeſſore collectos, recuperandi: nam in hoc caſu, vulgatam illam regulam juris ſequimur, qui actionem habet ad rem, ipſam rem habere videtur. In reliquis hæc legalis reverſio regulas reverſionis conventionalis ſequitur; nam de utraque antea nonnulla cum de reverſionibus loqueremur, diximus *(d)*, ad quæ lectorem remitto.

23. Ad

(a) Lib. 2. D. 6. *(b)* Per cap. 37. Parl. 5. Jac. III. ſed hæc legalis reverſio extenditur ad decennium, per cap. 62. Parl. 1. Car. II. *(c)* Lib. 2. D. 6. § 9. *(d)* Lib. 2. D. 6.

23. Ad ſimilitudinem auctionis ſive appretiationis introducta eſt hodie Adjudicatio *(a)*, quæ ipſa quidem nihil aliud eſt niſi appretiatio, nam bonorum jacentium pro debito defuncti eſt aſſignatio; non tamen eandem formam tenet, nec eiſdem regulis nititur. Nam adjudicatio eſt, quoties quis, ut hereditatem jacentem adiret, monitus præmonitione quadraginta dierum *(b)* differat, & poſtea coram Senatu conventus à defuncti creditore, quaſi heres, ſaltem qui hereditatem adire intra legitimum tempus juſſus, recuſaverit, & is apertè, coram Senatu, omnibus bonis hereditariis, quæ à debitore ad eum poterunt pervenire, paratum ſe dicat renunciare, & fecerit, ſiſtitur contra eum ulterior actio; ſed bona quæcunque hereditaria defuncti, tam moventia quàm non moventia, creditori in debiti ſui ſolutionem adjudicantur auctoritate judicis, & in hoc cum eo juris titulo, *De bonis auctoritate judicis vendendis vel poſſidendis*, quàm maximè convenit. Erat ſanè hæc adjudicationis formula majoribus noſtris incognita, & quodammodo neceſſitate à recentioribus introducta, ad eorum bonorum dominium in creditorem transferendum, quæ alioqui commodè transferri non poſſunt aut appretiari: quæ enim appretiatio rei incertæ eſſe poteſt, aut quomodo univerſitas (nam hereditas nomen univerſitatis eſt) poterit commodè æſtimari? Fieri enim ſæpe videmus, ut adjudicatio hæc etiam ſuper aliqua re ſingulari procedat, veluti debitore & ſi alicujus prædii domino mortuo, heres apparens, aut qui proximè ſucceſſurus eſt, legitimè monitus, ut antea dixi *(c)*, ut hereditatem adeat, publicè (ne prædium illud quod defunctus tenebat cogatur alienare) hereditati renunciet, quod in acta judiciaria referendum eſt, mox ſequitur, ex ſententia judicis, illius prædii, in quod ingredi heres apparens noluerit, adjudicatio creditori, & quod heres debuit facere judex ſupplet, ne ejus malitia ſit creditoribus damnoſa, aut ſibi aliquando lucroſa; & ex hac adjudicatione præcepta è Cancellaria diriguntur ad dominum ſuperiorem prædii, pro eo inveſtiendo cui adjudicatum prædium eſt. Idem in quacunqe alia re adjudicanda, cujus defunctus erat debitor, nec heres adeat.

24. Si de moribus noſtris quæramus, convenit hæc adjudicatio penè cum auctione aut appretiatione, niſi quòd hæc ſimpliciter ſine æſtimatione ab ipſo judice fiat; illa quindecimvirali inquiſitorum judicio fit: hæc juſtam æſtimationem non reſpicit, ſed ſimplicem heredis pertinaciam; illa ut & creditori debitum perſolvatur, & ſi quid reliquum ſit debitori ſit ſalvum. An autem hic qui ſemel in judicio renunciaverit, iterum, ſolvendo intereſſe omnibus qui lædi poſſunt, ad adeundam hereditatem eandem poſtea admitti poſſit, & an legalem reverſionem hic heres apparens intra ſeptennium habeat, quoniam adhuc quid Senatus de ea re cenſeat nondum conſtat (nam adjudicationis hæc forma recentior eſt, nec omnes dubitationes quæ inde naſci poſſunt in quæſtione poſitæ,) itaque ſiſtendum puto hominum inferiorum judicium: æquitas tamen ſuadere videtur, ut ſi nullus ſit qui inde lædatur, debitor hic adhuc ſit admittendus, ut adeat quod renunciavit, & etiam ut jus redimendi intra ſeptennium eodem modo ei competat, quo ei, cujus appretiatum prædium fuerit. In his generalibus adjudicationibus, ſi creditor, cui adjudicatio facta eſt, quicquid, quod ad debitorem ſuum pertineat, feudum, prædium, aut uſumfructum invenerit, poterit ex ſpeciali libello Senatui oblato & debitore citato petere, ut ea ſibi adjudicentur in ſpecie, quod & obtinebit. Et hæc de Adjudicatione & Appretiatione. Et quoniam utraque hodie ſit frequentiſſima, & in uſu quotidiano verſatur, à longiori tractatu abſtineo, & ad alios modos quibus feuda amittuntur, nempe ex delicto vel quaſi delicto, accedo.

(*a*) Cum autem hujuſmodi appretiationes, ex diuturno uſu, Ordines regni plurimis incommodis obnoxias fuiſſe comperiſſent; in eorum emendationem, & favore minorum circa decurſum legalis reverſionis, & ne creditorum alii alios, aut heres apparens debitoris omnes ſimul excluderet, ſtatuerunt, ut cap. 6. Parl. 23. Jac. VI. cap. 62. Parl. 1. & cap. 10. Seſſ. 3. Parl. 1. Car. II. continetur. Et tandem, ne pœnarum & expenſarum accumulatione debitores obærati obruerentur, in earum appretiationum locum Ordinum ſtatuto, ſc. cap. 19. Seſſ. 3. Parl. 2. Car. II. ſuffectæ ſunt adjudicationes, quæ multò quàm appretiationes commodiores compertæ ſunt. (*b*) Cap. 106. Parl. 7. Jac. V. & cap. 27. Parl. 23. Jac. VI. (*c*) D. 2. § 8.

Diegesis tertia,

Quibus modis feudum ob delictum amittatur, & de Recognitione.

SUMMARIA.

1. *De amissione feudi ob delictum. Quidam omnia delicta, propter quæ feudum amittitur, ad ingratitudinem reducunt; alii ad perjurium. Nonnulli viginti causas feudi amissionis enumerant, quidam supra triginta; quidam denique ex iis causis feudum amitti volunt, ex quibus filius exheredari, libertus in servitutem revocari, à donatario res donatæ repeti, vel matrimonium ex jure Civili dirimi potest.*
2. *Quæ sint causæ exheredationis? Exheredatio quid sit?*
3. *Quæ sint causæ revocandæ donationis?*
4. *Quæ sint causæ dirimendi matrimonii jure Civili? Nos jus Canonicum seu Divinum in hac re sequimur. Quidam, nullo speciali numero causarum feudi amittendi contenti, rem totam arbitrio judicis committunt.*
5. *Methodus in hac Diegesi ab Auctore proposita.*
6. *Causæ feudi amittendi apud nos sunt delicta, quæ vel in committendo, vel in omittendo consistunt.*
7. *Regulæ aliquot generales à judice observandæ, in his delictis dijudicandis.*
8. *De Recognitione, quæ prima causa est feudi amittendi apud nos. Ea odiosa est, cùm domini conditio non deterior, sed melior inde fiat.*
9. *Rationes pro recognitione sunt, ex vinculo Feudali, & etiam ex jure Civili.*
10. *Aliæ rationes pro recognitione ex ipso jure Feudali.*
11. *Alienationis nomine quid comprehendatur? Testamentaria dispositio non permittitur, ne vel ad pias causas, aut Ecclesiæ. De feudi alienatione. Ut diversimodi erant statuta & edicta Imperatorum, sic diversa erant jura: tandem omnis alienatio absque domini consensu sub variis pœnis interdicitur. Nec interest dominus consentiat, an procurator speciale ad id mandatum habens. Tacitus consensus non sufficit. Si plures sint domini, mediatus & immediatus, immediati consensus sufficit.*
12. *Prohibitio hæc non impedit quò minùs succurratur necessitatibus vassalli. Sola causa recognitionis apud Anglos est, quòd non tantum de feudo supersit, quo commodè vassallus se sustinere possit, aut domino debitum præstare: at nos aliâ viâ procedimus.*
13. *Recognitio apud nos locum non habet, nisi fiat alienatio dimidiæ partis; & perinde est si gravatum sit feudum ad ejus dimidium, aut plusquam dimidium.*
14. *Quomodo æstimatio fiat hujus dimidii, tam feudi quàm fructuum.*
15. *Paria sunt simpliciter, & sub reversione alienare, licet dominus ignoraverit, &, antequam alienatio rescisçatur, vassallus illud recuperet. Sed alii aliter sentiunt, si incontinenter recuperaverit.*
16. *An vassallus necessitate coactus alienare possit? Negatur.*
17. *Sed quod directè agere non potest, per indirectum tamen ad effectum perducit.*
18. *An vassallus alienare possit, ut filiam dotet? Negatur: aliquot tamen annorum fructus ei percipiendos assignare potest ex feudo. An mulier vassalla maritum suum dotare suo feudo possit?*
19. *Vassallus servitutem feudo, sine consensu domini, imponere non potest.*
20. *Nec vassallus transigere potest, si inde feudum ad alium devolvatur. Sed tutius multò est domini consensum adhibere, nisi ita transigat ut feudum apud se & suam familiam maneat.*
21. *Vassallus compromittere in arbitrum potest, sed non in arbitratorem. Differentia inter arbitrum & arbitratorem. Non potest vassallus feudum suum sine consensu domini oppignerare aut hypothecare. Pignus tamen judiciale, vel prætorium, constitui potest invito domino. Feudi causam juramento deferre non potest vassallus sine domini consensu.*

22. *An*

22. *An ſubfeudare liceat vaſſallo, cùm alienatio prohibeatur, & ſubfeudatio ſit ſpecies alienationis? Affirmatur. Difficillimæ hujus antinomiæ ſolutio. Feudi alienatio quoad majorem partem ſtrictiſſimè prohibetur apud nos, ſed in emphyteuſin dare ſpeciali ſtatuto apud nos permittitur.*

23. *Subinfeudatio hæc, licet permittatur, certis tamen conditionibus fit; ut non fiat potentiori, nec ejus nomine coloretur venditio, & ut iiſdem pactis & conditionibus fiat, quibus vaſſallus ipſe aſtringitur. Si ſit in domini curte, ne his quidem conditionibus ſubinfeudare licet: item ſi expreſsè contineatur in vaſſalli monumentis, ne quovis modo ei alienare liceat. Sic clauſula irritans ejuſmodi alienationem prohibet. Abeſſe debet omnis dolus. Eccleſiam ſubinfeudare non permittitur.*

24. *Nec in longiſſimum tempus poteſt vaſſallus locare, præcipuè ſi ob imaginariam mercedem, cùm ſit ſpecies alienationis. Longum tempus quid? Alienationis nomine quid comprehendatur? Sive ea ſit voluntaria, ſive neceſſaria, interdicta cenſetur; cùm feudum ſit affectum, nec ſolius vaſſalli ſit, ſed domini potiùs. Quatenus alienatio vaſſallo permittatur?*

25. *Alienatio hæc non fit ſine ſaſina ſive traditione, vel propria, vel abuſiva. Si vaſſallus chartam dederit de fundi alienatione, etiam tenendam de domino ſuperiore, quam & ſaſina ſequatur; ſi tamen dominus non confirmaverit, feudum ei aperietur. Aliter tamen Senatus cenſuit, ut videtur, in caſu pro amico. Mortuo vaſſallo dominus ſubinfeudationem agnoſcere non tenetur.*

26. *Si alienatio fiat,* Salvo jure domini mei, Si dominus voluerit & conſenſerit, alieno, *in commiſſum non cadet; niſi in iſtiuſmodi clauſulis manifeſta ſit fraus, ut ſi fiat potentiori, aut tyranno. Item ſi ita vendat,* Si poſſum de jure facere. *At clauſula,* Salvo jure, honore, aut domini conſeuſu, *non ſufficit.*

27. *Qui ſciens alienaverit, pœnam incurrit. Ignorantia probabilis excuſat, craſſa non item. Plerumque etiam juramento vaſſalli permittitur hæc ignorantia, niſi ſint præſumptiones in contrarium.*

28. *Alienatio hæc adeò prohibetur, ut quamvis dominus bannitus aut excommunicatus fuerit, non liceat. Nec filii heredis apparentis conſenſus ſufficit, nec liberè tenementarii. Si plures ſint domini, unius non ſufficit, niſi pro ſua parte: & debet eſſe conſenſus domini immediati.*

29. *Alienatio hæc non prohibetur in proximè ſucceſſurum, aut in eum qui inveſtiturâ comprehenſus eſt. Si quis ſibi & filio inveſtituram ſumpſerit, alienando filio non præjudicat: ſic & apud nos, nam filius eſt in feudo. An recognitioni locus erit, ſi vaſſallus unum ex pluribus liberis aut fratribus elegerit ad ſucceſſionem, (licet non ſit ex ordine per legem conſtituto,) cùm qui eſt immediatè ſucceſſurus defectum aliquem habet? De hoc inter Doctores controvertitur; ſed diſtinguunt inter feuda cum dignitate, & inferiora.*

30. *Recognitio locum habet apud nos tantùm in militaribus; alia feuda licitè alienari poſſunt. Baldus tamen francum etiam excipit, idemque Jaſon ſentit.*

31. *In recognitione duo potiſſimùm ſunt obſervanda, ſciz. tenor inveſtituræ, & mos regionis.*

32. *De moribus in variis regionibus ſervatis. In Gallia vaſſallo, cui velit, alienare licet; modò emptor domino fidelitatem juret, & pro ratione loci eidem etiam partem pretii ſolvat. In Germania Frederici conſtitutio non obſervatur. Apud nos majoris partis alienatio tantùm prohibetur. Callidis hominum machinationibus innumeræ fraudes in legem committuntur.*

33. *Jure antiquo proximi collateralis conſenſus requirebatur; qui ſi non conſenſiſſet, revocandi habebat poteſtatem, etiam non ſoluto pretio. Ubicunque alienatio permittebatur, jus Protimeſcos illibatum ſervabatur.*

34. *Generalis domini conſenſus permittentis vaſſallo, cuicunque, & quando vellet, feudum alienare, ſufficit, & vaſſalli alienationem excuſat; modò is conſenſus non porrigatur ad illicita. At ſi dominus conſenſerit in certam perſonam aut partem, non ultra eam extenditur; imò ſi dominus conſenſerit alienationi totius, & vaſſallus partem tantùm alienaverit, non minùs feudo privabitur.*

35. *An tacitus domini conſenſus ſufficiat? diverſæ ſunt opiniones: ſed juri ſcripto feudorum & Civili magis convenit, ut præſentia cum ſcientia neceſſaria ſit, non ſolùm ad feudi jam accepti confirmationem in aliena perſona, ſed ad novi conſtitutionem. Multa jure Feudali teſtimoniis Pa-*

rium

rium curiæ, quæ alioqui ſcripta requirunt; multa etiam præſcriptione, ſcientiâ, patientiâ, ſervitiorum exhibitione vel approbatione confirmantur & probantur, quæ apud nos non ſunt recepta. Si conſenſus non ſit adhibitus, ſufficit ſi dominus poſtea ratum habeat, modò nullum interveniat impedimentum; nam confirmatio in perſona heredis non ſufficit. Ratihabitio hæc, qualitercunque interponatur, ſive factis declaretur, recognitioni huic præjudicat.

36. *Minus dimidio feudi habens, illud tutò poſſidere non poteſt abſque confirmatione domini; nam peculiare eſt in feudis, quòd ea quæ ab initio rectè aliquando conſtituta ſunt, ex poſt-facto & delicto alterius ſubverti poſſint, niſi domini ſuperioris in his ſubinfeudationibus conſenſus & confirmatio intervenerit. Recognitio quare ita vocetur?*

1. SEQUITUR ut de amiſſione feudi, quæ non ex voluntate vaſſalli, aut ejus reſignatione voluntaria naſcitur, ſed ex *Felonia* aut alia culpa per eum commiſſa, aliquid dicamus; quæque ſint ea delicta, quæ ipſum vaſſallum ſuo feudo privent, exprimamus: cùm alioqui, niſi vel deliquerit vaſſallus, vel refutaverit, ne Princeps quidem feudum ei adimere poſſit *(a)*. In quo media via nobis eligenda eſt: nam ſunt plerique, qui unam tantùm cauſam amiſſionis feudi putant, nempe ingratitudinem in dominum *(b)*, reliquaſque omnes cauſas, quæ pleræque enumerantur, ad eam redigi poſſe aſſerunt, ſecundum illud quod dici ſolet, *Si ingratum dixeris, omnia dixeris.* Nullum gravius delictum apud Perſas eſſe potuit, quam *Ingratitudo*, reique ſæpe ingratitudinis poſtulabantur *(c)*, neque frequentiora ulla apud eos erant judicia quàm de ingratitudine, neque graviores de ullo delicto pœnæ; & ſanè à pleriſque noſtris Interpretibus, *Felonia* ingratitudo in dominum definitur, ſolaque eſt amittendi feudi ob delictum cauſa, ſub qua reliquæ comprehenduntur *(d)*. Alii ſunt, qui licet unam tantùm cauſam amiſſionis feudi putant, in eo tamen à prioribus diſſentiunt, quòd non (ut illi) ingratitudinem, ſed perjurium putant eſſe ſolam cauſam feudi amittendi, nempe quòd vaſſallus domino fidem juratam fefellerit: & hi, licet verbis diſſentiant, re tamen ipsâ conveniunt; nam nulla ingrati animi major ſignificatio eſſe poteſt, quàm ſi vaſſallus gratitudinem domino juratam fefellerit.

Sunt alii è converſo, qui viginti cauſas amiſſionis feudi enumerant, inter quos eſt Hottomannus: ut prima ſit nex domini; ſecunda, ejus vulneratio; tertia, ejus pulſatio; quarta, inſidiæ in eum *(e)*; quinta, arcis ejus oppugnatio *(f)*; ſexta, domini in periculo vitæ conſtituti deſertio *(g)*; ſeptima, contumelia verborum in dominum *(h)*; octava, domini accuſatio; nona, teſtimonii in dominum atrocior dictio *(i)*; decima, attentata uxoris domini, aut filiæ, aut nurûs, aut ſocrûs pudicitia *(k)*; undecima, nex fratris ſui, aut fratris filii *(l)*; duodecima, contemptus evocationis ad bellum *(m)*; decima tertia, prætermiſſio renovandæ fidelitatis *(n)*; decima quarta, jurisjurandi recuſatio *(o)*; decima quinta, abnegatio patroni *(p)*; decima ſexta, arcani commiſſi proditio ſive revelatio, ut loqui ſolemus *(q)*; decima ſeptima, vaſſalli contumacia, cùm vocatur in jus *(r)*; decima octava, alienatio feudi ſine domini conſenſu *(ſ)*; decima nona, defectus ſive debilitatio corporis *(t)*; viceſima, clericatus ſuperveniens *(u)*.

Has viginti cauſas enumerat Hottomannus, vir doctiſſimus, veras quidem omnes, & quæ cum prioribus in re conſentiant; nam omnes ingratitudinem vaſſalli & perjurium teſtantur, ſed tamen quarum pleræque ex una cauſa dependent, & ad unum redigi poſſunt, aliæ interpretationem, aliæ limitationem requirunt, quædam apud nos in uſu non ſunt. Sunt alii qui ſupra triginta enumerant; alii, qui licet à numero delictorum abſtineant, conſultò tamen ad alium numerum referunt; veluti, ex omnibus

(a) l. 2. ff. de his qui ſui vel alieni juris ſunt, l. 4. C. de emancip. (b) 2 F. 23, 24 & 57. (c) Xenophon, lib. 1. de pædia Cyri. (d) 2 F. 23 & 24. ibi, Sed quia natura. (e) Pro his 4 præcedentibus eſt textus, 2 F. 57. 1 F 17. (f) 1 F. 5. (g) 1 F. 5. 2 F. 24. (h) 2 F. 24. § 2. ibi, Graves & inhoneſtas injurias. (i) Pro 8 & 9 cauſa eſt textus, 2 F. 24. § 2. ibi, Item ſi dilator, & 2 F. 33. § 1. in fine. (k) 1 F. 5. § 21. in fine, 2 F. 24. § 2. (l) 2 F. 37. 1 F. 24. (m) 2 F. 24. § 2. ibi, Sed non eſt alia juſtior. (n) 1 F. 22. 2 F. 24. (o) 2 F. 40 & 55. in fine pr. (p) 2 F. 26. § 5. ibi, Vaſſallus feudum. (q) 2 F. 17. & l. 6. § 4. ff. de re militari. (r) 2 F. 22. 2 F. 24. § 1. (ſ) 1 F. 5. in fine. & 2 F. 24. (t) 1 F. § 2. (u) 2 F. 21.

omnibus cauſis aiunt, vaſſallum feudo privari poſſe, ex quibus vel filius exheredari *(a)*, vel libertus in ſervitutem revocari, vel à donatario res donata repeti *(b)*, vel matrimonium ex jure Civili dirimi poteſt *(c)*. In quo ſaltem conſiderandum, vinculum illud ſubjectionis, ſive mutui officii inter dominum & vaſſallum, ſacroſanctum & inviolabile debere eſſe; quod & cum illo vinculo componitur, quod inter filium & patrem naturaliter & ex ipſo naturæ inſtinctu intervenit; ſic cum civili illo vinculo, quod inter patronum & libertum eſt; nam libertus ſummum beneficium ſive pretium juſtæ ſervitutis nanciſcitur, quod homo homini, id eſt, dominus ſervo præſtare poteſt. Illudque vinculum, quod inter donantem & donatarium intervenit, cum noſtro hoc videtur concurrere; nam vaſſallus eſt quaſi donatarius, & qui omnibus officiis animum donantis demereri debet. Sed quod ad poſtremum vinculum matrimonii attinet, profectò dum ſocietatis hujus vinculum cum eo comparatur, nullam ſocietatem, nullam amicitiam, nullum fœdus, arctiùs aut ſanctiùs coli debere, hâc ipsâ comparatione demonſtratur; & profectò vinculum hujus conjunctionis omnia alia vincula, ſive ea ſint naturæ, qualia ſunt ſanguinis, ſive affinitatis, ſive amicitiæ contractæ inter duos aut tres familiares, de quâ tot libri à viris eruditiſſimis ſcripti extant, longo poſt ſe intervallo hæc omnia vincula relinquit.

2. Sed ut ad cauſas, cur filius jure exheredari poſſit, redeamus; quatuordecim ab Imperatore enumerantur *(d)*: Prima, ſi filius parentibus manus intulerit: Secunda, ſi gravem & inhoneſtam injuriam eis fecerit: Tertia, ſi criminaliter eos accuſaverit: Quarta, ſi filius cum maleficis hominibus verſatus fuerit: Quinta, ſi vitæ parentum inſidiatus fuerit: Sexta, ſi thorum patris etiam in concubina violaverit: Septima, ſi ex filii delatione parens graviſſimo damno ſit affectus: Octava, ſi filius (non filia) carceratum parentem, cum ſuâ fidejuſſione eum liberaſſe potuit, reliquerit, & cum poſſet liberare, non fecerit: Nona, ſi volentem patrem teſtari, prohibuiſſe convictus fuerit: Decima, ſi filius præter voluntatem parentum inter mimos & arenarios ſe ſociaverit: Undecima, ſi filiam dotanti patri aſſentire noluerit, malitque vitam luxurioſam & licentioſam traducere: Duodecima, ſi parentis furioſi curam non habuerit: Decima tertia, ſi redimere parentem ex captivitate recuſaverit, aut egenum parentem neglexerit: Decima quarta, ſi liberi ab Eccleſiæ Catholicæ fide, quam Apoſtoli & quatuor primæ œcumenicæ Synodi tradiderunt, deficiant. Hæ ſunt illæ quatuordecim cauſæ, quibus filii à parentibus exheredari juſte poſſunt. Exheredari autem nihil aliud eſt quam ſucceſſione privari, ut annotat Cujacius; nos *foris facere* dicimus, per continuationem metaphoræ: nam ut vaſſallus, quando feudum acquirit, veſtiri & feudum adire; ſic quando eo privatur, *foris fieri*, *foris ejici* ſeu *exheredari* dicitur: & ſanè hæ exheredationis cauſæ, in multis, ſi non in omnibus, cum prædictis cauſis amiſſionis feudi concurrunt.

3. Quod ad cauſas revocandæ donationis pertinet, eæ quod ſciam numero non comprehenduntur; ſed quæcunque ſit ingratitudo donatarii, ſufficit ad revocandam ab eo donationem, tanquam ab ingrato, & indigno *(e)* cui aut beneficium conferatur, aut illud apud ſe habeat, quod ab alterius amore profectum eſt, quo ſe indignum declaraverit.

4. Quæ autem ex jure Civili matrimonii dirimendi cauſæ, (licet hæ in uſu hodie non ſint, cum in cauſis matrimonii jus Canonicum ſive Divinum ſequamur, ex quo niſi adulterii causâ divortium non permittitur) enumerantur ab Imperatoribus Theodoſio & Valentiniano, ad quem locum *(f)* lectorem, ne ei nimio ſim tædio, remitto. Eæ omnes ferè cauſæ, quæ ibi enumerantur, dirimendæ ſocietatis inter dominum & vaſſallum eſſe dicuntur; licet id omninò verum non ſit, niſi hæ offenſiones, quæ vel ad dirimendum matrimonium, aut revocandam donationem, aut exheredationem, ex jure ſufficiunt, contra dominum fiant, & ei injuria inferatur, præter cædem fratris, & alias paucas, de quibus mox. Alii, ne hoc quidem numero ſpeciali aut ullo alio contenti, rem totam arbitrio judicis remittendam putant; nam ejus

(a) Ut § ſequenti. (b) Ut § 3. (c) Ut § 4. (d) Nov. 115. cap. 3 & 4. (e) l. 10. C. de revocandis donationibus, cap. 11. legum burgorum, cap. 17. ſtatut. Rob. III. (f) l. 8. C. de repudiis, juncta Auth. ſeq.

putant esse cognitionem, quæ justa sit causa amittendi feudi, quæ non: pleraſque enim quotidie occurrere causas ingratitudinis, quæ neque numero comprehendi, neque provideri possunt, neque leges ita scribi possunt, ut omnes casus comprehendant, qui quandocunque inciderint; sed sufficit ea quæ plerunque accidunt continere, & si quid novum acciderit, id bonus judex aut interpretatione aut jurisdictione ad similia producet, aut constitutione Principis ut aliquid certum statuatur, aut saltem ejus consultatione opus erit *(a)*.

5. Nos in hac varietate casuum (si quæ varietas existimari debet) cum in re consentientes, numero tantùm casuum dissentiant, & noster usus forensis in multis potiùs differat ab iis quam dissentiat, nonnullaque aliquam interpretationem, alia limitationem, pleraque etiam abolitionem requirant; ad has causas feudi amittendi declarandas ordine procedemus, non quo antè usi sumus, ut prius de jure inquiramus, postea de nostris moribus, sed quoniam in hoc casu usus noster forensis in plerisque cum jure convenit, alios casus (qui in jure enumerantur, licet cum ratione convenire videantur, quos tamen in foro hactenus decisos non vidi) differendo, ab eis exordiar, in quibus jus commune feudorum cum usu nostro potissimùm convenit; reliquos qui adhuc pendent, suo loco post proponemus, quodque sit nostrum de iis judicium sine fuco declarabimus.

6. Causæ itaque apud nos feudi amittendi sunt delicta, quæ vel in committendo vel in omittendo consistunt: utque illa, quæ in committendo fiunt, his quæ in omittendo, sunt graviora, (nam gravius est non facienda facere, quam facienda negligere,) sic de iis primò dicemus. Hæc itaque delicta, quæ in committendo consistunt, aut dominum ipsum, id est, ejus vitam, famam aut bona respiciunt, & sic in eum committuntur; aut in alios à domino delinquitur, & tum personam vassalli spectant; aut circa feudum ipsum aut ejus administrationem versantur. Itaque hîc de delictis circa feudum ipsum primùm, post de iis qui in domini personam, dignitatem & bona fiunt, disputabimus.

7. Sunt tamen quædam generales regulæ in his delictis observandæ à judice, dum de amittendo ex delicto feudo agitur. Prima: Ex delicto vassallus nunquam punitur privatione feudi, nisi scienter & ex proposito delinquat: nam non solùm voluntas, sed factum etiam aliquod concurrere in delicto debet: neque enim sufficit, si vassallus dominum voluit offendere, & non fecit, aut si ignarus aut imprudens offenderit, cum alium crederet; itaque voluntatem & propositum simul concurrere ad amissionem feudi necesse est, & ut voluntas ipsa in aliquem actum deducatur *(b)*. Quòd si dubitetur, sciens & prudens, an ignorans fecerit, scientia & dolus in vassallo præsumitur, nisi ignorantiam probet *(c)*; aliquando tamen ejus juramento statur. Secunda regula generalis: Non amittit ob delictum vassallus suum feudum, si vassallus dolo aut culpâ domini sui ad delinquendum erat inductus; quis enim ei poterit dolum aut culpam objicere, cum dominus in pari dolo & culpa fuerit, aut fortasse auctor culpæ? dolus enim dolo pensatur, & paritas delicti exceptionem in jure parit: ut si maritus uxorem adulterii accuset, illa de lenocinio replicet *(d)*. Tertia: Voluntatis domini declaratio, domini, inquam, sive absentis, sive præsentis, tam in judicio quàm extra judicium, tacita vel expressa, etiam non citato vassallo, requiritur. Quarta regula est: Si vassallus justo metu, & qui in constantem virum cadere potest, aliquid fecerit. Quinta: Ut tenor investituræ semper observetur, vel saltem mos & consuetudo illius regionis, ubi feudum est situm: nam apud plerosque pro delictis non habentur, quæ aliis sunt delicta, & in Gallia alienatio feudi permittitur, quæ in Britannia prohibetur; & quod de consuetudine dixi, idem de statuto.

8. Sed ut ad causas feudi amittendi redeamus. Prima causa, quæ ipsum feudum respicit, & circa feudum versatur, est ipsius feudi alienatio sive venditio sine domini consensu *(e)*: nam antiquitùs, si totum alienaverat toto, si partem parte privabatur.

(a) l. 10 &c. ff. de legibus, & 2 F. 24. § 2. ibi, Sed quia natura. (b) Schon. de eo qui conscius periculi domini non revelaverit. (c) Schon. thes. 52. Alvar. cap. 1. col. ult. quibus modis feudum amittatur. (d) Curt. p. 5. n. 7. (e) 2 F. 52 & 55.

tur *(a)*: quæ quoniam in foro noſtro frequentiſſima eſt, & à Feudiſtis omnibus maximè controverſa, ejus cauſam & originem accuratiùs diſcutiemus, & cur tam gravis pœna, tam jure, quàm apud nos in foro, vaſſallo infligatur, ob non magnam, ut creditur, ingratitudinem, cùm (ut ſæpe antea monui) pœnæ nobis in his feudis mitiores ſemper placuerunt. Plerique enim dubitant, hancque cauſam iniquiſſimam putant (ut profectò apud nos inter odioſas numeratur) ob tam leve peccatum (ſi tamen peccatum ſit) tam acerbè cum vaſſallo agi, cum domini conditio ſæpe non deterior fiat ex hoc facto, ſed etiam melior, cum pro diſſoluto vaſſallo, ſobrium & frugalem accipiat; pro profuſo & intemperante, moderatum & temperantem; pro ſtulto, prudentem. Denique, ut plerumque accidit, eum, qui & conſilio & operâ, & fortaſsè manu poſſit plura domino ſervitia & potiora præſtare, quàm prior, qui popinæ & crapulæ deditus, nec ſibi nec aliis ſolet plerumque prodeſſe: nam ut apud nos in vulgari proverbio eſt, qui fundum emit, ſæpiſſimè vir melior, & majoris eſt pretii quàm qui vendit.

9. Sed certè ratio in contrarium eſt, & vaſſallus ſummæ ingratitudinis damnandus, qui fundum, quem beneficii nomine à domino habet, & ut ſervitia militaria eo nomine ei exhibeat, abdicat, dominum deſpicit, aliumque pro ſuo arbitrio & ſuâ electione ſubſtituit domino in vaſſallum, qui neque pro dignitate domini, neque feudi ratione ſpeciem & umbram ſervitii militaris exhibet, & interea dominum in mediis laboribus deſtituit. Certum enim eſt ab initio dominum, antequam feudum diſponeret, fidem & magnanimitatem alicujus hominis ſelegiſſe *(b)*, eumque quaſi ſibi reſervâſſe & ſepoſuiſſe, cujus operâ & fide tam domi quàm militiæ in perpetuum uti apud ſe conſtituit, & mercedem ei pro ſervitio & dignitate ex patrimonialibus ſuis prædiis aſſignaſſe, habitâ meritorum ejus ratione, illudque verbis declaraſſe (nam ob eam ſolam cauſam feuda ab initio conſtituebantur:) quòd ſi vaſſallus ex altera parte, domino neglecto & inconſulto, retentâ mercede, aut mercedis fortaſſe apud ſe pretio, dum vel ſecreto domini odio carpitur, eumque dedignatur, vel fortaſſe feudum dominicum abliguriens, alium, cujus neque fides neque opera ſpectata domino eſt, illi ad ſervitium velit obtrudere, ſeque ipſum à ſervitio liberare, profectò hominis eſſe ingratiſſimi nemo negabit. Nam ne in minimis quidem rebus, æquo animo ſolemus ferre, ſi munuſculum aliquod aut ſymbolum amicitiæ causâ conceſſum, is qui recepit in alterum citò rejiciat, & cum ſymbolo amicitiæ memoriam etiam rejici credimus.

Præterea in jure Civili uſufructuarius cedere ſuo uſufructu extraneo, ſine conſenſu proprietarii non poteſt *(c)*, & in militia Romana, in qua leviores erant mercedes, viz. annua aut menſtrua ſtipendia, alium pro ſe, niſi ex conſenſu Imperatoris, ſubſtituere non licebat. Perſonale enim munus erat, & ita perſonæ cohærebat, ut extra perſonam non egrederetur; & cum hoc vinculum feudale, quàm ullum aliud amicitiæ vinculum arctius ſit & ſanctius (nam eſt quaſi perpetua inter dominum & vaſſallum contracta ſocietas, in qua patronus vitæ & fortunarum omnium cuſtodiam vaſſallo committit, eumque in partem patrimonii aſſumit) quis non meritò ingratum vaſſallum dixerit, ſi is, neglecto ſibi injuncto munere, vicarias operas aliunde accerſat; cum ne in ſocietatibus, quæ plerumque circa leves res contrahendas aut diſtrahendas verſantur, unus ſocius alium in ſocietatem inducere ſine conſenſu prioris ſocii aut ſociorum poſſit, cum ejus fides ab omnibus ſit approbanda *(d)*. Sed & jusjurandum illud, quo vaſſallus domino ſe obligavit, perſonale eſt, nec in alium tranſmiſſibile, permagnique dominorum intereſt, quos ſecum comites in bello ducant, quorum conſilio domi utantur.

10. Sunt aliæ feudi non ſine conſenſu domini alienandi rationes ex jure Feudali repetendæ: nam vaſſallus feudi ſui conditionem meliorem ſine conſenſu domini ſui facere poteſt, deteriorem non poteſt ſine ejus & agnatorum conſenſu *(e)*. Quemadmodum in jure Civili, fiduciarius heres res fideicommiſſarias alienare *(f)*, deteriorare

(a) 2 F. 38 & 44. pr. *(b)* Arg. l. 31. ff. de ſolutionibus. *(c)* l. 66. ff. de jure dotium. *(d)* § 5. Inſt. de ſocietate, l. 35, 65. § 11. ff. eodem. *(e)* 2 F. 8. § 1. in fine. *(f)* l. 69. § 3. & l. 77. § 27. ff. de leg. 2.

riorare aut pervertere non poteſt, in fidecommiſſarii detrimentum aut incommodum. Sed maxima omnium & potiſſima ratio eſt, quia vaſſallus, ex alienatione prædii ſui aut partis ejuſdem, pauperior & infirmior ad domini onera ſubeunda redditur. Nam qui ex toto feudi patrimonio vivere nequibat, multò minùs ex parte ejus aut portione aliquâ relictâ. Itaque cum certum ſit, vaſſallum, ob inopiam, domini ſervitia ſuſtinere non poſſe in ea dignitate quâ prius, graviſſimè in dominum peccare, ejuſque meritorum oblivíſci vaſſallum concludunt Feudiſtæ: cum certum ſit feuda conceſſa ob cauſam ſervitiorum, quibus aut ceſſantibus cum exigerentur, aut cum priſtina dignitate non exhibitis, feudum etiam ex jure Civili repeti poſſe, ex capite causâ datâ, causâ non ſecuta: adeò quòd omnes hæ alienationes contra tenorem inveſtituræ fieri videantur, cum dominus tantùm vaſſallo & ejus heredibus voluit providere, vaſſallus verò tenorem inveſtituræ violare & invertere ſine conſenſu domini intendat. Hæc fortaſsè prolixiùs; ſed cum hæ recognitiones, (quæ nihil aliud ſunt quàm retractationes judiciales ob alienationem feudi aut majoris partis) apud nos hodie ſint frequentiſſimæ, nec rationem aut ullum æquitatis fundamentum habere à pleriſque putentur, & propterea inter cauſas odioſas vulgò numerentur, cum tamen re verâ certiſſimis rationibus innitantur, magnamque ſecum æquitatem trahant, vaſſallique in dominum ingratitudinem maximam inducant. Et hæc de cauſis & æquitate hujus actionis operæ pretium huic quæſtioni duxi præmittere.

11. Alienationis nomine comprehenditur permutatio, ſive quicunque alius contractus, per quem, cum traditione, jus reale acquiritur *(a)*; imò nec teſtamento diſponere ſine licentia domini, nec legare etiam ad pias cauſas aut Eccleſiæ permittitur *(b)*. De hac feudi ſeu feudalis prædii alienatione, ſive in toto ſive in parte, diverſimodi erant Imperatorum ſtatuta & edicta, & proinde diverſimodi jura: nam antiquitùs totum feudum alienare licebat, etiam domino inconſulto, aliquando partem licebat in libellum ſeu emphyteuſin dare *(c)*) nam libellus & emphyteuſis in jure Feudali penè confunduntur) vel etiam in pignus concedere: ſed cum manifeſtæ fraudes fierent dominorum ſervitiis à vaſſallis, & incommoda magna emergerent quotidie, quæ antea non erant prævíſa, factum tandem eſt, ut omnis feudi alienatio, ſive in toto ſive in parte, prohiberetur ſine conſenſu domini, primò per Lotharium *(d)*, & poſt per Fridericum *(e)* Imperatores, (ut ſingulæ ſuper hac re extantes conſtitutiones manifeſtant,) & hoc ſub quocunque prætextu, vel pignoris *(f)*, vel venditionis, vel permutationis, aut ſolutionis debiti, aut emphyteuſeos, etiamſi pretium acceſſerit & numeretur; adeò ut Baldus putet, ob alienationem minimi ceſpitis in feudali prædio totum feudum amitti: neque ſolum pretium amittebatur, ſed etiam ſcriba, qui inſtrumenta alienationum confecit, manûs amiſſione & perpetuæ infamiæ notâ puniebatur.

Quæ prohibitio alienationis adeò ſtricta erat, ut ſi venditor, antequam alienatio reſciſcatur, illud recuperet, retinere tamen feudi nomine ſemel amiſſum jure non poſſit *(g)*: & malæ fidei emptor, etiamſi pretium reſtituendum, feudo evicto, ſtipulatus fuiſſet, illud tamen amittet; bonæ fidei emptor recuperabit pretium, etiamſi expreſsè renunciaverit evictioni. Notandum tamen hoc eſt, paria eſſe, ſive dominus conſentiat, ſive ejus procurator ſpeciale ad hoc mandatum habens, nec dominus ſemel conſentiens pœnitere poteſt. Conſenſus autem hic, tam ante actum, in actu, & poſt actum intervenire poteſt, ſive vivo ſive mortuo alienante acceſſerit. Nec tacitus domini conſenſus ſufficit, veluti ſi præſens ſit in actu nec contradicat, ſed actum aliquem domini oportet intervenire qui conſenſum operetur: nam quod fit aut fieri debet cum licentia, expreſſum conſenſum requirit, licet ſint qui curſu decennii, ſi dominus præſens ſit & ſciat, nec contradicat, conſenſum putant præſumi, & pro eo ſufficere. Si plures ſint domini, unus mediatus, alter immediatus, ſufficit immediati conſenſus.

12. Ex noſtro uſu, ut ſæpè monui, mitiores ſemper pœnæ placuerunt; & licet hæc

(a) 2 F. 55. ibi, Quocunque modo diſtrahere. (b) 2 F. 9. pr. & § 1. (c) 1 F. 5. & 13. 2 F. 44. (d) 2 F. 52. (e) 2 F. 55. vid. etiam § 32. (f) 2 F. 8. § 2. in fine. (g) 2 F. 44. vid. § 15.

hæc feudi alienatio prohibeatur, non tamen hæc prohibitio ita locum habet, ut vaſſalli neceſſitatibus, in quas ſine ulla culpa & non temerè inciderat, aliquando non ſuccurratur *(a)*: nam ut majoris partis feudi adhuc alienatio prohibetur, ſive ſit novum ſive antiquum, niſi quis totius feudi amiſſionem pro pœna incurrat; ſic ſi ex feudo tantum relictum ſit vaſſallo, unde ſe pro ſervitio domini tueri commodè, & ſervitia debita pro dignitate ſuſtinere poſſit, privatione feudi non eſt puniendus. Vidi enim in cauſa recognitionis inter Regem & Comitem Glencarnium deducta, & in diſpoſitione dicti dominii per eundem dominum Regem facta, cum de delicto tranſegiſſet, cauſam amiſſionis feudi ſive recognitionis hanc exprimi, ob alienationem dicti feudi, in tantum quòd ei non ſupererat relictum ex eo feudo unde commodè ſe tueri poſſit, & domino debita ſervitia exhibere. Et hæc eadem & ſola cauſa recognitionis in Anglia eſt, nempe ſi talis alienatio ſit, ut ex reliquis fructibus prædii feudalis non ſuperſit, unde ſe vaſſallus alere poſſit, aut domino ſuas operas pro dignitate præſtare: quæ quidem ratio optimè cum jure Feudali ſcripto, & conſtitutionibus dictorum duorum Imperatorum convenit. Nos tamen hodie certius aliquid in his alienatioibus ſequimur; nam cum quid vaſſallum alere & ſuſtinere poſſit, & quid ad domini ſervitia requiratur ſit incertiſſimum, & cauſæ cognitione hic opus ſit, in qua pro varietate perſonarum tam vaſſalli quàm ipſius domini variæ poſſunt opiniones ſurgere, & in ipſorum ſervitiorum qualitate aliquæ etiam controverſiæ, nos mediam quandam viam ſequuti ſumus, ut incertitudine relictâ, quatenus provideri poterat, ad certam regulam rem totam deduceremus.

13. Itaque apud nos non procedit recognitio, niſi ex dimidia parte feudalis prædii, ſine conſenſu domini, fiat alienatio. Sed ne ſic quidem fraudem vaſſallorum domini effugere poterant, cùm neque feudale prædium ipſum, neque ejus partem alienarent, totum tamen feudum ita gravarent, vel annuis reditibus, vel aliis oneribus, ut eorum ſolutioni fructus feudales non ſufficerent: itaque, ne fraus legi fieret, ſalvis verbis, mentem & ſententiam legis circumveniendo, introductum eſt jure noſtro, ut quoties hi annui reditus, ſive onera & gravamina, dimidietatem fructuum æquarent, perinde eſſet ac ſi ipſa dimidia pars ipſius feudi eſſet alienata. Quid enim intereſt in ſervitiis domini, utrùm ipſius feudi dimidium alienetur, an dimidia ſive major pars fructuum exhauriatur? par enim in utroque caſu domini eſt incommodum, & utroque modo æquè inhabilis & ineptus ad ſervitia ſuſtinenda vaſſallus erit. Præterea, ut res omnis extra controverſiam ſit, non ſolùm requiritur ut dimidietas feudi alienetur, ſed etiam ut plus quàm dimidietas; alioqui feudum domino neque in toto neque in parte aperietur.

14. In hac dimidietate feudi, aut fructuum æſtimatio utrinque fiet ex veteri extento; veluti, ſi prædium feudale ad viginti marcatas terrarum quindecimvirali ſacramento extendatur, & undecim marcatæ alienatæ ſint: aut, ſi extentus non ſit, per aratra fiet æſtimatio; nempe, ſi feudum ex viginti aratris conſtet, & undecim aratra ſint alienata. Sic in jugis boum. At in æſtimatione annuorum redituum & gravaminum alia ratio eſt habenda; nam tum fructus æſtimantur quos feudum ſolet domino pendere, aut qui ex cultura ſolent communiter provenire: eis omnibus æſtimatis, & in cumulum congeſtis, ſi plus quàm dimidia pars in annuis reditibus & oneribus exhauriatur, feudum in totum domino aperitur, vaſſalluſque in perpetuum à feudi proprietate & dominio utili cadet.

15. Adeò autem hæc alienatio feudi ſine conſenſu domini eſt prohibita, ut ſi vaſſallus feudum alienaverit, aut hypothecæ ſubjecerit, ſub pacto de retrovendendo, quod nos *Reverſionem* dicimus, & poſtea illud redemerit, aut aliunde mox recuperaverit, ita ut dominus in ſuo ſervitio nullatenus præjudicatus fuerit, imò fortaſſe ignoraverit hanc alienationem, donec ad eum locum redierit à quo profecta eſt; etiam in hoc caſu feudum domino aperiri *(b)* & jus vult, & nos noſtris moribus recepimus: nam ingratitudo ſemel in dominum commiſſa, & proinde jus ſemel do-

(a) 2 F. 9. ibi, Neceſſitate. Vid. etiam quemadmodum apud nos ſtatuatur, cap. 15. Seſſ. 2. Parl. 1. Jac. VII. (b) 2 F. 44. vid. § 11.

mino acquiſitum, niſi ex ejus voluntate, non remittitur; licet ſciam pleroſque magni nominis juris Feudalis Interpretes aliud ſentire, ſi incontinenter feudum recuperaverit, cùm res facillimè ad ſuam naturam, ut putant illi, revertatur; & in jure Civili, uxor quæ diverterit, & mox redierit, ne divertiſſe quidem cenſeatur *(a)*; & interim dominus nihil incommodi in ſuo ſervitio perpeſſus ſit, quæ ſola cauſa eſt cur hæc alienatio prohibeatur.

16. Hæc autem feudi alienatio uſque adeò prohibita eſt, ut ne neceſſitate coactus vaſſallus feudum domini ſui, ſive quod à domino habet, alienare poſſit: nam licet neceſſitas (ut vulgò loqui ſolemus) legem non habeat, neque ulli juri aut legi ſubjaceat, & ſæpiſſimè quod illicitum alioqui in jure eſt, licitum faciat, & neceſſitatis causâ jus & juris diſpoſitio plerumque ſuſpendatur, licet omnino non tollatur; tamen ne in hoc caſu neceſſitatis, vaſſallus feudum ſine domini conſenſu alienare poteſt. Debuit enim vaſſallus apud ſe expendere, ſe feudum à domino habere, non ut pro arbitrio ſuo abutatur, ſed ut domino inde ſervire poſſit, & feudi non ſolùm quadam ex parte, ſed omninò quaſi alieni aut ſaltem alteri obnoxii poſſeſſorem eſſe. Itaque debuit rem probè & fideliter adminiſtrare, pro utriuſque commodo & inſtituto, non autem profundere & in alios transferre; nam dominus nunquam ei conceſſiſſet, ſi eum obliguriturum providere potuiſſet. Itaque ſi vaſſallus in eam neceſſitatem ſe conjecerit, unde niſi ex venditione feudi ſe non poteſt liberare, miſeratione non eſt dignus, cùm ſuo merito calamitoſus ſit, nec domino poteſt præjudicare.

17. Sed nihil eſt à jure tam benè conſtitutum, nec noſtris moribus obſervatum, quod fraude hominum non poſſit perverti. Exempli causâ, hæc feudi alienandi prohibitio, licet optimâ ratione introducta, tamen ſubtili vaſſallorum calliditati reprimendæ non ſufficit: nam quod ſine domini licentia facere ſe non poſſe aperte ſciunt, id callidis machinationibus ad effectum tamen ſæpe producunt. Siquidem, ut antea monui *(b)*, qui feuda ſua diſponere & dominum mutare intendunt, ſolent privatim ſimulato creditori, ſed vero emptori obligationem ſuam concedere, pro gravibus pecuniarum ſummis, & quæ valorem ipſius feudi ſuperant longè; & cùm talis creditor obligationem vel in acta redegerit, vel ex ea ſententiam fuerit conſequutus, diſcuſſis mobilibus, (quod ex colluſione facilè fit,) tandem & ipſum feudum haſtæ ſubjicit, quo legitime, ut fieri ſolet, quindecimvirali judicio æſtimato & pretio taxato, pro ea ſumma ſuppoſititio creditori huic aſſignatur; quo facto, ſolet hic novus creditor, literis ex Cancellaria impetratis, dominum cogere, ut eum in vaſſallum recipiat, alioqui jus dominii ſive ſuperioritatis durante vitâ amiſſurum; & ſic peſſimorum hominum vafritie fraus manifeſta fit legi, quodque vaſſallus apertè & directè facere invito domino non poteſt, obliquis cuniculis ad eventum perducit, quod meo quidem judicio non eſt permittendum: ſiquidem ex jure, quod quis uno modo ſive directè facere non poteſt, nec alio modo ſive obliquè poteſt; & qui propter neceſſitatem ipſe alienare non poteſt, neque contrahere eas ſummas poteſt, quæ ad alienationem non voluntariam poſſunt cogere. Memini de domino de Pitſligo, qui cum duas reliquiſſet filias, & in lecto ægritudinis, ex qua mortuus eſt, jam conſtitutus, cum ſciret feudum ratione talliæ ad alios perventurum, neqne ſe quicquam in eo ſtatu vitæ ex patrimonio ſuo poſſe providere filiabus, & omnes alienationes jure noſtro tum prohibitas, obligationem eum interpoſuiſſe, pro duodecim millibus marcarum filiabus ſuis ſolvendis, magnâ ſane ſummâ, ut ea erant tempora: quæ cum ex ea obligatione pecuniam debitam repeterent ab herede talliæ, Senatus earum petitionem rejecit, eâ ratione, quod cum pater earum tempore confectæ obligationis alienare quicquam ex patrimonio non poterat, ſic nec eas obligationes contrahere, quarum ſolutio ſine alienatione partis prædii feudalis fieri non potuit. Quod ſi in his licitationibus locum haberet, non tot fraudes quotidie occurrerent.

18. Sed licet in hac alienatione feudi prohibita, favor domini in multis præponderet, quæri poteſt, ſi vaſſallus filias ex feudo dotet, an favor domini etiam in hoc caſu locum habeat, aut ſi vaſſallus toto feudo filiam dotare non poteſt, ſaltem feudi

(*a*) Arg. l. 13. § 9. ff. ad leg. Juliam de adulteriis. (*b*) D. 1. § 13.

di partem aliquam poſſit alienare, ut ex pretio eam dotet; nam dotis cauſa ſemper in jure favorabilis exſtitit, & intereſt reipublicæ mulieres eſſe dotatas *(a)*. Sed profectò, ne filias quidem vaſſallo elocare licet in præjudicium domini, & in hoc etiam favor domini favorem dotis prægravabit *(b)*: neque obſtat, quòd vaſſallo forisfacto, ſive leſæ majeſtatis damnato, licet filiis legitimæ non debeantur, filiabus tamen dotes competant. Non tamen idem in hac prohibita feudi alienatione, licet ſpecies quædam ſit forisfacturæ: imò jure noſtro ne in forisfacturis unquam de dote filiabus provideri memini, niſi forte Rex miſericordiâ motus id ex liberalitate ſua conceſſiſſet. Hoc tamen & in jure & moribus noſtris obſervatur, ut ne filiam ex feudo dotare poſſit vaſſallus, aut ſaltem quod mediam ejus partem excedat, poteſt tamen vaſſallus, ex jure, pro dote filiæ aliquot annorum fructus ex feudo percipiendos aſſignare, licet etiam hoc caſu aliquod in domini ſervitiis incommodum ſequatur, nam aliqua ratio dotandæ filiæ, ſi non in totum, ſaltem in partem permittitur ob favorem dotis. Huic ſimilis eſt & hæc quæſtio, an mulier vaſſalla maritum ſuum dotare ſuo feudo poſſit, id eſt feudum ratione dotis in maritum transferre inconſulto domino? Sed mirum eſt quod in hoc caſu juris interpretes permitti & licere volunt. Ratio eſt, vaſſallam jus non præſumit ſine domini conſenſu marito elocatam, & maritum ei ex domini arbitrio electum, cui ſi partem feudi aut etiam totum alienaverit, videtur adhuc feudum in eadem familia remanere, nempe apud heredes vaſſallæ, & dominus, dum conſentit matrimonio, videtur fidem & operam mariti ſequutus; itaque nullus novus vaſſallus ei invito, in hoc caſu, obtruditur.

19. Ut autem vaſſallus ſine domini conſenſu alienare non poteſt, ita neque ſervitutem imponere poteſt *(c)*, ſaltem gravem, ut volunt Doctores. Rationem hanc reddunt, quòd feudi conditionem meliorem reddere poſſunt vaſſalli ſine domini conſenſu, deteriorem tamen non poſſunt *(d)*; nam feudo per recognitionem ad dominum redeunte, ſervitutes dominus à vaſſallo impoſitas ſine ſuo conſenſu agnoſcere non tenetur.

20. Sic vaſſallus de feudo tranſigere non poteſt, ita ut ex hac tranſactione feudum ad alium devolvatur; nam tranſactio eſt ſpecies quædam alienationis. Sunt tamen Doctores, qui putant licere, dummodo probabili timore litis, & ſine fraude, ſed bonâ fide tranſactio fiat. Ego & in hac cauſa conſiderandum puto & domini conſenſum ſaltem requirendum eſſe, cum in bona fide vaſſallus eſſe tranſigendo non poſſit, niſi dominum faciat certiorem, quippe cum, moribus noſtris, ne finium regundorum ipſius feudi agere liceat vaſſallo, niſi cum domini conſenſu, ſaltem ſi ad id judicium dominus vocatus non fuerit *(e)*. Si autem ita tranſigat, ut feudum apud vaſſallum & ſuam familiam maneat, puto tranſactionem hanc ſine domini conſenſu non nocere *(f)*.

21. Nec diſſimilis eſt ea quæſtio, an vaſſallus ſine conſenſu domini de feudo compromittere poſſit, cum compromiſſio ſpeciem habeat aliquam tranſactionis? Ratio dubitandi hæc eſt, quòd ex jure qui alienare non poteſt, neque compromittere. Doctores in hoc caſu diſtinguunt, & in arbitrum quidem poſſe compromitti volunt *(g)*, non tamen in arbitratorem. Ratio diverſitatis eſt, quòd arbiter ad formam judiciorum procedit, eam in omnibus ſequitur, & ut vaſſallus ſine domini conſenſu in judicium, aliquando volens, aliquando coactus deſcendit, ſic in arbitrum poteſt compromittere, nam apud eum omnia majore cum ſolennitate & judicio fiunt: arbitrator verò, omni formâ proceſsûs neglectâ, ſine ullo ſtrepitu judiciali aut partis præſentia aliquando procedit, & ex ſua ſententia, & non ex perſcripto legis omnia moderatur. Itaque majoris fraudis ſuſpicio contra vaſſallum exſurgit in arbitratore, quia majus periculum ab eo imminet: proinde in arbitratorem compromittere vaſſallum ſine conſenſu domini jura non patiuntur, ne dominus in fraudem, & denique amiſſionem feudi quod de eo tenetur, fraude vaſſalli incidat: neque po-

(*a*) l. 2. ff. de jure dotium. & l. 1. ff. ſoluto matrimonio. (*b*) 2 F. 9. § 1. (*c*) 2 F. 8. pr. in fine. (*d*) d. 2 F. 8. § 1. in fine. (*e*) Ibid. (*f*) 2 F. 43. (*g*) 2 F. 15 & 34. pr. de arbitris, vid. cap. 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9 & 10. lib. 2. Reg. Majeſt.

teſt vaſſallus feudum ſuum ſine domini conſenſu oppignerare aut hypothecare. Pignus tamen prætorium vel judiciale etiam invito domino ſuper feudo conſtitui poteſt, ſi vaſſallus unde creditoribus ſatisfaciat non habeat *(a)*: differentia enim eſt inter pignus conventionale & prætorium *(b)*. Sed nec feudi cauſam deferre juramento poteſt ſine domini conſenſu, niſi ita ut feudum apud ſe remaneat.

22. Sed gravis & dubia quæſtio in jure oritur ex hac prohibita feudi alienatione, liceatne vaſſallo alii ſubfeudare, id eſt, alium in ſuum feudum, ut valvaſſorem, invito aut ignorante domino, inveſtire de ſe tenendum, qui tamen ad debita domini ſervitia præſtanda ſufficiat? nam ſubfeudare vaſſallo licere, ex jure Feudali, multis locis conſtat, id eſt, ſibi in feudo ſubſtituere *(c)*: at ſi hoc liceat, quorſum tam multæ diſputationes & ſubtilitates de prohibita feudi alienatione, cum quæ alienari non poſſunt, neque in feudum dari poſſunt? & ſi in feudum dari poſſunt, etiam alienari poſſunt, quid enim aliud eſt ſubfeudatio, quàm ſpecies alienationis? & ſi ſubfeudatio teneat, cur non & alienatio? præcipuè cum etiam locatio in longum tempus, ut ſupra dixi *(d)*, quaſi alienatio quædam ſit, & in jure prohibeatur. Quod ad me attinet, ἀντινομίαν hanc in jure Feudali difficillimam ſemper putavi, cum in eodem loco, ubi alienatio prohibetur, ſubfeudatio permittitur, & gloſſa ſe multum torquet in hujus nodi ſolutione, quam tamen in omnibus non probo. Utcunque eſt, hæc eſt omnium Interpretum quos legi in hác quæſtione ſententia, ut licet alienatio feudi prohibeatur, tamen ſubfeudatio ſit licita, modò ſine dolo, & bona fide fiat *(e)*. Alia enim illis eſt alienatio à ſubfeudatione: nam alienatio videtur pura feudi diſpoſitio, quæ ſine conſenſu domini fieri non poteſt; at ſubinfeudatio eſt quaſi ſpecies libelli & emphyteuſis, in qua idem vaſſallus qui priùs retinetur, eodem modo ad domini ſervitia quo priùs obligatur, nullâ parte dominicæ obligationis diminutâ, & domini conditio ad ſervitia non redditur deterior, cum horum ſervitiorum præſtatio, tanquam onus, ſemper feudum etiam in perſona emphyteutæ concomitetur, feudumque pro eo diſtringi poſſit: quod & cum uſu noſtro convenit; nam feudi alienatio ſaltem majoris partis eſt prohibita ſtrictiſſimè, ita ut ſi fiat, feudi privatio pro pœna ſequatur. At in emphyteuſin dare apud nos ſpeciali ſtatuto licet, *(f)* maximè pro eo canone, qui ad juſtam æſtimationem veteris canonis extendit; & qui in emphyteuſim locat, non ſolùm directus dominus ſolam ſuperioritatem apud ſe retinebit, ſed verus proprietarius, id eſt, dominus utilis reſpectu hujus ſubinfeudationis erit, quippe qui fructus feudi percipit, ſaltem eos æſtimatos ſecundum veterem æſtimationem, ex quindecimvirali ſacramento ſtabilitam, & proinde vaſſallus & dominus adhuc remanet, fructuſque percipit ab emphyteuta, qui non dominus, ſed perpetuus colonus tantùm reputatur; & emphyteuſis nihil aliud eſt, niſi locatio ut fundus melioretur & colatur, domibus, arboribus, & pomariis, & viridariis exornetur. Et hæc eſt hujus nodi ſolutio, aut ego nullam aliam novi.

23. Neque tamen hæc in emphyteuſim locatio ita vaſſallo libera eſt, ut cui velit poſſit eum concedere, ſed tantùm ut in emphyteuſim minori ſe, vel ſaltem pari aut æquali ſibi liceat locare *(g)*, ita ut domini conditio, quatenus ad ſervitia, non ſit deterior aut difficilior: nam ſi ſubinfeudet, aut in emphyteuſim locet, majori vel dignitate vel poteſtate *(h)*, à quo difficiliùs ſervitia exigi poſſunt, puto eam ſubinfeudationem non valere; faciliùs enim tenuiores quàm opulentiores ſeu potentiores ſerviunt. Itaque ut ſubinfeudatio ex jure licitè fiat, hæc tria concurrere neceſſe eſt, ut ſincerè fiat, neque ſub nomine infeudationis venditio coloretur, & ut fiat alteri ejuſdem conditionis, & iiſdem pactis & conditionibus quibus ipſe prior aſtringitur *(i)*. Si tamen feudum ſit in curte, ſive diſtrictu domini ſui ſitum, ne his conditionibus ſubinfeudare licet *(k)*, ſed non obſtante hâc ſubinfeudatione omnia jura domini ſuperioris integra debent ſervari, mortuo vaſſallo, niſi in vaſſalli monumentis & inveſtitura expreſsè cautum ſit, ne poſſit quovis modo alienare; nam

(a) Alvarot. c. 1. § quod ergo. De inveſtit. de re aliena facta, Bart. & al. DD. l. ſi finita, § 26. ff. de damno infecto. (b) Vid. Gloſ. & Bart. in l. 1. ff. de pign. act. (c) 2 F. 3. § 1. & 2 F. 9. pr. 2 F. 55. (d) Lib. 2. D. 10. § 5. (e) 2 F. 3. § 1. (f) Cap. 91. Parl. 6. Jac. IV. (g) 2 F. 34. § 2. (h) Vid. § 2. (i) 2 F. 26. § 5. verſ. beneficium. (k) Alvar. ſuper cap. 1. quibus modis feudum amittatur.

nam prohibitio hominis concurrens cum prohibitione legis, omnimodam alienationem prohibet, & nullum prætextum, nullam ſpeciem admittit, duo enim vincula ſunt uno fortiora. Sic clauſula irritans in emphyteuſis locatione, cum eadem ex communi diſpoſitione legis adjuncta, excuſationem omnem alienationis à vaſſallo tollit. Dixi in principio, *ſine dolo malo :* nam ſi fraus intervenerit, veluti ſi quis deſcendentes aut alios non habeat, ad quos feudum ſe mortuo pertinere poteſt, & ſit ſenex vel caſtratus, ſi his caſibus ſubinfeudet, ut dominum fraudet, non permittitur: ut neque ſi Eccleſiam ſubinfeudet, quia ſervitia ab ea difficulter exiguntur *(a)*.

24. Quod autem de alienatione diximus, idem Doctores putant, de longiſſimi temporis locatione, nam eadem ferè videtur cauſa ingratitudinis, præcipuè ſi ob imaginarium pretium aut mercedem locetur feudum. Nam locatio longi vel longiſſimi temporis, eſt ſpecies quædam alienationis, & ſub alienatione continetur, & fraus fieret legi, niſi & locatio longi vel longiſſimi temporis ſimul cum alienatione prohiberetur, licet longum tempus definiatur decennium *(b)*. Imò ne in novem annos locare licet, cum pacto de renovando toties quoties *(c)*; nam ſic fraus fieret legi. Imò nonnulli putant, ne in potentiorem, pro tempore parvo, fieri poſſe *(d)*. Alienationis nomine omnis venditio, permutatio, in dotem aut ſolutum datio, ut dixi *(e)*, comprehenditur *(f)*: &, ſive illa alienatio ſit voluntaria, ſive neceſſaria, ſemper vaſſallo cenſetur interdicta, etiam licet domini conditio non fiat deterior: nam feudum affectum eſt, & non eſt vaſſalli ſolius, ſed potiùs domini; itaque ſemper debet ei ſervari electio ſui vaſſalli. Sunt tamen qui putant vaſſallum, pro neceſſitatibus ex cauſa feudi provenientibus, veluti pro ſervitiis domini, poſſe eatenus alienare *(g)*.

25. Alienatio autem hæc tum fieri dicitur, ſi traditio ſubſequuta ſit, quam nos ſaſinam dicimus; adeo ut licet vaſſallus de alienando contraxerit, imò licet pignus in feudo conſtituerit, ſi tamen traditio non ſubſequatur, non cenſeatur alienatio, quia dominii non eſt tranſlatio. Idem, ſi alius quicunque contractus ſuper feudo ineatur, ſi ex eo traditio ſive inveſtitura non ſequatur. Sufficit autem hæc traditio ſive propria fuerit, ſive abuſiva *(h)*. Quòd ſi traditionem vaſſallus fecerit, ea tamen ſit invalida & nulla, exempli causâ, ſi chartam dederit de fundi alienatione tenendam de domino ſuperiore, quam ſaſina ſequatur, & dominus ſuperior neque confirmaverit, neque ratam habuerit, videtur hanc alienationem nihil periculi ſecum trahere, cum conditionalis videatur, & ſub hac conditione contracta, ſi dominus ratam habuerit aut confirmaverit : quæ conditio cum non evenit, & alienatio nulla ſit ex defectu conſenſûs ſuperioris, & paria ſunt in jure, omninò non fieri & non legitimè fieri, videtur in his caſibus vaſſallum in pœnam non incidere. Sed profectò in hoc caſu puto etiam feudum domino aperiri, nam quandocunque vaſſallus id omne fecit & exequutus eſt, quod in ſe erat, licet factum illud de jure non teneat, tamen quatenus in ſe eſt, domini mutationem ſe velle teſtificatus eſt, fidemque fregit; in hoc etiam caſu à feudo cadet, licet alienatio nulla ſit *(i)*: neque enim alia diſpoſitio, quæcunque ea ſit, feudi, inſcio domino, valet, & tamen vaſſallum ob operam contra dominum navatam feudo privat. Nuper tamen Senatus, in cauſa inter Advocatum regium & Kennethum Mackenzie & Bane, aliter cenſuit, ex traditione cujus, nullitas etiam ex poſt facto ſequuta, nempe quod ſaſina intra 40 dies non erat regiſtrata, neque ex tali traditione feudum in commiſſum cadere voluit : hanc tamen ſubinfeudationem, mortuo ſuo vaſſallo, dominus, etiam ſi ſubvaſſallus paratus ſit ſervitia debita præſtare, agnoſcere ſeu ratam habere non tenetur *(k)*.

26. Quòd ſi traditio ſive inveſtitura facta eſt, hac lege, *ſalvo jure domini mei*, vel *ſi dominus voluerit & conſenſerit, alieno*; quia tota hæc alienatio conditionalis, & proinde deficiente conditione non valeat, in hoc caſu feudum domino non aperiri

(*a*) Gloſſa & DD. in 2 F. 3. § 1. (*b*) Schon. in not. ſuper theſ. 61. Diſp. 10. lib. 3. (*c*) 2 F. 9. § 1. (*d*) Curt. p. 4. n. 92. vid. § 23. (*e*) § 11. (*f*) 2 F. 42. in fine, & 55. ibi, Quocunque modo diſtrahere vel alienare. (*g*) Curt. p. 4. n. 95. (*h*) Za. p. 10. n. 8 Schon. theſ. 53. Diſſ. 10. lib. 1. (*i*) Paul de caſtro, l. 1. § 25. ff. depoſiti. (*k*) Curt. in p. 4. n. 85. & DD. communiter, in c. 1. qualiter feudum olim alienari poterat, 2 F. de clauſula ſalvo jure domini & ſimilibus.

putant Doctores; itaque ad evitandam pœnam Baldus, & reliqui Feudiſtæ tutius eſſe putant, ſi poſt illam clauſulam [*ſalvo jure cujuſlibet*] quæ in antiquis inveſtituris erat frequentiſſima, addantur hæc verba [*& præcipuè ſalvo jure domini mei*, vel *ſi dominus meus conſenſerit, & non aliter, aliàs, neque alio modo*;] hoc enim modo pœnam evitari poſſe putant, niſi in clauſulæ illius appoſitione fraus manifeſtè appareat, veluti ſi vaſſallus caſtrum vel feudum potentiori, forte tyranno, tradiderit, à quo poſſeſſio difficulter recuperari poteſt, & ſervitium nullum expectatur, non enim facilè potentiores ab inferioribus in ordinem rediguntur, aut ad ſervitia coguntur: itaque in hoc caſu vaſſallus à feudo cadet, non obſtante proteſtatione, cum ſit facto contraria. Idem de clauſula, [*vendo tibi ſi poſſum facere de jure,*] quod ob eam vaſſallus non cadet à feudo. Si tamen dicat [*ſalvo jure, ſalvo honore, ſive conſenſu domini,*] communiter hæc clauſula non ſufficit, ſed condemnat.

27. In hanc autem pœnam vaſſallus incurrit, ſi ſciens alienaverit *(a)*, cum tamen ignorantiam prætendens vix audiendus ſit, cum ſit craſſa ignorantia feudi ſui conditionem ignorare. Poſſunt tamen caſus aliquando intervenire, cum quod reverâ feudum ſit, emphyteuſim quis credat; aut feudum non militare, quod eſſet militare; in tali cauſa feudum vaſſallus non amittet, ſed excuſabitur. Exempli gratiâ; ſi inveſtitura ita concepta ſit, *ut decem libras domino ſolvat, cum ſervitiis aut ſervitio debito aut conſueto*, reverâ feudum hoc eſt militare, & tamen quoniam annuam præſtationem continet *decem librarum*, poterit quis probabiliter induci, ut feudum credat emphyteuticum, (in quem errorem ſemel multos viros magnos incidiſſe novi,) cum reverâ hoc eſſet feudum militare, & ſervitia deberet, & præterea cenſum: non enim quævis annua præſtatio emphyteuſim inducit, niſi exprimatur hanc præſtationem *nomine feudi firmæ* fieri. Sic ſi quòd putaverat francum feudum fuiſſe, ſit tamen militare, & cuſtodiam & relevium debeat; in quâ diſtinctione inter feudum francum & militare, multas novi dubias quæſtiones ortas, quæ judicium multorum fatigarent. Itaque in his veniæ ſive excuſationi locus eſt, ſi modò probabilis erat ignorantia. Plerumque etiam juramento vaſſalli permittitur hæc ignorantia, niſi præſumptiones in contrarium urgeant. Nam antequam ejus juramento permittatur, multæ & probabiles rationes concurrere debent, quæ pro vaſſallo faciant; & conjecturis & præſumptionibus res eſt examinanda. Quòd ſi dominus pluribus & gravioribus præſumptionibus nitatur, non eſt deferendum jusjurandum vaſſallo; ſemper enim in jure plures præſumptiones vincunt pauciores, & graviores vincunt minores.

28. Uſque adeò hæc alienatio prohibetur, ut neque domino bannito aut excommunicato liceat; cùm tamen interea, neque ad ſervitia, neque fidelitatem vaſſallus obligetur, manente banno ſive rebellione, aut excommunicatione, ſed expectandum eſt, donec dominus banno aut excommunicatione liberetur, ut ejus conſenſus habeatur. Filii etiam, ſi ſit heres apparens, conſenſus non requiritur. Poteſt tamen apud nos quæſtio moveri, ſi filius ſit in feudo, & apud patrem ſit liberè tenementum reſervatum, an vi hujus reſervationis poſſit alienationi vaſſalli conſentire? Et quoniam ex jure noſtro, cui libere-tenementum conceſſum eſt, mutatio vaſſallorum permittitur, & feudi renovatio, de perſona in perſonam, poteſt etiam dici in hac ſpecie libere-tenentis conſenſum ſufficere, ut in feudo Eccleſiaſtico ſolius Prælati conſenſus ſufficit, licet nudam adminiſtrationem tantùm habeat. Sed profectò cum conſentire nemo hîc poſſit, qui non alienare; puto aliquid majus hîc eſſe, quàm quod à domino libere-tenementario præſtari poſſit, neque ejus conſenſum ſufficere, ſine conſenſu filii, in cujus perſona feudum conſiſtit; ſed malo in dubio quæſtionem hanc relinquere, quàm temerè aliquid affirmare. Si plures ſint domini, unius conſenſus non ſufficit, niſi pro ſua parte, ſed & aliorum pro ſuis portionibus conſenſus requiritur. Nos hâc moleſtiâ liberamur, cum dominium directum apud nos non ſit diviſibile, & ad unum tantùm pertineat. Conſenſus autem hic debet eſſe domini immediati, non mediati ſuperioris; licet quidam utriuſque conſenſum requirant.

29. Hæc

(a) 2 F. 42.

29. Hæc autem prohibitio non extenditur ad alienationem, quæ in eum fit qui immediatè in feudo ſucceſſurus eſt; nam ceſſant omnes prædictæ hæ rationes. Remanet enim feudum in ea familia, quam ſibi dominus ad ſervitia & conſilia domi & militiæ delegerat ab initio. Idem plerique ex jure putant, ſi certæ perſonæ in inveſtitura ſint comprehenſæ, ita ut unus alii ſubſtituatur, aut unica familia alteri, ut apud nos in feudis talliatis videmus, ut alienatio à vaſſallo facta, in quamlibet harum perſonarum valeat: nam perſonæ hæ à principio à domino ſelectæ, inter quas feudum remanere voluit, videntur. Si quis ſibi & Henrico filio inveſtituram ſumpſerit, alienando non præjudicat filio, & apud nos, ſi expreſsè ſumatur ſibi & filio, nomine filii expreſſo, filius in feudo dicitur eſſe. An tamen pater aut frater vaſſallus, ex pluribus liberis aut fratribus, unum poſſit eligere, & ſucceſſorem ſibi deſignare, licet is, ex ordine per legem conſtituto, non ſit ſucceſſurus fortè, cum qui immediatè ſucceſſurus ſit aliquem defectum aut mentis aut corporis patiatur [*quæſtio eſt*]? Nam & hic ceſſant omnes rationes, quæ alienationem feudi prohibeant, ſiquidem feudum in familia à domino electa à principio remanet, & fortaſsè magis idoneus ad ſervitia dominica ſeligitur, in quo dominus præjudicium in ſervitiis pati non poteſt, imò in meliore conditione conſtituitur, cum ex quatuor aut quinque liberis aut fratribus commodiſſimus ad ſerviendum domino infeudetur. Et ſanè in hac quæſtione Doctores controvertunt vel maximè; & ſunt qui putant in his feudalibus dignitatibus, quales ſunt Ducatus, Marchionatus, Comitatus, licere, cum ſint indiviſibiles, & qui eis fruuntur, quique magis digni ſunt, magiſque rempublicam poſſunt promovere, præferendi videantur, quaſi ad eam dignitatem ſuſtinendam aptiſſimi: meo judicio quidem non licet, ſed vel naturæ & juris ordo ſequendus, aut domini electioni, ſi quæ fuerit electio, res permittenda, ſaltem in his inferioribus feudis, quæ ſecum dignitatem non trahunt.

30. Supereſt ut videamus, in quibus feudis hæc prohibitio & pœna locum habeant. Sanè apud nos locum tantùm habent in feudo militari, quod wardam & relevium debet: in reliquis feudorum generibus prohibitio hæc ceſſat, itaque feudum francum, emphyteuticum & Eccleſiaſticum, vaſſalli, reliquis, quæ obſervari debent, ſolenniter obſervatis, poſſunt vel in toto vel in parte alienare, etiam domino invito & non conſentiente; licet in feudo franco aliud Baldus putet *(a)*, & ſanè rationem æquitate nitentem adducat. Nam, inquit, feudum francum, licet à ſervitiis ſit immune, non tamen ab eis officiis, quæ ſine ſervitio præſtari poſſunt; nam tenetur vaſſallus francus ſecretum domini ſui non prodere, inſidias ſi quas ſciat prohibere, feudum ſine ejus conſilio & conſenſu non alienare; cum talis vaſſallus non minus ad fidelitatem teneatur, quàm quivis alius, & contra fidem facere videtur, qui dominum mutare, & alium vaſſallum ei obtrudere velit, cujus conſilio ſaltem, ſi non ſervitio, uti poſſit: idem ſentit & Jaſon *(b)*. Utcunque hi volunt, alii tamen contra ſentiunt; & nos niſi in feudis militaribus prohibitionem hanc non ſervamus, in reliquis feudis, liberâ vaſſallis poteſtate permiſsâ, ut pro ſuo arbitrio feudis ſuis utantur & abutantur.

31. In hac recognitione duo ſunt potiſſimùm obſervanda: Primum, tenor inveſtituræ, quidque in ea contineatur; Secundum, mos regionis in qua res geritur. Quod ad primum attinet, verba inveſtituræ legem feudo ſemper dant, ut antea monuimus: itaque ſi dominus tantùm feudum conceſſerit *vaſſallo & ejus heredibus*, perſonam heredum feudum egredi non debet; itaque alienatio in quamvis aliam perſonam *(niſi heredem)* amiſſionem feudi inducit, & alienatio, ſi in alterum fiat, quàm eum qui immediatè ſucceſſurus eſt, in extraneam perſonam fieri dicitur. Quod ſi verba ferant, [*dicto vaſſallo & heredibus ſuis, aut cuicunque alii velit concedere,*] aut, ut nos verba concipimus, [*heredibus & aſſignatis,*] in hac verborum conceptione, non puto locum recognitioni: nam plerique omnes docti, Hottomannus, Zaſius, Schonerus *(c)* & ſi qui alii melioris notæ ſint Feudiſtæ, per hæc verba, [*cui-*

(*a*) Baldus in C. 6 & 8. Extr. de fide inſtrumentorum. (*b*) In præludiis feudorum n. 114 & 118. (*c*) Hotto. in f. c. 37. feudalium diſputationum.

cunque alii voluerit concedere, aut cuicunque velit,] vaſſallo feudi alienandi poteſtatem tribui volunt, & vox [*aſſignatis*] cum eis quibus aſſignare velit, exegeticè concurrit; ut ex eorum ſententiis, quoties verba infeofamenti primi diriguntur ad *vaſſallum, heredes ſuos & aſſignatos*, eis verbis ſignificetur, poteſtatem liberam vaſſallo tribui, aſſignatum particularem ſucceſſorem in feudo conſtituere, ſive feudum alii cedere, quod nihil aliud eſt, quàm feudum alienare poſſe, cum ex uſu noſtro *aſſignatus*, ſive *ceſſionarius*, idem ſit cum ſingulari ſucceſſore. Idem plerique putant, ſi inveſtitura ita concipiatur, ut ad *omnes ſeu quoſcunque heredes* tranſeat, vel ſi *vaſſalli heredibus* quis dederit aut *aſſignatis*; nam in his omnibus vaſſallo licentia permiſſa videtur quos velit infeudandi, aut quibus velit alienare *(a)*.

32. Secundum quod obſervari debet, eſt mos regionis, in qua res agitur; nam feuda ferè omnia ſunt localia, & conſuetudo regionis regulam in eis facit: ſed quando ſtatuto vel conſuetudine alienatio permittitur, illa conſuetudo ſive ſtatutum ſtrictè accipiendum eſt *(b)*. In Gallia feudum alienare vaſſallo, cui velit, ſine diſtinctione aut diſcrimine licet, ita ut emptor fidelitatem domino jurare paratus ſit, & offerat; ſic tamen ut ex pretio alienationis, alibi major, alibi minor pars domino debeatur: nec in ipſa Germania Friderici edictum obſervatur. Apud nos, ut dixi *(c)* in feudo recto ſive militari, ex quo cuſtodia cum relevio debetur, hæc alienatio tantùm prohibetur, & ad feudi majorem partem extenditur: majorem autem cenſemus, quantulocunque major eſt pars alienata, quàm relicta. Itaque dimidii minoris alienatio apud nos permittitur. Sed, ut Imperator ipſe loquitur, callidis hominum machinationibus innumeræ fraudes in legem committuntur. Itaque ſolebant aliquando noſtri, cum domini conſenſum non poterant obtinere, minus dimidium feudi alienare, tenendum de majore dimidio; poſtea & illud majus dimidium in emphyteuſim locare. Hodie tamen, quia brevis via eſt, totum feudum in emphyteuſim locant, mercediſque ſolutionem aliunde ſibi provident, nempe per inveſtituram in annuo reditu, ſuper alio feudo, qui annuus reditus valorem cenſûs emphyteutici æquet: quòd ſi ex conſuetudine aliqua ſolennitas requiritur, ejus omiſſio alienationem vitiat. Idem, ſi hæc ſolennitas ſtatuto introducta ſit *(d)*.

33. Ex jure antiquo feudorum, non tantùm conſenſus domini requirebatur, ſed etiam agnati proximi à latere, qui proximus, inquam, erat in ſucceſſione collaterali *(e)*; nam deſcendentium, ſi pater alienaverit, nulla habebatur ratio, quia ob patris factum indigni reputabantur: itaque poteſtas conſentiendi ad proximum agnatum à latere devolvebatur; adeò ut niſi etiam alienationi conſenſerit, revocandi habeat poteſtatem, etiam non ſoluto pretio: & in his omnibus caſibus, quibus lege vel ſtatuto alienatio permittebatur, *jus Protimeſeos* illibatum ſervabatur. De hoc jure *Diegeſi ſequenti*. Sed de hac quæſtione, cum diverſæ & etiam inter ſe pugnantes ſint Feudiſtarum opiniones, nec multum ejus quæſtionis tractatio ad mores noſtros pertineat, eam in Diegeſim ſequentem differo.

34. Movet autem quæſtionem inter Interpretes, an generalis domini conſenſus permittentis vaſſallo, *cuicunque velit*, aut *quando velit feudum alienare*, ſufficiat, & vaſſalli alienationem excuſet? Et ſanè concludunt omnes generalem conſenſum ſufficere, modò non porrigatur ad illicita: nam ſub generali clauſula illicita non veniunt. Itaque, non obſtante generali clauſulâ conſenſûs, *cuicunque velit* vaſſallus ut poſſit alienare, non poteſt tamen in inimicum domini alienare, cum hoc ſemper prohibeatur, & ſit illicitum. Neque in Eccleſiam valet alienatio, quia nec hoc permittitur, cum domini conditio reddatur deterior, difficulter enim ſervitia ab Eccleſia exiguntur *(f)*. Ratio eſt, quia in generali permiſſione, nunquam illud conceſſum intelligitur, quod quis veriſimiliter in ſpecie non fuiſſet permiſſurus. Sunt qui idem putant in civitate & communitate *(g)*. Hæc ideò, ne ſub generali illa permiſ-

(*a*) Bald. c. 1. § donare, qualiter olim feudum alienari poterat. (*b*) Gloſſa & And. de Iſern. in c. 1. qualiter olim feudum alienari poterat, Curt. in Conſ. 171. quia conſuetudo illa eſt contra juris communis regulas. (*c*) § 30. (*d*) Tiraquel. l. 1. de retractibus, Gloſſ. 2. n. 6. Jaſon l. f. n. 139. c. de jure emphyteutico. (*e*) 2 F. 39. pr. (*f*) Alvar. & præpoſit. c. 1. n. 8. de prohibita feudi alienat. per Fridericum. (*g*) Schon. theſ. 75. diſp. 9.

permiſſione nominandi in regno Angliæ ſucceſſoris, Sereniſſima Regina putet ſibi permiſſum, juſtum & legitimum heredem ſucceſſione privare. Quid verò dicet aliquis, ſi ſpecialis ſit conſenſus, ut ſi dominus, ut in certam perſonam alienet, vaſſallo permittat, aut conſenſerit ut unam partem tantùm alienet? Conſenſus hic ultra eam perſonam & partem non extenditur; adeò ut neque alii, neque plus quàm permiſſum eſt, vaſſallus alienare poſſit. Sic ſi dominus, ut totum feudum vaſſallus alienet, conſenſerit, & ille partem tantùm alienaverit, non minus feudo privabitur, licet regulariter in toto pars inſit; nam dominus in partis alienationem non conſenſit, ſed totius: quid enim, ſi domini intererat partem non alienari, cum totum alienatum e re ſua eſſet *(a)*?

35. An autem in hac alienatione, tacitus domini conſenſus ſufficiat, an expreſſus requiratur, plerique Interpretes dubitant. Tacitum autem conſenſum dicunt, patientiam cum ſcientia; veluti, ſi dominus patiatur emptorem uti & frui, cum præſens eſſet, aut in proximo habitaret, aut fortè ſi ſervitia aut obſequia ab eo receperit. Nec in hac quæſtione Doctores noſtri inter ſe conveniunt; nam quidam taciturnitatem cum ſcientia domini requirunt, alii etiam præſentiam in actu. At ſanior eorum videtur opinio, & cum jure ſcripto feudorum & Civili potiſſimùm convenire, qui præſentiam cum ſcientia requirunt, non ſolùm ad feudi jam accepti in aliena perſona novam confirmationem, ſed etiam ad novi feudi conſtitutionem. Scimus multa, jure Feudali, teſtimoniis Parium Curiæ, & aliquando teſtium probari poſſe, quæ alioqui ſcriptum requirerent; & feudum novum, longi temporis præſcriptione, cum domini ſcientia & patientia conſtituitur. Imò, ſi feudum à vaſſallo alienatum emptor, ſciente & patiente domino, triginta annos poſſederit, ſemelque ſervitia præſtiterit, præſcriptione dominum agentem ex recognitione repellet *(b)*. Si litera domini intervenerit, actum ſibi placere, vel placuiſſe, teſtantis, vel alienatio ejus ſigillo roboretur, vel dominus ſervitia ceperit, vel ſciens in alienatione agnato facta, per annum; ſi extraneo, per triginta annos tacuerit, alienatio valet *(c)*.

Sed apud nos, neque præſcriptio hæc locum habet, & domini conſenſus expreſſus in ſcriptis requiritur. Sed ſi conſenſus non ſit adhibitus, nec à principio potuit impetrari, ſi tamen dominus poſtea ratum habuerit, ſufficit & retrotrahitur, modò nullum ſit impedimentum, ſi utraque pars, ſaltem novus emptor, adhuc vivat; nam puto confirmationem in perſona heredis non ſufficere, neque enim verè dici poteſt, auctorem ſuum in feudo deceſſiſſe prædii. Quod & deciſum in Senatu vidi, in cauſa quæ inter dominum de Grange, & fratrem domini de Pherneheſt, controvertebatur; nam confirmatio à Principe impetrata illius inveſtituræ, quod Jacobus Kircaldie de Grange filiæ ſuæ fecerat, rejecta eſt, cum ageretur de non-introitu dictarum terrarum, quem ſupplere voluit Pherneheſtii frater per confirmationem poſt exceſſum matris ſuæ obtentam: ſed fruſtra, ob hanc potiſſimùm rationem, quòd nunquam dici potuit, verè illam in feudo deceſſiſſe. Hæc autem ratihabitio, ſive per confirmationem, quæ univerſum tenorem inveſtituræ contineat; ſive ſubſcriptionem domini ipſi inveſtituræ, teſtificantis ſe conſentire, aut ratum habere quod factum; ſive quocunque alio ſcripto ſeparato, eam alienationem ſe ratam habere ſignificaverit, ejuſdem effectûs ſunt, idemque apud nos operantur. Neque ſolùm hæc ratihabitio expreſſa prodeſt, ſed etiam, ſi quid dominus poſt alienationes omnes fecerit, per quod jus qualecunque in vaſſalli perſona adhuc conſiſtens videtur approbare, toti huic recognitioni præjudicat; veluti, ſi poſt omnes has alienationes, & poſtquam ſufficiens actio ad recognitionem competit, reſignationem à ſuo vaſſallo, vel ab eo cui alienaverit, receperit, ſive in favorem vaſſalli, ſive alterius; nam accipiendo reſignationem, videtur jus reſignantis approbare, itaque poſt eam non competet actio hæc domino. Quod in actione, inter Dominum de Calderwood, & Maxwel de Aikinhead, decidiſſet Senatus, niſi quòd reſignatio illa facta eſt in manibus domini Regis, cum minor fuiſſet, & ex Regis revocatione,

(*a*) Cap. 1. de prohibita feudi alienat. per Frid. & ibi, And. de Iſern, & præpoſit. Zaſ. p. 1. n. 36. l. 31. C. de tranſact. (*b*) 2 F. 9. § 1. verſ. Porrò. (*c*) Schon. cum annot. theſ. 74 diſp. 9. lib. 1.

one ad non resignationem fuisset reducta; nam apud nos receptum est Proreges; sive Regum tutores aut curatores, hanc licentiam non posse concedere; licet quidam Feudistæ contradicant *(a)*.

36. Supereſt una adhuc quæstio, quæ me diu anxium habuit: nam cum liceat minus dimidio feudi sine consensu domini alienare, & qui minus hoc dimidio acquirit justam & legitimam investituram videatur habere, & ab initio rectè & solidè constitutam, nec ulli nullitati obnoxiam, quî fiat, ut vassallo postea, vel totum feudum alienante, vel plus quàm dimidium, non solùm id quod jam alienavit, sed id quod ab initio legitimè novo emptori acquisitum erat, jam etiam ei auferatur, & totum feudum domino aperiatur: cum tamen tam jure Civili quàm Canonico contineatur, ut *quæ utiliter ab initio sint constituta, durent, licet ille casus exstiterit, à quo incipere non potuerunt (b)*. Nam quod utiliter constitutum est, qui potest, ex alterius delicto postea corrumpi? *cum sua mora, sua culpa cuique obesse debet, non alii (c)*. Et sanè mirum in hoc casu videri potest, cum tamen, si illa minor pars confirmationem à domino habuerit, in illud periculum non incidat, nec tamen qui minoris partis investituram accepit, minus legitimè feudum habeat, quàm qui illam minorem à Principe aut domino confirmatam habeat. Meo quidem judicio, hæc ratio differentiæ est, quòd qui dimidium minus feudi alienatum sine consensu domini habet, legitimè quidem feudum constitutum habet, ita tamen quòd ad illegitimum reduci possit, nisi domini superioris consensus adhuc accesserit. Itaque in pendenti quidem adhuc est illud feudum, dominusque, cum primum feudum illi per recognitionem aperitur, totam alienationem, quasi unam & non separatam, agnoscit. Neque enim priùs vassallus in eum peccat, quàm si plus quam dimidium alienaverit, quo facto tam illud quod priùs alienavit, quàm illud quod post & etiam quod supereſt adhuc non alienatum, in commissum cadet, & à domino vendicabitur. Neque in hoc solùm casu, quod ab initio rectè constitutum est, ex post-facto cadit, sed etiam ex post-facto & delicto vassalli, si feudum domino aperiatur, & omnium valvassorum, seu subvassallorum jura etiam cadunt, licet ab initio rectè constituta sint. Est itaque hoc peculiare in feudis, quòd ea quæ ab initio rectè aliquando constituta sunt, ex post-facto & delicto alterius subverti possint, nisi domini superioris in his subfeudationibus consensus & confirmatio interveniat. Et hæc de prima causa amissionis feudi apud nos, nempe per recognitionem. Vocatur autem recognitio, aliâ significatione, quàm quæ in jure habetur, quando dominus totum suum cognoscit, cognitioneque habitâ in eo se decipi videt; itaque tum feudum dicitur recognoscere.

Diegesis quarta,

De jure Protimeseos.

SUMMARIA.

1. *Olim in feudi antiqui alienatione agnatorum ratio habebatur; adeò ut, iis invitis, vel alienatio irrita fieret, vel saltem redimendi ab emptore potestas permitteretur, præstatione ejusdem summæ.*
2. *Methodus in hoc titulo ab auctore proposita. Quid jus Protimeseos, & unde ductum.*
3. *Ejus apud nos quædam umbra est in legibus burgorum, & in emphyteusibus, in multis aliis regionibus etiam obtinet.*
4. *Jus hoc est originis Græcæ, apud Latinos* retractus *vocatur, & habet locum in feudis tantùm, & rebus immobilibus, non*

in

(*a*) Rosenthallus, q. 39. c. 4. (*b*) l. 85. § 1. de R. J. factum legitime 73. in 60. decretal. de R. J. (*c*) l. 173. § 2. de R. J.

in fructibus pendentibus, aut annuis reditibus, quæ inter mobilia numerantur. In indiviſis ſocii, ſive coheredes, præferuntur.

5. *Verbo* alienare *in textu quid contineatur? Locationum duo ſunt genera, ad longum tempus, aut brevc: primum ſub ſe alienationem comprehendit, & in eo jus prælationis locum habet; non autem in brevi, licet aliud Feudiſtæ teneant.*

6. *Perſonæ, quibus hoc jus competit, ex ordine admittuntur; nec poſteriori locus eſt, donec priores aut expreſsè aut tacitè renunciaverint. Eæ ſunt parentes, agnati, aut vicini. In jure Protimeſeos hoc ſingulare eſt, quòd, viventibus agnatis, alii etiam in eorum bonis, iis invitis, jus habeant. Inter eos agnatos non numerantur baſtardi, nec de baſtardis nati, licet ſint legitimi. Poſt hos dominus admittitur. Inter vicinos propior excludit remotiorem.*

7. *Tempus intra quod hoc jus competit ſunt* 30 *dies, numerandi à die denunciationis, vel à tempore ſcientiæ quatuor menſes: & non ſufficit ut quis ſciat venditionem eſſe factam, niſi etiam de pretio certioretur.*

8. *Quomodo hæc ſcientia probetur. Ea vel vera eſt, ad quam per corporis ſenſus pervenitur, & notitia dicitur; vel præſumptiva, quæ ex conjecturis fit, vel ex publica fama. In hoc caſu tempus currit à die ſcientiæ veræ: ſcientia præſumptiva tamen onus probationis in alterum rejicit, vel adverſarii juramento res defertur.*

9. *Denunciatio quomodo facienda ſit, & an fieri debeat ubi ſcientia eſt? Si ſit de forma, debet.*

10. *Venditor, ſi ſit in ſumma neceſſitate conſtitutus, ante hoc tempus alienare poteſt, modò ei qui jus habet prælationis denunciet, & proteſtetur. Vaſſallus in cauſa neceſſitatis alienare feudum poteſt, ſi is qui eſt alioqui ſucceſſurus recuſet eum alere: imò furtum neceſſitate excuſatur.*

11. *Qui jus prælationis habet, ante decurſum tempus pretium rei emptæ emptori ſolvere debet, vel ſaltem offerre. Verum pretium à judice definiendum. Id quomodo æſtimetur?*

12. *Elapſo tempore, qui jus prælationis habet ulteriùs non admittitur.*

13. *Quidam ſunt, quibus hoc tempus præſcriptionis non currit. Quando quis dolo, aut fraude abeſſe videatur, & quando non? Minores & abſentes reip. cauſâ non ſimpliciter excuſantur: hi enim per tutores vel procuratores pretium offerre poſſunt: & in hoc caſu* 4 *menſes indulgentur.*

14. *Jus prælationis, quod* Congrui *vocatur, reale eſt, & afficit rem. Competit contra emptorem, tanquam poſſeſſorem, non contra venditorem; & victo fundo, emptori denegatur victio adverſus venditorem. Tempus* 30 *dierum, aut* 4 *menſium variat in diverſis regionibus.*

15. *Hæc actio non competit ei qui atrocem injuriam contra venditorem exercuit. Atrox injuria quid ſit? Ignorantiæ probabili ignoſcitur. Quæ perſonæ nomine familiæ comprehendantur? Niſi remittatur injuria à venditore, perit cui competebat hoc jus Protimeſeos.*

16. *Jus hoc non habet locum, ſi res alienetur causâ dotis; vel in ſimplici donatione, per contractum inter vivos; nec in donatione mortis cauſa: teſtator tamen in teſtamento jus prælationis alicui jam competens prohibere non poteſt.*

17. *Nec in permutationibus locum habet hoc jus, licet venditionis nomine ſæpe comprehendatur, (in prohibitoriis tamen diſtinguitur;) nec in tranſactionibus. In omnibus his contractibus abeſſe debet fraus & ſimulatio.*

18. *Simulatio in his contractibus quomodo probetur?*

19. *Contractus cum potentioribus initi non minus ſunt ſuſpecti, quàm qui dolo & fraude fiunt. Qui dicantur potentes?*

20. *Qui ſint vicini? qui cum iis concurrant, aut ſint potiores?*

21. *Taxatur Imperator Fridericus circa conſtitutionem Græcam. De capite, quo locupletes & potentiores bona tenuiorum acquirere prohibentur. In his præſcriptio decennalis poſſeſſores tuetur.*

22. *De aliis in hoc jure prælationis quæſtionibus.*

1. LICET non ſolùm antiquitùs cum conſenſu domini permittebatur feudi alienatio, verùm etiam aliis quibuſcunque caſibus, quibus ea, ſive ſtatuto, ſive conſuetudine erat licita, ut in burgis, emphyteuſibus & feudis francis; tamen in feudo antiquo, quod aliquamdiu in familia manſit, id non uſque adeò licebat, ut

agnatorum nulla ratio haberetur : sed & eorum aliquando consensus desiderabatur, adeò ut, iis invitis aut obstantibus, alienatio quodammodo in irritum caderet *(a)*. Id autem fiebat duobus modis : Primò, si alienatio facta quidem sit, nondum tamen omninò perfecta, (nam donec contractus, quos in scriptis fieri placuit, in mundum redigantur, & perlecti à contrahentibus subscribantur, pœnitentiæ semper locus est alterutri contrahentium) *(b)*, & tunc propinquiores ad impediendam perfectionem contractûs admittebantur, postulantes ut secum potiùs contractus fieret, quàm cum illo, cum quo priùs initus fuerat: Vel, si contractus jam fuerit perfectus, ut revocetur ab emptore feudi, saltem ut redimendi potestas permittatur ab eo qui emerit, præstatione ejusdem summæ quam ipse bonâ fide præstitit; & sic agnatorum jus eis salvum semper permanebit.

2. Sed ut res tota planior evadat, dicendum primò quid sit hoc jus Προτιμήσεως; unde deductum, in quibus rebus, & quibus personis competat, & quibus non; tum intra quod tempus, & utrum in simulatis contractibus locum habeat; quid si plures concurrant ad hoc jus petendum, quis alteri præferendus. Cujus juris licet rarior apud nos sit usus, vestigia tamen adhuc reverendæ illius vetustatis apud nos reperiuntur, & apud alios juris Feudalis observatores frequens est ejus usus, & celebris etiam in jure Feudali mentio. Primùm itaque inquirendum, quid sit hoc jus Protimeseos : quod nihil aliud est, nisi jus prælationis, quâ una persona alteri præfertur in rerum alienarum venditione aut auctione.

Hoc jus licet in jure Civili videatur sive damnatum, sive abolitum, quo quilibet de re sua cuicunque velit, & quandocunque velit, disponere potest *(c)*, certum tamen est ejus antiquitatem, non solùm ex historia sacra pendere, ubi jus emendi agri, qui ad defunctum Elimelech pertinebat, nulli competebat nisi propinquiori *(d)* & apud Hieremiam, *(e)* (verba ejus sunt : *Ecce Hanamchel propinquus tuus veniet ad te, dicens ; eme tibi agrum meum, tibi enim competit ex proqinquitatis jure, ut agrum meum emas :)* sed etiam ex constitutionibus Græcorum, à quibus hoc jus prælationis primò est introductum, & etiam in jure Civili aliquid huic simile habemus. Nam si quis ex colonis Imperatoriis vendere suum agrum cupit, requirere debet alios, qui sunt ex eadem origine seu jure, nec est vendendus illis qui consortibus gravis & molestus futurus est *(f)*. Sic metrocomi, qui dimensos à Principe pagos habent, prohibentur alienare possessiones suas, quocunque alienationis titulo intercedente, alioqui contractus redditur nullus, & solutum repetitur, nisi in ejusdem operæ participes metrocomos *(g)*; & emphyteuta, vendere volens rem emphyteuticam, tenetur primò domino directo offerre, nec nisi eo recusante aliis emendam proponere *(h)*. Multa sane sunt consanguinitatis privilegia, quæ apud Matthæum de Afflictis habentur, quorum hoc non leve est, quod taciturnitas longi temporis inter conjunctas personas præsumit solutionem debiti, secus in extraneo *(i)*, & inter tacentes consanguineos consensum taciturnitas illa præsumi facit. Hæc satis est monuisse, ne jus hoc prælationis omninò à jure Civili abhorrere videatur *(k)*.

3. Ejus apud nos umbra quædam adhuc manet, licet ea quidem non omninò plena & perfecta. Nam in legibus burgorum cavetur, si burgensis alienet terras suas propter necessitatem, creditor eas retinebit per annum unum & diem, intra quod spatium propinquioribus & amicis alienantis offeret, si eas emere vel acquietare voluerint, alioqui liberam habebit pro arbitrio eas disponendi facultatem *(l)*: & alio capite cavetur, si emphyteuta, necessitate compulsus, emphyteusim vendere voluerit, dominus qui dedit in emphyteusim, & sui heredes præponuntur aliis omnibus *(m)*; & in multis regionibus hic mos servatur, nempe in tota Italia, Sicilia, & terris Imperio subditis. Et quoniam fieri potest, ut quæ vetustate penè concidisse videantur,

(a) 2 F. 39. pr. (b) l. 17. C. de fide instrumentorum. (c) Toto titulo C. ut nemo invitus, l. 16. C. de jure deliber. (d) Ruth. c. 4. (e) Hierem. cap. 32. (f) l. 7. C. de Agricolis & censitis. (g) l. unic. C. non licere habitatoribus, vid. § 21. (h) l. 3. C. de jure emphyteutico, cap. potuit Extr. de locato. (i) l. 26. ff. de probationibus. (k) l. 35. ff. de minoribus, l. 16 ff. de rebus auctorit. jud. possid. (l) Cap. 94, 95, 96. de ll. burgorum. Si vero proximiores redemerint, alio capitulo sciz. 45. alienantem exinde alere tenentur. (m) cap. 100. ibid.

tur, ea rurſus reviviſcant, materiaque hæc multas & egregias diſputationes habeat, quæ alioqui moribus noſtris ferè recipiuntur, & ut nihil intactum in jure Feudali relinquamus, ſtatui totam hanc materiam levi manu percurrere.

4. De nomine προτιμήσεως antea dixi *(a)*, quod male *Protomeſeos* ab imperitis Græcæ linguæ ſcribitur; deducitur enim ex πρὸ & τιμᾶν, quod *honorare* ſignificat, adeo ut *Protimeſis* nihil aliud ſit, niſi prælatio honorifica. Deductum autem hoc jus ex conſtitutione Græca Romani Lacapeni Imperatoris Conſtantinopolitani, qui imperare cœpit anno 919. unde & hoc jus, ut ex textu patet, à Græcis moribus ad noſtros defluxit; Latini qui hodie in foro verſantur, *jus retractûs* vocant. Habet autem locum hoc jus prælationis tantùm in feudis & rebus immobilibus, ut in textu habetur *(b)*. Quid dicendum de fructibus pendentibus, & annuis redditibus? Nam fructus pendentes cenſentur pars fundi, & inter res immobiles numerantur *(c)*; ſic & reditus annui, qui panes civiles dicuntur inter immobilia numerentur *(d)*. Sed ſanè in his locum non habet hoc jus, cum hodie inter mobilia numerantur. Nec intereſt hæc res immobilis diviſa ſit, an indiviſa: nam quoad res diviſas certum eſt, domino, propinquis & aliis locum eſſe prælationis, ſed ex ordine, ut ait textus: in indiviſis, ſocii ſive coheredes, ſi pars alicujus vendatur, ſunt præferendi, ut poſtea dicemus.

5. Sed quærendum reſtat, quid per verbum *alienare* in textu contineatur? num omnis alienatio prohibeatur, an tantummodo tres alienationis modi, qui in textu *(e)* continentur, videlicet venditio, locatio & emphyteuſis? nam in textu habetur, *nec aliquo modo alienare poſſit, neque per venditionem, neque per locationem, neque emphyteuſim.* In jure ſanè, ſi generale verbum præcedit, & ſequantur ſpecialia verba, reſtringunt generale præcedens ad ſpecificata *(f)*: itaque hoc jus prælationis non extenditur ad alios contractus quàm tres ſupra ſpecificatos: neque enim locum habet hoc jus, ſi res alienetur, ex contractu dotis, nec donationis inter vivos, nec in his quæ fiunt causâ mortis, aut quæ proceduut ex ultima voluntate, nec in contractu permutationis aut tranſactionis, aliquo dato aut retento, ut poſtea dicemus *(g)*. Quòd jus hoc in locatione habere locum diximus, mirum cuivis videri poteſt, ſi de locatione ad modicum tempus intelligatur: & hæc ut planiùs intelligantur, locationum duo genera ponimus; unum in longum tempus, alterum in breve; & ex definitione unius, alterius notitia facilè emerget. Locatio ad decem annos, ex jure, dicitur ad longum tempus *(h)*, itaque ſub nomine alienationis comprehenditur ſæpiſſimè, & per locationem in longum tempus transfertur quodammodo utile dominium in conductorem *(i)*. Itaque jus hoc prælationis non videtur habere locum in locationibus, quæ pro minore ſpatio quàm decem annorum fiunt, & proinde nec ſub nomine alienationis comprehendentur, nec jus hoc in his pro modico tempore locationibus locum habebit. Contrarium tamen Feudiſtæ tenent *(k)*, quòd etiam locatio ad modicum tempus dicatur alienatio, adeò ut ſi is qui jus prælationis habet, eaſdem commoditates, utilitates & mercedes offerat, in locatione ſit præferendus.

6. Sequitur ut de iis perſonis dicamus, quibus hoc jus prælationis competit, & quæ revocandæ hujus alienationis, quaſi contra prohibitionem legis factæ, poteſtatem habent: nam ex ordine admittuntur, nec poſteriori locus eſt, donec priores aut expreſsè renunciaverint, vel tacitè. Primò itaque competit parentibus, ſecundò agnatis, tum etiam vicinis, aut ſimul concurrentibus, aut ſeparatim. Quòd ſi plures fuerint in eodem gradu, ex æqualibus partibus, omnibus jus quidem ſimul hoc competit; ſed ſi unus eo non utatur, ejus jus aliis uti volentibus accreſcet *(l)*. Etſi mirum eſt, quòd etiam agnatis viventibus, agnati alii in eorum bonis, etiam eis

(a) § 2. (b) Conſtitutione Friderici Imperatoris de jure protimeſeos 5. F. 13, 14 & 15. (c) l. 33. ff. de R. V. (d) l. 31. § 2. C. de jure dotium. (e) 5 F. 13. p. (f) Bart. l. 34. § 6. ff. de legatis 2. & in textu noſtro. (g) §§ 16 & 19. (h) Not. in l. 25. § 4. ff. ſoluto matrimonio, Bart. in l. 1. § 3. ff. de ſuperficiebus, Gloſſ. in Clement. de rebus Eccleſiæ non alienan. (i) d. l. 1. § 3. ff. de ſuperficiebus, l. fin. ff. ſi ager vectig. pet. (k) Matth. de Afflict. de jure protimeſeos. (l) Arg. l. 2. ff. ſi pars hered. petatur, l. unic. C. quando non petentium partes.

invitis, jus quoddam habebunt: nec vivus in præjudicium alterius poteſt renunciare, ſed per renunciationem prioris, ſemper poſteriori fit locus, ut textus hic noſter aperte habet. Nam licet ex jure quilibet poterit renunciare juri pro ſe introducto, & per renunciationem jura illius cui facta eſt confirmantur *(a)*, & proinde videatur ex renunciatione illius, qui jus prælationis habet, venditor liberam habere vendendi cui velit poteſtatem: non tamen renunciatio valet in præjudicium aliorum, qui ad jus illud ordine ſucceſſivo vocantur; ſed renunciatio prioris facit locum poſteriori *(b)*. Inter hos conſanguineos, ſive agnatos, non numerantur baſtardi; nam baſtardi, quoad commoda & honores, non includuntur in diſpoſitione legali, nec etiam de baſtardis nati, licet ipſi ſint legitimi; nam conſanguineos ex parte patris non habent, cum nulla cognatio legitima deduci poteſt ex cauſa corrupta, ſive illegitimo naſcendi principio *(c)*. Poſt parentes & agnatos, competit hoc jus domino; nam magna eſt inter dominum & vaſſallum conjunctio; itaque nihil mirum, ſi hic in his alienationibus aliis extraneis ſit præferendus, ut antea ex jure Civili docui *(d)*: ſub domini autem nomine comprehenditur conductor ad longum tempus *(e)*, non autem uſufructuarius. Inter vicinos, qui proprior eſt remotiorem excludit *(f)*.

7. Tertium eſt, ut ſciatur intra quod tempus jus hoc prælationis competat contra emptorem: & dicit textus *(g)*, intra triginta dies, numerandos à die denunciationis excluſivè. Denunciatio autem eſt clara & intelligibilis facti futuri deſignatio, cum proteſtatione ſive prohibitione tacita vel expreſſa *(h)*. Quòd ſi nulla denunciatio facta ſit, à tempore ſcientiæ competunt quatuor menſes, licet textus de tempore ſcientiæ non loquatur, ita tamen Feudiſtæ textum illum intelligunt. In qua ſcientia hoc obſervandum, quòd non ſufficit ſcire, niſi quis facti ſeriem cognoſcat, & quomodo quid factum ſit. Veluti, ſi is qui prælationis jus habet, ſciat quidem factam venditionem, non tamen de pretio ei conſtet, cum venditio ſine pretio eſſe non poſſit; itaque neſciviſſe quidem intelligitur *(i)*: ergo, ut tempus hoc ei currat, debet etiam de pretio certiorari, cum alioqui ſubſtantialia eorum quæ fiunt ignorare præſumatur.

8. Sed alia quæſtio longè difficilior ſuccedit, quomodo probetur hæc ſcientia? Ad quod Feudiſtæ reſpondent, duplicem eſſe ſcientiam facti, alteram veram, alteram præſumptivam. Vera eſt illa, ad quam pervenitur per ſenſus corporis, & hæc dicitur notitia, quæ non fallitur *(k)*. In hac ſcientia gradus à Feudiſtis numerantur, nempe primus dubitatio, ſecundus ſuſpicio, tertius opinio; tamen hi gradus non efficiunt perfectam ſcientiam, niſi aliquid etiam majus probetur. Scientia autem præſumptiva eſt, quæ ex conjecturis præſumitur; nempe vel conſanguinitate, cum conſanguineum facta conſanguineorum latere non ſolent *(l)*; ſi ſit ex vicinia *(m)*; aliquando ex eo quod publicè fit, vel publicè ſcitur *(n)*: aliquando etiam ſcientia præſumitur ex publica fama, & ex eo, quòd publicè in foro & locis publicis dicitur *(o)*.

In noſtro autem caſu, currit hoc tempus à die ſcientiæ veræ, & non præſumptæ; ùt in omnibus edictis & ſtatutis, ubi mentio fit de ſcientia, intelligenda eſt de ſcientia vera, & non præſumptiva *(p)*. Id tamen operabitur ſcientia præſumptiva, ut vel onus probationis in alterum rejiciat, vel ſaltem ut adverſarii juramento ſtetur: nam ſi adverſarius juraverit ſe neſciviſſe, præſumitur pro juramento, cum nemo ſuæ ſalutis præſumatur immemor.

9. Denunciatio autem hæc vel ad faciem, vel locum habitationis fieri debet: ad faciem, ubi invenitur perſonaliter is cui debet fieri; ad locum habitationis, ubi uxorem & familiam habet: & eo jure nos utimur in citationibus, inſinuationibus, &

(*a*) Arg. l. 8. § 11. ff. quibus modis pig. vel hypotheca ſolv. (*b*) Not. in l. 155. de R. J. (*c*) l. fin. C. de naturalibus liberis. (*d*) l. fin. de jure em. h. vid. § 3. (*e*) Matth. de Afflictis in primo §, n. 38. de jure protimeſeos. (*f*) Arg. l. 7. § 3. ff. de A. R. dom. (*g*) 5 F. 13. de jure protimeſeos. (*h*) l. 17 ff. ad leg. Jul. de adult. l. 5. pr. ff. quod vi aut clam. (*i*) Cynus in l. 1. C. de contrah. empt. (*k*) Bald. in l. 17. ff. de ll. fenat. Bar. in l. 31. de jurejurando. (*l*) l. 9. § 1. ff. unde cognati. (*m*) l. 9. C. de nuptiis. (*n*) Auth. qui ſemel, C. quomodo & quando judex, &c. (*o*) l. 30. § 3. ff. de acquir. & omitt. hered. & ibi Bart. & in l. 18. ibid. (*p*) Bart. in l. 31. ff. de jurejurando.

& denunciationibus : nec intereſt utrum judicialiter an extra judicium fiat. Sed quæri poteſt an denunciatio ſit requiſita, ubi quis ſcit, aut ubi ſcientia eſt, cum certus certiorari non debeat *(a)* : ex jure tamen & moribus noſtris, quoties denunciatio eſt de forma, non eſt omittenda, nec in hoc caſu ſufficit ſcientia *(b)* ; quod ſæpè in Senatu obſervatum vidi.

10. Notandum tamen hoc eſt, quòd ſi venditor ſit in ſumma neceſſitate conſtitutus ante hoc tempus, veluti infirmus, & non habens unde alatur, poterit alienare, modò ei, qui jus prælationis habeat, denunciet, & proteſtetur ſe ex neceſſitate facere, nec poſſe expectare terminum à lege introductum. Nam in omni diſpoſitione legali videtur excepta neceſſitas, quæ non habet legem ; & ſunt qui putant in cauſa neceſſitatis vaſſallum feudum alienare poſſe, ſi aliunde non habeat unde vivat *(c)* ; quod & apud nos aliquando obſervatur : nam feuda diſponi teſtamento non poſſunt, niſi in cauſa neceſſitatis, cum is, qui ſuccedere debet, recuſat impenſas præſtare infirmo ad alimenta & medelas. Sunt qui putant ex neceſſitate quempiam poſſe furari, ut ex jure Canonico habetur *(d)*. Sed ſemper ea neceſſitas intelligenda eſt, in quam quis ſe ſciens non conjecerat : nam cum potuit operari, & noluerit, unde in egeſtatem deductus, coactus ſit furari, neceſſitas eum non excuſabit.

11. In hac autem ſive dierum ſive menſium præſcriptione, qui jus hoc prælationis habet, duo ante decurſum tempus facere debet : Unum, ut emptori pretium rei emptæ ſolvat intra hos dies ; nec ſufficit verbaliter offerre, niſi vera ſolutio ſequatur, & ſi recuſetur obſignatio fiat : Alterum, ut verum pretium quod emptor venditori præſtitit ſolvat, aut ſolvere paratus ſit. Quod autem ſit hoc verum pretium, cum infinitæ quæſtiones & controverſiæ naſci poſſint, breviter verum pretium definiendum puto ex declaratione judicis, niſi declarationem emptoris *(e)* de pretio per eum ſoluto, qui jus hoc habet, ſequatur : innumeræ enim fraudes in hoc pretio committi poſſunt, quæ & apud nos etiam hodie ſunt frequentes. Nam venditor poterit ſimulatum emptorem ſubſtituere, qui magnum pretium offerat, ut vicinus, cui jus protimeſeos competit tantundem ſolvat, magno cum venditoris commodo, aliquando & emptoris. Itaque, ut his fraudibus obviam eatur, ad judicem ſpectat examinatio juſti pretii, ut is ponderet, quanti communiter res illa valuit aut vendi poterit eo anno, & poſt aliquot ejus menſes *(f)*. Præterea, juſtum pretium ex hoc æſtimatur, ſi in auctione aut licitatione tantidem æſtimata fuerat. Si nec de hac conſtet, conſideratur juſtum pretium ex annuo cenſu, adeò ut quantum utilitatis annuatim fundus reddat, illud idem vicies multiplicatum, juſtum pretium fundi faciat. Exempli causâ, ſi fundus valeat centum aureos annuos, juſtum ejus pretium ſit duorum millium aureorum. Hæc de juſto pretio quomodo æſtimandum ſit, in quo & hoc notandum eſt, quòd juſtum pretium creſcit ex die moræ, adeò ut ſi caſu fortuito æſtimatio fundi aut ædium creſcat, majus pretium quàm fuit ante ſententiam debebitur.

12. Poſt elapſos hos dies, qui jus prælationis habet, non admittitur ad impugnandam venditionem ; elapſo enim termino, ex jure cenſetur tacitè renunciaſſe, qui jus impugnandi habebat, eo ipſo quòd tacuit, & vigilantibus jura ſubveniunt. In conſtitutione Græca, hoc tempus ad quatuor menſes extenditur, ſi quis ſit præſens in civitate, in qua res venditur, aut in loco ubi fit venditio *(g)* : quòd ſi fuerit abſens, habet annum à die ſcientiæ, niſi ei denunciatum fuerit.

13. Sunt tamen quidam, quibus hoc tempus præſcriptionis non currit, iique in textu exprimuntur, *Qui apud hoſtes captus eſt (h)* ; nam qui ex juſta cauſa, in publicæ juſtitiæ carceribus captivus cuſtoditur, excuſationem non meretur, cum per procuratorem res ſuas poſſit expedire *(i)*. Sic deportato, aut in exilium miſſo, non currit hæc præſcriptio, ut in textu habetur. Nec abſenti currit, quod tamen de eo,

(a) l. 1. § 1. ff de actione empt. l. 138. ff. de V. O. *(b)* Dynus in d. l. 138. *(c)* 2 F. 9. pr. *(d)* Cap. diſcipulos & ſeq. & ibi, Gloſſ. de conſecr. diſtinct. ult. *(e)* Bart. in l. 45. ff. de ſolut. *(f)* Bart. in l. 63. ff. ad leg. Falcidiam. *(g)* 5 F. 13. de jure protimeſeos. *(h)* l. 12. § 12. ff. de captivis & poſtliminio reverſis. *(i)* Bart. in l. 5. ff. de pub. judiciis, & Gloſſ. ibid.

qui causa reip. vel publicis negotiis sine dolo & fraude absit, intelligendum: quando autem quis videatur dolo aut fraude abesse, & quando non, ex jure Canonico constabit *(a)*. Hoc autem sufficiat monuisse, quòd absentia, quam *malitiosam* vocant, aut dolosam, nunquam cuiquam prodest, ut inde quis vel actionem vel exceptionem formet *(b)*. Sic excipitur in textu minor 25 annis. Sed neque absens reipub. causâ, aut minor, aut alioqui justè impeditus, in hac requisitione simpliciter excusantur, cum absentes per suos procuratores, minores per suos tutores & curatores, aliique absentes per suos defensores, pretium hoc offerre poterant; nam hi vices dominorum absentium debent supplere. Sed ne domini, dum suis rebus supersesse non possunt, in incommodum incidant, & ut tempus habeant de rebus suis providendi, textus his defensoribus aut procuratoribus non triginta dies, ut dominis, sed quatuor menses indulget, intra quod justum pretium possunt emptori offerre: unde satis constat impeditum vel absentem mittere debere procuratorem; aliàs currit ei tempus hujus præscriptionis. In aliis, utrum absens & impeditus debeat mittere procuratorem, plura apud Speculatorem & Bartolum *(c)*.

14. Jus autem hoc prælationis, quod à quibusdam Feudistis vocatur *Jus congrui*, est reale, & afficit rem. Itaque datur contra emptorem, tanquam possessorem, non contra venditorem: imò ne ipse quidem emptor, evicto ex hoc titulo fundo, de evictione aget contra venditorem, cum sciens & prudens id emerit, quod scivit aut scire debuit redemptioni agnatorum esse obnoxium. Prætermittendum non est, triginta hos dies, qui dominis currant, aut quatuor menses, qui defensoribus & curatoribus, secundum consuetudines regionum variari: nam Neapoli, & in Sicilia, & regionibus eisdem subjectis, præscriptioni huic indulgetur annus, ita ut annus integer à die scientiæ currat; quod & etiam à nostris, ut antea dixi *(d)*, observatum est, quamdiu jure Protimeseos usi sumus.

15. Sed nunquam competit hæc actio cuicunque, qui atroces injurias contra venditorem exercuit, ut ex ipso textu *(e)* patet; nam donatio, propter atrocem injuriam donatarii contra donantem, revocatur *(f)*. Et in hoc casu injuriam atrocem definio, sive ea sit in bonis donatoris, unde damnum grave senserit, sive in fama, sive in vita. Nam hæc tria, fama, bona, & vita æquiparantur, ut postea dicemus, ubi *de delicto vassalli in dominum* agetur *(g)*. Præcipuum in textu notandum, quod ait, *Si hic*, cui jus hoc competit, *impias manus in venditorem aut ejus familiam intulerit (h)*: nam sub eis, quæcunque verberatio, vel in venditorem, vel ejus familiam facta comprehenditur, nisi ea fuerit justa, qualis est, cum quis justè se defendit. Idem, si ipse non percussit, percuti tamen curavit; nam qui per alium facit, per se facere videtur *(i)*: & in his ignorantiæ probabili, & cui quis causam non dederit, ignoscitur. De familia autem, & quæ ejus nomine comprehenduntur, traditur à Jurisconsultis *(k)*. Sed ut uno verbo dicam, familiæ nomine censentur, qui sunt in servitio aut imperio patrisfamilias, licet sint liberi homines *(l)*. Ob hanc atrocem injuriam, venditori factam, non competit hoc jus prælationis ei qui fecit, quantumcunque fuerit conjunctus, nisi forte venditor, qui injuriam passus est, eam remiserat; nam injuria semel remissa ampliùs in judicium deduci non potest.

16. Neque habet locum jus hoc προτιμήσεως, quando res alienatur causâ dotis vel donationis propter nuptias *(m)*; nam quod favore matrimonii ab alterutra datur parte, ratum & firmum esse debet, nec revocationi obnoxium. Sed in hoc casu videndum, utrum simpliciter fundus detur in dotem, an verò æstimatus detur in dotem; quo casu non videtur datus fundus, sed ejus æstimatio in dotem, & sic est pura venditio: itaque hoc jus locum in eo habere non potest *(n)*; nam pretium

(a) Gloss. in c. 1. de dolo & contumacia, lib. 6. (b) C. Consultationibus de off. deleg. C. quoniam § in aliis, ut lite contestata. (c) Speculator super tit. ff. de Procurator. Bart. in l. 1. ff. de diversi. & temporal. præscrip. (d) § 3. (e) 5 F. 13. (f) l. 10. C. de revocandis donationibus. (g) D. 5. § 21, 22 & 23. (h) D. 6 § 6 & 7. (i) Reg. Jur. 72. in 6. decretalium. (k) Nota in l. 195. § 1. ff. de V. S. & seq. (l) c. de his, Extr. de accusationibus, Bart. in l. Senatus, eod. tit. ff. (m) Constit. Friderici XIII. de jure protimeseos, vid § 5. (n) Matth. de Afflictis in tit. de jure Protimeseos.

um tum tantùm videtur datum marito, & non fundus, & proinde fundus æſtimatus traditus non dicitur dotalis, cum nomine pretii ſemper intelligatur venditio interpoſita, & proinde hic fundus à marito bene poteſt alienari. Idem in ſimplici donatione, cùm alienatur res inter vivos per contractum donationis; nam alioqui donandi poteſtas auferetur, ſi jus eſſet alii redimendi. Sic in donatione causâ mortis, cui æquiparantur omnes contractus ultimarum voluntatum, ut ſive res alicui relicta ex donatione causâ mortis, ſive ex legato, ſive ex teſtamento, ſive per inſtitutionem, ſive per ſubſtitutionem, aut fideicommiſſum, in his nunquam huic juri prælationis locus eſt. Hoc tamen verum eſt, quòd teſtator in teſtamento jus prælationis, alicui jam competens, aut quod mox competere ſperatur, non poteſt prohibere.

17. In permutationibus quoque hoc jus locum non habet, nam ea eſſet deſtructio permutationis, evictâ enim unâ re permutatâ, alter eam quam pro permutatione dederat, repetet, & ſic permutatio omnis evertetur. Movet tamen quæſtionem, quod communiter dici ſolet, quòd venditionis nomine permutatio comprehendatur *(a)*: & licet alioqui ſit diſtinctus contractus ab emptione, tamen eiſdem regulis gubernatur permutatio ſæpiſſimè; in prohibitoriis tamen ſæpe diſtinguitur: ſic Decuriones prohibentur vendere res immobiles, permutare tamen poſſunt *(b)*. Sic prohibitio alienationis fundi dotalis, ad permutationem non extenditur, ſi mulier inde commodum ſentiat *(c)*. Sic Eccleſiæ vendere res Eccleſiaſticas non poſſunt, inter ſe permutare tamen poſſunt. Quærunt Doctores, quid ſi res magni pretii permutetur cum re minoris pretii, & conveniat ut pecunia pro excreſcente æſtimatione unius præſtetur, an ſit emptio an permutatio? Concluduntque, ſi major pars ſit in pretio, quàm in re permutata, emptionem eſſe; ſi majoris ſit valoris res quæ permutatur, quàm pretii pars *(d)* quæ refundi debeat, permutationem eſſe. In tranſactionibus jus hoc non competit; nam tranſactio & venditio, ſub uno nomine non comprehenduntur: vaſſallus enim feudum ſine domini conſenſu alienare non poteſt, tranſigere tamen poteſt *(e)*. Idem obſervatur in arbitramento; nam res ex arbitramento alteri judicata ab eo non poteſt avocari *(f)*. Hæc tamen omnia ita temperanda ſunt, ſi contractus hi bonâ fide fiant, & fraus & dolus omnis abſint. Nam ſi venditor & emptor, colludentes inter ſe, ut tollant hoc jus ab agnatis & vicinis, ſimulent ſe causâ donationis, permutationis, vel tranſactionis facere, quod re verâ ex empto & vendito fit, reſcinditur causâ cognitâ venditio; nam fraus in omnibus contractibus cenſetur excepta *(g)*. Hoc fit quando inſtrumentum concipitur ſub forma donationis, &, ut Doctores loquuntur, quando faciunt inſtrumentum concipi in forma donationis, cum nihil minus quàm donatio ſit cogitatum. Et hæc eſt fraus ſive ſimulatio de contractu in contractum: ut cum mulier, quæ non poteſt donare marito, facit concipi inſtrumentum ſub forma venditionis continente pretium receptum; nam hæc cauſa venditionis, quaſi ſimulata, non valet *(h)*.

18. Sed incidit hîc ſolennis & quotidiana quæſtio, quomodo probetur hæc fraus & ſimulatio? Et profectò cum hæ ſimulationes tectæ ſæpiſſimè ſint, & ſine teſtibus fiant, difficilis eſt harum probatio. Doctores tamen ita concludunt, ſimulationem contractûs probari tribus modis. Primò, per juramentum partis; itaque & donans & donatarius à judice, magno ſacramento interveniente, ſunt examinandi, ſi verus hic fuerit contractus donationis, an verò ſub fuco donationis venditio vera facta fuerit, ut eo modo poſſent agnatos & vicinos à jure ſuo excludere. In qua examinatione judex debet cogere partes ad interrogatorios articulos, à cognato ſive vicino exhibitos, jurare. Quòd ſi quis vel jurare recuſet, vel oblique & ſophiſticè ſe explicet, judex debet eum pro confeſſo judicare. Idem, ſi extra judicium confeſſio fuerit.

Sed auget dubitationem, quod in textu *(i)* dicitur, *Si contrahentes juraverint con-*

(*a*) l. 29. § 1. ff. de ſtatu liberis, lege Favia 4. ff. ad leg. Faviam de plagiariis. (*b*) l. 3. de Prædiis Decurionum, &c. (*c*) l. 25. & ſeqq. ff. de jure dotium. (*d*) Matth. de Afflictis in tractatu Protimeſ. § 3. n. 15. (*e*) 2. F. 26. § 5. verſ. ſi vaſſallus de ſuo beneficio agat. (*f*) Matth. de Afflictis §. 3. ad verſ. final. de jure Protimeſeos. (*g*) l. 60. § 4. ff. mandati. (*h*) l. 5. ff. de donat. inter virum & uxorem. (*i*) Conſtitutione Friderici 5. F. 13. de jure Protimeſeos.

tractum verum, & non ſimulatum fuiſſe, & poſt juramentum probetur contrarium, quòd emptor pretio, venditor feudo privabitur, propter perjurium, & fiſco applicabuntur: ex quo videtur, quòd poſtquam juratum fuerit in cauſa, tamen adhuc probationes poſſunt recipi, cum tamen jurisjurandi exceptio parit exceptionem litis finitæ *(a)*. Hunc nodum ut ſolvant Doctores, multiplex eſſe juramentum volunt, voluntarium, & judiciale, & quod ex neceſſitate exigitur. In judiciali & voluntario, fatentur juramentum habere vim definitivæ ſententiæ, in neceſſario non; quale & hoc de quo hîc agitur, quia textus *(b)* ait, *exiget ab eo juramentum*; & quòd hæc juramenti exactio ſit ſpecialis in causâ ſimulationis, & nihilominus etiam admittatur probatio.

Meo judicio, res hæc meliùs diſtinguetur, ſi conſideremus quando ad rem ipſam agitur, quando ad pœnam perjurii. Nam quando ad rem ipſam agitur, res ſemel ſacramento deciſa, ſolum Deum habet ultorem, & non partem. At cum agitur ad pœnam, puto, licet juratum ſit, de perjurio poſſe inquiri per fiſcum, ut perjurium puniatur *(c)*. Nam in hoc loco, ſi de perjurio probatum ſit, nihil partes lucrantur, ſed res ipſa ab emptore & pretium à venditore auferuntur, & fiſco applicantur, ita tamen ut hoc jus reſervetur eis quibus competit, ut à fiſco poſſint redimere. Secunda probatio eſt per teſtes; nam hi ſimulatum contractum poterunt probare. Nam omnis ſimulatio in ſcriptis fit, ut difficilùs deprehendi poſſit, & niſi admittantur teſtes, nulla ſimulatio unquam probaretur. Teſtes alii quatuor requirunt, alii duos tantùm, imò nonnulli per unum, qui apertè de ſimulatione deponat; & per duos, qui de publica fama *(d)*. Tertiò, probatur ſimulatio per conjecturas & indicia, nempe ſi præceſſit ſemel contractus venditionis, qui poſtea mutatus eſt in donationem. Sic, ſi partes de colluſione inter ſe ſuſpectæ confiteantur quidem talem eſſe contractum, nulla tamen juſta cauſa appareat cur hæc donatio intercedere debeat; veluti, ſi is cui donatur, neque meritis neque beneficio unquam donantem demeritus ſit, nec ei famulatus ſit, aut alioqui aliqua neceſſitudine conjunctus. Nam confeſſio in his caſibus non probat.

19. In his itaque contractibus *(e)* jus prælationis locum non habet, niſi fortè hi contractus, ut ait textus *(f)*, cum potentioribus fiant. Nam contractus cum potentioribus non minùs ſuſpecti ſunt, quàm qui fiunt dolo & fraude; ſiquidem qui in potentiorem jus ſuum transfert, id eò facit, ut is terribilior adverſarius ſit in judicio, & viam juſtitiæ præcludat. Sed videndum qui *potentiores* dicantur: alii enim ſunt potentes divitiis, alii honore vel nobilitate, & de iſtis potentibus non loquitur textus, ſed de potentibus ratione officii *(g)*. Nam de his ſolis potentioribus loquitur textus, & non de iis qui vel nobilitate vel divitiis potentes ſunt; & contra hos jura præſumunt, quia potentior ſemper præſumitur humiliori metum incutere, vel violentiam inferre, *(h)* ſi fuerat ſolitus antea aliis id facere: nam niſi vel hæc vel alia indicia concurrant, dignitas officii, nec adminiſtratio annexa dignitati cuivis debet obeſſe *(i)*. Ex numero horum potentiorum eximuntur in textu parentes: nam licet hi, ratione officii vel dignitatis, aliquam potentiam habere præſumantur; conjunctio tamen ſanguinis prægravat priorem præſumptionem *(k)*. Nec intereſt potentior ſit qui emit, an potentioris ſit domeſticus; nam ſub hac ſpecie pluries fallitur *(l)*. De neceſſitate antea dixi; nemo enim in neceſſitate conſtitutus dicitur liberè agere *(m)*.

20. In conſtitutione Græca Romani Lacapeni, ex qua hæc conſtitutio noſtra emanavit, jus hoc Protimeſeos extenditur ad vicinos & agnatos, ut hi in venditione habeant jus prælationis. Supereſt ut de vicinis & agnatis primùm videamus, mox an aliis competat, quàm eis qui in Græca conſtitutione nominantur. Vicini autem ſunt, qui habent agrum ſive fundum confinem, ita ut ubi unus deſinit, alter incipiat.

(a) l. 9. ff. de jurejurando. (b) dict text. 5. f. 13. (c) l. 1. & ſeq. C. de rebus creditis. (d) Toto titulo C. plus valere quod agitur, & ibi DD. & Bald. in l. 1. ibid. (e) Veris ſciz. non ſimulatis. (f) Conſtitutionis Frederici. (g) l. 11. C. de his qui vi metûſque cauſa, &c. (h) l. 6. C. eod. (i) l. 18. § 1. ff. de Judiciis. (k) Bald. in l. 22. C. mandati. (l) In conſtitutione Græca Conſtantini Porphyrogeniti. (m) Bald in. tractatu ſchiſmatis. vid. § 10.

incipiat. In his vicinis non ſemper eadem eſt ratio; nam ſi quis vicinus ſit ex tribus lateribus, id eſt, ut tria latera fundi empti attingant fundum vicini alterius, & alius ſit qui ſit vicinus ex quarta parte, hic vicinus ex tribus lateribus habebit ſolus jus prælationis. Quòd ſi habeat confinium duorum tantùm laterum, & alius habeat confinium unius lateris, aut duorum: non præferetur, in hoc caſu, qui confinium duorum laterum habet, quia non habet ultra dimidium confinii; ſed qui unum latus conterminum, cum eo qui habet duo latera concurrit, pro partium rata portione. Aliter eſt in eo, ut dixi, qui confinis eſt ex plus quam dimidia parte (nam per textum, in emptione, omnibus aliis præferetur is qui ex majore parte vicinus eſt.) Quòd ſi duo ſint vicini, qui duas æquas partes vicinitatis habeant, æqualiter admittuntur.

Quia conſtat de vicinis, ſupereſt ut qui cum eis concurrant, & ſi qui ſunt potiores, in hoc jure, videamus. Et ſanè in re communi, ſi unus ex ſociis vendiderit ſuam partem, ſocius alter vicino præfertur: non enim tantùm eſt vicinus, ſed etiam, quod plus eſt, ejuſdem rei particeps; & ex jure Civili ſocius ratione ſocietatis ſuccedit Imperiali largitati, ipſo excluſo fiſco: ſic cum præfertur ſocius fiſco, in re communi, concludunt Feudiſtæ præferendum & vicino, & hoc in Neapolitano regno ſervari tradunt *(a)*. Præfertur & in textu vicinus agnatis, imò & parentibus, in hoc jure, & jus vicinitatis potius eſt quàm jus ſanguinis. Sed hæc ſtatuta localia ſunt; in pleriſque enim locis, imò in textu Græco, potiores ſunt vicini, & agnatos in hoc privilegio excludunt. Ratio facilis eſt, quare vicinus agnato præferatur, quia vicinus re conjunctus eſt, & privilegium hoc eſt reale, & rei, ut antea dixi, inhæret. Hæc itaque ſunt, quæ vel ex Græcâ conſtitutione Romani Lacapeni vel Friderici Imperatorum conſtant.

21. Superſunt aliqua adhuc de hoc jure prælationis. Neque enim videtur Imperator Fridericus (Secundus puto) auctor hujus conſtitutionis, ſatis mentem conſtitutionis Græcæ aſſequutus: nam in conſtitutione Græca, primò cognati conſortes præferuntur, quales ſunt fratres, qui paterna prædia pro diviſo vel indiviſo poſſident; nam in venditione fraternæ partis, præferendi: poſt hos, conſortes ſocii vocantur: deinde, qui rem communem habent citra ſocietatem, ſive ſint cognati, ſive exteri; nam hi in ſecundo gradu poſt cognatos conſortes ponuntur: poſt hos, qui communi cenſus vinculo tenentur, quos *metrocomos*, id eſt, *convicanos*, antea dixi *(b)*, quaſi in eodem vico, ſub eodem cenſu degentes: poſtremò, vicini & confines. Proinde, ſi quis rem vendere intendat, his primò, & cuique ſuo loco, denunciari curabit teſtatò, ut ad diem certum veniat, & pretium verum, quod ab emptore alioqui habiturus eſt, ei ſolvat; alioqui, ut ſecurè poſſit cui velit vendere. Poſt denunciationem dantur, ut dixi, quatuor menſes procuratoribus & curatoribus; itaque ſemper in his denunciatio neceſſaria eſt: ſi non fuerit denunciatum, decennium datur. Sed in emphyteuſibus & feudis alia dantur tempora jure Civili: nam emphyteuta domino denunciare debet, quantum ab alio re verâ accepturus eſt, rogareque dominum ut tantidem emat, vel venditioni in alium conſentiat *(c)*. Si noluerit emere, conſentire tenetur, ut prioris emphyteutæ jus in novum transferatur, quinquageſimâ pretii parte illi pro conſenſu præſtitâ: quod in omnibus feudis in Gallia locum habet. Quòd ſi neque emere vult, neque conſentire emphyteuta; poteſt vendere cui volet, niſi perſona illa à jure ſit prohibita: nam alioqui, ſi perſonæ prohibitæ jus ſuum vendat, ab emphyteuſi cadet *(d)*. In hac materia hoc annotandum eſt, quòd qui huic venditioni interfuerunt, & tacuerunt, non habeantur pro conſentientibus, niſi dolose tacuerint, neque pro eis quibus denunciatum eſt *(e)*. Quòd ſi, ultra præſentiam, aliquis alius actus intervenerit, vel in dicto vel in facto, ex quo conſenſus argui poſſit, aliud dicendum *(f)*.

Eſt & aliud caput ejuſdem Græcæ conſtitutionis, ne quid ex bonis tenuiorum locupletes & potentiores acquirant: & cum his ſeverius agitur, neque donationis, te-

(*a*) Matth. de Affl. ct. in tractatu de jure Protimeſeos. § 7. n. 1. (*b*) § 2. (*c*) l. 3 C. de jure emphyteutico. (*d*) l. 3. C. ibid. (*e*) l. 34. § 2. de leg. 2. l. 39. ff. de pign. act. Schon. th. 114. diſp. 9. lib. 1. (*f*) Schon. th. 112. diſp. 9. lib. 1.

ſtamenti, tranſactionis, aut patrocinii aut adoptionis prætextu & cauſâ ad bona tenuiorum poſſunt pervenire. Quæ tamen omnia intelligenda ſunt, niſi decennii præſcriptio interveniat: nam talis præſcriptio, tam potentiores, quàm alios, à quibus alioqui redemptio competebat, tuetur. Hæc ſunt capita Græcæ conſtitutionis, non ſatis in Friderici conſtitutione omnia explicata, ob ignorantiam, puto, Græcæ linguæ, quæ eo ſeculo pleriſque non erat perfectè cognita.

22. Præter tamen has Romani & Friderici conſtitutiones, multæ aliæ quæſtiones, in jure Feudali, de jure hoc prælationis tractantur: nempe, cum agnatis primò competat, quis aliis ſit præferendus: & certum eſt, vivo alienatore, ſi feudi in alium agnatum remotiorem alienatio facta ſit, propiori hoc jus competere, multò magis ſi in extraneum; ita tamen ut refundat verum pretium, & non ſimulatum, etiamſi verum illud pretium juſtam æſtimationem excedat *(a)*, niſi fraus interceſſerit, ut antea monui *(b)*. At jure ſucceſſionis, feudum alienatum, vivo alienante, nunquam revocari poteſt: poſt eum defunctum, poteſt, etiam pretio non refuſo *(c)*; ſed ab iis tamen, qui ex inveſtitura ſuccedere poſſunt, & non aliis, ita ut ſi qui propior ſucceſſurus eſt uti eo non velit, ſequenti & proximo locum faciat. Succeſſionis jus alienatum tum videtur, quoties is, qui ſuccedere ſperatur, jus ſuum in alterum transfundit, quo caſu, non alteri, ſed proximo agnato locum facit: ita tamen, ut ejus deſcendentes ſemper excludantur; nam contra factum, vel ſuum, vel patris ſui, cui ſuccedere oportet, nemo eſt audiendus. Sed in hoc jure prælationis præſcriptio à tempore mortis ejus, cui ſuccedendum eſt, deducitur, cum priùs agere non poſſunt *(d)*. Hoc tamen generaliter notandum eſt in jure Protimeſeos, quoties agnati ſunt præferendi, de illis tantum agnatis intelligi, qui in tenore inveſtituræ continentur; adeò ut ſi cui feudum ſit conceſſum & ejus hæredibus, alii agnati in tranſverſa linea non admittantur.

Diegeſis quinta,

De Diſclamatione, Purpreſtura, & aliis modis feudi amittendi, qui circa feudum ipſum verſantur.

SUMMARIA.

1. *Continuatio ad alios feudi amittendi modos, ipſum feudum reſpicientes, & delicta quæ circa feudum verſantur. Et primò,*
2. *De Diſclamatione. Ejus nomen unde, & quid ſignificet? Inficiationis pœnæ in jure in variis caſibus variæ. Diſclamationis hujus pœna apud omnes gentes, & ex omni jure, optimâ ratione ſancita.*
3. *An negatio extrajudicialis noceat? Negatio vaſſallum feudo non privat, niſi cum ſcientia & malâ fide jungatur. Qui dubitat, dubitanter reſpondere debet: & ambiguè reſpondere, & omnino non reſpondere, paria ſunt.*
4. *De diſclamationis hujus forma in lib. Reg. Majeſt.*
5. *De vaſſallo, qui alterius negationis conſcius, domino non patefecerit.*
6. *De Purpreſtura, quid ea ſit, & unde dicta? Frequens eſt ejus apud Anglos & nos uſus.*
7. *Quotuplex ſit Purpreſtura? Quid ſit* in miſericordia domini Regis *eſſe?*
8. *Unum tantùm eſſe genus Purpreſturæ, quod Auctor deſcribit. Vaſſallus ſcire debet ſuos limites ab initio, ut poſtea domino petenti demonſtrare poſſit, ne non parendo amiſſione feudi multetur.*
9. *Purpreſtura quomodo antiquitùs & poſtea commiſſa? In judicio & extra judicium fiebat. An Purpreſtura tantùm in proprietate, an etiam in communia fiat? Olim hoc judicium frequentius erat, quàm hodie. Ut judex ſit Baro, neceſſe eſt.*
10. *De recognitione propter non demonſtrata monumenta; ubi de contumacia vaſſalli i.*

1. *Vaſ-*

(a) Schon. th. 116. (b) § 17 & 19. (c) 1 F. 8. § 1. (d) Schon. th. 116. diſp. 9. lib. 1.

11. *Vaſſallus feudum amittit, ſi juſtitiam domino negaverit, vel ejus judicio ſtare noluerit, aut ad ejus curiam comparere legitimè citatus.*

12. *Quibus edictis & intervallis vaſſallus ſit citandus? Nihil intereſt perſonaliter citetur reus, an ad locum habitationis. An ſemper trinâ citatione opus ſit?*

13. *Contumacia hæc non ſemper eſt cauſa amittendi feudi, ſed tantùm ex denegatione evidentiarum inveſtituræ: licet olim apud nos tanquam ſufficiens cauſa recepta fuerit, atque ob hanc ſolam rationem Angli provincias ſuas in Gallia amiſerint.*

14. *Inveſtitura non petita, cauſa eſt amiſſionis feudi, ſi heres per annum & diem, à morte vaſſalli vel domini, renovationem non petierit: ſed loco hujus pœnæ ſit judicium non-introitûs apud nos. Differentia inter præceptum de* Clarè conſtat, *& inter deſervitionem prædeceſſori factam. Licet dominus inveſtituram poſt annum concedendo videatur remiſiſſe omnem pœnam, & animi offenſionem; non tamen illius temporis fructus, quo feudum in non-introitu erat, remittere cenſendus eſt.*

15. *De Barratria, qui eſt modus apud nos feudi amittendi. Ejus pœna non domino feudi, ſed Regi competit, in quem peccatur. Quis Barratrius vocetur? Id nomen ad Eccleſiaſticos pecuniam Romam beneficia nundinandi gratiâ exportantes eſt tranſlatum.*

16. *Ab Eccleſiaſticis ad Nobilitatem hoc nomen & crimen eſt derivatum, ob affinitatem vel facti vel pœnæ. Apud nos, qui de Rege feudum tenens, ſine ejus licentia regno egreditur, quacunque occaſione, feudum amittit, & exilio damnatur. Hinc dubitatur, an ſit cauſa amittendi feudi, an crimen læſæ majeſtatis. Origo hujus pœnæ à Carthaginienſibus & Romanis eſt petenda. Ea deinde ab Anglis uſitata, ad nos pervenit.*

17. *Ad quos hæc pœna extendatur?*

18. *Vaſtatio ſive deterioratio eſt etiam cauſa amittendi feudi; & juſta hæc ſemper fuit cauſa apud Gallos, nunquam apud nos, niſi expreſsè in tenore inveſtituræ contineatur, ne deterioretur feudum, ſed ædibus, hortis, arboribus, &c. ornetur & decoretur.*

19. *De vaſſallo violentas manus in dominum injiciente, & mortuo aut morienti injurioſo. In quibuſdam pœnitentiæ locus eſt.*

20. *Exceptiones quæ ab his criminibus vaſſallum excuſant.*

21. *De vaſſallo criminaliter dominum accuſante.*

22. *Si vaſſallus dominum prodiderit, aut ejus ſecreta, ſive dicta, ſive facta, detexerit, niſi ex imprudentia id factum; aut ſi hoſtibus domini per ſuum feudum iter conceſſerit, & aliis hujuſmodi delictis, amiſſio feudi infertur.*

23. *De aſſiliendo caſtrum domini, &c.*

24. *De deſertione ſervitii dominici, aut ipſius domini in bello. Ubicunque vaſſallus domino periculum vitæ imminere novit, aut vim ei inferri, etiam non requiſitus accurrere debet.*

25. *Quid ſi vaſſallus, dum feudum ſit in non-introitu, delinquat?*

26. *Quid ſi vaſſallus pudicitiam uxoris domini ſui attentaverit? Quod ad perſonam uxoris attinet, extenditur ad alias, filias, nurus, &c.*

27. *Quid ſi viduæ domini, aut ejus ſponſæ pudicitiam attentaverit vaſſallus?*

28. *Si matris domini, aut ejus concubinæ, pudicitiam vaſſallus corruperit, etiam feudo privatur, niſi domini injuriam retaliaverit. Idem de concubina dicendum domini laici, ſed non ita de concubina Prælati aut alterius perſonæ Eccleſiaſticæ.*

29. *Pudicitia intelligitur attentata, ut in reliquis delictis feudalibus, affectu, licet non ſequatur effectus, niſi vaſſallum ante factum pœnituerit: aliud, ſi aliunde impedimentum provenerit, ita enim non excuſatur. Et idem dicendum de eo qui in familiam domini peccat.*

30. *Quid ſi vaſſallus dominum ſuum probroſo aliquo ſcripto vel dicto petierit, an à feudo cadet? Jus Civile facta tantùm punit; jus Feudale & noſtrum nec dicta nec facta permittit.*

1. DE recognitione, ex delicto vaſſalli qui feudum alienaverit, hactenus; in qua ideo prolixiores fuimus, quòd hæc prohibitio multas ſecum difficultates trahat, & in foro noſtro ſit frequentiſſima. Superſunt multi alii feudi amittendi modi ipſum feudum reſpicientes, & hæc delicta quæ circa feudum & in ipſo feudo verſantur; qualia ſunt diſclamatio, purpreſtura, feudi deterioratio, ceſſatio à petitione inveſtituræ, barratria, (ut quidam putant,) de quibus ſingulis dicendum eſt.

2. Diſclamationis nomen à *negatione* procedit : nam *clamare*, quæ vox eſt in hac ſignificatione Normannica, à Normannis pro *actione*, *petitione* & *affirmatione* crebrò uſurpata. Hinc ad Anglos, & poſtea ad nos, voces hæ *clamare* pro *petere*, & *clameum* pro *libello* ſive *actione* pervenerunt. Sic *clamare* pro *affirmare* frequentiſſimè in legibus Anglorum, quoties vaſſallus quæſtionem ſive querelam de feudo patitur, dominum *clamare*, id eſt, dominum in auxilium ſibi poſcere debet, dominuſque *clamatus* vaſſallo ſuo in judicio contra omnes adeſſe. Ex intellectu vocis *clamare*, quid *Diſclamatio* ſignificet, facilè eſt intelligere ; nam *diſclamare* nihil aliud eſt, niſi dominum negare eſſe dominum. Sic liberti abnegatio in patrono, & clientis ſive vaſſalli in domino, adeò odioſa eſt, ut nemo eum merito ſuo non mulctandum libertate & feudo putet. Licet enim inficiationis multæ ſint in jure Civili pœnæ, veluti ſi quis, cùm poſſideret, neget tamen ſe poſſidere, & contrarium probetur, transfertur ab eo poſſeſſio quam negaverat in adverſarium *(a)*. Sic in eo, qui hereditatem reſtituere juſſus eſt, ejuſque hoc fidei commiſſum erat, ſi rem, quæ petitur, eſſe hereditatem negaverit, & probatum fuerit, Falcidiæ beneficium, id eſt, omne beneficium & jus quod in re habet, amittet (*b*). Sic, qui negat ſe fidejuſſorem, beneficium Divi Hadriani, de debiti diviſione, perdit (*c*) ; & breviter, quodcunque beneficium in re prætendit, ob inficiationem omne illud beneficium, omneque jus in re ab eo tollitur. At in noſtra hac materia multò id majorem rationem habet : nam vaſſallus, qui dominum revereri tenetur, qui beneficium ſupra omnia agnoſcere, qui gratum ſe pro beneficio accepto ubique præbere & obſequentem tenetur ; ſi is, inquam, eò ingratitudinis proruperit, ut dominum neſcire ſe dicat, imò illum verum dominum ſe pro domino non agnoſcere, illique paratum ſe renunciare, denique & ejurare dicat, quis eum non indignum feudo ſuo exiſtimabit ? quis beneficii non ſolùm immemorem, ſed planè illud negantem, & dominum inficiantem, beneficio privandum non cenſeat ? Nam profectò nulla juſtior videtur feudi amittendi cauſa ; neque apud nos, neque apud ullas alias gentes, quod ſciam, in univerſa Europa, ubi jus hoc Feudale receptum eſt, ulla eſt gens in qua hæc feudi amittendi cauſa non videatur juſtiſſima : & cum naturali æquitate, & jure feudorum ſcripto, mores omnium regionum in hac cauſa conveniunt. Itaque, ſi vaſſallus ſuper feudo aut ejus conditione, ſciens, vel omnino feudum eſſe domini, vel ejus partem negaverit, aut conditionem feudi ſui aliam in domini ſui præjudicium affirmaverit, & inde convictus fuerit (*d*), à feudo cadet : alius autem vaſſallus conſcius ejuſdem rei, & hoc celans, feudum ſuum non amittet. Hæc ferè ſunt verba textûs, quæ diligenter examinanda ſunt : nam cùm hæc propoſitio in tribus diverſis locis habeatur, aliquid videtur inter eos eſſe differentiæ. Primùm ait, *Qui feudum aut partem feudi ſui negaverit, vel feudi conditionem, totum amittet.* De parte mirum, cur qui in parte tantum fefellerat, in toto puniendus ſit ; cùm delictum ex gravitate facti ponderetur, nec excedat id in quo quis delinquit : ſic antiquitùs vaſſallus, qui partem feudi alienaverat, non niſi eâ parte privabatur. Sed hoc proprium eſt juris Feudalis, ut, ex negatione partis, totum feudum amittatur. Sic ex alienatione partis, ſecundum conſtitutiones Friderici (*e*), totum feudum amittitur : etenim & hic dominum contemnere & erubeſcere videtur. Apud Gallos vulgare eſt, *Qui fief dénie, fief perd.* Sic in pleriſque aliis, ut inferiùs apparebit : nam qui in dominum ſuum ingratus erit in parte feudi, non minùs ingratus eſt, quàm ſi in toto feudo idem fecerit ; ideoque omni, quod de eo domino tenuerat, in quem ingratus erat, beneficio mulctandus. Ait textus (*f*), *ex certa ſcientia, ſive ſciens :* nam cùm hæc omnia feudalia delicta ex animo & mente domini & vaſſalli ponderantur, ut antea notavi, & qui ignorat fidem datam, lædere non videtur ; itaque ſcientiâ certâ opus eſt, quemadmodum in priori delicto ſcientiam requiri declaravi, & ignorantiam aliquando excuſari.

3. An autem negatio extrajudicialis noceat, inquirendum. Et profectò, ſi in loco

(*a*) l. ult. ff. de R. V. (*b*) l. 68. § 1. ff. ad leg. Falcid. (*c*) l. 10. § 1. ff. de fidejuſſ. (*d*) 2 F. 26. § 3. 2 F. 34. § fin. (*e*) 2 F. 55. (*f*) ſciz. 2 F. 26. § 3.

loco fiat, unde domino præjudicium fieri poſſit, ſive in judicio, ſive extra judicium, poteſt nocere. Sed quoniam quæ extra judicium fiunt, communiter non lædunt, videtur hæc eſſe Doctorum opinio, quòd non eſt vaſſallus feudo privandus, niſi conventus ſuper feudo aut ejus conditione dominum neget. Itaque in tertio textu (*a*) habetur, *Si inter dominum & vaſſallum controverſia fuerit de feudo*, & ſic res hæc videtur ſtrepitum judicialem requirere. Cujacius tamen hoc delictum de extrajudiciali negatione intelligit. Idem, ſi de feudi qualitate vaſſallus conventus, conditionem ejus in præjudicium domini negaverit, veluti ſi cùm feudum rectum & militare eſſet, francum diceret; vel cùm novum eſſet feudum, paternum & antiquum aſſerat. Hæc omnia, ſi ſciens & malæ fidei fuerit vaſſallus. At ſi dubitet, *debet*, ait textus (*b*), *dubitanter reſpondere*: dubiè ſiquidem reſpondens non videtur negare; nam licet dubitans videtur aliquid negare (*c*), negat inſcienter, itaque pro errante & ignorante habetur (*d*). Aliquando tamen ambiguè reſpondere, & omnino non reſpondere paria ſunt (*e*), præcipuè in eo qui fidem patrono juravit, & qui jus ſuum ignorare non præſumitur. Sed tamen poſſunt multæ cauſæ intercedere, quare vaſſallus de jure ſuo dubitet: veluti, ſi ſucceſſor ſit defuncti; nam probabilis eſt ignorantia in eis quæ ad defunctum pertinebant (*f*). Verba autem quæ dubiam interpretationem inducunt, hæc in textu ponuntur, *neſcio*, *dubito* (*g*). At ne ſic quidem reſpondendo, ait textus, liberabitur, ſi fraudulenter in reſponſione verſatus fuerit; debet enim ſemper fidem domino integram & illibatam ſervare.

4. Hujus autem diſclamationis forma aliqua habetur in 2do libro Regiæ Majeſtatis (*h*); nempe, ut vaſſallus ipſe, vel qui ab eo ſpeciale mandatum ad id habet, cum officiario illius domini de quo tenere ſe affirmat, ad principale meſſuagium domini prætendentis accedat, & ibi dicat ſe talem ſuperiorem diſclamare, & non intendere tenere ſe illud feudum de illo, ſed de alio. Formam licet ibi videre; ſed quantæ ſit auctoritatis liber dubito. Utcunque eſt, hodie ſi in judicio vaſſallus ſuperiorem ſuum diſclamaverit, à feudo cadit (*i*).

5. Quod autem in eodem textu ſequitur; *Quòd alius vaſſallus hujus falſæ negationis conſcius, & domino non patefaciens, feudum tamen retinet*, aliquam dubitationem continere videtur: cum vaſſallus omnia quæ ad patroni ſui ſeu domini vitam, exiſtimationem, aut patrimonii jacturam pertinere videbuntur, aperire debeat; & hoc fallaci reſponſo vaſſallus prior dominum eludit, ejuſque patrimonium lædit. Videtur ergo, & in hoc caſu, ille alter vaſſallus, mendacis negationis conſcius, debere etiam feudum ſuum amittere. Sed quod ad patrimonium domini pertinet, non omnia quæ ei nocent, tenetur vaſſallus indiſtinctè patefacere, ſed tantùm ea quæ in magnam patrimonii jacturam vergant (*k*).

6. Sequitur tertium delictum, quod circa feudum ipſum verſatur, quod nos *Purpreſturam* dicimus, cujus reverâ, ut quidam putant, nulla in ipſo textu ſpecialis mentio eſt, neque quid pœnæ poſſit hoc genus delicti inferre, niſi quòd vaſſallus teneatur fines ſui feudi oſtendere domino, quocunque tempore poſtulanti (*l*). Si autem falſos fines oſtenderit, dominicique prædii partem ſibi arrogaverit, quaſi in dominum ingratus, jure omni quod ex eo domino tenet privabitur. Vox Gallica ſive Normannica eſt, unde originem Gallicam ſive Normannicam eſſe, ab iis ad Anglos primùm, poſt per Anglos ad nos perveniſſe, argumentum eſt: nam *Pourprix*, Gallicè *teſtudinem*, ſive circulum aut præcinctum ſignificat; ſic monaſteriorum præcinctus *Pourpriſes* ſolemus dicere: extra cujus circuli fines, ſi vaſſallus domini feudum invaſerit, partemque ei præripuerit, feudo mulctabitur. Et hæc cauſa feudi amittendi & apud Anglos & apud nos frequens eſt.

7. Et in jure noſtro ſcripto triplex eſt: Una quæ fit ſuper dominum Regem, quando aliquid ex ejus patrimonio occupatur; veluti, vel ex ejus prædiis, vel ex viis publicis; vel ſi ea impediantur, aut obſerventur; vel, ſi aliquid in via publica ſive regia

(*a*) Sciz. 2 F. 34. § ſi fuerit. (*b*) Sciz. d. 2 F. 34. §. ſi fuerit. (*c*) l. 41. ff. ad L. Aquiliam. (*d*) l. 2. ff. quis ordo in bonorum poſſeſſ. ſervand. (*e*) l. 11. § 7. ff. de interrog. (*f*) l. 42. de R. J. (*g*) d. l. 10. § 1. ff. de fidejuſ. (*h*) lib. 2. cap. 67. § 6. 9. cap. 18. ſtat. Rob. 3. (*i*) 2 F. 26. § 3. (*k*) 2 F. 6. (*l*) Schon. theſ. 7. 9. quod nihil aliud eſt, quam noſtra Purpreſt.

alicujus civitatis ædificetur, ita ut illius viæ particula aliqua ab ædificante occupetur; ſi aquæ curſus à debito alveo divertatur; & breviter, quotieſcunque aliquid fit quod Regio patrimonio noceat, ejuſque viam publicam turbet. Purpreſtura hæc in Regem dicitur: & de ea inquiritur tam in capitali curia burgi, quàm etiam coram Juſticiario, ubi criminis ſive delicti reus convictus, in miſericordia domini Regis erit, non ſolùm de eo feudo, quod intra domini terminos ædificavit, ſed de toto feudo quod de domino Rege tenet *(a)*: nam *in miſericordia Regis* dicitur eſſe, qui ex juris rigore, ſive jure ſummo, toto feudo debet mulctari. Sed Rex miſericordiâ in eum uſus ad compoſitionem pro ſuo delicto illum aliquando admittit *(b)*. Si verò contra alium quàm Regem de facta purpreſtura convictus fuerit, per juramentum legalium hominum de viceneto (nam ea ſola criminis ſeu delicti examinatio eſt) tenementum, quod tenet de eo domino quem offenderit, ſine recuperatione amittet. Et hæc de purpreſtura contra dominum facta. Tertia ponitur illa purpreſtura inter vicinos, cum quis vicinus alterius vicini fines occupat, & qui injuriam patitur, ſi de hoc in curia conqueritur, per fideles homines de viceneto fiet viſus terræ, & per eorum veredictum, ſive ſententiam, fines & limites, prout erant antea, diſtinguentur. Sed hanc tertiam nemo purpreſturam judicabit, cum potiùs ſit controverſia de finibus, quæ ex inquiſitione terminanda eſt, nos *moleſtationem* vocamus: nam purpreſtura judicium feudale eſt, & proprietatem finium tangit *(c)*.

8. Quod ad primum & ſecundum genus purpreſturæ eſt, inter ſe concurrunt, & malè videntur diſtingui: nam quatenus contra Regem fit purpreſtura, tantùm ratione feudi fit, & dominii directi; nec aliud eſt in hoc caſu Regis privilegium quàm alterius domini ſuperioris. Quod ad vias publicas & flumina attinet, inter Regalia & Regis patrimonium numerantur, eodemque jure cenſentur. Supereſt ergo unum genus tantùm purpreſturæ, quando vaſſallus qui feudum de domino tenet, ſive illud ſit militare, ſive francum, ſive burgale, aut emphyteuticum, (nam in jure noſtro aut uſu nulla eſt differentia, cum ex liberalitate & beneficio domini id habeat, & fines ſuos non præſumatur ignorare;) ſi non contentus ſuis finibus, etiam domini limites violet, eoſque ſibi arroget, dominumque extrudere nitatur, niſi ingratè id factum quis dicat, neſcio quid debeat æſtimari ingratitudo apud nos. Nam in conſtituendo feudo, vaſſallus ſcire debet limites, ne quid ignorans peccet, & petere à domino ſibi deſignari: nec audietur, ſi dicat indefinitum feudum à principio ſibi deſignatum, cum portio ex patrimonio domini ſolùm ſit abſciſſa, & veluti diviſa. Et licet Vaſſallus in dominum peccet graviter, & ingratitudinem incurrat, ſi domino petenti fines feudi demonſtrari noluerit parere, & feudi amiſſione mulctetur; tamen dominus vaſſallo feudi ſui fines monſtrare non tenetur, quaſi is à principio eos deſignatos dederit. Eſt itaque purpreſtura, quoties vaſſallus ſuis finibus non contentus domini fines violaverit, & aliquam ex ejus proprietate portionem eo invito uſurpaverit: nam ſi dominus actione finium regundorum vaſſallum convenerit, & quindecimvirali judicio ſententia lata fuerit de veris finibus agri, & vaſſallus eos tranſgreſſus probatus fuerit, omne illud quod de eo domino tenet amittet, hoc eſt, purpreſturam incurret.

9. Accepi tamen à viro magno, Magiſtro Thoma Maclellano, inter primos Advocato in Senatu nobili & rerum noſtrarum peritiſſimo, purpreſturam antiquitùs non aliàs dici, niſi baculum aut virgam vaſſallus manu ſuâ tenens, eum intra limites fundi dominici figat, & hæc verba addat, *Ego hunc fundum, aut fundi partem, in qua baculum hunc figo, meum eſſe jure feudi ſeu proprietatis aſſero, ſub periculo feudi mei.* Hæc erant verba ſolennia quibus utebatur vaſſallus, aut ſaltem uti debebat, cum res in controverſiam vocabatur: nam ſi ante litem ſuſceptam errans aut deceptus ſuum reverâ eſſe, quod ſuum putaret, affirmaſſet, nihil agebatur; ſed in judicio illa ſolennitas adhibebatur, ut ſciretur an vaſſallus ex conſtantis animi ſententia & propoſito dominum fallere intendat. Ego ſanè illa verba dici ſolita puto, cum res in

(a) Cap. 5. § 4. lib. 1. & cap. 74. lib. 2. Reg. Majeſt. (b) Cap. 11. ſtat. Rob. II. (c) Hujuſmodi extat ſtatutum clariſſimi Auctoris temporibus cap. 5. parl. 16. Jac, VI. A. D. 1600.

in judicium deducta eſt, & inquiſitores vellent, vaſſallum ſuo periculo definire quatenus feudum ſuum extenderet, idque baculo, quem illi tradebant in manus : non quòd illa verba ſolennia in hoc judicio omnino neceſſaria ſint ; meo enim judicio, quoties vaſſallus aliquot annos domini ſui fines involaverit, idque ex veredicto ſive ſententia quindecimvirali conſtet, purpreſturam committet, & feudo mulctabitur. Quod & in ſententia quadam inter Dominum de Spottiſwood & heredes Humii de Faſtcaſtell expreſſum vidi ; ubi neque talia verba, neque tales ſolennitates obſervatæ fuerant ; tamen ſententia de purpreſtura eo feudo, quod de domino tenebant, eos mulctabat.

Memini enim nuper, cùm inter clariſſimum Dominum Skrimgerum de Dudhop & urbem Innerkethin controverſia coram judicibus delegatis à Senatu eſſet, dictuſque Skrimgerus, purpreſturæ actionem contra eam peragens, ex eo capite, quòd fines ſuæ communitatis ſive communiæ violaſſent, & ſibi arando attribuiſſent ; cùm reſponſum eſſet, purpreſturam non niſi in proprietate committi, deque ea re conſultatio apud viros noſtri fori & rerum noſtrarum peritiſſimos eſſet, reſponſum eſt, durum eſſe purpreſturam in communia admittere : quod tamen per interlocutoriam non eſt definitum, cùm ex alia parte objiceretur, non minorem domino injuriam fieri, ſi quis fines communiæ ejus invadat, quàm ſi proprietatis : nam in jure, quod commune mihi cum alio eſt, meum dici poteſt (*a*) ; & in his compaſcuis agris, quos communiam dicimus, ſi arentur, & ſementis in eis fiat, domini conditio læditur, & alteri paulatim accreſcit ejus fundi proprietas, qui alioqui domino cum vaſſallo aut vaſſallis erat communis, & utriſque in paſcua & reliquas ſervitutes deſtinatus.

Frequentius erat hujus purpreſturæ antea judicium, quàm hodie eſt : nam in ſtatutis Jac. III. (*b*) cavetur, ne quis in hac purpreſturæ actione ſedeat judex, niſi qui Baro eſt : & ob eam cauſam judicium illud, cujus nuper memini, de terris de Rachburne, inter Elizabetham Nisbit & Alexandrum Chirneſyd ſuum conjugem ab una, & Jeannam Home ab alia, nullum declaratum eſt, quòd delegatus dictæ Elizabethæ, Patricius Home, non eſſet Baro, i. e. gladii poteſtatem ſive merum imperium non haberet.

10. Eſt & aliud genus apud nos recognitionis, quod licet fundamentum habeat ex jure Feudali, non tamen expreſsè inter modos feudi amittendi numeratur ; nec minus ex jure Feudali deſcendit, quòd ex ejus verbis per bonam conſequentiam elicitur, quàm ſi expreſsè deciſum apud Obertum reperiatur (*c*) : nam, ut initio monui, cùm conſuetudines hæ Feudales primùm in foro vim juris habere cœperant, gentes Europeæ, ut quæque ſuis rebus opportunum judicabat, partem aliquam ſibi tranſcripſerunt, & cum aliquo moderamine ad ſe traduxerunt. Sunt tamen, qui & hoc ex ipſo jure affirmant, quòd inſtrumentum inveſtituræ debeat vaſſallus domino petenti exhibere (*d*). Itaque quoties vaſſallus à domino debitè & ſolenniter interpellatus, ut tenorem ſuæ inveſtituræ domino demonſtret, tamen recuſat (*e*) ; hujus contumaciæ pœna eſt, ut vaſſallus à feudo ſuo cadat *(f)*. Fundamentum quidem generale in textu *(g)* habetur, quo cavetur, *Si dominus vocet militem, qui ab eo feudum tenebat, dicendo eum in culpam incidiſſe, per quam feudum amittere debeat, hic non reſpondet ; quæritur, quid faciendum ſit domino ? Reſpondeo,* (ait textus,) *dominum debere vaſſallum in curiam vocare, & ſi non venerit, iterum debere eum vocare, uſque in tertium, ſpatio interpoſito ſeptem vel decem dierum, arbitrio ejuſdem curiæ terminandorum. Quòd ſi neque venerit ad tertiam vocationem, hoc ipſo feudum amittet ; & ideo debet curia dominum in poſſeſſionem mittere.* Ex hoc textu mos noſter defluxit, ut ſi vaſſallus domino dicenti eum in delictum incidiſſe, per quod feudo privandus ſit, aut ſi de tenore inveſtituræ ſit incertus, videlicet quatenus ei ſit ſolvendum, & quæ ſervitia, ſive ea ſint certa ſive incerta, præſtanda ; tunc ſi vaſſallum conveniat, ut velit ſibi monſtrare inveſtituræ monumentum, vaſſalluſque illud contumaciter neget,

(*a*) l. 5. § 1. ff. de leg. 1. (*b*) Parl. 10. cap. ult. (*c*) Schon. theſ. 58. diſp. 10. lib. 1. (*d*) Id. theſ. 8. diſp. 8. lib. 1. (*e*) Cap. 25. Quoniam attach. Stat. 36. Rob. III. *(f)* Hinc mos apud nos improbationis per certificationem caducitatis. Vid. D. Georgii Mackenzii obſervationes in cap. 9. Parl. 1. Jac. I. & cap. 245. Parl. 15. Jac. VI. (*g*) 2 F. 22.

citandus eſt à domino ad primam ſuam curiam, ſub quadraginta dierum ſpatio: nam, cùm tantùm reo periculum immineat, longius tempus citationis concedere non gravamur. Si ad primam curiam non venerit, citandus ad ſecundam; ſi ne tum venerit, ad tertiam; ſi nec adhuc venerit, ad quartam curiam, citatione in his tribus poſtremis curiis ſpatio ſeptem aut decem dierum terminandâ, ut textus præſcribit, modò quadraginta dierum ſpatio citatio ad primam curiam antecedat. In qua quarta curia ſi vaſſallus non comparuerit, omne illud feudum, cujus monumenta domino exhibere debuerat, & eo nomine conventus fuerit, nec voluerit parere, amittit; dominuſque feudum tum dicitur recognoſcere, quaſi denuò ſuum eſſe feudum, ſive ad ſe reverſum cognoſcere. Idem, ſi vaſſallus comparuerit, & tamen monſtrare noluerit, aut cauſam probabilem non allegat, cur non poſſit exhibere ſive producere.

Quartam curiam noſtri ſolent adjicere, quia in parvi temporis mora non eſt magnum præjudicium, & mitiùs noſtri cum vaſſallis agendum ſemper putaverunt. In hac quarta curia, vaſſallus tanquam indignus & contra dominum ingratus, ſimul etiam in pœnam dictæ ingratitudinis feudo privatur, illudque domino in perpetuum adjudicatur; nec poſt audietur vaſſallus, ſi ſe allegaverit ex ſuperveniente aliqua cauſa recuperaſſe: nam vaſſallus nunquam præſumitur ſua feudalia monumenta non poſſidere; & in curia, cùm vocaretur, debuit allegare ſive exponere ſe ex juſta & probabili cauſa deſiiſſe poſſidere: quod ſi fecerit, ſuſtinendum adhuc judicium puto, donec de hac veriſimili cauſa conſtet. Si verò ea probata fuerit, puto admittendum vaſſallum ad probationem tenoris; durum enim eſſet, licet vaſſallus ex caſu, qui plurimi hominibus accidere poſſunt, monumenta ſua amiſerit, ut à feudo ſimul dejiciatur. Sed hoc locum habere tantùm puto, quoties vaſſallus ex contumacia recuſat domino ſuo ſuperiori ſua monumenta demonſtrare, ut dominus ſcire poſſit quæ ſervitia ſibi in feudo debeantur; ſemper enim vaſſallus contumax præſumitur, niſi cauſam probabilem habeat cur recuſet.

11. Quarta, & prioribus affinis, cauſa amittendi feudi eſt, ſi vaſſallus domino juſtitiam facere recuſaverit (*a*). Recuſare domino juſtitiam facere tum videtur, cùm quod æquum eſt vaſſallum facere domino, recuſat, nec judicio ejus ſtare voluerit, aut ad ejus curiam, tribus vicibus per legitima intervalla diſpoſitis citatus, comparere noluerit (*b*); præcipuè, ſi domino conquerente, & in cauſa feudali, comparere recuſet. Poſtulat hæc cauſa amittendi feudi aliquam interpretationem: nam, ut dixi, licet vaſſallus, ad alterius inſtantiam quàm domini citatus, non comparuerit; aut licet à domino citatus, non tamen in cauſa feudali, in neutro caſu feudum amittit: Memoriæ enim traditur, Imperatorem Henricum, Robertum Siciliæ Regem, majeſtatis à ſe reum poſtulatum, & trino edicto citatum, nec comparentem, regno privaſſe, quod de Imperatore tum tenuit.

12. Quòd tribus edictis vocandum vaſſallum vult, id ex jure Civili decerptum fortaſſe eſt (*c*). Quod ad intervalla attinet ſeptem aut decem dierum, id arbitrio judicis relinquit; & ſanè ita apud nos obſervatur: tamen citatio illa ſeptem dierum ex jure Pontificio eſt, & decem dierum ex jure Civili (*d*). Eundem ordinem ſervavit Imperator Fridericus adverſus Mediolanenſes, qui contra eum arma ſumpſerant (*e*): nam licet illi graviter Imperatorem offendiſſent, & is ad ulciſcendas injurias præcipitare cuperet omnia; qui ei à conſilio erant perſuaſerunt, improbos homines potiùs jure & juris ordine ſervato puniendos, quàm ſi violentia præceps adhibeatur. Juſtinianus intervallum triginta dierum inſtituit (*f*). Gloſſator feudorum (*g*) hæc tria edicta diverſis nominibus notat; ut primum ſit *admonitorium*, ſecundum *citatorium*, tertium *conventionale*: & præter hæc tria edicta, quartum requirit, quod *peremptorium* vocat; nam tribus edictis ad peremptorium pervenitur. Et hinc fortaſſe mos noſter emanavit, ut præter tria edicta, quartum peremptorium etiam ſequatur, in quo ex contumacia vaſſalli feudum domino adjudicatur. Intervallum jure antiquo decem erat dierum intra quamque citationem (*h*), ſed jure Authenticorum

(*a*) 2 F. 24. § 2. verſ. illud. (*b*) 2 F. 22. (*c*) l. 68. cum ſeq. ff. de judiciis, l. 13. § 2. C cod. & l. 8. C. Quomodo & quando judex. (*d*) d. l. 68. cum ſeq. & d. l. 13. (*e*) Radovicus, lib. 3. cap. 27. (*f*) Nov. 112. cap. 3. (*g*) Sciz. 2 F. 22. (*h*) l. 69. ff. de judiciis, l. 13. § 2. C. cod.

thenticorum triginta (*a*); nos in primo edicto quadraginta dierum præmonitione utimur, in aliis ſex aut ſeptem, in quarto ſive peremptorio quindecim; nec intereſt perſonaliter citetur reus, an verò ad locum habitationis, ſi fraudandi causâ latitaverit (*b*). Et puto ſanè hunc ordinem proceſsûs communem fuiſſe in omni feudi amiſſione: nàm noſtrâ memoriâ, in burgis tres citationes præmittebantur; prima monitoria, tantummodo ut veniat; ſecunda, ſub pœna carcerationis, poſt quam, ſi deprehenſus fuerat reus, cuſtodiæ includebatur, donec reſpondere ſe offerat: ſi neque ex ſecundo edicto comparuerit, tunc actor in poſſeſſionem mittebatur; nec de ea decedere cogi potuit, donec lis finiretur; in quo caſu, qui priùs reus erat, actoris partes ſuſtinebat. His tribus edictis vocatus vaſſallus, ſi ad curiam non compareret, feudum amittet; ſed cum hac moderatione, ut dominus ſtatim à tertia curia in poſſeſſionem feudi mittatur, ut ait textus (*c*). Quòd ſi contumaciam ſuam intra annum purgaverit, aut purgaturum ſe obtulerit, reſtituebatur ei poſſeſſio; alioqui & beneficium amittit. Sanè Ludovicus Imperator ſtatuit, ut ſi cujus bona propter capitalem accuſationem occupata à fiſco fuerint, neque is, ad quem ea bona pertinebant, intra annum & diem judicio ſiſtere ſe offerat, ut bona illa perpetuò à fiſco retineantur: quod à jure Cæſareo defluxiſſe videtur; nam jure Codicis reus ad quinquennium expectandus erat (*d*). Juſtinianus tamen ſtatuit, ne contumax ultra unum annum ab edictis expectetur (*e*). Diem autem anno adjici, antea monui: nam qui anno res has præſcribunt & definiunt, perfectum & abſolutum annum expectare debent, ut intelligant illam præſcriptionem ultimo die anni non finiri, ſed ſequenti die, & eum qui ſequenti die venerit, ſatis citò venire.

Eſt tamen aliquis in jure caſus, in quo tribus edictis non eſt opus; nempe, ſi vaſſallus ita contumax fuerit, ut reſpondeat in initio primæ citationis ſe nolle venire: nam in hoc caſu non eſt opus renovatione citationis (*f*). At gloſſa non idem vult eſſe in feudo (*g*); & profectò durum eſſet, propter apertam negationem, cujus poſtea poſſit pœnitere, feudo vaſſallum privari, & pœnitentiæ locum ei auferri: licet apud nos, in conſignatione pecuniarum in cauſa redemptionis, ubi quis in loco conſignationi deſtinato tenetur morari ad occaſum Solis, ſi is à quo redemptio fit comparuerit, fortaſſe in meridie, & dicat ſe nolle pecuniam recipere, occaſus Solis non eſt expectandus, ſed pecunia immediatè poſt ſimplicem recuſationem deponenda; adeò ut pœnitentiæ non ſit locus, ſi ante occaſum is qui recuſaverit receptioni ſe offerat. Sed non eſt eadem ratio in hoc quæ in altero: leviſſimum eſt enim præjudicium, ſi quis hodie recuſet pecuniam; nam poſtquam obſignata eſt, ſi recuſationis eum pœnituerit, poterit per ſupplicationem Senatui oblatam, parte citatâ, à depoſitario pecuniam repoſcere: at in altero, pœna eſt amiſſio feudi totius, quæ cum altero præjudicio non eſt comparanda.

13. Sed, ut ad mores noſtros redeam, de hac feudi amittendi cauſa, puto eam non eſſe univerſalem, nec talem pœnam ex quacunque cauſa contumaciæ irrogari, ſed tantùm ex uſu noſtro hodierno in denegatione evidentiarum ſive monumentorum inveſtituræ. Audivi tamen à multis, & hunc morem antiquitùs fuiſſe apud nos receptum. Quod ad exteras gentes attinet, certum eſt, cùm Anglus de Rege Franciæ Normanniam, Aquitaniam, Andes, Pictones, & pleraſque alias ditiones teneret in feudo, ex minima occaſione Gallum, harum provinciarum recuperationi inhiantem, ſolitum evocare Anglum tribus edictis ad homagium præſtandum, aut ut ad querelas ſuorum hominum reſponderet, (quos Gallus ſubornaverat,) ut ſe in judicio coram eo ſiſteret tanquam domino ſuperiore. Cùm autem ad tertium edictum non compareret Anglus, (ut aliquando comparere non erat tutum, nec ſine periculo eminenti poterat,) eas omnes provincias in manus ſuas ſumpſiſſe, (nos *recognoviſſe* dicimus,) Senatus Pariſienſis ſententiâ interveniente, ne ſine ordine judiciorum quicquam feciſſe putaretur. Et hæc ſola cauſa eſt, cur adhuc Anglus omnibus his provinciis, quarum tamen indubitatus erat heres, careat.

(*a*) d. cap. 3. Nov. 112. (*b*) l. 7. § 16. ff. quibus ex cauſis in poſſeſſ. eatur, & l. 8. C. de præſcrp. 30 annorum (*c*) 2 F. 22. (*d*) l. 13. C. de judiciis. (*e*) Nov. 112. (*f*) l. 72. ff. de judiciis, & l. 8. C. quomodo & quando judex. (*g*) Bald. & Alvarot.

14. Quinta cauſa feudi amittendi, quæ circa feudum ipſum verſatur; Si vaſſallus heres, intra annum & diem à morte domini vel vaſſalli, renovationem inveſtituræ non petat *(a)*. De hac renovatione feudi intra annum & diem diximus antea, non eſſe cauſam juſtam amittendi feudi, nec apud nos receptam; nam, quod toties ante monui, nobis leniores pœnæ ſemper placuerunt: itaque cùm domino ſatis conſultum noſtri putarent, quòd interea, dum heres in renovatione inveſtituræ ceſſat, feudi fructus ſuos faciat ratione non-introitûs, & pro eis judicio agere & etiam diſtringere poſſit, ab ulteriori pœna abſtinuerunt: quanquam apud nos rara ſit hæc dominorum querela; nam à dominis ſæpius peccatur in recuſatione renovationis inveſtituræ, quàm ab herede in petitione. Adde, quòd non tanti roboris & efficaciæ ſit apud nos hæc ſpontanea inveſtituræ renovatio, à domino vaſſalli heredi facta, (quam nos *Præceptum de Clarè conſtat*, à verbis initialibus, vocamus,) ac ſi vaſſalli heres legitimè & in curia Regis deſervitus quindecimvirali ſacramento & retornatus fuerit: nam ex hoc retornatu ſaſina ad omnes actiones ſufficit, non ſolùm petitorias, ſed etiam reſciſſorias; altera ad reſciſſorias nunquam: in petitoriis, ſi quis ſe oppoſuerit, & ex adverſo titulum probabilem produxerit, aliquando in Senatu dubitatum vidi. Itaque in hac cauſa amiſſionis feudi non immorabor, nec in eis quæſtionibus quæ circa eam verſantur: Quid ſi minor non potuerit? Quid ſi legitimè impeditus? Quid ſi impedimentum ex loco affecto proveniat, ſive quòd ſit inter potentes inimicos, ſive peſtilentiâ affectus? Quid ſi non debitè petiverit? Si non cum humilitate? Si commoda tempora non obſervaverit? In quibus omnibus ex jure Feudali pœnitentiæ & excuſationi locus eſt.

Hæc omnia prudens prætereo, tanquam ad uſum noſtrum non omnino conducentia: unum tantùm adjicio; licet vaſſalli heres in petitione ceſſaverit, poſt annum tamen & diem dominus ei inveſtituram conceſſerit, remiſiſſe ex jure pœnam & omnem animi offenſionem videtur, non tamen illius temporis fructus, quo feudum in non-introitu fuerat, quod in recognitione & aliis cauſis amiſſionis feudi obſervandum *(b)*.

15. Quod ad barratriam attinet, certum eſt apud nos modum eſſe feudi amittendi; ſed an hæc pœna Regi applicetur, an domino feudi, incertum eſt. Quod ad me attinet, non puto pœnam barratriæ domino feudi competere, ſed tantùm Regi, quia in Regem, tanquam patriæ patrem, peccatur. Id ut clarius fiat, de nomine barratriæ aliquid dicemus. Vox hæc Italica ſive Romana eſt, & caupones beneficiorum barratrii à Baldo, Angelo & Paulo de Caſtro dicuntur: pòſt ad omnia judicia ea vox penetravit, ut qui pretio jus aut leges emerit aut pervertit, aut qui pecuniam accipit, ut in cauſa judicet, *Barratrius* diceretur; quod & poſtea ad eos qui pecuniam eo nomine dant tranſlatum eſt. A noſtris in uſum producta eſt hæc vox, primùm in Eccleſiaſticis tantùm & de eis dicta, qui pecuniam ad nundinationem beneficiorum è regno Romam tranſportant, quaſi caupones beneficiorum. Sed quoniam difficilis eorum eſſet punitio, cùm plerumque ſub Romani Pontificis auctoritate deliteſcerent, non auſus Rex in eos directè quaſi caupones beneficiorum animadvertere, edicto prohibuit, ne monetæ è regno exportarentur ad cauponantes beneficia, niſi priùs exportator ad Ordinarium venerit, aut ad regni Cancellarium, ibique causâ expoſitâ ſui è regno deceſsûs, eorum veniam & licentiam impetret, præſtitâ fide priùs ſe barratriam non committere, id eſt, pecuniam ex regno non exportare cauponandi beneficii causâ; alioqui pœnâ tranſportantis monetam è regno puniendus *(c)*.

Poſtea ingraveſcente hoc malo, & ob nundinationem beneficiorum tot pecuniis Romam evectis, placuit ne quis ex Eccleſiaſtico ordine Romam proficiſceretur, cùm neque id ſine pecuniarum magna vi fieri poterat, & clam aliquid ſemper machinarentur, de inveitendis beneficiis, & præcipuè Monaſteriis, ne ex liberis Monachorum ſuffragiis Abbates eligerentur. Itaque pœna tum erat æquata proditioni ſi-

ve

(*a*) Gloſſa in cap. 1. de milite vaſſallo qui contumax eſt, a F. 24. (*b*) Bald. in l. 7. ff. de lege commiſſoria. (*c*) Cap. 107. Parl. 7. Jac. I.

ve læſæ majeſtati; ita tamen ut pœna non ad corporis ſupplicium pertineret, ſed tantùm ad amiſſionem cujuſcunque beneficii aut dignitatis Eccleſiaſticæ, ſi quam haberent in regno *(a)*. Sed cùm graviora incommoda quotidie orirentur, regnumque pecuniis exhauriretur, factum tandem eſt, ut novo actu interdiceretur Eccleſiaſticis omnis ex regno exitus, ſub eadem pœna proditionis, ſed quæ, ultra amiſſionem beneficii & Eccleſiaſticæ promotionis, ad perpetuum exilium extenderetur *(b)*. Tandem, in primo ſtatuto hujus Sereniſſimi noſtri Regis, repetitæ eædem pœnæ ſunt *(c)*. Ex quibus omnibus liquet, barratriam tantummodo in Eccleſiaſticis locum habuiſſe, eoque nomine, ante annos triginta, Jacobus Archiepiſcopus Glaſguenſis forisfactus eſt, id eſt, beneficio privatus.

16. Quomodo autem nomen hoc ab Eccleſiaſticis ad nobilitatem derivatum eſt, incertus ſum, niſi quòd ob affinitatem ſive pœnæ ſive facti puto: nam apud nos certum eſt barratriam committi hodie, ſi quis feudum de Rege tenens ſine ejus licentia regno egrediatur, ſive literarum causâ, ſive aliâ quacunque occaſione; nam eâ causâ vaſſallus feudum amittit, & perpetuo exilio damnatur. Et ex hac pœna diverſitas opinionum naſcitur, utrum barratria ſit cauſa tantùm amittendi feudi, an verò etiam crimen læſæ majeſtatis? Si tantùm ſit crimen læſæ majeſtatis, cur non ad vitam extenditur? nam læſa majeſtas non ſine ſanguine offendentis placatur. Quòd ſi non ſit crimen læſæ majeſtatis, profectò feudum ad dominum, à quo profectum eſt, debet redire. Sed, præter amiſſionem feudi, video pœnam perpetui exilii indici, quod maximè me movet, ut barratriam inter cauſas amiſſionis feudi non numerem, ut nec reliquas læſæ majeſtatis cauſas & pœnas. In hoc caſu inquirere malo, quàm decernere. Sed multis levior videtur occaſio in nobilibus, quàm quæ tantâ ſit digna pœnâ; itaque ſaltem in hoc licet inquirere, quæ hujus ſupplicii ſeu pœnæ origo fuit ab initio.

Cùm Hanno Carthaginienſium imperator primus in Heſperidas inſulas (quas hodie Canarias dicimus) appuliſſet, coloniamque ibi conſtituiſſet, magna hominum copia eò commigratura videbatur, niſi Carthaginienſes edicto caviſſent, ne quis ſuorum ſine venia ex Africa excederet. Pòſt Auguſtus Cæſar edicto ſeveriſſimo ſanxit, ne quis Senator injuſſu ſuo Italiâ excederet *(d)*. Quod ille cavit, ne conſpirationi locus contra ſe eſſet. Eadem cauſa ejuſdem pœnæ ſanciendæ in Gulielmo Rufo, ſecundo Angliæ Rege poſt conquæſtum, fuit: nam cùm, ſive jure ſive injuriâ, regno Anglorum fuiſſet potitus, & plerique ad fratrem ejus majorem, Robertum Ducem Normanniæ, ex Anglia quotidie tranſirent, quòd ejus jus in regno Angliæ potius putarent, edicto primus cavit, ne cui vaſſallo ex Anglia, ſine ejus venia literis expreſſa, diſcedere liceret, ſub pœna amiſſionis feudi. Quæ lex à vicinis Principibus obſervata hactenus eſt, propter frequentiſſimas ſeditionum & tumultuum occaſiones, quæ præcipuè in partibus tranſmarinis, ad quos rebelles confugere ſoliti erant, naſcebantur: ab iis ad nos perveniſſe veriſimile eſt.

Utcunque ſe res habet, certum eſt hodie Anglos, Scotos, Danos hoc pro inviolabili conſuetudine obſervare, ne ſine licentia impetrata à Rege è regno vaſſalli ejus excedant; quod & in Neapolitani regni proceribus etiam ſervari teſtatur Bodinus in ſua Republica.

17. Ad quos autem hæc pœna extendatur, controverſum ſæpe vidi: æquitas enim non patitur, ut ad omnes regni incolas ſine diſcrimine dignitatis aut ſtatûs extendatur; nam ab inferioris ſortis hominibus minus eſt periculi. Itaque ſunt qui tantùm ad Regios vaſſallos extendunt, ut ii ſoli, ſi regno exceſſerint, teneantur. Alii ad omnes qui de Rege tenent extendi putant, ſive teneant in burgo, ſive franco, ſive in emphyteuſi, ſive ſit laicus, ſive Eccleſiaſtica perſona quæ in crimen incidit. Plerique reſtringunt ad eos, qui feuda nobilia, ſive laica ſive Eccleſiaſtica, habent. Mercatores, etiamſi feuda Regia habeant, liberè ire & redire ſine impetratione literarum poſſunt. Idem in bonarum artium ſtudioſis. Quod licet non negem, tamen,

(*a*) Cap. 44. Parl. 6. Jac. III. (*b*) Cap. 53. Parl. 5. Jac. IV. (*c*) Cap. 2. Parl. 1. Jac. VI. (*d*) Tranquillus in Auguſto.

ne ſub prætextu fraus fiat legi, ne in hoc quidem caſu licere puto; cùm à talibus, ſi feuda Regalia tenerent, ſemper literas gratiæ ſive licentiæ viderim impetratas.

18. Eſt & alia cauſa amiſſionis feudi, quæ circa feudum ipſum verſatur, nempe ſi vaſſallus feudum domini ſui diſſipaverit, aut inſigniter deterius reddiderit *(a)*; nam præterquam quòd non minus eſt domini incommodum, ſi feudum deterioretur, quàm ſi pars ejus alienetur; feudum enim ſuum dominus ei non concedit, ut pauperiem in eo facere liceat, aut ad vaſtitatem redigat, ſed tantum ut melioretur, & ad majores fructus reddendos diligentiùs excolatur: ſic uſufructuarius, male utendo vel abutendo re proprietarii, à ſuo uſufructu cadit *(b)*, neque enim ſolùm agros colere, ædificia ſarta tecta tenere debet, arbores fructiferas ſervare, in locum demortuarum alias ſubſtituere, ſed etiam, ſi quos habeat valvaſſores, ſive ſubvaſſallos, eos pro dignitate tractare *(c)*, neque ab eis inſolitas operas aut exactiones exigere, aut indicere. Quod ſi fecerit, neque à domino monitus velit deſiſtere, à feudo cadit *(d)*. Nam malè ſubſtantiâ domini utitur, qui ſubditos ſuos lacerat; quantò enim feudum meliùs colitur, & à pluribus habitatur, domini non ſolùm jurisdictio & opes, ſed etiam, quia pluribus poſſit imperare, dominium ejus tanto fit auctius. Itaque uſum feudi, non abuſum vaſſallo permittit.

Scio multas bellorum occaſiones inter Gallum & Anglum eâ de cauſâ ſatas: nam cum Anglus Aquitaniam vel Normanniam exactione vel tributo gravare vellet, ſubornabantur qui ad Gallum provocarent, tanquam dominum horum feudorum ſuperiorem. Inde ad judicium ſubeundum Anglus evocatus, ut rationem redderet, cur ſubvaſſallos ita affligeret, & ut eis ſatisfaceret. Cum ille indignaretur ſe eâ de cauſâ evocari, licereque ſibi putaret ſubditos ſuos & valvaſſores aliquibus tributis onerare, ægrèque hanc evocationem ferret, & ad dicendam cauſam comparere nollet; Gallus hæc feuda Aquitaniæ & Normanniæ & aliarum regionum, quas non parvas in Gallia in feudo Anglus tenebat, in ſuas manus recepit, & adhuc retinet quo jure quâque injuriâ. Sic hæc juſta apud Gallos cenſetur feudi amittendi cauſa. Apud nos, nunquam vidi ex hac cauſa amiſſum feudum fuiſſe, niſi expreſsè in inveſtitura feudali cautum ſit, ne feudum deterioretur; ſed ædibus, hortis, arboribus, & hoſpitiis, ad recipiendos ſcilicet hoſpites, ornetur & decoretur: in quo ſi peccaretur, puto cauſam eſſe amiſſionis feudi juſtam. Memini, ante annos triginta, controverſiam fuiſſe inter Davidem Boner de Roſſie & Joannem Crichtoun de Innernytie, quòd cum tempore Jacobi V. evictum fuiſſet ab Joanne Crichtoun feudum, & Bonero de Roſſie conceſſum, is poſtea, anno ſexageſimo tertio & quarto, graviſſimam & factione partium acerrimè agitatam controverſiam inſtituit, de retractanda ea ſententia: nam cum ſola reſcindendi prioris feudi cauſa fuiſſet, quòd ſylvæ illius prædii ſive feudi cæſæ & deterioratæ fuiſſent; ideoque judicium reſciſſorium à Senatu latum: & in hac ſecunda inſtantia Crichtonus ſe probaturum recepit, ſylvas, quæ circa dictum feudum erant tempore prioris ſententiæ, in meliore conditione fuiſſe, quàm erant, cum feudum à principio ei conceſſum fuiſſet; quod & fecit, & obtinuit. Hæ igitur ſunt ingratitudines, aut delicta, quæ in feudo aut circa feudum committuntur.

Superſunt eæ ingratitudinum cauſæ, quæ non feudum ipſum, ſed domini perſonam reſpiciunt.

19. Prima ingratitudinis ſpecies eſt, & maxima, ſi vaſſallus domini ſui perſonam violaverit, aut violentas manus ei injecerit, veluti, ſi dominum interfecerit (nam hanc eſſe juſtiſſimam amiſſionis feudi cauſam nemo ſanus negabit;) aut ſi cauſam cædis domini, vel conſulendo, vel conſpirando, vel percutiendo, dedit. Apud nos [ART AND PART] dicitur, id eſt, ſi ejus arte, aut participatione facti, dominus cæſus ſit, feudo juſtiſſimè mulctandus *(e)*. Sic, ſi domino etiam mortuo injuriam fecerit, cadaveri ejus illuſerit, aut inhoneſtè abjecerit, aut ſepulturâ prohibuerit, vel perpetuò vel ad tempus impedierit, vel vi vel ſequeſtratione, aut arreſtatione (ut quondam

(*a*) 2 F. 8. § 1. & Bald. s. 2. F. 27. § 7. (*b*) § 3. Inſtit. de uſufr. 2. F. 23. (*c*) § ult. ff. de his qui ſu vel alieni juris ſunt. (*d*) 2 F. 27. § 7. Schon. th. 55. diſp. 10. lib. 1. (*e*) 2 F. 24. § 2.

quondam licuit, licet hodie non permittatur,) aut ſi domino morienti injurius ſit *(a)*. Quod à jure Civili videtur originem ſumpſiſſe; nam, ex jure Civili, qui teſtari aliquem prohibuit, omni commodo, quod ex ejus morte conſequi poteſt, privatur. Idem in membro domini amputando, aut inutile reddendo, & ſanguinis dominici effuſione obſervatur; aut ſi vaſſallus quoquo modo educto gladio eum percuſſerit, etiamſi nihil inde ſequutum fuerit; cum tamen impetum in eum fecit, & per vaſſallum non ſtetit, quo minus eum percuteret, licet ab aliis intervenientibus fuit impeditus. Idem, ſi venenum paraverit, aut ejus vitæ inſidiatus fuerit, licet effectus non ſit ſequutus, ſi tamen voluntas in aliquem actum deducatur, à feudo cadit *(b)*. Si tamen vaſſallus educto gladio, ut à domino ſe expediret, dummodo non percuſſerit, arma paraverit, aut ut ſe protegat ab injuria domini, puto vaſſallum in pœnam non incurrere, ſed pœnitentiæ eſſe locum. Eodem modo vaſſallus à feudo cadet, ſi cum aliis de interficiendo domino conſpiraverit *(c)*; aut conſpirationis conſcius, ſi potuerit, non impedierit, aut ſi non potuerit impedire, ſaltem domino non aperuerit, ut ſe ab injuria & violentia tueri poſſit.

20. Alii hanc conſpirationem ſub verbo [*aſſilierit*] alii ſub verbo, [*percuſſerit*] comprehendunt: utcunque eſt, ſi violentas manus in dominum injecerit, aut injectionis manuum violentæ particeps fuerit, aut injuriæ in dominum commiſſæ conſcius, à feudo cadit; niſi quòd aſſiliendo aliam cauſam feudi amittendi inducit, quæ tamen à priore non multum differt, nempe ſi prudens & ſciens, domini caſtrum, vicum aut habitationem aſſilierit, etiamſi uxor tantùm domini ibi habitaverit, aut impetum in illud fecerit, ſive eques, ſive pedes, ſive fores effringendo, ſive machinis & tormentis oppugnando, aut ſagittis propugnatores è pinnis & turribus avertendo *(d)*. Dixi *ſciens*, id eſt, ſi ſciverit domini eſſe habitationem aut caſtrum; nam ignorantia (ut dixi,) ſi ea non fuerit craſſa, ſed probabilis, hîc excuſatur: ita tamen craſſa eſt, ſi id non intelligat, quod omnes intelligere debent, forte ſi nemo alius dominus cognitus ſit illius loci, aut ſi dominus ibi divertere aut habitare conſueverit, & communiter ejus caſtrum reputabatur. Quid autem, licet domini eſſe caſtrum aut habitationem ſciverit, ſed dum aſſilierat & oppugnaret, ignorabat dominum ibi eſſe? Hæc tamen excuſatio eum à pœna non liberat *(e)*. At quid ſi certò ſciebat alibi dominum tum fuiſſe, dum caſtrum ejus aſſiliret, an hæc ingratitudo in dominum commiſſa videtur? Hoc inquirendum relinquo, licet ſint qui & in hoc caſu à feudo cadere vaſſallum putant, ſi fores effregerit.

21. Neque tamen hæc regula ita generalis eſt, quin exceptionem patiatur. Quid enim ſi vaſſallus, cum eſſet domini præceptor, eum diſciplinæ cauſâ verberaverit, aut ſi vaſſallus dum ſe, ſuam vitam, famam, dignitatem, bona aut pudicitiam ſuorum à domino oppugnante defenderet, dominum interfecerit? nam utroque caſu vaſſallus excuſatur *(f)*. Sic ſi contra dominum rebellem arma ſumpſerit *(g)*, aut ſi fortè errore perſonæ deceptus, dominum offenderit, cum alium eſſe putaret *(h)*, vel fortaſſe non animo offendendi id fecerit (cum injuria ſine animo injuriandi non fiat) *(i)*, ſed ſui defendendi, vel patriam, aut adverſus ipſum dominum, aut etiam extraneum tuendi, cum publica cauſa hæc privatis neceſſitudinibus præjudicet, & voluntas & propoſitum maleficia diſtinguant. Aut ſi non animo dominum offendendi vel lædendi, ſed eum cui dominus adhæret, & contra vaſſallum tutatur *(k)* offendit. Præterea dominum graviter vaſſallus offendit, ſi alii quàm domino fidelitatem ſponte, & non coactus juraverit *(l)*: quod non eſt intelligendum, ſi duo diverſa feuda ex duobus dominis habet; nam cuique eorum fidelitatem jurare tenetur, ſed ne pro eo feudo, quod de ſuo domino tenet, alii hominium præſtet *(m)*. Si tamen, cum vaſſallus magiſtratu fungatur, dominum jure magiſtratûs incarceraverit, vel etiam captum bello detinet, (cum qui bello capti ſunt, jure detineantur,) feudo non

 privatur,

(*a*) Argumento l. 1. § 4. ff. de injuriis. Schon. theſ. 27. diſput. 10. lib. 1. (*b*) d. 2. F. 24. § 2. (*c*) d. 2 F. 24. §. 2. (*d*) 1. F. 5. ibi Similiter. (*e*) d. 2. F. 24. § 2. (*f*) Præpoſit. in d. 2. F. 24. § 2. l. 4. C. & ibi. Bartol. & Bald. ad leg. Juliam de adult. (*g*) Cur. Jun. p. 4. n. 31. (*h*) 1. F. 5. § Similiter. (*i*) Iſer. Aff. Præpoſit. Alvar. ſ. d. § ſimiliter. (*k*) l. 3. & 33. ff. de injuriis. (*l*) Schon. th. 47. diſp. 10. lib. 1. (*m*) Schon. theſ. 50. diſp. 10. lib. 1.

privatur, niſi cum dominum, dare fidejuſſores de ſolvendo offerentem, tamen liberare recuſet *(a)*. Quòd ſi dominus & vaſſallus ſe invicem offenderint, ſive injuria ea ex facto ſit, vel ſolis verbis; nec conſtet quis prior offenderit, aut ſi conſtet dominum priorem offendiſſe, à feudo non cadet *(b)*.

22. Huic cauſæ affinis eſt & alia, quæ contra caput ſive vitam domini eſt, licet percuſſio aut aſſultus non intercedat; veluti, ſi dominum criminaliter accuſaverit, vel per ſe vel per alium, ita ut de vita, de libertate, de fama, aut patrimonii aut magnæ partis amiſſione periclitetur, ſive probaverit ſive non: aut ſi vel in civili cauſa vel criminali teſtimonium contra dominum non coactus dixerit, vel ſi ſponte & non coactus advocatus contra dominum fuerit *(c)*. Si verò vel officii ſui neceſſitate (ut ſi fortè heres alicujus inſtitutus, cujus necem vindicare tenetur) vel officio judicis aut etiam ſuperioris coactus fuerit, aut dominum de delicto in Principem & remp. accuſaverit, aut teſtimonium ei expreſſum invito fuerit, excuſabitur *(d)*. Sic ſi non ſit grave domini præjudicium: idem, ſi delator tantummodo bonorum domini fuerit *(e)*. Sic & ætas malitiâ deſtituta excuſat aliquando *(f)*. Et ſanè vaſſallus, ſive libertus, contra dominum, jure Civili, teſtimonium ferre non eſt cogendus *(g)*: licet apud nos aliter obſervetur: nam citatus vaſſallus teſtimonium dicere cogitur; quod non ſine ratione eſt, ne fortè ex defectu unius teſtis, bonæ cauſæ probatio intereat. In cauſa tamen feudali, tam pro domino quàm contra dominum, impunè teſtimonium dicet *(h)*.

Quod de domino accuſato criminaliter à vaſſallo dixi, extentionem recipit; nam ſi vaſſallus contra dominum criminaliter accuſatum fidejuſſerit, id eſt, ut nos loqui ſolemus, ſi fidejuberet in libro Adjurnalis, ſe ad certum diem literas, domini accuſationem continentes, repræſentaturum, etiam feudum amittet; nam particeps tum accuſationis cenſetur; & apud nos juſta hæc eſt cauſa hunc fidejuſſorem declinandi, cum hæc fidejuſſio capitales inimicitias inducat. Idem, ſi vaſſallus in dominum accuſatorem ſubmittat. Idem, ſi domini imminens periculum non denunciaverit *(i)*; vel ſi in magna & gravi cauſa ſententiam contra dominum, vel ut judex, vel ut arbiter, vel ut arbitrator tulerit, quæ ex iiſdem deductis per appellationem poſtea reſciſſa eſt: in qua reſciſſione manifeſtè probatum fuit, ne conſultis quidem peritioribus, (quod in re gravi, etiam non dominica, facere debuit) eum ſententiam contra dominum præcipitaſſe, vel ejus ſordes, fraudem vel latam culpam interveniſſe *(k)*. Si verò ex errore vel levi culpa, veluti ſi ex imperitia tantum lapſus ſententiam dixerit contra dominum; in hoc caſu ſubveniendum ei putant plerique, nec in hoc caſu feudum amittere. Hæc quæ de vaſſallo accuſatore diximus, ita temperanda ſunt, ſi injuſtè hæc vaſſallus fecerit; nam ſi judicio legitimo injuriam vel jus ſuum vel ſuorum perſequatur, aut etiam ſi in judicio illo vaſſallus obtinuerit, & intentionem ſuam probaverit; aut etiam ſi ſuccubuerit, ſi tamen dominum probabiliter & ex veriſimili cauſa de delicto in Principem aut rem publicam commiſſo accuſaverit, in his caſibus vaſſallus accuſator feudum non amittit *(l)*. Quòd ſi ab accuſatione jam cœpta deſiſtat, ſive abolitio à judice impetrata fuerit, in hoc caſu non putatur vaſſallus feudum amittere *(m)* à quibuſdam; ſecus ab aliis, licet deſiterit, ſi dominum ſemel in periculum deduxerit *(n)*.

Numeratur & inter delicta in dominum, ſi domini literas ſciens ſibi miſſas parùm honorificè ſuſceperit, aut laceraverit, vel ne præſententur effecerit, niſi vel ignorans fortè domini eſſe, fecerit, aut illas recipiendo, proteſtatus fuerit contenta in eis non eſſe vera, aut fortè ebrius fuerat; in quibus caſibus cum malitia deſit, pœna ceſſat *(o)*.

23. Eſt

(*a*) Arg. l. 5. § 1. ff. qui ſatisdare cog. Sch. theſ. 48. diſp. 10. lib. 1. (*b*) Arg. l. 45 § 3. ff. ad leg. Aquil. c. conſtitutus Extra de pœnis. Schon. 49. diſp. 10. lib. 1. (*c*) 2 F. 33. § 1. ibi. Similiter. & § 2. & 2. F. 24. § 2. ibi. Item ſi delator. arg. c. fin. Extra de poſtul. (*d*) Arg. l. 5. § 13. ff. de his quæ ut indignis auſer. (*e*) 2 F. 33. § 2. Schon. theſ. 36. diſp. 10 lib. 2. 2. F. 6. (*f*) Alex. var. in d. 2. F. 33. § 2. (*g*) l. 12. C. de teſtibus. (*h*) 1. F. 26. (*i*) 2 F. 24. § 2. (*k*) Arg. l. 2. & ſeqq. ff. de bonis libert. tit. de pœna Judicis qui temere judicavit. Præterea gloſs. & DD. ibid. Zaſ. p. 10. num. 47. Schon. theſ. 46. diſp. 10. lib. 1. (*l*) Gloſſa in 2. F. 33. § 1. ibi Similiter. (*m*) l. 14. ff. de bonis libertorum. (*n*) Schon. theſ. 40. diſp. 1. (*o*) Afflict. s. tit. quibus modis feudum amittatur.

23. Eſt & alia feudi amittendi cauſa circa perſonam domini; veluti, ſi vaſſallus ad militares operas, ſive ſuum ſervitium debitum requiſitus legitimè, domino parere recuſaverit, aut ſi dominum in bello deſeruerit. Hæc cauſa duo capita continet; ſi ad militiam non venerit, aut à domino pugnante fugerit, ſive in bello ſive privata rixa: & profectò utraque hæc cauſa magnam vaſſalli ingratitudinem arguit, ſi, cùm ob militares operas, ſive præſtandam in bello operam, feudum accepiſſet, militiam detrectaverit; & concurrit cum ea condictione, quæ in jure Civili naturalem æquitatem ſecum trahere videtur, & condictio ob cauſam dati, causâ non ſequutâ, dicitur; ut ſi cauſa hæc non ſequatur, quod eo nomine & eâ causâ datum erat, juſtiſſime repeti poſſit *(a)*, ne inhoneſtum lucrum apud poſſeſſorem permaneat.

Hinc etiam noſtrum morem defluxiſſe puto, ut qui ad edictum expeditionis bellicæ diem non venerit, aut toto tempore non remanſerit, deſertor patriæ & proditor exiſtimetur, eâdemque pœnâ puniatur quâ is qui ex acie fugit: aut, ſi etiam dominus in periculo conſtitutus, ſi eum neque mortuum neque mortiferè vulneratum reliquerit; aliquando etiam ſi dominus in periculo non fuit conſtitutus, ſi tamen vaſſallus fugerit, niſi vel ſtatim poſt fugam redierit, paratus in omne diſcrimen pro domino; aut ſi illa fuga domino non nocuit: ſed nec hoc eum liberabit, ſi in prælio manſit ut inſpector, neque ſe pugnæ obtulit, aut pugnaverit *(b)*. Quod etiam locum habet, ſi extra bellum dominum vaſſallus deſeruerit, vel ab hoſtibus vel latronibus captum, ſi eum ſaltem clamore, cùm poſſet, non liberaverit *(c)*. At ſi juſtam excuſationem fugæ vaſſallus prætendere poteſt, ſi dominus fuit lethaliter vulneratus, aut ſi ex probabili cauſa eum exiſtimaverat lethaliter vulneratum, cùm aut omnino non eſſet vulneratus, aut ſaltem non lethaliter, aliud dicendum *(d)*. Idem, ſi vaſſallus factus ſit inhabilis ad dominum juvandum; veluti, ſi dextram amiſit, aut grave ipſe vulnus acceperat, aut erat periturus niſi fugiſſet *(e)*. In civitate aut univerſitate vaſſalla, licet una pars fugerit, aut dominum deſeruerit, ut neque in aliis delictis, ſi pars dominum offenderat, civitas aut univerſitas feudo non privatur *(f)*.

Poteſt tamen qui in injuſto bello dominum juverat, pœnitentiâ ductus dominum deſerere: ſed ſunt qui eo caſu ad intereſſe vaſſallum teneri volunt; nam præſcripta utrique pœna eſt, vitæ, feudi, & omnium bonorum amiſſio: vitæ tamen non memini unquam pœnam executioni mandatam, ut neque feudi, ſed ſolius amiſſionis omnium bonorum. Sed quoniam quot in regno ſunt, tot Regii ſunt vaſſalli, ſi modò aliquod feudum mediatè vel immediatè de eo tenent, edictis monentur de pœna quæ ex jure irrogari poteſt, niſi pareant. Certè qui vel caſtra deſeruerit, vel ex acie fugerit, lege Julia majeſtatis tenetur, quaſi conſilio & operâ remp. & ejus ſecuritatem læſerit *(g)*. Sic vaſſallus in bello aut in acie à domino fugere non debet, niſi extremâ neceſſitate coactus, vel ſi fuga domino non noceat: nam, ut ab initio monui, turpe apud Boreales gentes habebatur, domino in acie manente non ſimul commorari, ut Tacitus habet, & infamis in omnem vitam erat qui id fecerat. In his ſervitiis hoc generaliter obſervandum, ut ubicunque vaſſallus domino periculum vitæ imminere novit, (bella autem ſine periculo vitæ non adminiſtrantur,) aut vim ei inferri, ſive in corpore, ſive in fama & exiſtimatione, ſive in bonis, etiam non requiſitus accurrere, & omnem vim prohibere debet in quantum poteſt, imò etiam ſi vulneratus, clamore ſaltem juvare debet, alioqui feudo privandus.

24. Delicta etiam in dominum alia ſunt, quæ feudi amiſſionem inducunt; veluti, ſi dominum vaſſallus prodiderit, aut ejus ſecreta, ſive ea ſint dicta ſive facta, detexerit *(h)*, etiamſi dominus nullum inde ſenſerit periculum, tamen imminebat, niſi forte ex imprudentia, vel ſtultitia, cùm dominum crederet ſe laudare, fecerit; aut ſi vaſſallus hoſtibus per ſuum feudum iter conceſſerit, in domini damnum, vel annonam eis præbuerit, aut literas vel nuncium ad eos miſerit, vel ſignum dederit; ſi ar-

(*a*) 1 F. 21. 2 F. 24. § 2. (*b*) 1 F. 5. (*c*) 2 F. 26. § 5. ibi, Licet vaſſallus. (*d*) And. ab Iſernia, i. q. num. 5. Quibus modis feudum amittatur, & Bald. ibid. (*e*) Gloſſ. in d. tit. Quibus modis feudum amitt. (*f*) Schon. theſ. 113. diſp. 10. lib. 1. (*g*) Gloſſ. in, & ibi, DD. Quibus modis feudum amitt. & in l. 1, 2, 3 & 4. ff. ad leg. Jul. majeſt. (*h*) 1 F. 17. 2 F. 5, 6, 7.

cem, caſtrum, vel alias munitiones hoſtibus domini tradiderit, niſi juſto metu, & rebus omnibus deſperatis fecerit; aut ſi uxor ejus fecerit: nam qui talia faciunt, cenſentur domini proditores *(a)*. Sic, ſi cum domini inimicis in domini perniciem contraxerit; ſi domino innoxium iter ſeu tranſitum per fundum ſuum, aut per viam publicam denegaverit *(b)*: debet enim vaſſallus omni modo domini commoda promovere adverſus omnes, domino antiquiore & ſuperiore excepto *(c)*.

25. Sed in hoc uno delicto quæſtio movetur, quæ ad omnia delicta extenditur: Quid ſi vaſſalli heres, antequam inveſtituram renovaverit, dominuſque eum in vaſſallum receperit, ad domini denunciationem venire recuſaverit, aut eum in acie pugnantem, cùm opem ferre poſſit, deſeruerit, utrum in hoc caſu feudum, quod nondum habet, amittet? nam quî fieri poteſt, ut quod quis nondum habet illud amittat? & domino imputandum videtur, qui vaſſallum non agnoverit, & ei inveſtituram præbuerit. Quod & ad omnes alias ingratitudines eadem ratione extendere quis poteſt: quî enim poteſt ingratus quis eſſe in eum, cui adhuc nullo gratitudinis vinculo obſtringitur? aut in eum delinquere, qui non eſt ejus dominus; cùm vaſſallus & dominus correlata ſint, neque unus ſine altero poſſit conſiſtere *(d)*? At æquitas pro altera eſt parte: nam qui in ſpe certa eſt ſuccedendi, pro ſucceſſore habetur, & pro facto habetur & reputatur, in quo mora per heredem fit, quo minus fiat. Nec intereſt, ſitne adhuc heres inveſtitus, an diſtulerit inveſtiri, quod ad domini ſervitia attinet, ad quæ tam veſtitus, quàm non veſtitus, pari ratione tenetur. Sic, non excuſat à canone non ſoluto, ſi quis hereditariam emphyteuſim non adierit. Itaque in his delictis par eſt ratio heredis non inveſtiti, ac ſi eſſet. Sanè hanc ipſam quæſtionem vidi inter Dom. Alexandrum Setonium, tum monaſterii Pluſcardenſis Commendatarium, nunc Comitem Fermelinodunenſem, alias Dumfermlyn, & totius Scotiæ Cancellarium digniſſimum, & Dumbar de Cumnok, agitari, in reductione ſive retractatione cujuſdam emphyteuticæ inveſtituræ de piſcatu ſalmonum in flumine Spea, quam dictus Commendatarius intentaverat propter non ſolutum canonem per viginti circiter annos: ad quam Cumnocius cùm excepiſſet, ſe toto illo tempore non fuiſſe vaſſallum aut emphyteutam dictæ piſcationis, nec ſe nec patrem ejus, ſed quaſi rejectos ab emphyteuſi, quòd monaſterium Pluſcardenſe emphyteuſim illam nôluiſſet agnoſcere; replicatum erat ab eodem Setonio, interea fructus eſſe ab eo perceptos, & proinde canonem ſolvere debuiſſe. Et cùm Cumnocius duplicaret, id ex monaſterii injuria, & quaſi per vim illatam factum fuiſſe; quod ſi canonem obtuliſſet, recuſaturum erat, quoniam toto tempore emphyteuſis illa falſi inſimulata fuiſſet à monaſterio, nec videretur canonem recepturum, ne per receptionem approbarent emphyteuſim; prævaluit tamen, & merito, prædictus Dominus Setonius.

An autem vaſſallus dominum juvare teneatur contra parentem, patriam aut dominum ſuperiorem, aut ſi debeat dominum incluſum carcere vel ex inopia liberare, aut ad loca remota & extra diſtrictum ſequi, & an inopia vaſſallum aliquando excuſet, dixi antea in ea narratione, *Ad quid vaſſallus domino tenetur (e)*.

26. Nec minus in dominum peccat, qui pudicitiam conjugis domini corruperit adulterio, id eſt, ſi dominum infamaverit, &, ut verbo Feudiſtico utar, ſi dominum *cucurbitaverit (f)*. Quæ autem ſit hujus vocis origo, plerique dubitant. Hottomanni judicio, *Corbita*, ſive *Curbita*, vox Lombardica eſt, & *adulterium* ſive *infamiam* ſignificat. Speculator, licet ipſe Italus, aliam tamen hujus nominis interpretationem non adfert, niſi quòd ſit nomen infamiæ, & qui alterum cucurbitam vocaverit, injuriarum nomine teneatur, nec ullum nomen adeò infame apud Italos, quàm ſi quis impudicæ uxoris conjux dicatur. Itaque, Hottomanni interpretatione contentus, ad delictum hoc redeo. Si vaſſallus igitur domini uxorem (etiam illegitimam, modò ſi inceſtæ non fuerint nuptiæ) adulterio corruperit *(g)*, ſive volentem ſive invitam, aut ad crimen ſollicitaverit aut attentaverit, aut turpiter tractando ſinum, pectus,

(a) 2. F. 37. (b) And. de Iſernia, Matt. de Afflict. c. 1. de forma fidelitatis, & in d. §. Porro Alvar. & Præpoſit. ex arg. c. 1. de forma fidelitatis, Schon. theſ. 34. diſp. 10. lib. 1. (c) And. Iſern. in c. 1. § Si quis de manſo uno 5. id eſt, 1 F. 4. § 5. & Afflict. ibid. & deciſ. 265. num. 107. (d) 2 F. 51. § 1. (e) Lib. 2. D. 11. (f) 1 F. 5. pr. 2 F. 17. 2. F. 24. § 2. (g) Schon. theſ. 62. diſp. 10. lib. 1.

pectus, & alia quæ honeſtè tractari non debent, feudum (ut dixi) amittet *(a)*. Quod ad perſonam uxoris attinet, extenditur etiam ad filiam, nurum, neptem aut ejus ſororem : nam ſi vaſſallus harum aliquam corruperit, aut corrumpere volenti opem aut auxilium tulerit, aut internuncius fuerit, aut vitium quoquo modo promoverit operâ vel conſilio, à feudi dignitate cadet. Idem, ſi turpes & impudicos ſermones injecerit, præcipuè ſi ſollicitatio & attrectatio accedant. Plerique de oſculo dubitant, propter illud :

Oſcula qui ſumpſit, ſi non & cætera ſumpſit ;
Hæc quoque, quæ ſumpſit, perdere dignus erat.

Sed hoc ex more regionis æſtimatur.

Idem, ſi ad crimen adulterii cum alio ſollicitaverit, aut alii tradiderit, aut ad alium deduxerit adulterandam, aut ſi ſciens literas, quæ de adulterio tractabant, inter eos portaverit, à feudo cadet ; cùm in dominum ingratiſſimus ſit, qui ejus & familiæ ſuæ exiſtimationem ita everterit. Nec intereſt, ſive in familia domini, ſive extra familiam id fecerit, niſi in ſorore ; nam hoc delictum ad eam non extenditur, niſi quamdiu in capillo eſt *(b)*, id eſt, quamdiu capillitium ſuum non texit. Quòd ſi extra domum domini ſit, id eſt, ſi aut jam nupſerit, aut vidua ſit, non tamen in domo domini, ob eam corruptam vaſſallus feudo non privatur : major enim domino videtur injuria, ſi quid tale admiſſum fuerit in domo ſua, quàm ſi alibi & extra domum. Et ſic videmus aliquando delicta incrementa capere à loco, ſive ratione loci in quo committuntur *(c)*. Sic & apud nos, ſi in palatio Regio, ſi in Eccleſia, ſi in judicii loco ſive curia, poſt indictum ſilentium, delinquatur, pœna pro dignitate loci ſumit incrementum.

27. Quod de conjuge domini diximus, quamdiu ejusconjunx eſt, res controverſiâ caret : Baldus tamen negat idem juris in vidua domini eſſe, alii & plures contrà. Ego Baldi opinionem ſequor, quæ & moribus noſtris magis convenit ; neque ob id crimen quis feudo unquam apud nos privatus eſt, niſi vim invitæ intulerit, aut rapuerit : nam propter priſtinam domini reverentiam ab omni violentia in ejus conjugem debuit abſtinere ; licet ſint qui putant idem in volentibus his mulieribus, & in invitis fieri *(d)*. Sed quid ſi peccatum fuerit in ſponſam, cum qua ſponſalia jam contracta ſunt, ſed matrimonium nondum in facie Eccleſiæ abſolutum ? neque enim ea nupta adhuc dici poteſt, nec dominus ob ejus violationem cucurbitari dici poteſt. Sed cùm hîc eadem ſit ratio, profectò eadem pœna eandem rationem ſequi debet : nam ſi vaſſallus domini ſui ſponſam, licet non cognitam adhuc, corruperit, feudum amittet : ſponſalia enim vinculum quoddam affectionis & civile inducunt *(e)*, & plerumque non minor eſt domini affectio in ſponſam, quàm conjugem, aliquando etiam major ; ſed ſanè nemo ſani judicii æſtimabit vaſſallum, qui ſponſam domini corruperit, aut ejus ſponſalia interverterit, quin ingratiſſimus dici mereatur, & beneficio quod à domino habet privari.

28. An idem ſit juris in domini matre & concubina, plerique dubitant. Zaſius ſanè, inter juris Feudalis Interpretes doctiſſimus, idem tenet in matre domini quod in conjuge ; nam matris domini fama, honeſtas & dignitas, in reverentia apud vaſſallum debent eſſe. Hæc ita, niſi dominus eadem in vaſſalli uxore, filia, nepte ex filio vel nuru, fecerit ; nam vaſſallus, ſi injuriam retaliaverit, feudo non eſt privandus. De concubina idem quod in uxore domini plerique putant, cùm concubinatus etiam jure Civili ſit licitus ; itaque cùm inter dominum & ſuam concubinam vinculum quoddam ſit, tam civile, quàm affectionis, vaſſallus ab ea debet abſtinere. Quod de concubina diximus, intelligendum eſt de concubina domini laici ; nam ſi vaſſallus concubinam Prælati domini ſui, aut cujuſvis alterius Eccleſiaſticæ

(*a*) 1 F. 5. (*b*) 1 F. 5. pr. (*c*) l. 16. § 4. ff. de pœnis. (*d*) Afflict. Alvar. & Præpoſit. in verſ. Item ſi fidelis, 1 F. 5. pr. Schon. theſ. 64. diſp. 10. lib. 1. (*e*) Arg. § 9. Inſt. de nuptiis, c. 1, de ſponſalibus in ſexto, l. 12. § 1. ff. de ritu nuptiarum.

perſonæ, de quo feudum tenet, corruperit, à feudo non cadit. Ratio diverſitatis eſt, quòd laicus jure Civili concubinam licitè habere poteſt; eſt enim ei quaſi loco uxoris, & quoddam civile vinculum intercedit: ſed inter Prælatum & ejus concubinam nullum honeſtum vinculum eſſe poteſt, nulla juris conjunctio interponi, cùm ex jure Eccleſiaſticis perſonis concubinas habere interdicatur. Itaque cùm par ſit domini & vaſſalli delictum, potior eſt cauſa rei vaſſalli, qui de damno vitando certat; delicta enim mutuâ compenſatione tolluntur *(a)*: alioqui Prælatus ex ſuo delicto, ex ſua turpitudine, lucrum ſentiret, contra juris communis regulas *(b)*.

29. Quod de attentata dominicæ conjugis pudicitia diximus, intelligendum, ſi vaſſallus omne id fecerit quod in ſe erat, ut pudicitiam ejus expugnaret, etiamſi ad effectum non perduxerit; quod & in reliquis delictis obſervandum dixi. Et ſic in materia feudali, affectus ſine effectu punitur; nam conatus in aliquem actum deductus, pro effectu eſt, ac ſi vaſſallus domino ſuo inſidias ſtruxerit, licet effectum non ſit conſequutus: neque enim minùs ingratus exiſtimabitur, cùm ingratitudo in animo ut plurimum conſiſtat *(c)*. Hæc autem, niſi vaſſallum ante factum pœnituerit eam tentaſſe, ſuâ ſponte; nam eo facto ſunt qui putant eum feudum non amittere *(d)*. Quòd ſi poſt attentatum factum, aliunde impedimentum provenerit, non excuſatur. Nec diſſimile his, ſi in familiam domini peccaverit, aut graves aut inhoneſtas injurias eis intulerit, qui domino neceſſitudine aliquâ ſunt conjuncti; quales ſunt intimi amici, officiales, vicarii, confœderati, nuncii, ſocii itineris vel habitationis, conſanguinei & domeſtici; adeò ut ſi quem horum in odium aut contumeliam domini interfecerit, feudo ſit privandus *(e)*.

30. Quid autem, dicet aliquis, ſi vaſſallus dominum ſuum vel probroſo dicto vel ſcripto inhoneſto petierit, num in hoc caſu vaſſallus à feudo cadit? Sanè Tiberius Cæſar, crudeliſſimus Imperator, cùm legem Juliam majeſtatis reduxiſſet, facta tantùm puniebat, dicta impunita erant, ut in eleganti illa defenſione Cremutii Cordi apud Tacitum eſt *(f)*. At jus Feudale, cum quo & noſtrum jus ſpeciali conſtitutione conſentit, nec probroſa dicta aut ſcripta in dominum permittit. Ex jure tamen Feudali feudi amiſſio pœna eſt, etiamſi convitium aut probrum illud verum ſit, ſi modò reipublicæ manifeſtari non intererat, niſi proteſtetur ſe animo injuriandi non facere *(g)*. Rurſus hæc intelligenda omnia ſunt, ſi vaſſallus ſciens hæc perpetraverit, aliud ſi ignorans & neſcius: neque tamen omnis ignorantia vaſſallum excuſat, veluti ſi ſit ſupina & craſſa, vel ſi ejus ſcientia gravetur præſumptionibus veriſimilibus; nam ſi pro ſua ignorantia factum negare non poteſt, pares & numero & qualitate præſumptiones debet adducere. Quòd ſi ex utraque parte pares fuerint præſumptiones, vaſſallus ſe juramento purgabit; & ita in reliquis delictis quæ feudi amiſſionem ſecum trahunt. Hæc de iis delictis, quæ domini perſonam reſpiciunt; ſupereſt ut de iis dicamus, quæ vaſſalli perſonam ſpectant, & ex eo proveniunt; licet reverà nullum ſit quod ex vaſſalli perſona non proveniat: quia tamen nec in ipſo feudo conſiſtunt, nec domini vitam, æſtimationem aut patrimonium tangunt, contemptum tamen aut dedecus inferunt, ideò in vaſſalli perſona & circa ipſum vaſſallum conſiſtere dicimus.

Diegeſis

(*a*) Arg. l. 3. ff. de condict. ob turpem cauſam, l. 39. ff. eod. (*b*) l. 13. § 1. de R. J. (*c*) Baldus in 2 F. 51. § 2. (*d*) d. 2 F. 51. § 2. (*e*) 2 F. 24. § 2. verſ. Porro, 2 F. 7. ibi, Et nunquam, in fine, Schon. theſ. 67, 68. diſp. 10. lib. 1. (*f*) Lib. 3 & 4. Annalium. (*g*) 2 F. 24. § 2. verſ. Porro, & ibi Schon. theſ. 31. diſp. 10. lib. 1.

Diegeſis ſexta,

De reliquis cauſis amittendi feudi, quæ circa perſonam vaſſalli verſantur; & quædam de domini delictis, & alia generalia.

SUMMARIA.

1. *Pleræque aliæ cauſæ ſunt, ob quas vaſſallus feudo privatur: ut, ſi inceſto ſe polluerit, cùm honeſtè in curia domini ſtare non poſſit.*
2. *Si vaſſallus fratrem ſuum occiderit.*
3. *Cur magis feudo privandus ſit, qui fratrem ſuum, quàm qui domini fratrem occiderit? Quæ perſonæ dici poſſint parricidæ? & quid ſi frater fratrem occiderit, aut tale quid commiſerit, ut meritò proditor alicujus dici poſſit?*
4. *Si cum domini inimicis amicitias contraxerit. Quæ hæc ſit amicitia, judicis arbitrio permittitur.*
5. *Si vaſſallus domini ſecreta prodiderit, niſi ex imprudentia id fecerit.*
6. *Si vaſſallus filium ſuum, aut alium ex familia, qui dominum offendit, non ei præſentaverit, ut noxam expiet. Vaſſalli tanquam debitoris electio eſt, an à familia ſua abigere, an domino dedere velit.*
7. *Culpæ etiam ſunt quædam omiſſionis, ob quas vaſſallus feudo privatur.*
8. *De pœna rebellionis privatæ. Rebellem vicini noſtri* Utlagum *vocant. Ejus pœna. De rebellione ex cauſa publica, ſive cauſa læſæ majeſtatis. An reorum bona ad Regem, an ad dominum regalitatis pertineant?*
9. *Si qua alia juſta cauſa videbitur judici, vaſſallus feudum amittit. In dubiis tamen ſemper pronior eſſe debet ad abſolvendum quàm condemnandum. In omnibus his delictis, quæ privationem feudi inducunt, ſemper opus eſt declaratoriâ judicis: ubi generalis regula judici offertur.*
10. *Generalia quædam in amiſſione feudi conſideranda. Subvaſſallus ob delictum vaſſalli à ſuo jure cadit, niſi confirmetur à ſuperiore; quo caſu ſubvaſſallus in locum vaſſalli ſuccedit, ſed non cum ea qualitate quâ ipſe, ſed quâ vaſſallus tenuit. Feudum in remunerationem conceſſum, non amittitur ob ingratitudinem.*
11. *Si Eccleſia vel civitas deliquerit, adminiſtrator punitur amiſſione fructuum durante ejus vitâ: at Eccleſia non amittit feudum, & unâ parte civitatis delinquente, eorum delictum non nocebit reliquis.*
12. *Duorum annorum defectus in ſolutione canonis emphyteuſin nullam facit. De domina conjunctæ infeudationis, & de non recipiendo Abbate in hoſpitio ab emphyteuta, aut ſi emphyteuta fecerit vaſtum. De tribus generalibus apochis, & de alienatione emphyteuſeos ſine conſenſu domini, cum certificatione, & ſine ea.*
13. *Si vaſſallus ante accuſationem moriatur, non tamen prohibetur dominus agere ad ſuum feudum recuperandum.*
14. *Si dominus ante accuſationem moriatur, & feloniam commiſſam ſcivit, nec quæſtionem movit, remiſiſſe cenſetur. Sed offenſa apud nos non cenſetur remiſſa, niſi expreſsè remittatur. Remiſiſſe etiam dominus cenſetur, ſi ſciens de novo inveſtiat, aut ſervitia recipiat, &c. Spatio etiam 30 annorum quodcunque delictum præſcribitur. Si in feudo Eccleſiaſtico felonia committatur, diſtinguendum inter adminiſtratorem & ipſam Eccleſiam.*
15. *Ad quem feudum vaſſalli delinquentis devolvatur? Si ſit feudum novum, aperitur domino; ſi antiquum, proximo agnato: & excluſo filio, excluduntur etiam ejus deſcendentes; niſi filius, cùm pater delinqueret, nominatim ſit inveſtitus.*
16. *Patre in feudo exiſtente, filius primogenitus delinquendo locum facit ſecundo genito. Feudum ob culpam amiſſum accreſcit domino, niſi Rex ſuæ injuriæ ultionem perſequatur; & tunc illud feudum, quod delinquens de alio tenet, devolvitur ad fiſcum, & Rex præſentatione utitur.*
17. *Quid ſi vaſſallus alicujus domini, tam reus*

reus læſæ majeſtatis publicè fiat, quàm à ſuo domino ex aliquo crimine accuſetur, quod amiſſionem feudi inducat, uter præferendus, Rex, an dominus?

18. *Quoties vaſſallus in perſonam domini deliquerit, feudo non privabitur, ſi dominus occaſionem delicto dederit, & viam ſtraverit.*

19. *Si vaſſallus extra domini perſonam deliquerit, diſtinguendum inter feudum novum & antiquum: ſi ſeipſum interemerit ex tædio vitæ, nihil amittit; ſi ut ſe juſtitiæ ſubtrahat, quaſi judicio convictus, feudum amittit. Quid apud nos hoc in caſu obtineat?*

20. *Quæ probatio in his delictis requiratur? Feudo nominatim uni poſt alium conceſſo, unius delictum alteri non præjudicat: ſed non ita apud nos.*

21. *De dominorum in vaſſallos offenſis, eſt regula generalis, Ubicunque vaſſallus ex ſuo delicto in dominum feudo privatur, è regione dominus, ſi idem in vaſſallum deliquerit, directo dominio privatur.*

22. *Dominus directum dominium, licet alienare non poſſit, oppignerare tamen poteſt pro modica ſumma. Dominus vaſſallo non tenetur ad præſtationem juramenti, aut ad reverentiam. Apud nos dominus directum dominium alienare poteſt invito vaſſallo, ſi deteriorem vaſſalli conditionem non faciat. Civitas, recognoſcens ſuperiorem, ſe alteri ſine domini conſenſu ſubjicere non poteſt. In feudo Eccleſiaſtico Prælatus offendens vaſſallum, jura directi dominii amittit, durante ſuâ vitâ.*

1. SUPERSUNT adhuc aliæ pleræque cauſæ, quæ circa perſonam vaſſalli verſantur, & ob quas vaſſallus amiſſione feudi mulctatur.

Prima, Si vaſſallus ſe inceſto polluerit, aut inceſtas nuptias contraxerit *(a)*; nam tum honeſtè in curia domini ſtare non poteſt. Sed, dicet aliquis, quid hoc ad dominum? aut quem dominus de ingratitudine beneficii accepti poteſt coarguere, cùm vaſſallus, licet contra leges regni aut conſcientiæ deliquerit, erga dominum non tamen deliquerit? aut qui magis ob inceſtas nuptias aut inceſtum feudo privabitur, quàm ſi hominem interfecerit, adulteriúmve extra familiam domini commiſerit? Sed profectò non ſine ratione hoc cautum eſt: nam cùm illud inter dominum & vaſſallum fœdus purum & ſanctum eſſe debet, fideque & religione ſummâ obſervari, indignum domini ſui conſortio, indignum tanto domini beneficio vaſſallus ſe aperit, qui tam horrenda ſcelera in curiam domini, cujus ipſe vaſſallus pars eſt, invexerit, totamque curiam ſuo ſcelere polluerit, & fortaſſis vindictam Divinam in dominum & ejus curiam procuraverit; indignus eſt domini beneficio, qui ſocietate hominum eſt indignus: itaque beneficium ab eo auferendum in hoc caſu, tam jus ipſum, quàm naturæ lex ſuadet. Feudiſtæ hîc in curia domini hunc non poſſe honeſtè ſtare dicunt, quod & Angli hodie retinent.

2. Secunda cauſa circa vaſſalli perſonam eſt, Si vaſſallus fratrem ſuum occiderit *(b)*: indignus enim eſt ſocietate humanâ, qui tanti ſceleris conſcius in publico verſari audet; quanto magis domini beneficio, in cujus curiam tanti ſceleris ultionem, à Domino aliquando expectandam, infert? cùm periculum ſit, ne vaſſalli incendio tota fortè domus, aut ſaltem ipſe dominus deflagret: nam ut vaſſallus ſe ad dominum, ſic quicunque dominus feudi ſe habet ad ſummum Imperatorem, Regem & Dominum, qui niſi tale ſcelus vindicaverit, ipſius caput, judicio Altiſſimi, noxæ dabitur; vindicat autem qui, quatenus in ſe eſt, ultionem extendit.

3. Quærunt hîc Interpretes, cur magis feudo privandus ſit qui fratrem ſuum interfecerit, quàm qui domini fratrem occiderit, cùm domino majorem injuriam inferre videatur, qui fratrem domini occiderit, quàm qui ſuum proprium? nec tamen ob cædem fratris domini feudo mulctatur *(c)*. Reſpondent plerique, cauſam differentiæ eſſe, quòd magis contra naturam peccatur, cùm quis fratrem ſuum, aut germanum, aut etiam ex altero parente interfecerit, quàm ſi fratrem domini ſui: natura enim, cujus ſemper potiores debent eſſe partes, à fraterno ſanguine, ac ſi proprius eſſet, jubet abſtinere; ſi quid contrà fiat, abhorret & averſatur: at in fratre domini vinculum non tam naturale, quàm civile & beneficii eſt; quod licet nihilominus ſanctè coli debeat,

(a) Baldus, s. c. 1. Quibus modis feudum amittatur. (b) 1 F. 5. in medio pr. (c) 2 F. 24. in fine, & 37.

beat, & à viris bonis hoc vinculum probetur, tamen delictum illud, quod contra proprium fratrem fit, ab omnibus tam bonis quàm improbis damnatur.

Idem, ſi parricidio conſenſerit: quæ autem perſonæ dici poſſint parricidæ, in jure Civili comprehenditur *(a)*, nempe qui patrem, matrem, avum, aviam, fratrem, ſororem, patruelem, matruelem, patruum, avunculum, amitam, conſobrinum, conſobrinam, uxorem, virum, generum, ſocrum, vitricum; qui magnum privignum, patronum, patronamve occiderint, cujuſve dolo malo factum fuerit, pœnâ eâ tenentur, quæ eſt lege Corneliâ *de Sicariis*. Sed & mater, quæ filium filiamve occiderit, & avus qui nepotem occiderit, & qui venenum emit, ut patri daret, quamvis non potuerit dare, & noverca quæ privignum, & ſponſa quæ ſuum ſponſum interfecerit, pari pœnâ tenentur. Parricidium à nonnullis committere videtur, non ſolùm qui unum ex aſcendentibus interfecerit, vel ex collateralibus ad quartum gradum, ſed etiam ſi quis uxorem, aut ſi quæ maritum interfecerit: tamen jus Feudale tantùm in cæde fratris, aut fratris filii reſtringit; nec intereſt ob quam cauſam fiat *(b)*. Sunt qui illud extendunt, ſi fratrem ſuum carcere detinuerit, aut alii carcerandum tradiderit, aut ſi quis convaſſallum ſuum interfecerit; neutrum tamen apud nos recipitur, ut neque ſi Epiſcopum ſuum occiderit *(c)*.

Quod ad uſum noſtrum attinet, vidi ſemel id attentatum in Domino de Luſs, cujus frater ſecundò genitus, cum cædis fratris germani primogeniti damnatus eſſet, cum plerique feudum amiſſum, & domino, ſcilicet Regi, apertum dicerent, quòd cædes fratris eo propoſito facta eſſet, ut is qui occidit poſſet ſuccedere, haberentque etiam pro ſe jus Civile, quod ut ab indigno hereditatem auferendum decernit; tamen, cum & Bartolus ibi, & jus Feudale, feudum in hoc caſu ad proximum agnatum devolvi affirment, & non aperiri domino *(d)*, ut mox dicemus, res tranſactione quodammodo finita eſt, præſenſque Dominus de Luſs tertiò genitus, in heredem primogeniti fratris ſui ſuffectus. Quorſum enim ad heredes ejus, qui injuriam paſſus eſt, pœna deſcenderet, qui & parentem fortè amiſerint, & ipſi extra noxam omnem ſunt? Et ſanè jus ſufficere putat, ſi is, qui tam horrendum & deteſtabile maleficium commiſerit, lucrum ex ſuo maleficio non ſentiat, neque quicunque de eo deſcenderit. Sic feudum amittit vaſſallus, ſi quicquam tale commiſerit, unde meritò proditor alicujus dici poſſit, nullâ adhibitâ diſtinctione, adverſus quem illud delictum committat *(e)*; nam hoc caſu in curia domini ſui honeſtè ſtare non poterit.

4. Tertia cauſa cur vaſſallus, ob delictum in ſua perſona commiſſum, feudi amiſſione ſit mulctandus; Si vaſſallus amicitias cum domini inimicis contraxerit, modò iſta amicitia in domini damnum etiam præſumptum tendat *(f)*: non enim debet vaſſallus, qui domini ſui commoda procurare ante omnes alios tenetur, rem, famam, & exiſtimationem promovere, ſe cum domini inimicis fœdere conjungere; cum illud fœdus ſine prioris fœderis læſione non ſoleat procedere, & ut crimine ſic criminis ſuſpicione carere debet vaſſallus; & ut duobus dominis ſervire nemo poteſt, ſic duabus amicitiis inter ſe pugnantibus implicare ſe non debet; neque enim fieri poteſt, quin alterum alteri præferat, & præcipuè poſteriorem, quæ contrahi non videtur ut citò diſſolvatur. Quæ autem hæc ſit amicitia, & quod fœdus in domini ſui præjudicium contractum, judicis arbitrio permittitur, ut in reliquis omnibus cauſis feudalibus: judices autem rem ex circumſtantiis & præſumptionibus judicabunt; nam in domini præſumptum præjudicium & damnum, gratus vaſſallus amicitiam aut fœdus non contrahet. Multi ſunt qui omnem omninò cum domini inimicis amicitiam prohibitam putant: quòd ſanè durum eſſet; nam neque in jure, neque in ulla benè conſtituta rep. amicitias cum quibuſdam perſonis ſimpliciter prohiberi legimus; cum ex iis, etiam inter inimicos contractis, publicæ utilitates & commoda naſcantur. Sanè in jure nihil prohibet, unum duobus pupillis inter ſe de totâ hereditate contendentibus, tutorem eſſe. Rectiùs tamen fecerit vaſſallus, ſi vel abſtinuerit, vel ſaltem probabiles cauſas & à domini incommodo abhorrentes ſecum adduxerit. Qui

 autem

(*a*) l. 1. ff. ad legem Pompeiam de parricidiis. (*b*) Schon. theſ. 70. diſp. 10. l. 1. (*c*) Schon. theſ. 72. diſp. 10. lib. 1. (*d*) Gloſſa & DD. in 1. F. 5. ibi, Item ſi fratrem, & 2. F. 37. (*e*) d. 2. F. 37. (*f*) 1. F. 5. 2. F. 57.

autem aliter fecerit, cum in præjudicium domini facere videatur ; licet incommodum nondum emerſerit, ingratus in dominum, & feudi beneficio indignus cenſetur.

5. Quarta cauſa ; Si vaſſallus domini ſecreta prodiderit, præcipuè ea quæ ad vitæ, famæ, dignitatis aut patrimonii ſecuritatem pertinent *(a)*, cum magnum domino damnum ſive præjudicium inde poſſit oriri. Sed ſi vaſſallus non ex deſtinato animi propoſito, ſed ex quadam ſimplicitate ea effutiverit, aut ſi imprudenti verba excidant, aut cum dominum ſe laudare putet, aliquid de ejus ſecretis aperuerit, durum eſſet in his caſibus eum à ſuo feudo cadere ; fraudis enim interpretatio non ex eventu ſed conſilio ſumitur *(b)*. Et profectò cum, præſumptio ſit contra vaſſallum, evidentes probationes adferre tenetur, neſciviſſe eos domini fuiſſe inimicos, coram quibus hæc effutiverit : ſed cum probatio negativè ſit difficilis, & ferè impoſſibilis, probabiles ſaltem rationes pro ſe adducet, & tum juramento ejus ſtabitur *(c)*.

6. Quinta cauſa, quæ perſonam vaſſalli propriè reſpicit, & ob quam feudum ſuum amittit, hæc eſt ; Si vaſſallus filium ſuum, vel alium quempiam ex ſua familia, qui dominum graviter offenderit, in vita, honore, aut patrimonio, ad dominum non deduxerit, ut dominus de eo ſecundum offenſam ſtatuat, vel ſaltem à ſe aut ſua familia non ſeparaverit *(d)* ; ita tamen ut in vaſſalli tanquam debitoris electione ſit, utrum domino filium ſuum, aut aliquem alium è familia, qui dominum offendit, præſentare voluerit, an à ſe ablegare & à familia ſua abigere *(e)*. Nam hæc feudalis unio & conjunctio quiddam divinum in ſe continere videtur, & ex rationibus naturæ deſcendens : itaque cum amore parentum in liberos æquatur, nonnunquam etiam & prægravat, ut in hoc caſu, in quo vaſſallus filium ſuum abdicare tenetur, & à ſocietate ſua ejicere, ſi poſtquam dominum ſuum offenderit, à quo ſpes & facultates ſuæ pendent, recuſet domino ſe ſimpliciter ſubmittere, & pro offenſa ſatisfacere. De ſubvaſſallo, qui dominum ſuperiorem offenderit, idem jus & eadem juris ratio eſt, niſi vaſſallus eum ad dominum deducat, ut pro offenſa ſatisfaciat, vaſſallus feudum amittet : quod puto intelligendum *(f)*, ſi offenſa domini vitam, exiſtimationem aut patrimonium reſpiciat, & vaſſallus eum à feudi ſui poſſeſſione nolit repellere. Filius autem vaſſalli, qui dominum offendit, petere non poteſt inveſtituram, donec domino ſatisfecerit ; imò nec nepos.

7. Sunt etiam & quædam culpæ omiſſionis ; Si vaſſallus ſciens quæ præſtare debuit, etiam non interpellatus, ſive requiſitus, omiſerit cum potuit : potuiſſe autem tum cenſetur, ſi vel per ſe vel per alium potuit, aut ſi ipſe in cauſa fuit quo minus potuit, veluti ſi cum potuit dominum de inſidiis in ejus vitam ſtructis certiorare, procraſtinaverit *(g)*. Sic, ſi non præſtiterit fidem, reverentiam & taciturnitatem, etiam non interpellatus, ſi modò dolo vel latâ culpâ non præſtiterit *(h)* : ſed præcipuè ſervitia nulla, niſi interpellatus, præſtare cogitur ; & dominus per Pares curiæ eum legitimè interpellatum probare debet : niſi fortè domino tale periculum immineat, quod dilationem ferre non poteſt ; nam in hoc caſu etiam non requiſitus præſtare debet, & in omnibus domino & conſilio & auxilio adeſſe *(i)*. Sic, ſi non interpellatus per triennium conventum canonem non ſolverit, (quod ex jure noſtro ad biennium reductum eſt *(k)*) aut pacta inveſtituræ inſerta non ſervaverit ; niſi cum heres eſſet, illa ignoraverat, aut juſtè impeditus fuerit, & moram purgare paratus ſit *(l)*. Si vaſſallus plures habens dominos, contra unum tantùm peccaverit, aut, ſi contra omnes peccaverit, unus ſolus perſequatur injuriam, ejus tantùm pars feudi cadet, in quem deliquit, aut qui injuriam perſequitur. Sunt qui putant ab omnium partibus vaſſallum cadere, ob id quòd honeſtè in curia domini ſtare non poteſt, licet tamen domino, niſi volenti, ejus pars non accreſcat.

8. Rebellionis pœna non eſt feudi amiſſio, ſed tantùm rerum moventium ; ſi tamen rebellis in ſua pertinacia & contumacia annum & diem moretur, feudi ſui uſum-

(*a*) DD. s. d. cap. quibus modis feudum amittatur. (*b*) l. 79. de R. J. (*c*) Zaſius. (*d*) 2 F. 55. § 2. (*e*) Arg. l. 10. pr. ff. de jure dotium. (*f*) 2 F. 55. § 2. ibi, Illud quoque. (*g*) 2 F. 24. § 2. ibi, Præterea. (*h*) 2 F. 26. ibi, Et ſi vaſſallus, & ibi Licet vaſſallus. (*i*) 1 F. 21. verſ. Si dominis ſuis deſervire noluerint. & 2. F. 26. ibi, Licet vaſſallus. (*k*) per cap. 246. parl. 15. Jac. VI. (*l*) 2 F. 24. § 2. verſ. Sed non eſt alia. & ibi Alvarot. & Afflict. & arg. l. 42. de R. J.

uſumfructum amittet, ita ut, ſi de Rege illud tenuit, fiſco accreſcat: quòd ſi de alio ſuperiore teneat, ad illum ſuperiorem devolvetur. *Rebellem* vicini noſtri *Utlagatum* vocant, cujus in utraque regione ea pœna eſt, ut legitimam ſtandi in judicio perſonam non habeat per ſe, neque per procuratorem, qui non impune ſe defenſioni pro rebelle objiciat. Hæc de ſimplici rebellione dicta ſunt, quæ ad inſtantiam alicujus privati procurata eſt; ut ſi debitor, ſive quòd non ſolvat quod debet, ſive non faciat quod facere tenetur, & proinde ad inſtantiam creditoris publicè declaratus fuerit, ut mos eſt, rebellis; tamen in aliis rebellionibus, quæ ex publica cauſa ſive cauſa majeſtatis procedunt, aliud obſervatur, ut Rex vel reſpublica injuriæ ſuæ ſolatium habeant. Memini, in cauſa inter Procuratorem Fiſcalem ſedis Archiepiſcopalis Glaſguenſis, & Regium Advocatum, coram Senatu acerrimè agitatum, de rebellione Magiſtri Archibaldi Douglas, qui cum quibuſdam criminibus læſæ majeſtatis ſugillatus, coram Rege & Dominis arcanioris Concilii ſummonitus, ut ad certam diem compareret, nec tamen paruiſſet, & ideò publicè rebellis declaratus; cùm de ejus bonis, præcipuè de decimis contenderetur, Procuratore fiſcali Archiepiſcopi ea ratione Regalitatis, vendicante, & Advocato Regio renitente, quòd Regalitatis privilegium non ad cauſas publicas, ſive quæ læſam majeſtatem inducerent, pertineret; Senatum quod ſenſerat pronunciare tum abſtinuiſſe, cùm tamen ad fiſci cauſam procliviores eſſent; res enim ſine ſtrepitu judicii tranſactione finita eſt. At ſi quid mihi deferatur, non minùs putarem in his rebellionibus, quæ ex cauſa publica procedunt, eſchetam quam vocant bonorum moventium ad Regem pertinere, quàm in forisfacturis, ubi præſentatio feudi, quod reus de alio domino tenuit, non ad dominum ſuum, ſed ad Regem devolvitur, ut habeat ſuæ injuriæ ſolatium.

9. Reſtat generalis clauſula, ſive cauſa, ex qua vaſſallus feudum amittit, ſub qua, ſi quid ſpecialiter antea non eſt enarratum, comprehenditur, ad verba edicti Prætorii, *De reſtitutionibus in integrum*, relationem habens: *Si qua*, inquit Prætor, *alia mihi juſta cauſa videbitur. Itaque*, ut ait Obertus *(a)*, *quoniam omnes illæ cauſæ certâ regulâ aut rotundâ definitione comprehendi non poſſunt, ſi quis dixerit, quæ & quemadmodum alicui domino ad ingratitudinem alicujus vaſſalli probandam poſſint ſufficere, nullo certo modo poſſe definiri, nihil erraverit. De illa tamen ingratitudine loquor, per quam beneficium amittatur; non enim ad hoc ſufficit omnis occaſio, per quam fidelis accepti beneficii videtur ingratus; ſed ſunt quædam* (ut cum textu loquar) *egregiæ ingratitudinis cauſæ, ob quas beneficium ſecundum mores curiæ debet adimi: quomodo enim vaſſallus quàm humiliter, quàm devotè, quàm benignè, quàm fideliter ſe erga dominum ſuum habere debeat, potiùs ex naturalibus & bonis curiarum conſuetudinibus poteſt percipi, quàm ullâ lege aut ſcripto aliquo comprehendi.* Itaque, relicto Oberto, quæcunque inſignis offenſio aut injuria in dominum contra caput aliquod juramenti priùs propoſiti emerſerit; veluti, ſi ſervitia requiſitus ſine juſta cauſa negaverit; vel dominum captivum, cùm poſſit, non redemerit aut liberârit; aut aliquod magnum periculum, quod domino imminebat, cùm potuit, non avertit, vel ſaltem aperuerit, ut dominus ſibi poſſit providere, etiam non requiſitus; aut ſi ejus vitam gladio, inſidiis aut veneno tentaverit; in bello deſeruerit, etiam vulneratus, ſi tamen vel clamore eum juvare poterat; aut ſi aliqua nova ingratitudinis cauſa his ſimilis, aut fortè major, licet ante inaudita, ſupervenerit, vaſſallum feudo privat *(b)*. Et ſic ſtatuta etiam pœnalia, licet ſint ſtricti juris, judex poteſt à ſimilibus ad ſimilia producere: nam tota hæc poſtrema clauſula, viz. *Quæ ſint ingratitudines juſtæ, quæ pares, quæ majores ſive minores*, totum hoc boni judicis arbitrio permittitur; ita tamen ut in dubiis ſemper ſit pronior ad abſolvendum quàm condemnandum.

In his autem delictis, quæ privationem feudi inducunt, ut offenſa vaſſalli ſit evidens, ſemper declaratoriâ judicis cum proceſſu legitimè deducto opus eſt *(c)*, omneſque fructus à die delicti veniunt: & hoc jure utimur. Et ſi quod delictum ſit, quod ſpecialiter in jure expreſſum non ſit, judiciſque arbitrio relinquatur, judex tamen ex eo delicto nunquam amiſſum feudum pronunciat, niſi vel majus hoc delictum

(a) 2 F. 23. (b) 1 F. 5. & 2 F. 24. 1 F. 17. (c) 1 F. 21.

ctum ſit caſibus in jure expreſſis, vel ſaltem par & æquale; nam egregia debet eſſe illa ingratitudo, ait Obertus, propter quam vaſſallus feudum amittet.

10. Alia eſt etiam feudi, ſi non amittendi, ſaltem vaſſalli, ob quaſi delictum, puniendi ratio: Si dominum ſe pro Cæſaris expeditione inſtruentem non fuerit comitatus. Feudum enim eo caſu amittet, & dimidium fructuum illius anni ex feudo domino pendet; non enim hic tantùm contra dominum, ſed contra imperium & rempublicam peccatur. Quòd ſi vaſſallus à jure ſuo cadat, propter feloniam contra dominum commiſſam, ſubvaſſallus etiam jure ſuo privabitur; reſoluto enim jure datoris, reſolvitur & jus accipientis: tale enim ex delicto feudum domino aperitur, quale ab eo receſſerat: niſi prior dominus conſenſerit in hanc ſubfeudationem, nos *confirmationem* dicimus; quo caſu, priore vaſſallo remoto, ſubvaſſallus in ejus locum ſuccedit, non cum ſua qualitate, fortè cùm ipſe francum aut emphyteuticum haberet, ſed cum ea qualitate, quam ille qui remotus erat habuit *(a)*; nam ſi ille rectum feudum ſeu militare tenuerit, & ſubvaſſallus feudi ſui naturam in feudum militare mutabit. Novi, cùm Comitatus Marchiæ, ob forisfacturam Ducis Albaniæ, ad Regem devolutus eſſet, pleroſque illius Comitatûs vaſſallos, qui priùs de Comite Marchiæ in feudo franco tenebant, à Rege novas infeudationes recepiſſe pro ſervitio militari, quòd Comes Marchiæ Comitatum illum totum ob ſervitia militaria tenebat. Sic communiter apud nos obſervatur, ne deterior fortè domini cauſa fiat deveſtito vaſſallo, quàm ſi nunquam peccaſſet, aut nunquam deveſtitus fuiſſet. Quòd ſi dominus huic ſubfeudationi non conſenſerit, ex delicto vaſſalli immediati etiam ſubvaſſallus à jure ſuo cadet, niſi quòd, ſi ipſe domino paratus ſit ſervire, & ipſum in dominum recognoſcere, eo caſu cæteris paribus, in jure omnibus aliis præferetur. Apud nos arbitrio domini res tota relinquitur. Hoc autem generaliter tenendum eſt, feudum conceſſum ob eam cauſam, quòd dominum vaſſallus vel à latronibus aut hoſtibus captum liberaverit, nunquam ob ingratitudinem amitti ex jure; cùm feudum illud ſit beneficii renumeratio tantùm, nec manente beneficio revocari poſſit *(b)*.

11. Si Eccleſia feudum de aliquo domino tenet, & in dominum Prælatus illius Eccleſiæ deliquerit, Eccleſia à feudo ſuo non cadit *(c)*; non enim eſt illud feudum Prælati, ſed Eccleſiæ, cujus Prælatus eſt tantùm adminiſtrator: tamen ob delictum Prælati, ſive adminiſtratoris, durante ejus vitâ qui delictum commiſit, aut quo tempore Prælatus hic fuerit, fructus amittet, qui ad domini uſus inferentur *(d)*. In civitate, ſi feudum de domino teneat, & una pars civitatis dominum in bello reliquerit, alia non, ſed fideliter cum eo permanſerit, delinquentium factum reliquis non nocebit *(e)*. Qualiter autem civitas delinquat, & quando factum toti civitati præjudicet, quâque pœnâ civitas debeat puniri, Bartolus doctiſſimè tractat & exquiſitiſſimè, & nullibi nec ab ullo in toto jure pleniùs hæc quæſtio tractatur.

12. Reſtat ut aliquid de amiſſione emphyteuticæ inveſtituræ dicamus, in qua hoc generaliter obſervandum, quòd duorum annorum defectus in ſolutione emphyteuſin nullam facit *(f)*. Si domina conjunctæ infeudationis ceſſaverit in ſolutione canonis, ei ſoli nocebit; imputare enim ſibi ſemper debet dominus, qui conjunctam inveſtituram ei dederat. Et in Eccleſiaſticis, ob non receptum Abbatem in hoſpitio, ſi requiſitus fuerit emphyteuta, cauſa eſt ſufficiens amittendæ emphyteuſeos. Quòd ſi emphyteuſis conceſſa fuerit ob politiam regni augendam, & emphyteuta vaſtam fecerit, arbores aut ſylvas exciderit, à feudo cadit. Generalis apocha trium annorum immediatè ſequentium liberat ab omnibus præcedentium annorum ſolutionibus. Oblatio mercedis coram tabellione & teſtibus liberat emphyteutam, ne cadat ab emphyteuſi, licet jure Codicis etiam obſignatio ſeu conſignatio requiratur *(g)*. Si clauſula inſerta ſit, ne emphyteuta ſuum feudum ſine conſenſu domini alienet, & ſi alienaverit, à feudo cadet *(h)*; alienatione ſubſequutâ, emphyteuta cadet à feudo. Sed ſi tantùm ne alienet cautum ſit, ſine ea certificatione, ſi alienaverit, quòd

à

(a) Lib. 2. D. 4. § 16. (b) § 19. (c) Vid. lib. 1. D. 10. § 32. (d) 2 F. 40. in fine. (e) Baldus in cap. 1. in pr. Quibus modis feudum amitt. (f) Vid. cap. 246. Parl. 15. Jac. VI. (g) l. 2. C. de jure emphyteut. Imò non requiritur, vid. Voet ad tit. Si ager vectigalis pet. § 39. (h) De qua clauſula vid. ſuprà, lib. 1. D. 9. § 28.

à feudo cadet, ſæpe controverſum vidi quid ſit juris. Alii enim putabant, alienationem tantùm reſcindi, & vaſſallum in priore inveſtitura ſtare, ac ſi alienatio non fuiſſet ſubſequuta : alii, quorum opinioni potiùs ſubſcriberem, emphyteutam à ſua emphyteuſi cadere, cùm omnes clauſulæ in contractibus debeant aliquid operari.

13. Si vaſſallus, qui feloniam in dominum commiſerat, antequam eo nomine accuſatus fuerit, præmoriatur, an delictum (cùm delicta omnia quatenus ad pœnam ſint perſonalia) cum perſona extinguatur, ut heres jam de eodem delicto, ejuſque pœna accuſari non poſſit, quæri ſolet. Et ſanè communis eſt opinio, quòd delictum ſit extinctum : nam auctoris delictum heredi nocere non debet *(a)* ; cenſetur enim dominus per ſilentium accuſationem remiſiſſe. Sed hæc ratio in omnibus non militat : nam licet ex maleficiis pœnales actiones ad heredem ſive in heredem non tranſeant, ut ait Imperator, niſi ſuper his fuerit lis conteſtata *(b)* ; ſi tamen dominus aut agere non potuit, aut feloniam ignoraverit, contra heredem inſtituere actionem non prohibetur, præcipuè in gravi delicto, cùm hic non agatur, ut heres puniatur in corpore, ſed ut dominus jus ſuum, id eſt, feudum, quod ob gratitudinem tantùm conceſſerit, quæ ſequuta (ob factum prædeceſſoris vaſſalli) non eſt, habeat. Præterea, neque ignorans jus ſibi competere, illud renunciare videtur *(c)* ; aut ſi, cùm dominus ſe ad querelam præparaſſet, & interea vaſſallus præmoriatur, non extinguitur actio *(d)* ; aut ſi offenſio ſit ejus generis, quæ ipſo jure privat vaſſallum feudo, qualia alia delicta eſſe vult Zaſius. Sic ex jure noſtro, niſi expreſsè dominus offenſam remiſerit, vel vivus vel moriens, (nam & in lecto ægritudinis delictum remittere poteſt,) licet in vita defuncti nihil dixerit de delicto à vaſſallo præmortuo commiſſo, actionem ad privationem feudi contra ejus heredem inſtituere poteſt. Nos in crimine læſæ majeſtatis hoc licere ſtatuto cavimus *(e)* ; ratio tamen ex jure Feudali deſcendit.

14. E contra, ſi dominus contra quem peccatum eſt præmoriatur, ſuperſtite vaſſallo qui noxam aut feloniam commiſit, ſi dominus, cùm potuit & ſcivit, quæſtionem tamen non movit, ſilentio remiſiſſe videtur, ut dixi : itaque nec heres domini contra vaſſallum de privatione feudi recti aget. Quòd ſi aut dominus ignoraverit, aut ab agendo impeditus fuerit, veluti morte vaſſalli, aut publico bello, aut tumultu, aut ſimili ex cauſa, heres domini contra vaſſallum rectè poteſt actionem inſtituere. Sed jure noſtro, ut dixi, præmoriente domino ſine actionis inſtitutione, heres non eò minùs contra vaſſallum, quàm, vaſſallo mortuo, dominus contra ejus heredem, agere poteſt. Ratio utrobique eadem eſt, quòd non cenſeatur apud nos remiſſa offenſa, niſi expreſsè remittatur *(f)* : dominum autem vaſſallo feloniam remittere poſſe, non eſt dubium. Remittere tamen hanc caducitatem dominus videtur, ſi ſciens de novo inveſtiat, vel ſciens ſervitia receperit ; non ſi dubitet. Idem, ſi vaſſallo denunciaverit ut ſerviat, aut ut inveſtituram recipiat, niſi coactus id fecerit *(g)*. Sed ſi proteſtetur id ſe facere ſine juris ſui derogatione, non videtur remittere. Triginta annorum ſpatio tamen quodcunque delictum præſcribitur. Sed in feudo Eccleſiaſtico diſtinguendum videtur : nam ſi vaſſallus in perſonam adminiſtratoris tantùm feloniam commiſerit, ipſe eam remittere poteſt ; ſi verò contra ipſam Eccleſiam aut corpus Eccleſiæ, ut loqui ſolemus, Prælatus ſine conſenſu capituli aut collegii remittere non poteſt *(h)*.

15. Sequitur ut quæramus, cùm vaſſallus ob delictum feudo privetur, ad quem pertineat feudum quod jam eſt factum caducum ? nam & in hac quæſtione variæ ſunt Interpretum opiniones, & etiam diſtinctiones. In quo hoc in principio obſervandum eſt, quòd ſi ſit feudum novum, quod in perſona delinquentis primum locum habuit, & vaſſallus hoc novo feudo ex delicto privetur, feudum domino, excluſis omnibus, ex jure aperitur *(i)*. Quòd ſi ſit antiquum feudum, excluſis filiis, &

 omnibus

(*a*) l. 29. ff. de jure fiſci. (*b*) § 1. Inſt. de perpetuis & tempor. actionibus, &c. (*c*) l. 19. ff. de inoff. teſtam. (*d*) Gloſſ. in d. c. 1. Quibus modis feudum amittatur. (*e*) Cap. 69. Parl. 6. Jac. V. (*f*) d. c. 1. § Inſuper. (*g*) Alvar. in c. 1. Quo tempore miles. (*h*) Gloſſ. in cap. Cùm deſideres 15. & cap. Contingit 36. Extra de ſententiis excommunicationis. (*i*) 2 F. 24. § ult. ibi, Si tamen beneficium fuerit paternum.

ctum ſit caſibus in jure expreſſis, vel ſaltem par & æquale; nam egregia debet eſſe illa ingratitudo, ait Obertus, propter quam vaſſallus feudum amittet.

10. Alia eſt etiam feudi, ſi non amittendi, ſaltem vaſſalli, ob quaſi delictum, puniendi ratio: Si dominum ſe pro Cæſaris expeditione inſtruentem non fuerit comitatus. Feudum enim eo caſu amittet, & dimidium fructuum illius anni ex feudo domino pendet; non enim hic tantùm contra dominum, ſed contra imperium & rempublicam peccatur. Quòd ſi vaſſallus à jure ſuo cadat, propter feloniam contra dominum commiſſam, ſubvaſſallus etiam jure ſuo privabitur; reſoluto enim jure datoris, reſolvitur & jus accipientis: tale enim ex delicto feudum domino aperitur, quale ab eo receſſerat: niſi prior dominus conſenſerit in hanc ſubfeudationem, nos *confirmationem* dicimus; quo caſu, priore vaſſallo remoto, ſubvaſſallus in ejus locum ſuccedit, non cum ſua qualitate, fortè cùm ipſe francum aut emphyteuticum haberet, ſed cum ea qualitate, quam ille qui remotus erat habuit *(a)*; nam ſi ille rectum feudum ſeu militare tenuerit, & ſubvaſſallus feudi ſui naturam in feudum militare mutabit. Novi, cùm Comitatus Marchiæ, ob forisfacturam Ducis Albaniæ, ad Regem devolutus eſſet, pleroſque illius Comitatûs vaſſallos, qui priùs de Comite Marchiæ in feudo franco tenebant, à Rege novas infeudationes recepiſſe pro ſervitio militari, quòd Comes Marchiæ Comitatum illum totum ob ſervitia militaria tenebat. Sic communiter apud nos obſervatur, ne deterior fortè domini cauſa fiat deveſtito vaſſallo, quàm ſi nunquam peccaſſet, aut nunquam deveſtitus fuiſſet. Quòd ſi dominus huic ſubfeudationi non conſenſerit, ex delicto vaſſalli immediati etiam ſubvaſſallus à jure ſuo cadet, niſi quòd, ſi ipſe domino paratus ſit ſervire, & ipſum in dominum recognoſcere, eo caſu cæteris paribus, in jure omnibus aliis præferetur. Apud nos arbitrio domini res tota relinquitur. Hoc autem generaliter tenendum eſt, feudum conceſſum ob eam cauſam, quòd dominum vaſſallus vel à latronibus aut hoſtibus captum liberaverit, nunquam ob ingratitudinem amitti ex jure; cùm feudum illud ſit beneficii renumeratio tantùm, nec manente beneficio revocari poſſit *(b)*.

11. Si Eccleſia feudum de aliquo domino tenet, & in dominum Prælatus illius Eccleſiæ deliquerit, Eccleſia à feudo ſuo non cadit *(c)*; non enim eſt illud feudum Prælati, ſed Eccleſiæ, cujus Prælatus eſt tantùm adminiſtrator: tamen ob delictum Prælati, ſive adminiſtratoris, durante ejus vitâ qui delictum commiſit, aut quo tempore Prælatus hic fuerit, fructus amittet, qui ad domini uſus inferentur *(d)*. In civitate, ſi feudum de domino teneat, & una pars civitatis dominum in bello reliquerit, alia non, ſed fideliter cum eo permanſerit, delinquentium factum reliquis non nocebit *(e)*. Qualiter autem civitas delinquat, & quando factum toti civitati præjudicet, quâque pœnâ civitas debeat puniri, Bartolus doctiſſimè tractat & exquiſitiſſimè, & nullibi nec ab ullo in toto jure pleniùs hæc quæſtio tractatur.

12. Reſtat ut aliquid de amiſſione emphyteuticæ inveſtituræ dicamus, in qua hoc generaliter obſervandum, quòd duorum annorum defectus in ſolutione emphyteuſin nullam facit *(f)*. Si domina conjunctæ infeudationis ceſſaverit in ſolutione canonis, ei ſoli nocebit; imputare enim ſibi ſemper debet dominus, qui conjunctam inveſtituram ei dederat. Et in Eccleſiaſticis, ob non receptum Abbatem in hoſpitio, ſi requiſitus fuerit emphyteuta, cauſa eſt ſufficiens amittendæ emphyteuſeos. Quòd ſi emphyteuſis conceſſa fuerit ob politiam regni augendam, & emphyteuta vaſtam fecerit, arbores aut ſylvas exciderit, à feudo cadit. Generalis apocha trium annorum immediatè ſequentium liberat ab omnibus præcedentium annorum ſolutionibus. Oblatio mercedis coram tabellione & teſtibus liberat emphyteutam, ne cadat ab emphyteuſi, licet jure Codicis etiam obſignatio ſeu conſignatio requiratur *(g)*. Si clauſula inſerta ſit, ne emphyteuta ſuum feudum ſine conſenſu domini alienet, & ſi alienaverit, à feudo cadet *(h)*; alienatione ſubſequutâ, emphyteuta cadet à feudo. Sed ſi tantùm ne alienet cautum ſit, ſine ea certificatione, ſi alienaverit, quòd

à

(a) Lib. 2. D. 4. § 16. (b) § 19. (c) Vid. lib. 1. D. 10. § 32. (d) 2 F. 40. in fine. (e) Baldus in cap. 1. in pr. Quibus modis feudum amitt. (f) Vid. cap. 246. Parl. 15. Jac. VI. (g) l. 2. C. de jure emphyteut. Imò non requiritur, vid. Voet ad tit. Si ager vectigalis pet. § 39. (h) De qua clauſula vid. ſuprà, lib. 1. D. 9. § 28.

à feudo cadet, ſæpe controverſum vidi quid ſit juris. Alii enim putabant, alienationem tantùm reſcindi, & vaſſallum in priore inveſtitura ſtare, ac ſi alienatio non fuiſſet ſubſequuta : alii, quorum opinioni potiùs ſubſcriberem, emphyteutam à ſua emphyteuſi cadere, cùm omnes clauſulæ in contractibus debeant aliquid operari.

13. Si vaſſallus, qui feloniam in dominum commiſerat, antequam eo nomine accuſatus fuerit, præmoriatur, an delictum (cùm delicta omnia quatenus ad pœnam ſint perſonalia) cum perſona extinguatur, ut heres jam de eodem delicto, ejuſque pœna accuſari non poſſit, quæri ſolet. Et ſanè communis eſt opinio, quòd delictum ſit extinctum : nam auctoris delictum heredi nocere non debet *(a)* ; cenſetur enim dominus per ſilentium accuſationem remiſiſſe. Sed hæc ratio in omnibus non militat : nam licet ex maleficiis pœnales actiones ad heredem ſive in heredem non tranſeant, ut ait Imperator, niſi ſuper his fuerit lis conteſtata *(b)* ; ſi tamen dominus aut agere non potuit, aut feloniam ignoraverit, contra heredem inſtituere actionem non prohibetur, præcipuè in gravi delicto, cùm hic non agatur, ut heres puniatur in corpore, ſed ut dominus jus ſuum, id eſt, feudum, quod ob gratitudinem tantùm conceſſerit, quæ ſequuta (ob factum prædeceſſoris vaſſalli) non eſt, habeat. Præterea, neque ignorans jus ſibi competere, illud renunciare videtur *(c)* ; aut ſi, cùm dominus ſe ad querelam præparaſſet, & interea vaſſallus præmoriatur, non extinguitur actio *(d)* ; aut ſi offenſio ſit ejus generis, quæ ipſo jure privat vaſſallum feudo, qualia alia delicta eſſe vult Zaſius. Sic ex jure noſtro, niſi expreſsè dominus offenſam remiſerit, vel vivus vel moriens, (nam & in lecto ægritudinis delictum remittere poteſt,) licet in vita defuncti nihil dixerit de delicto à vaſſallo præmortuo commiſſo, actionem ad privationem feudi contra ejus heredem inſtituere poteſt. Nos in crimine læſæ majeſtatis hoc licere ſtatuto cavimus *(e)* ; ratio tamen ex jure Feudali deſcendit.

14. E contra, ſi dominus contra quem peccatum eſt præmoriatur, ſuperſtite vaſſallo qui noxam aut feloniam commiſit, ſi dominus, cùm potuit & ſcivit, quæſtionem tamen non movit, ſilentio remiſiſſe videtur, ut dixi : itaque nec heres domini contra vaſſallum de privatione feudi recti aget. Quòd ſi aut dominus ignoraverit, aut ab agendo impeditus fuerit, veluti morte vaſſalli, aut publico bello, aut tumultu, aut ſimili ex cauſa, heres domini contra vaſſallum rectè poteſt actionem inſtituere. Sed jure noſtro, ut dixi, præmoriente domino ſine actionis inſtitutione, heres non eò minùs contra vaſſallum, quàm, vaſſallo mortuo, dominus contra ejus heredem, agere poteſt. Ratio utrobique eadem eſt, quòd non cenſeatur apud nos remiſſa offenſa, niſi expreſsè remittatur *(f)* : dominum autem vaſſallo feloniam remittere poſſe, non eſt dubium. Remittere tamen hanc caducitatem dominus videtur, ſi ſciens de novo inveſtiat, vel ſciens ſervitia receperit ; non ſi dubitet. Idem, ſi vaſſallo denunciaverit ut ſerviat, aut ut inveſtituram recipiat, niſi coactus id fecerit *(g)*. Sed ſi proteſtetur id ſe facere ſine juris ſui derogatione, non videtur remittere. Triginta annorum ſpatio tamen quodcunque delictum præſcribitur. Sed in feudo Eccleſiaſtico diſtinguendum videtur : nam ſi vaſſallus in perſonam adminiſtratoris tantùm feloniam commiſerit, ipſe eam remittere poteſt ; ſi verò contra ipſam Eccleſiam aut corpus Eccleſiæ, ut loqui ſolemus, Prælatus ſine conſenſu capituli aut collegii remittere non poteſt *(h)*.

15. Sequitur ut quæramus, cùm vaſſallus ob delictum feudo privetur, ad quem pertineat feudum quod jam eſt factum caducum ? nam & in hac quæſtione variæ ſunt Interpretum opiniones, & etiam diſtinctiones. In quo hoc in principio obſervandum eſt, quòd ſi ſit feudum novum, quod in perſona delinquentis primum locum habuit, & vaſſallus hoc novo feudo ex delicto privetur, feudum domino, excluſis omnibus, ex jure aperitur *(i)*. Quòd ſi ſit antiquum feudum, excluſis filiis, &

 omnibus

(*a*) l. 29. ff. de jure fiſci. (*b*) § 1. Inſt. de perpetuis & tempor. actionibus, &c. (*c*) l. 19. ff. de inoff. teſtam. (*d*) Gloſſ. in d. c. 1. Quibus modis feudum amittatur. (*e*) Cap. 69. Parl. 6. Jac. V. (*f*) d. c. 1. § Inſuper. (*g*) Alvar. in c. 1. Quo tempore miles. (*h*) Gloſſ. in cap. Cùm deſideres 15. & cap. Contingit 36. Extra de ſententiis excommunicationis. (*i*) 2 F. 24. § ult. ibi, Si tamen beneficium fuerit paternum.

omnibus ex vaſſallo deſcendentibus, proximo agnato feudum defertur *(a)*. Quod de excluſis filiis diximus, id generaliter obſervandum eſt in omnibus feudis, quòd ubi vaſſallus tanquam indignus feudo privatur, omnes ab eo deſcendentes etiam excluduntur *(b)*. Quòd autem excludi filium diximus, intelligendum, niſi filius, cùm pater deliquerit, nominatim in feudo fuerit veſtitus ex domini conſenſu, nos in feudi proprietate eſſe dicimus; nam pater delinquens nihil amittere potuit niſi quod habuit, viz. nudum uſumfructum. Idem, ſi delinquens pater nunquam fuit in feudo, neque unquam habuit inveſtituram; veluti, ſi in avi perſona feudum conſiſtebat, patre delinquente, nepos ad ſucceſſionem admittitur *(c)*.

Sed jure noſtro contrarium vidi deciſum inter Regium Advocatum, & heredes Roberti Biſſet de Leſſindrum *(d)*: nam, ſuperſtite avo, filius qui in Principem deliquerat, nunquam inveſtitus in terris, ſine feudo mortuus eſt; ejus duæ filiæ, cùm feudum avitum peterent, excluſæ ſunt à ſucceſſione, & feudum in manibus Regis eſſe propter delictum patris (qui tamen nunquam in feudo erat) pronunciatum. Ratio erat, quòd vitiatâ copulâ per quam neptes avo conjungi poterant, proinde interrupta avi ſucceſſio ad eas non poterat devolvi, adeò ut in tali delicto ſpes etiam ſucceſſionis interrumpatur. Quod tamen mirum videri poteſt: nam licet linea eſſet vitiata & corrupta, quâ neptes avo conjungerentur, cùm avus in feudo deceſſiſſet, ſaltem ad ejus proximos agnatos feudum debuit pertinere, quaſi nullis ex ſe relictis liberis: ſed vitiato ſtipite ex ejus culpa, ab ejus poſteris omnis ſucceſſio, tanquam ab indignis, & ſocietatis civilis non participibus, aufertur, & fiſco applicatur; adeò ut non ſolùm quod habuit delinquens domino accreſcat, ſed etiam quod ſperabatur habiturus ad eum devolvatur. Et licet verba ſententiæ ſint ſtricti juris, præcipuè in his foriſfacturis, ſive criminibus læſæ majeſtatis, nec ultra extendantur quàm ad ea feuda & patrimonia quæ habet; neſcio tamen quomodo, inclinatis in fiſci cauſam animis, judicium illud terminatum eſt, cùm qui deliquerit nunquam quicquam ex feudo habuit, nec etiam morte præventus habere potuit.

16. Scio tamen, patre in feudo exiſtente, & filio primogenito delinquente, & damnato eo nomine, qui nunquam in vita inveſtitus fuit, nullum dubium *(e)* quin filius ſecundò genitus ſuccedat: neque enim cenſetur, ob primogeniti delictum, copula inter patrem & ſecundò genitum interrupta; quia per primogenitum non jungebantur, ſed ſuam faciebant copulam, & per ſe. Nec obſtat, quòd ex defectu primogeniti fratris ipſe ſecundò genitus nunc ſit factus primogenitus; nam pater etiam adhuc poteſt alienare, nec fiſcus alienationem impedire poteſt. Aliud ſi, patre moriente, damnatus ob delictum ſit primogenitus, & adhuc ſuperſit; cùm jus ad hunc primogenitum, niſi deliquiſſet, devolvendum erat: itaque locum ſuo domino ſive fiſco facit. Feudum autem ob culpam amiſſum accreſcit domino, niſi cùm Rex ſuæ injuriæ ultionem perſequitur; nam tunc & illud feudum quod de alio domino tenet, ſi damnatus fuerit, ad fiſcum *(f)* devolvitur. Sed cùm Rex in rei locum ſuccedere non poſſit, neque, ut ille, de priore domino tenere, (nam Rex vaſſallus nemini eſſe poteſt;) itaque in hoc caſu Rex præſentationem alicui illius feudi facit, hoc eſt, alium vaſſallum in locum rei domino feudi præſentat, eumque rogat, ut hunc novum præſentatum in locum prioris vaſſalli recipiat, & ſub eiſdem conditionibus. Cauſa honeſta prætenditur in hac præſentatione, nempe, ne dominus vaſſallo careat. Quòd ſi dominus recipere præſentatum, & de novo inveſtire recuſet, præſentatus à Senatu ſolet literas impetrare, ut dominus (niſi rebellis & ipſe mallit declarari) eum in tenentem recipiat.

17. Quæſtio tamen incidere poteſt, Si vaſſallus alicujus domini reus tam læſæ majeſtatis publicè fiat, quàm à domino ſuo de eo crimine accuſetur, quod feudi amiſſionem induxit, ſimul & eodem tempore & in utroque judicio damnatus ſit, quis in feudo

(a) 2 F. 31. (b) § 8 Inſt. de heredit. quæ ab inteſtato defer. arg. l. 5. § 1. C. ad leg. Juliam majeſt. l. 31. § 21. ff. de ædil. edicto, 2 F. 26. § 5. ibi, Si vaſſallus culpam. (c) Bart. in l. 3. ff. de interdictis & releg. Bald. c. 1. Si vaſſallus feudo privetur. (d) Vid. lib. 2. D. 18. § 23. (e) Ex § 13. (f) Nupero tamen Acto Parl. 1. Georg. I. c. 20. ſtatutum eſt, ut feudum ejuſmodi ad dominum immediatè ſuperiorem ſemper devolvatur.

feudo quod de domino ſuo tenuit potior & prior erit, ſive Rex, ſive dominus ? Et profectò, ſi dominus prior ſententiam occupaverit, videtur ejus cauſa potior : quid enim poteſt damnatio in cauſa læſæ majeſtatis reo auferre, quod ejus tempore ſententiæ non fuit ? at pro fiſco ſententia ſemper retrotrahitur ad tempus commiſſi criminis. Ego, quid in hac facti ſpecie ſentiam, incertus adhuc ſum, licet in Regiam cauſam ſim proclivior.

18. Retinenda igitur eſt hæc generalis regula, quoties vaſſallus in domini perſonam deliquerit, feudo privari, illudque domino aperiri ; niſi fortè dominus occaſioonem delicti dederit, aut, ut loqui ſolemus, viam ſtraverit, ut vaſſallus delinqueret, aut domini ſimul delictum interceſſerit : nam his caſibus, ut dixi *(a)*, vaſſallus feudum non amittet. Periniquum enim eſſet, ex eo delicto domini meliorem conditionem fieri, cui cauſam præbuit, aut cujus ipſe fuit particeps. Si tamen vaſſallus ex ea cauſa feudum ſit conſequutus, quòd dominum vel à morte, vel à vinculis, vel à latronibus liberaverit, nullâ culpâ, nullo delicto, nullâ ingratitudine (tanta eſt prioris meriti magnitudo) feudum poſtea amittet, ut antea dixi *(b)* ; nec in hoc caſu domino vel agnatis ob ejus culpam aperietur *(c)*. Sed hoc apud nos non obſervatur ; nam maxima merita pari ingratitudine obtuſcantur & obliterantur.

19. Si verò vaſſallus extra domini perſonam deliquerit, veluti, ſi fratrem ſuum interfecerit, vel fortè ſeipſum, vel tale quid deliquerit, quod domini perſonam non reſpicit, feudum novum omnibus excluſis domino aperietur ; nam ejus agnatis non videtur feudum conceſſum, ſed tantùm deſcendentibus. Quòd ſi antiquum ſeu paternum ſit feudum, ad proximum agnatum ex primo vaſſallo deſcendentem, omnibus delinquentis deſcendentibus excluſis, revertetur *(d)*. Quod dixi, *ſi vaſſallus ſe interemit*, quam tamen cauſam inter cauſas amittendi feudi non numeravi, id intelligendum ita ut cauſa propter quam ſe interemit ſemper ponderetur : nam ſi id tantum vitæ tædio fecerit, nihil amittet ; ſi verò alicujus criminis reus factus, judicio ſe ſubtrahere præcipitatâ morte maluerit, quaſi criminis factus reus, & judicio convictus, feudum amittet *(e)*. Et hæc diſtinctio in eo qui ſibi mortem conſcivit in jure ſemper obſervatur. Apud nos, licet ob cædem ſibi illatam nemo feudum amittit, tamen quacunque de cauſa quis ſe interfecerit, ejus bona mobilia publicantur, ob atrocitatem ſceleris, & ne exemplum ad alios pertineat, & hoc ſecundum juris Canonici regulas.

20. In his omnibus, quoties de delicto quod privationem feudi inducit quæritur, aut quod vaſſalli ingratitudinem inducit, hoc obſervandum eſt, quòd probatio per quinque non minùs teſtes requiratur, eoſque omnes integræ famæ, opinionis, & fidei. Et hæc de delictis ex quibus vaſſallus feudi proprietate ſive dominio utili privatur. Volunt Feudiſtæ, ſi nominatim uni poſt alium feudum ſit conceſſum, (nos uni poſt alium *talliatum*, ſeu *proviſum* dicimus,) quòd unius delictum alteri in ordine ſequenti non præjudicet. Et ratio eſt, quoniam omnes hi in feudo nominati, in feudo expreſſi eſſe dicuntur, & quòd inveſtitura primæ perſonæ ſtet pro inveſtitura etiam aliarum *(f)*. Nec tamen hoc in uſu noſtro recipitur ; nam feudum in prima tantùm perſona conſiſtit, cui deſcendentes omnes, nullâ habitâ ratione ad alios nominatos, ſuccedunt. Sic & alienare per ſe, nullâ ſubſequentium ratione habitâ, poteſt, & proinde omnibus, tam nominatis quàm deſcendentibus, ex ſuo facto & delicto præjudicare.

21. De dominorum autem offenſis, hæc generalis regula obſervanda eſt : Ubicunque vaſſallus ex ſua offenſa ſive delicto in dominum feudo privatur, è regione dominus, ſi idem in vaſſallum deliquerit, directo dominio privatur, etiamſi dominus offenſam commiſerit, antequam vaſſallus ſive vaſſalli heres juraverit, niſi fortè jurare requiſitus non juraverit. Itaque ſi dominus graves injurias, ſive verbales ſive reales, inferat ; ſi ipſius ſit proditor, vaſſallum deferat aut accuſaverit, aut teſtimonium perhibuerit ; ſi ex dolo malo contra eum malè judicaverit, & ſententia ex eiſ-

(*a*) D. 3. § 7. (*b*) § 11. (*c*) Baldus in 2 F. 31. (*d*) 2 F. 24. in fine. (*e*) l. 1 & 2. C. de bonis eorum qui ſibi mortem conſciverunt. (*f*) Baldus in 2 F. 31.

dem deductis fuerit reſciſſa; ſi locum invadat ad vaſſallum pertinentem, vel alienum, cùm vaſſallum ibi eſſe ſciret; ſi vaſſallo imminens periculum ſciens non denunciaverit; ſi, nondum causâ cognitâ, vaſſallum poſſeſſione feudi ſpoliaverit; vel conjugem, vel ſponſam, vel filiam, vel nurum, in domo ejus exiſtentem, corruperit, vel corrumpere conatus ſit; ſi fratrem ſuum, vel fratris filium interfecerit; ſi parricidium commiſerit; aut ita in judicio ſit damnatus, ut ſine dedecore ſtare in curia non poſſit; aut ſi dominus, à vaſſallo requiſitus, intra annum inveſtituram ei concedere noluerit; aut filium, adverſus vaſſallum delinquentem, ad eum non deduxerit, aut à ſe ejecerit; ſi directum dominium ſine conſenſu vaſſalli (niſi cum curia, id eſt, toto territorio ſive diſtrictu, quo caſu licere antea diximus) alienaverit *(a)*; ſi juſtitiam requiſitus vaſſallo denegaverit; vel Pares curiæ in damnum vaſſalli non compulerit ſuper jure dominii ſententiam dicere, ipſe directo dominio privatur *(b)*. Ratio eſt, quoniam dominus & vaſſallus loco correlatorum ſunt, quorum eadem eſt natura & reciproca obligatio *(c)*; & quia vaſſallus feudum ſine conſenſu domini alienare non poteſt, neque dominus ſine ejus conſenſu dominium directum, niſi, ut antè dixi *(d)*, cum toto territorio & curia, ac ne ſic quidem videtur ipſum feudum alienare, niſi & hoc ipſum feudum in alienatione nominetur.

22. Poteſt tamen dominus feudi dominium directum ſine vaſſalli conſenſu oppignerare, ſed tantùm pro modica ſumma, & cujus luendæ ſive ſolvendæ ſpes eſt; alioqui, ſi ſumma ſpem luitionis exceſſerit, pro vendito & alienato habetur *(e)*. Sed dominus vaſſallo non tenetur ad præſtationem ſacramenti, neque ad reverentiam; nec tam recta eſt domini obligatio in vaſſallum, quàm vaſſalli in dominum: nam ex uſu noſtro nihil impedit quo minus dominus ſuum directum dominium, ut dixi *(f)*, etiam invito vaſſallo alienare poſſit; ita tamen ut vaſſalli conditionem deteriorem facere non poſſit, veluti, ſi alium valvaſſorem inter ſe & vaſſallum interponat, ut vaſſallus, qui antea de ſuo domino ſuperiore ſuum infeofamentum tenuit, nunc de ejus valvaſſore tenere cogatur; quo caſu durior fit vaſſalli conditio, ut jam duos habeat ſuperiores qui unum tantùm antea habuit; & ſi quæ tales occaſiones occurrant, quæ vaſſalli conditionem deteriorem facere poſſunt.

Nec civitas, recognoſcens ſuperiorem, ſe alteri ſine domini conſenſu ſubjicere poteſt, indictâ ſibi annuâ penſione ei præſtandâ, ut commodiùs bonis & libertatibus ſuis fruantur, & à gravaminibus & violentiis protegantur. In feudo Eccleſiaſtico, Prælatus ſive adminiſtrator vaſſallum offendens, durante ſuâ adminiſtratione, probato delicto, jura dominii directi amittit; non tamen ulteriùs *(g)*. Scio quædam eſſe ſpecialia, in quibus ipſo jure feudum amittitur, quo caſu dominus *brevi* (ut aiunt) *manu* poteſt ſe in poſſeſſionem mittere; alia, quæ ſententiam requirant, antequam dominus aliquid vaſſalli debeat attingere *(h)*. Sed quia apud nos ſemper declaratoriâ opus eſt, ejuſmodi differentias hîc non attingo.

Diegeſis ſeptima,

De veterum judiciorum forma in cauſa feudali.

SUMMARIA.

1. *Declaratoria judicis in controverſiis feudalibus neceſſaria eſt, ſine qua nec Princeps aut alius ligius dominus feudum vaſſallo auferre poteſt. Quâ methodo in hac Diegeſi procedat Auctor.*

2. *Septentrionales gentes, licet pugnaciſſimæ, æquitatem & jura ſincerè coluere. Dux cohortis judex erat inter ſuos, aut aliquot ejuſdem cohortis eligebantur, 9, 11, 13 aut 15, numero impari, non pauciores.*

(a) Cap. 4. Stat. Rob. III. (b) 2 F. 47. Zaſius & omnes Feudiſtæ ibid. (c) 2 F. 26. § Domino, 2 F. 47 & 52. § 3. (d) Lib. 2. D. 11. § 35. (e) Gloſſa & DD. in 2 F. 55. (f) Lib. 2. D. 11. § 35. (g) 2 F. 40. in fine. (h) 1 F. 21. ibi. Cognita culpa.

ores. Qui eo judicio læſus, judicem immediatè ſuperiorem adibat, donec tandem ad ipſum exercitûs Ducem perveniret.

3. *In exercitu immediati ſub Principe erant Duces, qui Capitanei dicebantur : ſub iis rurſus erant valvaſſores. Poſtea, cùm aliquo regno aut provinciâ potiti ſunt, directo dominio penes Principem remanente, provinciam inter bene meritos partiebantur, qui rurſus aliis infra ſe dividebant; & hæc officia priùs militaria, poſtea hereditaria eſſe cœperunt. Tum Barones exorti ſunt, qui de Principe ſua feuda tenentes annexam habuerunt juriſdictionem, quæ ſimul cum feudo ad heredes tranſibat.*

4. *Conſuetudo loci, ubi feudum ſitum, ſemper in judicando de eo feudo eſt obſervanda. Diverſum jus ſuccedendi in conquæſtu inter Anglos & nos.*

5. *Prorogatio juriſdictionis, quamvis jure Civili licebat, non tamen jure Feudali, ne domino ſuo præjudicet in mulctis & utilitatibus curiæ ſuæ. Idem jure Gallorum, quo dominus curtis judicium ad ſe transferri, etiam poſt litem conteſtatam, poſtulare poteſt : quod & uſu noſtro in Regalitatibus obſervatur.*

6. *Juriſdictio domini & vaſſalli in jure ita fundata eſt, ut neuter, altero invito, coram alio judice ſiſti poſſit. At domino conſentiente, etiam tacitè, ordinarius erit judex. Feudum francum liberum non eſt à juriſdictione domini.*

7. *Parium judicium intelligitur ejuſdem curiæ, & Pares hi debent ex eodem territorio eſſe cum litigantibus : ſic in ſervitiis, niſi ob tutelam aut defenſionem patriæ, non tenetur vaſſallus extra territorium domini ſervire. Pares ſemper per Pares ſunt judicandi.*

8. *Rex caput & fons eſt omnis juriſdictionis; nec aliquis judex eſſe poteſt, niſi qui eam à Rege mediatè vel immediatè habet.*

9. *Poſt Regem erant qui Capitanei dicebantur, hodie Duces, Comites & Barones, qui de Rege immediatè tenent. Qui Barones olim & hodie dicantur ? Scutifer quis ? Ut hæ ſeptentrionales gentes crevere, ſic multiplicatæ ſunt juriſdictiones, & magiſtratus alii militares, alii municipales.*

10. *Cùm dominari in mari cœperunt, Admiralii officium introductum eſt : de cujus officio & juriſdictione.*

11. *Diviſio actionum feudalium. Judices olim erant Pares. Quomodo Pares hi eligebantur ? & qui rejiciebantur ? & quando locus ordinario ? Quâ formâ procedebatur ? Ubi deſinit jus, quilibet ſibi judex & executor eſt, & locus eſt vi & deprædationibus ad res ſuas repetendas.*

12. *Si inter Regem & aliquem ex vaſſallis quæſtio ſit, ipſe Rex cum ſuo conſilio cognoſcere poteſt, ut apud nos & Gallos; ad cujus ſimilitudinem etiam quilibet dominus in ſuo feudo ſibi de promptioribus reditibus ſatisfieri curat.*

13. *Pares debent eſſe judices, niſi vel vaſſallus dominum, vel dominus vaſſallum neget, quo caſu ordinarius erit judex. Item, ſi agatur de feudo conſtituendo, non de conſtituto; & ſi qui agit ſit miſerabilis perſona; & ſi dominus erit ſuſpectus, ad ordinarium itur.*

14. *Si inter convaſſallos lis ſit, dominus & Pares judicabunt, licet controvertatur an alter vel uterque ſit vaſſallus, niſi dominus ſit meritò ſuſpectus; & tunc Pares ſoli judicabunt : ſed ſi dominus pecuniam pro novi feudi inveſtitura ſumpſerit, ordinarius erit judex. Sic etiam ſi Pares ſint ſuſpecti. Si abſentes ſint, expectandi dum redeant; & ſi unus tantùm ſit, hic in judicio ſedebit.*

15. *Non mirandum eſſe dominum cum Paribus judicandi officium in cauſa ſui feudi ſibi arrogare, licet omni juri contrarium videatur, ſi feudorum initia inſpiciamus.*

16. *Juriſdictio Parium undique exolevit. Hodie ſolet dominus, ſi lis ſit inter ipſum & vaſſallum, aut inter convaſſallos, Ballivos creare, qui inter ipſos judicent. Rex ſolus, aut ejus conſilium generale cognoſcit de iis delictis ex quibus feuda caduca fiunt, ſi læſam majeſtatem ſpectant, & dominus immediatus de aliis.*

17. *Judex in feudo Eccleſiaſtico eſt Prælatus cum ſuo Capitulo; & ſede vacante, differendum eſt judicium dum ſuppleatur : ſed Capitulum ſolùm in iis judicat quæ ad Capitulum pertinent; Decanus Capituli in ſpiritualibus tantùm.*

18. *Si contra alium quàm vaſſallum agatur, ordinarius erit judex; ſed ſi à vi juramenti res dependeat, ad Eccleſiaſticum judicem recurritur. Si dominus aut Pares noluerant judicare, vaſſallus opem ordinarii implorabat. Pares, cùm eliguntur, non jurant : at ſi nimiùm faveant vaſſallo aut domino, ordinarius erit judex; & etiam*

in variis aliis casibus. Actor sequitur forum rei.

19. *Locus in quo jus de feudo dicitur, est principalis domus domini, aut ubi convenerat, aut ad quem dominus partes citaverit, si non sit suspectus.*

20. *Notarius in omnibus judiciis intervenire debet, quem nos Clericum dicimus; & si nullus juratus sit, dominus aut Pares quem volunt assumere possunt.*

21. *Ordo processûs in his judiciis est ex jure Civili, vel potiùs ex consuetudine loci ubi res agitur. Citationes hæ quomodo olim & hodie apud nos fiant, & cùm pupillus aut minor est reus?*

22. *Vetus mos citandi in burgis testes requirebat, sed hodie soli assertioni juratæ officiarii creditur, si sit illius curiæ ordinarius.*

23. *Si reus debitè citatus non comparuerit, judex rem actori adjudicabat, eumque in possessionem mittebat, donec reus se sisteret; si intra annum compareret, ad purgandam contumaciam admittebatur, & ei restituebatur feudi sui possessio, aliàs in perpetuum excludebatur: sed hodie restituitur adversus contumaciam quocunque modo abfuerit.*

24. *Exceptiones, replicationes & duplicationes variæ sunt, pro varietate actionum; super quibus cum interlocutoria profertur, lis contestata dicitur: licet aliter apud nos. Si quæstio simul de petitorio & possessorio nascatur, priùs possessoria terminanda est; si de felonia agatur, libellus locum & factum exprimere debet. Si querelæ inter dominum & vassallum sint mutuæ, vassalli causa priùs terminanda est. Neque dominus, neque vassallus, cùm cognitionem judicandi suscipiunt, jurant. Si vassallus turbetur in possessione, & agere non possit, dominus qui directum dominium habet, pro suo interesse potest.*

25. *De ordine procedendi in judiciis.*

26. *De probationibus. In felonia probanda aut alia ingratitudine, quâ à feudo cadere potest vassallus, Parium testimonium aliis præfertur, & numero quinque requiruntur, cùm ad probandam novam investituram duo sufficiant; ubi plura de Paribus. Vetus mos tradendæ possessionis ante sasinas introductas. Inter testes fœminæ non admittebantur, nec minores* 18 *annis, nec excommunicati, nec infames.*

27. *Præsumptio multum in jure Feudali prævalere solebat, si quis sit in possessione, contra non possidentem; in antiquis feudis fama sufficiebat, si possessio aderat. Possidenti & semiplenè probanti, juramentum defertur in supplementum, & aliquando purgationis. Juratur etiam, vel de veritate, vel de credulitate. Assessor aliquando adhibetur.*

28. *De appellationibus de superiore in superiorem, donec ad Regem perveniatur. Tempora appellationi præscripta nulla jure Feudali sunt, itaque ex jure Civili sumenda. Dominus suam sententiam executioni mandat, alioqui superior aut ordinarius per literas quas vocant* conformes.

1. SED quoniam in his controversiis feudalibus, sive quæstio sit de acquirendo sive amittendo feudo, declaratoriam judicis necesse est intervenire, sine qua, ex jure, neque Princeps, neque quicunque alius dominus ligius potest feudum vassallo auferre *(a)*; videndum igitur quis sit judex in causa feudali, & apud quem partes, quæ de feudo contendunt, agere vel conveniri possint. Hanc quæstionem statui quàm brevissimè percurrere, licet innumeras difficultates & anfractus inter Doctores, qui principatum in jure Feudali sibi vendicant, contineat; & quia pro diversitate regionum diversæ judiciorum formæ frequentantur, contentus eis ero quæ in jure Feudali de hac veteri judiciorum forma præcipiuntur; quibus si mores nostros & usum forensem nostrum in aliquibus accommodavero, eis contentus, ut opinor, candidus lector erit. Non enim omnino Septentrionalium gentium prisci mores silentio prætereundi, ut sciant posteri, non usque adeò barbaras has gentes fuisse, quibus profundam barbariem ascribunt hi delicatiores homines; sed in hac ipsa quam vocant barbarie, cœlestis justitiæ & naturalis æquitatis scintillas vivas elucere manifeste apparebit.

2. Itaque notandum est, has gentes Septentrionales, inter quas jus Feudale natum, altum & educatum est, militares fuisse, & pugnacissimas, & in hac tamen ipsa

(a) Arg. l. 2. ff. de his qui sui vel alieni juris sunt, & l. 4. C. de emancip. liberorum.

pſa duriſſima militia æquitatem & jus ſincerè coluiſſe, cùm alioqui nec ipſi ſimul retineri, nec, quin in ſua viſcera arma verterent, cohiberi poterant: una enim eſt juſtitia quæ ſocietates conſervat, & vere omnium regnorum compago eſt. Itaque eaſdem in pace leges, quas nos, habuiſſe veriſimile eſt, *ne alter alterum offenderet*, ut *quiſque ſuis contentus viveret*, ut *ab omni vi & injuria abſtinerent*. In militia aut expeditione, ſi quid controvertebatur, judicem capitaneum ſuum ſive cohortis ducem appellabant: is inter ſuos, id eſt, inter eos qui ejuſdem erant cohortis, jus æquabiliter ſine ſtrepitu judicii adminiſtrabat, judicioque aliquot ejuſdem cohortis rem ſubmittebat; iis omnibus expenſis quæ ab utraque parte allegabantur, ſententiam ferebant, nec fas erat ad aliud judicium provocare, niſi aut iniqua ſententia lata eſſet, aut juſtitiam reddere tribunus ſeu capitaneus illius cohortis recuſaret. Et qui jus dicerent eligebantur, ſemper novem, undecim, quindecim, ejuſdem cohortis. Numerum ſelegebant imparem, ut majoris partis ſententia prævaleret, ne forte in æqualitate judicantium, æquales partes diverſas inter ſe ſententias dicerent, & denuò ad novum judicem eſſet recurrendum *(a)*. Nec numero trium aut quinque contenti erant, ſiquidem plures difficilius corrumpuntur quàm pauciores; itaque, ut ſemel & unicâ ſententiâ res omnis tranſigeretur, quindecimvirali judicio, ſed eis ex cohorte ſua (unde nomen *Curtis* antea defluxiſſe annotavimus *(b)*) ſelectis, totius cauſæ controverſias & rem omnem permittebant, qui de quæſtione propoſita quid ſentirent in judicio declarabant; quodque eis placebat, tribunus illius cohortis pro arreſto ſive ſententia pronunciabat. Si alterutri parti male judicatum videbatur, & de iniquitate ſententiæ latæ is conquereretur, qui læſus eo judicio videbatur, judicem immediatè ſuperiorem adibat, ut quiſque honore & gradu militiæ prior & potior erat, donec tandem ad ipſum exercitus ducem perveniret, qui de tota controverſia de novo judicabat *(c)*.

3. Erant in exercitu immediati ſub Principe duces, qui Capitanei dicebantur, & ipſius Principis, nec alterius, vaſſalli immediati: ſub eis rurſus erant inferiores vaſſores. Poſtea cum aliquâ hæ militares gentes provinciâ aut regno potitæ eſſent, ut ſedes ibi ſtabilirent, directo totius provinciæ dominio, ſeu verius proprietate, apud exercitus Principem remanente, provinciam inter benè meritos duces & militum tribunos partiebantur, huic unam, alii aliam partem aſſignando; qui rurſus eis, quorum forti & fideli opera in militia uſi erant, fundos & feuda pro cujuſque merito, uni minora, alii majora tribuebant, de ſe tenenda à principio. Sed poſtquam hæc officia, prius militaria, cœperunt eſſe hereditaria, provinciæ in partes ſecabantur, ita ut unicuique ſua pars, quam coleret, per domini ſui diſpoſitionem tribueretur. Barones poſtea nati ſunt ſive emerſerunt, ſed qui de Principe ſolo ſua feuda tenerent. Hæc itaque feuda poſtquam hereditaria, eſſe cœperunt, ut dixi *(d)*, ſemper annexam juriſdictionem, tanquam ſui feudi comitem, habebant; quæ quidem juriſdictio, ſimul cum ipſo feudo, ad heredes tranſibat. Harum juriſdictionum & formarum, poſtquam jus Feudale in ſcripta redactum, veſtigia longè poſtea remanſerunt, imò ſi quis adhuc remanere dicat, à vero declinare non dicam.

4. Sciendum hoc primum, & pro generali regula tenendum, conſuetudinem loci, in quo ſitum eſt feudum, in jure dicundo ſuper eo feudo, ſemper ſervandum; adeò ut ſi vaſſallus duo diverſa habeat feuda, unum in Anglia, alterum in Scotia, & controverſia oriatur de hoc feudo, quod quis in Anglia habet, non ſecundum leges & mores regni Scotiæ jus de hoc feudo dicatur, licet dominus Scotus ſit, & in Scotia habitet, ſed ſecundum conſuetudines Angliæ *(e)*. Exempli gratia, in Anglia, ſi ſeptem ſint ex eiſdem parentibus liberi, & minimus natu, poſtquam feudum ſive fundum acquiſierit, moriatur ſine liberis, non ei proximus in ordine genituræ frater, ſed primogenitus ſuccedet, nam ob prærogativam primogenituræ is honos ei deberi putatur. In Scotia verò, ex his ſeptem fratribus germanis, ſi natu minimus feudum novum acquiſivit, & ſine liberis decedat, non primogenitus (du-

(a) Vid. lib. 1. D. 8. § 5. (b) Lib. 1. D. 10. § 3. (c) 1. F. 22. § 3. & 2. F. 22. (d) Lib. 1 D. 4. § 10. & D. 10. § 8. (e) 2 F. 1.

rum enim hoc noſtri cenſent) ſed natu antecedens quàm proximè defunctum ei ſuccedit, nempe ſextus, & ei rurſus ſine liberis decedenti, in ſuo feudo per eum acquiſito, quintus, & ſic de reliquis, ut quiſque ætate decedentem proximè antecedit. Nec unquam hereditas (nos *Conquæſtum* dicimus) ad primogenitum pervenit, ſi alius frater, aut ex fratre liberi inter decedentem & primogenitum interveniat. Conquæſtus enim, ut loqui ſolemus, ſemel aſcendit, & tunc mutat naturam conquæſtus, & fit hereditas, & ſic ad inferiores in primo gradu, ſi aliqui ſint, deſcendit, aut eis deficientibus, ad fratrem immediate præcedentem in ordine genituræ. Itaque, ſi de conquæſtu minimi fratris, id eſt, de feudo à minimo fratre dum viveret acquiſito, ſed in Anglia ſito, quæſtio poſt mortem acquirentis oriatur, non ſecundum leges Scotiæ, licet dominus ſit Scotus, & in Scotia habitet, ſed ſecundum mores & conſuetudines Angliæ, in qua feudum ſitum eſt, judicabitur.

5. Secundum, quod non minus generaliter ſervandum, eſt, quòd qui ſub una juriſdictione ſeu unius feudi territorio ſunt, ne quidem volentes ſe alienæ juriſdictioni poſſunt ſubjicere in his quæ ad ſuum feudum pertinent. Ratio manifeſta eſt: nam cùm mulctæ & cætera judiciorum emolumenta & utilitates ad dominum feudi pertineant, ſi alium judicem ſui vaſſalli de feudo ſuo contendentes adierint, domino ſuo in mulctis & utilitatibus curiæ ſuæ (nos *Exitus* vocamus) præjudicabunt *(a)*. Nam ne jure Pontificio Clerici in laicum judicem poſſunt conſentire *(b)*. Aliter in jure Civili, quo conſenſus partium in eum qui aliquam aliam juriſdictionem habeat, eum facit judicem *(c)*. Jure Gallorum, ſi quis feudum habet, & de eo ſit quæſtio, neque in Regium magiſtratum, neque in alterius juriſdictionis judicem, etiamſi ex curiis dominicis ſit, & alibi ſitum ſit territorium, utiliter conſentit; ſed dominus curtis ſive curiæ, cui alioqui feudum ſubditum eſt, judicium ad ſe transferri ante litem conteſtatam, aliquando & poſt eam, poſtulabit *(d)*; imò beneficiarium ſuum invitum ad juriſdictionem ſuam dominus revocabit *(e)*. Quod in uſu noſtro & in regalitatibus obſervatur, ubi procurator domini regalitatis, judicium à Regio judice ſeu magiſtratu, ſive cauſa ſit civilis, ſive criminalis, ad curiam ſeu juriſdictionem regalitatis evocabit.

6. Adeò autem in jure fundata eſt domini & vaſſalli juriſdictio, ut nec dominus nec vaſſallus, altero invito, coram alio judice poſſit litigare; & admonitus, ſi non deſiſtat, mulctari & feudo privari poſſit *(f)*. Quòd ſi dominus ſive expreſſe ſive tacite conſentiat, ut vaſſallus coram Ordinario agat, Ordinarius erit judex, cùm volenti non fiat injuria: tacite autem conſenſiſſe videtur dominus, ſi præſens in judicio fuerit, nec contradixerit. Quæri autem hic poteſt de vaſſallo franco, cùm hic ab omnibus ſervitiis ſit liber & immunis, num & hic in curia domini agere vel convenire poſſit? Et tenent Feudiſtæ omnes, quòd licet ſit à ſervitiis liber, non tamen à juriſdictione domini, in eis quæ ad ſuum feudum, quod de domino tenetur, pertinent *(g)*: alioqui feudum francum nec feudum eſſet, nec dominum recognoſceret tanquam dominum, (cùm in domini perſona ſtet totius feudi quod de eo tenetur juriſdictio, à lege conſtituta,) ſi vaſſallus francus non ſit domini ſui juriſdictioni obnoxius; cujus affirmatio, licet in ſe vera ſit, tamen ita temperanda, ut ad cognitionem eorum tantùm extendatur, quæ ad feudum dominici territorii pertinebunt.

7. Tertiò & hoc etiam attendendum, quoties de Paribus aut Parium judicio mentio hîc inciderit, ut de iis Paribus intelligatur, qui unius domini, & ejus curtis ſive curiæ ſint Pares. Antea expoſuimus *(h)*, eos Pares dici in jure, qui unius domini ſunt beneficiarii, ſive vaſſalli; & ideò lex eos judices conſtituit, quia per Pares hos rei veritas meliùs poterit indagari, cùm etiam ex jure Civili habitare in vicinia omnem ignorantiæ excuſationem tollat *(i)*. Itaque, ſi dominus duo diverſa habeat feuda, inter ſe diſtincta, ſive longe diſcontigua, aut non contermina, unius feudi vaſſallus

(*a*) Bartol. in l. 1. ff. de judiciis. cap. Ex tranſmiſſa, & cap. verum, Extra. de foro competenti, cap. Cæterum, Extra. de judiciis. (*b*) Cap. Si diligenti, Extra. de foro competenti. (*c*) l. 29. C. de pactis. (*d*) Guid. Papæ, deciſ. 17. quæſt. 112. (*e*) Joannes Faber in l. 7. C. de Epiſcopali audientia. (*f*) Gloſſ. in 1 F. 5. § 1. verſ. Similiter (*g*) Curt p. 7. num. 21. (*h*) Lib. 1. D. 10. § 3. lib. 2. D. 2. § 24. & D. 17. § 28. (*i*) l. 9. § 2. ff. de juris & facti ignorantia.

vaſſallus non numerabitur inter Pares alterius feudi ſive juriſdictionis: nam Pares hi debent ex eodem territorio eſſe cum litigantibus, nec cogendi ſunt litigatores de una provincia in aliam peregrinari; nam in ſervitiis, niſi ob tutelam aut defenſionem patriæ, non tenetur vaſſallus extra territorium domini ſervire *(a)*. Proinde ex ipſo jure, nempe ex jure Feudali, Angli, licet ſub eodem domino, eodem Rege cum Scotis ſint; tamen in cauſa alicujus Scoti Pares cenſeri non poſſunt, nec è contrà: & hoc verum in aliis dominis inferioribus. Nec Pares unius feudi longè diſſiti, in controverſiis quæ de alio feudo intercidunt, ad judicandum admittuntur; quia Pares rerum in ſuo territorio geſtarum veritatem tantùm ſcire præſumuntur. Si tamen Pares in eo territorio dominus non habeat, poterit ex alio ſuo feudo ſeu provincia Pares eos eligere, qui eodem titulo à domino ſuo feuda poſſident. Unde & mos noſter defluxit, quo in inquiſitionibus & aſſyſis utimur, ut primò eligantur qui ex eadem provincia ſunt Pares; quòd ſi hi non adſint, aut numerus non ſufficiat, qui ſint ex provinciis vicinioribus in eorum locum ſubſtituantur: Pares enim, ut in vetuſtis noſtris legibus cautum eſt, ſemper per Pares debent judicari.

8. His expeditis, & hoc ſciendum eſt, omnem juriſdictionem à Principe tanquam à capite procedere: nemo enim in cauſa aliqua judex eſſe poteſt, niſi qui eam mediatè vel immediatè (ut loqui ſolemus) à Principe obtinuit *(b)*. In feudis tamen hoc proprium eſt, ut ſemper concomitantem habeant juriſdictionem: nam cuicunque à Principe feudum conceſſum eſt, ſimul & juriſdictio conceſſa videtur, in eis quæ immediatè à Principe procedunt, maxima nempe gladii poteſtas, quam nos *furcæ* & *foſſæ poteſtatem* dicimus, cùm nondum apud nos gladio feriendi mos introductus, ut nec initio apud ipſos Romanos.

—— *Nondum erat artis caput enſe rotare*, ait Lucanus in nece Pompeii. Itaque maleficia tantùm puniebantur furcâ ſine cruore, vel aquâ in foſſa aliqua collectâ. Extraordinariæ hæ criminum pœnæ ſive ſupplicia rotarum, ignium, & ſi quæ ſimilia, apud humaniores gentes nondum cognita.

9. Itaque, poſt Regem, primi erant, quos *Capitaneos regni* tum dicebant, hodie *Duces*, *Comites*, *Barones* dicimus, qui Regem immediatè dominum recognoſcunt. In quo hoc etiam ponderandum, quòd Barones non dicuntur qui hanc furcæ & foſſæ poteſtatem in ſuis monumentis conceſſam habent: id enim ipſo jure non conceditur eis, ſed ex ſpeciali privilegio indulgetur. *Baronis* nomen propriè de Senatore intelligendum, qui ſuffragium in publicis regni comitiis habet; nam, apud majores noſtros, hi tantùm Barones habebantur & dicebantur, qui tria habebant caſtella. Scutifer, ſive caſtellanus, qui tantùm unum, licet privilegium Baroniæ, id eſt, quo Barones utuntur, ſuo feudo annexum habeat. Ut verò harum Septentrionalium gentium vires & imperia crevêre, ſic & multiplicatæ ſunt juriſdictiones & magiſtratus: nam alii erant militares, quorum præcipuus uſus erat in militia, ut Comeſtabuli, Magiſtri equitum, qui hodie *Mareſchalli* dicuntur, & ab eis præfecti, & horum rurſus vicarii. In urbibus municipales magiſtratus ſeu juriſdictiones erant, quas hodie nos *Maros*, ſive *Majores urbis* (quoniam primus dignitate reliquos omnes antecedit) aut *Præpoſitos* dicimus, à quibus jus ſuis civibus adminiſtratur.

10. Poſtquam verò in mari dominari cœperunt, Admiralii officium introductum eſt, cujus de rebus ſive delictis in mari aut in littore, aut etiam portu geſtis aut commiſſis, juriſdictio erat. *Admiralius* autem dictus eſt, quaſi *Almiralius*, à voce Arabica *Almiral (c)*. Thalaſſiarchum Græci dicebant, qui maris imperio, & cum imperio juriſdictioni præficiebatur. Horum ſingulorum juriſdictiones ſi percurrerem, in immenſum volumen excreſceret hoc opus; ſufficit hoc in genere monuiſſe, juriſdictiones horum magiſtratuum, & formas coram eis procedendi maximè à moribus & conſuetudine pendere; itaque prudens prætereo.

11. Sed ut ad propoſitum redeamus, quæ erat forma judicandi, qui judices in feudis antiquitùs erant: Omnes actiones, quæ feudum aut ejus naturam tum reſpiciebant, aut inter dominum & vaſſallum, aut inter ipſos vaſſallos, ſive convaſſallos, aut

(a) 2 F. 107. (b) l. unica, ff. de lege Julia ambitûs. (c) Leo Afer.

inter vaſſallum unius domini & vaſſallum alterius, qui ei extraneus dici poteſt, intercedebant. Et ut à digniori incipiamus,

Si contentio ſit de feudo, vel feudi parte, ſive pertinentiis, dependentibus ſive acceſſoriis, de poſſeſſione feudi, de ejus reditibus aut utilitatibus, aut de delicto quo vaſſallum dominus à feudo cecidiſſe dicat, ſive propter non petitam inveſtituram, Pares, ſive beneficiarii illius domini ſive curtis, judicabunt *(a)*. Quod etiam procedit, ut nuper dixi *(b)*, etiamſi dominus aut vaſſalli ſint Clerici, & ſuis judicibus alioqui tantùm ſubditi : nam juriſdictio hæc à lege datur, & feudum concomitatur, etiamſi dominus aliam juriſdictionem habeat, aut qui contendunt majoris dignitatis ſint quàm ipſi Pares, veluti ſi reus ſit Comes, & alter plebeius. Pares autem hi inter dominum & vaſſallum ſunt eligendi, ut dominus unum vel plures priùs eligat, tum vaſſallus totidem : numerus autem ſemper in arbitrio domini erat, quot vellet in ſua cauſa cognoſcere ; ſed qui juramentum fidelitatis nondum præſtitit, aut infamis, aut excommunicatus, aut alioqui ſuſpicioni obnoxius, rejici ab altera parte poterat *(c)*. Quòd ſi altera pars eligere noluerit, aut recuſaverit, judicabunt qui ex altera parte erant electi.

At ſi Pares hi ſuſpecti erant, juſtaque cauſa ſuſpicionis objiciebatur, quæ teſtem poſſet removere, & ea in judicio allegabatur, ad rejectionem Pariuin ordinarius aut curia ſuperior cognoſcebat : aut, ſi alioqui Pares cognoſcere recuſaverint, à ſuperiore curia ſive domino curiæ cogendi erant, mulctâ indictâ, & captis pignoribus, ut antiquitùs fiebat in his qui tutelam recuſabant. Quòd ſi dominus hic Pares non habeat, aut Paribus his unus litigatorum pro teſtibus uti voluerit, cùm aſſereret ſe aliter factum probare non poſſe niſi per Pares, (quòd eis temporibus firmiſſimum erat probandi genus ;) cùm Pares ſimul & judices & teſtes eſſe non poſſent, in his caſibus ordinarius ſemper erat judex. Idem, ſi vaſſallus coram Paribus conventus ſe vaſſallum eſſe neget, nam hæc cognitio ſive præcognitio ad ordinarium ſemper pertinebat, periculo vaſſalli, ſi dominus eum vaſſallum probaverit ; nam eo caſu vaſſallus à feudo cadebat *(d)*. Quod & obſervatur in vaſſallo, de novo feudo ſibi à domino conceſſo, contra eum agente, ſi dominus negaverit, aut aliud, cur facere non debeat, prætenderit ; nam hoc caſu ordinarius judex erit. Idem, ſi inter duos vaſſallos quæſtio ſit, & alter neget ſe illius domini vaſſallum, cognitio hujus exceptionis ad ordinarium pertinebit *(e)*. Et ſic ſemper, ubi extraneus, id eſt, qui non eſt vaſſallus, dominum convenerit ; aut ſi filia vaſſalli dicat rem allodialem, quam dominus contendit eſſe feudalem, & morte vaſſalli ſibi aut agnatis apertam : ſed de quæſtionibus inter duos vaſſallos poſtea dicemus *(f)*. Itaque generaliter hoc tenendum eſt, ſi dominus vaſſallum à ſuo jure cecidiſſe contendat, Parium ſemper eſt judicium ; quo caſu, dominus ritè vaſſallum per apparitorem curiæ citari faciat, ut coram Paribus ad ejus inſtantiam reſpondeat. Quòd ſi non comparuerit, iterum & tertiò citari curabit, per intervalla ſeptem aut decem dierum, ex jure, vel potiùs ſecundum conſuetudinem illius juriſdictionis ſive tribunalis *(g)*. Quòd ſi conſuetudo non appareat, tunc ex arbitrio curiæ intervalla citationis præſtituentur. Quòd ſi tertiò citatus non comparuerit, quaſi perfectâ contumaciâ, Pares dominum in poſſeſſionem rei petitæ ſive feudi mittent. Idem, ſi primò citatus, apertè reſponderit ſe nolle comparere. Et niſi vaſſallus intra annum ſe ſiſtat, & defenſiones paret, à feudo in perpetuum cadet.

At ſi vaſſallus, intra annum à die ſententiæ ſive contumaciæ conſummatum, judicio ſe offerat, dominus à Paribus reverenter adeundus eſt, & monendus, ut vaſſallo quod jus eſt faciat, & rurſus cum eo de priore cauſa judicium ſubeat. Quòd ſi dominus ter admonitus à Paribus neget, vaſſallus dominum ſuperiorem adibit, & queretur ſe apud ſuos Pares jus adverſus dominum habere non potuiſſe. Quòd ſi nec hic dominus ſuperior paruerit, & quod jus & æquum eſt vaſſallo non miniſtraverit,

(*a*) 1 F. 10. 18. pr. 2 F. 55. § ult. in fine, & 2 F. 16. (*b*) § 8. (*c*) d. 2 F. 16. (*d*) Curt. p. 7. n. 2. 2 F. 26. § 3. & § 5. ibi, Vaſſallus feudum. (*e*) Panorm. in c. 5. Extra. de judiciis. (*f*) § 14. (*g*) 2 F. 22.

rit, nec rem reſtituat, vaſſallus ſibi ipſi juſtitiam faciet, id eſt, ipſe ſibi judex erit, (nam ubi jus deſinit, quilibet ſibi judex & executor eſt) & virtute bellicâ & armis res ſuas repetet *(a)*: quod in Germania potiſſimum, in Suevia adhuc etiam obſervatur, ut ſi quis de pace Regis aut Cæſaris violata queratur, non priùs vim bellicam & arma parabit, quàm judicio experiatur, & dominum reum peragat violatæ publicæ pacis; & hoc eſt quod noſter Obertus dicit *(b)*, *ſi Dominus vaſſallo juſtitiam facere neget, licere vaſſallo eum deprædari.* Et ſanè hi mores antiquitus, non minus apud Anglos quàm Scotos, ut plurimum obſervabantur; ut apud Glanvillam pluribus in locis videre eſt, niſi quòd pro armis & deprædationibus mononiachia ſubſtituta eſt, in qua vaſſallo conquerenti, aut dominus concurrere tenebatur, aut alium, quem *Campionem* vocabat, pro ſe ſubſtituere.

12. Hæc autem regula, de judicio Parium in cauſa inter dominum & vaſſallum, ita temperanda eſt, niſi inter Regem ſive Cæſarem, & aliquem ex vaſſallis quæſtio intercedat; non enim tum à Paribus illius curiæ terminanda eſt, ſed ipſe Princeps tum poteſt cognoſcere, petereque ut ſe præſente tota cauſa diſputetur, & hoc caſu judex in ſua cauſa eſt, (quod ſceptri Regalis privilegium eſt:) adhibito tamen conſilio ſuo (quod ei pro Paribus eſt) judicabit. Vidi in petitione Comitatus de Anguſs, qui controvertebatur tum inter S. D. Regem, tanquam hæredem ex filia Archibaldi Comitis Anguſiæ, & Gulielmum Comitem Anguſiæ, patrem moderni Comitis, & cum reus Principem declinare vellet, interlocutum Senatum, Principem in ſua cauſa poſſe judicem ſedere, & ſententiam, interveniente Senatûs auctoritate, de eo Comitatu poſſe ferre. Sic, ex jure Gallico, Princeps, ſi jura dominicalia ſeu feudalia non ſolvantur, poteſt manum in feudum injicere, & jus ſibi aſſumere, deque præſentibus & paratioribus ſibi ſatisfaciet: quod & apud nos etiam obſervatur. Et ad ſimilitudinem Principum, ſic quilibet dominus in ſuo feudo ſibi ex promptioribus reditibus ſatisfieri curat, tempore ſolutionis debito præterito; nam eſt quaſi ſuæ familiæ princeps, & poteſt ſibi jus pro debitis ſibi à vaſſallo fructibus dicere. Sunt qui idem putant, ſi de Regali beneficio, ſive feudo, quæſtio ſit inter Capitaneos regni qui dicuntur, & quilibet ſe à Rege inveſtitum dicat. Idem in aliis cauſis inferioribus, cum neuter alteri judex eſſe poteſt. Taceo hic de privilegiis civitatum Lombardiæ, quoniam privilegia tantùm ſunt ei localia, nec ad conſequentiam trahenda, & in uſu noſtro locum non habent.

13. Redeo ad privatos, inter quos, ſi dominus & vaſſallus inter ſe contendant, ſive de feudo, ſive ejus parte, aut finibus, ſive de delicto per quod dominus vaſſallum à feudo cecidiſſe dicat, aut ſi vaſſallus conqueratur de violentia ſibi à domino illata, Pares ſemper ſunt judices *(c)*. Quòd ſi (ut dixi *(d)*) vaſſallus ſe illius domini beneficiarium neget, aut dominus hunc eſſe ſuum vaſſallum neget; utroque hoc caſu cognitio ad ordinarium remittitur. Hæc autem omnia ſic intelligenda ſunt, ſi feudum conſtitutum eſſe conſtet; nam ſi tantùm inter dominum & vaſſallum contenditur de promiſſione feudi, ad ordinarium cognitio hujus quæſtionis remittitur. Sic ſi qui agat, ſit miſerabilis perſona, veluti vidua aut pupillus *(e)*. Si tamen unum litigantium, cum vaſſallus eſſet, ſaltem vaſſalli heres, dominus inveſtire recuſaverit, & poſtea jure coactus inveſtierit, dominus ſuſpectus eſt ut cognoſcat, & Pares tantùm judicabunt.

14. Quòd ſi inter duos convaſſallos quæſtio eſſet, ſive de feudo, ſive de aliquibus ab eo dependentibus, ſive acceſſoriis ab eo emergentibus, etiam non feudalibus, dominus & Pares cognoſcebant *(f)*. Quòd ſi controvertebatur, an alter ſit beneficiarius ſive vaſſallus, Pares etiam in eo caſu judicabunt, & non ordinarius *(g)*. Si neuter ſit certus beneficiarius, ſed tamen ab antiquo ſe dicat beneficiarium de eo feudo, de quo contenditur, dominus cum Paribus de hac controverſia judicabunt, niſi dominus alteri parti de evictione teneatur: nam tunc dominus ut ſuſpectus poterat

(*a*) 2 F. 22. (*b*) d. 2. F. 22. (*c*) 2 F. 55. § 2. verſ. Præterea. & 1. F. 21. pr. (*d*) § 11. (*e*) c. 2. & ibi Panorm. & Canoniſtæ. Extra. de feudis, & in d. cap. 5. Extra. de Judiciis. (*f*) d. 2. F. 55. § 2. verſ. Præterea cap. 7. Extra. de foro competenti. & d. c. 5. ibid. de Judiciis. (*g*) 1. F. 18. & 2. F. 34. pr.

terat declinari, ne dominus ſuum factum, quo jure quâque injuriâ tueatur; & Pares ſoli judicabunt. Si tamen dominus pecuniam pro novi beneficii inveſtitura ſumpſiſſe dicatur, ordinarius judex erit, aut curia ſuperior. Idem, ſi Pares ex juſta cauſa ſint ſuſpecti. Si Pares ſint abſentes, expectandi ſunt dum redeant; & ſi unus tantùm fuerit, hic in judicio ſedebit.

15. Mirum autem cuivis videri poteſt, quomodo dominus, vel per ſe, vel per ſuos, judicandi officio in cauſa ſui feudi fungi poſſit; quod non ſolùm cum jure ſcripto, ſed etiam cum naturali æquitate pugnare videtur, ut quis in ſua cauſa, aut ſuorum, judex ſedeat aut cognoſcat *(a)*. Sed ponderandum eſt, feuda dominorum eſſe mera & pura beneficia, quæ vaſſallis domini donabant, ut dominum primum & verum cum juriſdictione ſemper obſervarent; imò hoc ipſo vaſſallis beneficia tribuebant, ut ſui ſemper vaſſalli eſſent, id eſt, è ſua poteſtate ſeu juriſdictione non exirent, alioqui non conceſſuri *(b)*: imò & vaſſalli cum hac conditione feuda accipiebant, ut dantem non ſolùm pro judice ſed domino agnoſcerent. Adde quòd hic dominus tutor legitimus eſt pupillo hæredi vaſſalli, & legitimo præferendus, adeo ut præterita beneficia, eum ab omni ſuſpicione liberent *(c)*. Quod ad Pares curiæ pertinet, hi etiam extra ſuſpicionem omnem poſiti videbantur; nam cùm exemplum unius vaſſalli ad omnes pertineat, nunquam hi Pares commiſſuri erant, ut ex unius vaſſalli, è ſuo numero, ſententiâ malè latâ, domino feneſtram aperirent idem in aliis convaſſallis experiri; quin potiùs in unius perſona, communi ſaluti & commodo providebant.

16. Parium autem hæc juriſdictio, hodie non ſolùm in Britannia, ſed etiam in Gallia exolevit, non quòd eorum ſententia & judicium non adhuc requiratur, à quo etiam judicium totum ſæpe pendet, ſed quòd juriſdictionem hi Pares non habeant; nuſquam enim in Britannia Pares ſententiam proferunt, licet de facto reſpondeant verumne ſit necne. Itaque hodie, cum inter duos convaſſallos, ſive inter dominum & vaſſallum quæſtio oritur, dominus Ballivos creare ſolet, qui ſibi & inter convaſſallos jus dicant. In cenſualibus prædiis, id eſt, eis quæ cenſum domini pendunt, domini juriſdictio ſemper in ſuos cenſuales eſt, ſed tantùm ad fundi ſive ex fundo debitum, aut de delictis in ſe aut alios commiſſis: Rex autem ſolus, ſive Regis conſilium generale, cognoſcit de eis maleficiis, ex quibus feuda caduca fiunt, ſi læſam majeſtatem ſpectant; dominus autem, ut dixi, de aliis.

Quod de domino dixi, de domino immediatè ſuperiore intelligendum eſt; nam immediate ſuperior ſemper inter convaſſallos judex eſt.

In cauſa feudali Eccleſiaſtica, ſive emphyteuſi Eccleſiaſtica, Prælatus cum Capitulo procedit, & de cauſis ſuæ emphyteuſeos cognoſcebat. Si ſedes mortuo Prælato vacaverat, differendum judicium erat, donec de Prælato Eccleſiæ provideretur. Capitulum autem ſolum non cognoſcebat, niſi de eis emphyteuſibus quæ ad Capitulum ſolum pertinebant. Decanus Capituli tantùm locum Prælati in ſpiritualibus ſuſtinebat; itaque in cognitionibus cauſarum pro Prælato non ſufficit.

18. Quòd ſi dominus ratione feudi ſui contra alium quàm vaſſallum agat, veluti ſi contra emptorem feudi à vaſſallo, aut ſi duò domini diverſi, invicem prætendentes ſe dominos, de feudo agant, ordinarius tum ſemper judex erit *(d)*. Si verò quæſtio feudalis dependeret à vi juramenti, in eo caſu ad judicem Eccleſiaſticum recurrebatur *(e)*. Quòd ſi dominus aut Pares hi noluerint aut non auderent judicare, vaſſallus opem ordinarii implorabat, qui dominum aut Pares mulctâ indictâ, & captis pignoribus, jus dicere cogebat; aut actor reum coram judice ſuperiore vocabat, ut is de cauſa cognoſceret; aut apud ordinarium conquerebatur *(f)*. Nunquam tamen dominus aut Pares erant in mora judicandi, niſi ter loco & tempore requiſiti forent *(g)*. Si vaſſallus ſe gravatum à domino dicat, aut inſolitis oneribus aut ſervitiis premi, aut ſuperioris domini aut ordinarii auxilium implorabat, ut dominum prohiberent & cogerent ab eo quod non debebatur abſtinere *(h)*; &

(*a* l. 10. ff de juriſdict. l. 17. ff. de judiciis, & l. unica. C. ne quis in ſua cauſa judicet. (*b*) 1. F. 7. 2 F. 8. & 23. in fine. (*c*) Vid. lib. 2. D. 20. § 13. (*d*) 2 F. 42. (*e*) c. 5. Extra. de Judiciis. (*f*) 2. F. 22. Schon. lib. 2. diſp. 2. theſ. 71. (*g*) 2 F. 22. (*h*) 2. F. 55. § 2. verſ. Præterea.

& ſemper à ſuperiore ad ſuperiorem procedendo, donec ad ipſum Imperatorem aut dominum ligium perveniatur; non autem ad Papam, etiamſi feudum ſit Eccleſiaſticum, niſi de Papa id teneatur, & is dominus feudi ſit *(a)*.

Pares autem, cùm eliguntur, non jurant; præſumitur enim juramentum, quod ab initio præſtiterant, ſufficere, & continuatum eſſe. Quòd ſi Pares hi nimiùm faveant vaſſallo vel domino, vel ſi nondùm juraverant fidelitatem domino, aut ſi utriuſque partis conſenſu ſit privilegio derogatum, ordinarius judex erit. Idem, in quacunque cauſa dominus judex eſſe non poteſt, vel quando principaliter de feudo non eſt quæſtio, vel ſi dubitetur feudum ſit nécne, aut ſi controverſia ſit inter dominum & tertium ſive aſſertum vaſſallum, aut inter vaſſallos & extraneum, aut ſi uterque litigantium neget feudum eſſe, aut quando dominus & vaſſallus conſentiunt in alium judicem, vel ſi invicem experiantur actionibus, *Quòd vi aut clam*, tunc ordinarius erit judex. Et regula illa generalis juris Civilis obſervabitur, ut *actor ſequatur forum rei.*

19. Sequitur, ut de loco aliquid ſubjiciamus. Locus hic debet eſſe principalis domus domini, quam *Curiam* ſive *Curtem* Feudiſtæ dicunt: tamen ſi locus aliquis convenerat, is ſervandus eſt qui convenit; alioqui ſervandus eſt locus qui eſt ordinarius domini, & ubi ſolet dominus judicare, ſaltem is ad quem dominus partes citaverit; nam dominus poteſt cognoſcere ubi velit intra territorium ſuum, modò denunciet partibus, & locus neutri partium ſit ſuſpectus. Majores noſtri in judicando quendam tumulum ſive colliculum in medio aut alioqui alio loco ſui territorii ſolebant deligere, in quo jus partibus dicerent, quem ab effectu MUTHILL dicebant, id eſt, *colliculum actionum* ſive *querelarum.*

20. Notarius autem in omnibus judiciis intervenire debet, qui quæ dicuntur & fiunt in acta curiæ redigat. Hunc nos *Actuarium* ſive *Clericum* dicimus, quòd Notarii omnes antiquitùs ferè è clero erant, quippe in quibus major doctrina & gravius ſtudium in rebus agendis & deſcribendis communiter erat. Hic autem Scriba ſive Clericus ſemper Notarius eſſe debet, ut Senatus in cauſa inter Dominum de Keir & Hamiltonium de Pardowan interlocutus: nam eam ſententiam, quam Baro curiæ pronunciaverat, retractavit ex ea ſola cauſa, quòd Clericus curiæ non fuiſſet Notarius. Quòd ſi nullus Notarius juratus ſit, tunc judex, ſive ſit dominus, ſive Pares, poſſunt Notarium aſſumere.

21. Ordo autem proceſsûs idem erat qui in jure Civili: ſed regulariter ſervanda eſt illius loci conſuetudo in quo res agitur; nam ex diverſitate regionum diverſæ ſunt formæ procedendi in judicio. In Senatu duabus utimur denunciationibus in iis actionibus, in quibus teſtes producendi & examinandi ſunt: coram Vicecomite, aut Barone, una citatio ſufficit. Veteres antea notavi tres citationes uſurpaſſe, ut perfecta & conſummata vaſſalli induceretur contumacia: eæ autem vel ad faciem, quod nos *perſonaliter* dicimus, vel ad locum habitationis, fieri debent. Habitatio autem ea ex jure dicitur, ubi quis uxorem, liberos & familiam habeat, idque animo remanendi; non ſi quis negotiationis causâ, vel alterius curæ, in certum locum migraverit, ut abſolutâ negotiatione ad ſe & ſua redeat. Antiquitùs citatio hæc fiebat ad habitationem ſive manſum ipſius feudi de quo controverſia eſt; quod & in multis adhuc obſervatur, ut in Brevibus perambulationis, diviſionis, & denunciationibus pro licitationibus prædiorum, ſive appretiatione. Eſt etiam alia citatio, quæ fit apud crucem foralem ipſius burgi in provincia ſive Vicecomitatu: quæ tamen in uſu non ſemper eſt, nec ſemper requiritur; nam qui ſpeciale habent intereſſe, ſpecialiter ſunt citandi. Si pupillus aut minor reus ſit, ſufficit ejus tutores, ſive noti ſint ſive ignorentur, generaliter citari apud crucem foralem ejus burgi, qui præcipuus eſt in ea regione; nam hoc remedium inventum eſt, ut citatio talis ſufficiat, ſi quando dubitetur de tutoribus aut curatoribus, imò cùm dubium naſci poſſit de auctoritate & nominibus tutorum aut curatorum.

22. In burgis vetus feudorum conſtitutio ſervabatur ante annos octoginta apud

(*a*) Innocentius in cap. 6. Extra. de majoritate & obedientia.

nos, nempe ut reus primò citaretur ut compareat, ſub gravi pœna; ſecundò, ſub pœna carceris ſive corporis cuſtodiæ mancipandi; tertiò, cum ea certificatione, ut niſi huic tertiæ citationi paruerit, in carcerem ſive cuſtodiam conjiceretur, ibi detinendus donec ſe ad defenſionem paratum oſtenderit. Memini, me adoleſcente, in burgis etiam hanc citationis formam obſervatam, ut impetratis literis citatoriis a Senatu publicè reus apud crucem burgi citaretur, vel ad fundum prædii de quo controverſia erat; & poſtea, ſi hujus citationis reo, vel ad faciem, vel locum habitationis, intimatio ſive inſinuatio facta eſſet, pro legitima citatione fuiſſe. Citatio hæc in burgis & in baroniis antea requirebat ſolennitatem teſtium, ad minus duorum, qui ſe interfuiſſe cùm citatio fieret jurati deponerent; & ideo actor ſemper cum ſuis teſtibus coram judice comparebat. Hodie ſoli aſſertioni juratæ officiarii, ſi ſit illius curiæ ordinarius, creditur.

23. Si reus debitè citatus non comparuerit, procedebat judex, ut dixi, & rem ipſam actori adjudicabat, actoremque in poſſeſſionem mittebat, donec reus ſe judicio reſponſurus ſiſteret: ſed ſi annum & diem in ſua contumacia perſtabat, à feudo repetendo perpetuò excludebatur *(a)*. Intra annum ſupplex & humilis audiebatur ad ea proponenda, quæ per contumaciam omiſerat, in prima quam vocamus inſtantia; quæ, ſi juſta viſa fuerant, & legitimè probata, reſtituebatur ei ſui feudi poſſeſſio. Sed antiquitùs etiam contumaciam ſuam excuſare debuit, & juſtam illius cauſam reddere: hodie quoquo modo abfuerit, id eſt, ſive verè contumax fuit, & malitiosè non comparuerit, ſive etiam ſine juſta cauſa abſens fuerit, reſtituitur. Hæc antea ex jure Feudali annotavi.

24. De exceptionibus, replicis & triplicis, eæ pro varietate actionis variæ ſunt, nec modo aut numero comprehendi poſſunt. Eæ diſcutiendæ ſunt à judice ſecundum judicantis religionem; ſuper quibus cùm interlocutoria profertur, *lis conteſtata* dicitur *(b)*; cùm alioqui nunquam apud nos *litiſconteſtatio* dicatur, niſi quando vel interlocutoria hæc partibus præſentibus & defendentibus profertur, vel in pœnam contumaciæ rei non comparentis teſtes ab actore producti fuerint, & de teſtimonio verè dicendo jurati: antequam hi recipiantur, ſemper (licet antea non comparuerit) reus ad ſua jura alleganda admittitur. Si quæſtio ſimul de petitorio & poſſeſſorio naſcatur, poſſeſſoria priùs terminanda eſt. Si dominus de felonia contra vaſſallum agat, aut de aliquo delicto per quod feudum amittitur, locum & tempus facti debet in libello exprimere.

Si dominus de vaſſallo conqueratur, & ille rurſus de domino, vaſſalli cauſa priùs à Paribus terminanda eſt. Ratio eſt, quia Pares majorem juriſdictionem habere præſumuntur in ſuo Pari, quàm in ſuo domino, & contra fortiorem ſemper eſt præſumptio *(c)*. Neque dominus, nec vaſſalli, cùm cognitionem judicandi ut Pares ſuſcipiunt, jurant: nam vaſſallus id domino non poteſt objicere, cujus fidem in omnibus ſequi debet, neque juramentum ab eo exigere, aut non juratum eſſe poteſt allegare. Et juramentum fidelitatis vaſſallum liberat à novo juramento, niſi ex poſtfacto ſuſpecti ſunt hi Pares; nam tunc poteſt juramentum novum ab eis exigi. Dominus autem de calumnia non jurabit; is enim honos domino à vaſſallo debetur, ne ei calumniæ notam poſſit impingere *(d)*. Quòd ſi vaſſallus turbetur in poſſeſſione, & agere non poſſit, aut negligat, dominus tamen poteſt agere propter ſuum (ut vocant) intereſſe, quòd dominium directum ad eum pertineat; & proinde intereſt ejus, ne conditio feudi deterior reddatur.

25. Ordo autem hîc idem erat ferè, qui in jure Civili, & regulariter ſecundum loci conſuetudinem obſervatur; nam ea præcipuè in forma ſpectatur, præcipuè loci illius conſuetudo ubi feudum ſitum eſt. Et primò citatio facienda eſt, & libellus offerendus, & pòſt ex allegationibus, ſi quæ ſint, & partes compareant, lis conteſtanda. Sed nec minùs lis conteſtari dicitur, etiamſi reus non compareat, & teſtes ſive probationes recipiantur: alioqui lis non dicitur conteſtata, & reo ſemper licet jura ſua ſive exceptiones allegare; quod & apud nos obſervatur.

26. Proba-

(*a*) 2 F. 22. (*b*) Zaſius, par. 11. n. 26. (*c*) Curt. p. 7. n. 17. (*d*) 2. F. 33. § 1.

26. Probationes autem hæ debent eſſe claræ; & magis urgent, ſi Pares curiæ ſive curtis producantur in teſtes, quàm alii, præcipuè in felonia probanda, aut ad convincendam vaſſalli ingratitudinem, ex qua à feudo cadere poteſt. Teſtes quinque ſummæ atque integræ opinionis requiruntur *(a)*: ad probandam autem novam inveſtituram duo teſtes, ſed Pares curiæ, ſufficiunt; nec per inſtrumentum probatur inveſtitura, niſi duo aut tres Pares intervenerint. Sufficit autem, ſi tempore inveſtituræ fuerint Pares, licet jam non ſint: adeò autem ſtrictè hæc obſervabantur, ut ſi Pares curiæ non intervenerint, inveſtitura nulla eſſet *(b)*. Quòd ſi Pares evocati non veniant ad teſtimonium dicendum, aut propter dominum non audeant deponere, expectandum, & eatenus judicium ſuſtinendum eſt donec venerint, & interea ſuperioris domini, vel etiam ordinarii, auxilium contra ſuum dominum implorandum: imò ſi dominus unum tantùm Parem habeat, & hic expectandus eſt donec veniat, præcipuè ſi vaſſallus ſit in poſſeſſione. Et licet revera hi Pares non fuerant tempore inveſtituræ, quòd tamen pro Paribus habiti & reputati ſunt ſufficit *(c)*. Incidit aliquando mihi ſermo cum viro graviſſimo, qui eo nomine jus Feudale rejiciebat, quòd ad probationem inveſtituræ teſtes admittebat; in quo tamen maximè peccare mihi videbatur, cùm inter vetera jura, quæ apud nos leges burgorum dicuntur *(d)*, caveatur expreſsè, ut *qui vendit terram ſuam, ſic intrabit domum, & exibit; & emptor, foris ſtans, tunc intrabit: & unus dabit unum denarium domino pro exitu terræ, alter pro introitu ſive ſaſina. Si autem excambiant, uterque eorum dabit duos denarios.* In ea veterum ſimplicitate, ſcriptura non interveniebat à principio, ut quis meliùs probet, ſed ut faciliùs; & hoc ſecundum jus Civile *(e)*. Et majoris momenti erat, quòd ſolenniter coram domino & Paribus curiæ fiebat, quàm ſi decem inſtrumenta inde eſſent confecta: neque enim negari poteſt has ſaſinas, quæ hodie in uſu ſunt, ante ducentos aut trecentos annos majoribus noſtris fuiſſe incognitas; ſed quæ coram judice loci, & ordinariis quos vocant *Officiariis*, fiebant, plenam habuiſſe fidem, ſi vel ſigillum appoſuiſſent. Inter hos teſtes mares tantùm admittebantur ad probandam antiqui feudi inveſtituram; fœminæ omnes in jure Feudali rejiciebantur à teſtimonio, ut & apud nos hodie *(f)*. Hermaphroditus cenſetur ejus ſexûs qui in eo prævalet. Sed nec minores 18 annis, nec excommunicati, nec infames admittebantur.

27. Sed præſumptio multùm in jure Feudali prævalere ſolebat, præcipuè ſi quis in poſſeſſione fuerat; nam ſemper præſumitur pro poſſeſſione contra non poſſidentem, adeò ut in antiquis feudis fama pro probatione ſufficeret, præcipuè ſi poſſeſſio accedebat: ſemper tamen una præſumptio per aliam tollitur, nempe minor per majorem, infirmior per fortiorem, & plures præſumptiones tollunt pauciores, tam ex jure Civili, quàm Feudali. Poſſeſſio autem hanc habebat vim, ut ſi poſſidens ſemiplenè probaverat, juramentum in ſupplementum probationis ei poſſet deferri, cùm tamen ex jure Civili ſemiplenè probanti non deferatur juramentum *(g)*. Quod ad me attinet, ſcio hanc eſſe Feudiſtarum opinionem, quam & ego ſequor, ut judex ex variis circumſtantiis, tam in jure Civili, quàm Feudali, juramentum poſſit in magna cauſa ſemiplenè probanti deferre, quod *juramentum purgationis* dicitur *(h)*; ita tamen ut, non obſtantibus omnibus probationibus, plenè probans ſemper obtineat, etiam ſine juramento. Sed quando juramentum defertur vel domino vel vaſſallo, non ſoli jurabunt, ſed cum duodecim ſacramentalibus, qui ſimul jurabunt de conſcientia vel credulitate ſua, quòd ſic rem ſe habere credant ſicut partes juraverant. Ex his ſacramentalibus ſex debent eſſe propinqui & cognati jurantis, (nam hi præſumuntur ſcire veritatem rei geſtæ,) ſi modò cognatos habeat; alioqui omnes extranei admittendi *(i)*. Dominus autem, quoties ei defertur juramentum in ſuo proprio facto, de veritate tum jurabit: quòd ſi factum ſit alienum, de credulitate tantùm jurabit, nempe ſe credere rem ita ſe habere. Idem in vaſſallo, ſi tale ſit factum,

(*a*) 2 F. 57. & ibi Bald. Alvarot. (*b*) 2 F. 32. (*c*) Curt. p. 2. n. 24. (*d*) Cap. 56. Vid. lib. 2. D. 7. § 1. (*e*) l. 4. in fine, ff. de pign. & hypoth. & l. 4. ff. de fide inſtr. (*f*) Decius in cap. 3. Extra. de teſtibus & atteſt. (*g*) Baldus in l. 3. C. de rebus creditis, & ibi DD. (*h*) 2 F. 33. verſ. Sacramentum. (*i*) 2 F. 41. cap. fin. Extra. de purgatione, &c.

ctum de quo poterat certificari; nam judex nunquam defert juramentum ei, quem non eſt veriſimile factum noſſe *(a)*. In his judiciis, ſi gravior quæſtio inciderit, potuit judex cogere partes, ut aſſeſſorem adhibeant, eum nempe qui nulla lege aſſidere prohibetur, & contra quem nulla juſta cauſa ſuſpicionis eſt, imò ut huic aſſeſſori expenſas & communibus ſumptibus & competenti ſalario ſufficiant *(b)*.

28. Si quis ſe gravatum judicio domini vel Parium dicebat, primùm ad dominum immediatum ſui feudi provocabat *(c)*, & ſic de ſuperiore domino in ſuperiorem, donec ad ſupremum dominum feudi ſive Regem perveniretur, ut nuper dixi. Tempora appellationi præſcripta nulla jure Feudali ſunt, itaque ex jure Civili ſumenda ſunt; ut ſemper, quoties quæſtio in jure Feudali decidi non poteſt, ad jus Civile recurrendum. Semper autem dominus ſuam ſententiam executioni mandare poterat, alioqui ſuperior aut ordinarius exſequebatur; ut & apud nos fieri ſolet, cùm inferiori judici non paretur, literæ quas vocant *conformes* (quia ſecundum tenorem prioris ſententiæ in omnibus formantur) ſolent à Senatu impetrari, ut prior ſententia per Vicecomites aut alios executioni mandetur.

(*a*) Arg. l. 4. ff. de in litem jurando, & DD. in l. 31. ff. de jurejurand. (*b*) l. 4. § 1. Sed & ſi menſor. ff. Finium regund. (*c*) 1 F. 22. in fine.

F I N I S.

Rerum & Verborum

INDEX

LOCUPLETISSIMUS.

Prior numerus Paginam, posterior Paragraphum significat.

A

Abbas, cum suo Conventu, 120, 8. Inter Proceres laicos numeratur, *ibid.*

Abbatissæ, olim non erant vitales, sed triennales, 121, 9. *in fine.*

Abbreviatura contractuum, pro perfectis contractibus recipiuntur, 214, 21. *fin.*

Abducens heredem infra ætatem existentem, aut minorem, ut jus maritationis domino eripiat, domino tenetur, & ulteriùs punitur, 413, 32.

Ablativi absolutè positi, in *Reddendo*, an inducant dispositionem, an conditionem? 204, 36.

Abolitio criminis cujuscunque, verbis, literis, aut factis fit, 130, 9. 498, 22.

Abstinendi potestas, à media jurisprudentia heredibus tributa, 208, 4. 312, 14. 354, 18.

Absentia malitiosa, aut dolosa quid? 481, 13.

Accidentalia feudorum, 63, 28. 220, 12.

Accursius quando vixit, 12, 11.

Acquisitio feudi duo requirit, vel quatuor, 191, 30 & 31.

Acquisitio feudi Ecclesiastici tria requirit, *ibid.*

Acquiritur nihil nobis per extraneam personam, nisi per procuratorem, aut si res nostro nomine agatur, & id ratum habeamus, 168, 3. per alios etiam acquirimus jure nostro, 169, 4.

A quo tempore feudum fuerit in manibus domini, vel alterius? octavum est caput Brevis, de morte antecessoris, ad quod ab inquisitoribus est respondendum, 361, 39.

Actio ad interesse datur primo investito, adversus dominum tradentem possessionem posteriori investito, 191, 30.

Actio pro abstractis multuris, 255, 10.

Actio ad migrandum competit dominis, sive fuerint in possessione fructuum à colonis exigendorum, sive non, ad eam recuperandam; etiam usufructuario, sive totius feudi, sive tertiæ partis, & assedationem vitalem habentibus, in tribus casibus, 271, 20, 21 & 22. Si dominus rebellis sit, est relaxandus ut actio competat, 272, 26. Hæc actio est hereditaria, ut est accessio rei immobilis, 272, 26. Aliquando competit non domino, 272, 27. 273, 28. Non competit, denunciante mortuo, executoribus denunciantis ad consequendam possessionem, sed ob fructus præteritos tantùm, 274, 30. Non competit assignato sive cessionario denunciantis, nisi idem sit & singularis successor, 274, 31. Hæc actio est mixta ex proprietate & possessione, adeò ut proprietarius possessor præferatur proprietario non possidenti, licet antiquiori, & jus melius prætendenti, 277, 38. Antequam hac actione agatur adversus jus hereditarium prætendentem, judicio rescissorio agendum est, 281, 12. Vide *Heres.*

Actio personalis ex charta, realis ex sasina oritur, 187, 18.

Actio transfertur, vel activè, vel passivè, 450, 7 & 8.

Actio rescissoria appretiatoris, quod mobilia bona non priùs appretiaverit, est inutilis, 450, 6. 454, 12. Vid. *Rescissorium* judicium.

Actiones pœnales ex delictis feudalibus competentes, an heredibus, & in heredes competant? 509, 13 & 14.

Actor an cogi possit actionem persequi, 145, 26.

Actornatus quis? & Actornatum quid? 239, 6. Vid. *Mandatum* generale.

Actus legitimus qualiter præstetur? 180, 3. 188, 23. 315, 25.

Actus publicus in omni sasina conficienda requiritur. Vid. *Sasinam.*

Ad fidem & pacem domini Regis decedere quid? & an de extraneo dici possit? 373, 24.

Aditio hereditatis fit non minus actu quovis exteriore, quàm si per retornatum quis deservitus esset, 227, 12.

Adiri hereditas potest quolibet tempore, nisi hereditas sit sub custodia, 387, 30. 389, 1. qui hereditati renunciavit ad eam adeundam iterum admitti potest, 459, 24.

Adire opponitur forisfieri, 463, 2.

Adjudicatio ad similitudinem appretiationis introducta est, 452, 8. 459, 23.

Adjudicatione generali creditori factâ, potest creditor, si quid speciale, sciz. feudum, prædium, aut usumfructum in hereditate invenerit, ex speciali libello Senatui oblato, petere ut illud in specie sibi adjudi-

adjudicetur, 459, 24.
Administratores Eccleſiæ per ſubſtitutum in militares operas tenentur, 81, 36. Quouſque eorum in re aliena gerenda poteſtas extendatur? 113, 33. 188, 21. 278, 1. An feuda acquirere poſſint in provinciis quas adminiſtrant? 132, 17. Non ſunt evictioni obnoxii, 207, 1. 278, 1.
Admiralli, ſive Thalaſſiarchi, officium in omnibus regnis, 154, 17. Suum etiam emolumentum atque fiſcum habet, 162, 42. 164, 46. 517, 10.
Adoptio videtur originem traxiſſe à jure Divino, & confirmari à LL. 12. Tabb. 313, 17. Adoptivi ſuccedunt patri adoptivo ut naturales, *ibid.* & 331, 6. Jure Feudali non ſuccedunt, 313, 17. 316, 30. Sed ſi pater voluerit, expedienda eſt in eorum favorem inveſtitura inter vivos, 316, 30.
Adulterium olim morte, ut ex jure Divino, puniebatur, 5, 10. Apud nos liberis cavetur, 132, 14. Apud Anglos non dirimit matrimonium, ſed tantum fit ſeparatio à thoro & menſa, 370, 18. Adulterini ſpurii qui? 365, 4. Adultera amittit trientem, 426, 35.
Advocatia dignitas quædam urbis, aut Eccleſiæ eſt, 73, 11. *fin.* Advocatiæ Feudum. Vid. *Feudum.*
Advocatur cauſa à Senatu ad Senatum, 381, 11.
Ædes omnes, exceptis fortaliciis, *Pertinentiarum* nomine veniunt, 201, 24. 251, 3.
Ærarium quid? 164, 46.
Æſtimationem feudi legati, an heres legatario, aut extraneo heredi præſtare teneatur? 177, 26.
Æſtimatio monetæ ſi creverit, quid faciendum in redemptionibus, 229, 17.
Ætas hominum variè ſumitur in jure, & uſu quotidiano, ut infantia, infantiæ & pubertati proxima, 394, 14. Pupillaris ætas, & minorennitas, 395, 15 & 16. Perfecta tam in mare, quàm fœmina eſt 21 annorum, 301, 14. 395, 17. In burgenſium heredibus, ſi mercaturam exerceant, quantum ad mobilia ſpectat, eſt cum primum numerare pecuniam poſſunt, & pannum duplicatum per dorſum metiri, 393, 9. *fin.* & 395, 17.
Ætatis ratio nunquam habetur in ſexto capite Brevis de morte anteceſſoris, niſi in militari feudo, 361, 37. 387, 30. Fœminarum ætas apud Anglos in ſoccagio & feudo militari, 361, 37.
Affectus, licet non ſequatur effectus, in delictis feudalibus jure Feudali punitur, 497, 19. 502, 29.
Affinitatis nulla ratio habetur in ſucceſſione, nec affinis affini ſuccedit, 332, 8.
Agnati collaterales heredes in feudo antiquo non obnoxii ſunt creditoribus hereditariis, licet in feudo ſuccedant, quia non ſuccedunt jure hereditario, ſed ex proviſione primæ inveſtituræ, & ſic non ex beneficio defuncti, ſed domini primi, 333, 10. 354, 16. 355, 19.
Agnatus proximus quis? 330, 1. Licet in numero ſingulari exprimatur, pluralitas tamen intelligitur, 331, 5.
Agnatorum hoc jus Parliamento Weſtmonaſterienſi contra omne jus faſque egregiè invaſum, 94, 27. 338, 4.
Agnati ſunt qui per virilis ſexus cognationem deſcendunt, 330, 3.
Agnatorum jus in antiquis feudis, 66, 36. ibi, *Quarta*, 172, 15 & 16. 174, 20. 177, 25. 264, 40. 299, 10 & 11. 352, 13. 435, 12. *fin.* 445, 35. 465, 10. 474, 33. 478, 1. 509, 15.
Agri limitanei apud Romanos, non erant feuda, 29, 9.
Airt and Pairt quid? 496, 19.
Alba firma quid? 70, 5.
Alea luſus apud boreales gentes, 25, 3.
Alienatio prohibetur à lege, teſtatore, vel judice, 110, 28 & 31. 142, 19. 143, 23. 292, 25.
Alienatio feudi, licet ei generaliter interdicatur, in quibuſdam tamen caſibus admittitur, 114, 35. 170, 8. 177, 25. 217, 5. 264, 40. 433, 9. 466, 11. 470, 22. 509, 12.
Alienatio & in feudum conceſſio ſunt idem, 144, 24. *fin.* 146, 30. 279, 5. 436, 14. 468, 18. 470, 22. ubi tamen differentia inter alienationem & ſubinfeudationem.
Alienans ſub reverſione præſtat evictionem, 207, 3. *fin.* & non poteſt rem imminuere, cum reſtitutioni ſit obnoxia, 257, 19.
Alienatio interdicta in ſimplici feudo, reſtringi poteſt ad certas perſonas, 217, 5.
Alienatio permittitur patri, non obſtante priore infeudatione in favorem prioris matrimonii, 327, 10.
Alienantis & alienationi conſentientis par eſt conditio, 443, 29.
Alienationis nomine in recognitione quid comprehendatur? 466, 11. 469, 19. 471, 24.
Alienatio, non inſecutâ traditione, nulla eſt, 471, 25. Licet ita vaſſallus feudo privetur, *ibid.*
Alienatio non prohibetur in eum qui eſt alioqui ſucceſſurus, 473, 29. Aut in ſubſtitutos feudi tallia-ti, *ibid.*
Alienatio ſtatuto vel conſuetudine permiſſa ſtrictè eſt accipienda, 474, 32.
Alienatio feudi apud Gallos permittitur, certis conditionibus, 474, 32.
Alienatio non permittitur in favorem Eccleſiæ, aut communitatis cujuſquam, 141, 16. 220, 13. 474, 34. Vid. *Mortificatio.*
Alienationis verbo, in jure protimeſeos, quid intelligatur? 479, 5. Locatio ad modicum tempus, id eſt infra 10 annos, cenſetur alienatio, & in jure prælationis locum habet, *ibid.*
Alienationis clauſula cum & abſque certificatione, 508, 12.
Alienigena qui? & an feudorum ſint capaces? 128, 4 & 5. 373, 24.
Allodium quid? & quædam ejus exempla, 40, 4. 62, 24, 25 & 26. 97, 36. 170, 6. 325, 4.
Alimenta non ſunt in commercio, 137, 7. 308, 2. Nec debentur ſpuriis nefariis, aut inceſtuoſis jure Civili; ſecus jure Canonico, 365, 4. 369, 14.
Alimentorum ratio ſemper eſt habenda, tam jure Civili, quam Feudali, ne heres egeat, 355, 20, 396, 18.
Alluvionis jus vaſſallo competit, 251, 2.
Altriæ familia, 151, 6.
Ambiguitas in contractuum verbis vitanda, 214, 22.
Amittitur feudum quot modis? 431, 3. Duo tantum ſunt modi feudi amittendi apud nos, refutatio ſciz. quam reſignationem dicimus, & delictum, 432, 6.
Amiſſionis feudi variæ à diverſis cauſæ, 462, 1. quidam arbitrio judicis committunt, 463, 4. Sed apud nos in committendo aut omittendo conſiſtunt, 464, 6. 506, 7. Et in his delictis 5 regulæ generales ſunt obſervandæ, 464, 7.
Amittitur feudum, cum deſinit ejus eſſe, cujus antea fuerat, 431, 1. Vel ex contraria utriuſque & domini & vaſſalli voluntate, vel ex culpa ſive delicto, 462, 1.
Amittendi feudi modus etiam eſt appretiatio, 448, 1.
Amittit feudum vaſſallus recuſando juſtitiam domino, 492, 11.

Amittitur nullum feudum apud nos ex cauſa vaſti, niſi expreſsè in inveſtitura feudali cautum ſit, ne deterioretur feudum, 496, 18. Secus jure Feudali, & apud Gallos, *ibid.*

Amittit feudum vaſſallus, ſi non ſolùm uxorem domini, ſed etiam ſi alias perſonas violaverit, 500, 26.

Amittit feudum vaſſallus, ſi quid fecerit quo honeſtè in curia domini ſtare non poſſit, 505, 3. *fin.* Aut ſi proditor alicujus fuerit, *ibid.*

Amittit feudum vaſſallus, ſi ſecreta domini dolosè prodiderit, 506, 5.

Amittit feudum vaſſallus, ſi filium ſuum, aut alium quempiam de familia dominum offendentem, noxæ non dederit, 506, 6.

Amittit etiam feudum vaſſallus ex clauſula illa generali, viz. *Si qua alia mihi juſta cauſa videbitur*, 507, 9.

Amittitur feudum ſi vaſſallus inſigniter offenderit in caput aliquod juramenti fidelitatis, 507, 9.

Amittit feudum vaſſallus, ſi dominum non fuerit comitatus in expeditione publica, 508, 10.

Amittitur dominium, ſive utile, ſive directum, ſi alteruter, altero invito, adeat alium judicem, 516, 6.

Angariarum & Parangariarum præſtationes quæ ſint? 152, 8 160, 33.

Anglia in expiationem regii reatus, Pontifici Romano mancipatur, 17, 6. 21, 15. 102, 6. 119, 5. Anglus in Scotia, & Scotus in Anglia eſt feudi incapax, per eorum ſtatutum quod 25. Edwardi III. factum eſt de ultra mare natis, 128, 5. 374, 26. cui ſtatuto par refertur ſtatuto noſtri Roberti Bruſſii, 129, 7.

Anglorum jus diverſum à nobis in locationibus, omnibus contractibus, & etiam in comparationibus rerum mobilium, ubi aliquid duobus, tribus aut pluribus conjunctim ſit locatum, diſpoſitum aut quovis modo acquiſitum, 198, 19.

Angli quomodo amiſerint feuda in Gallia? 292, 26. 301, 15. 493, 13. 496, 18. De eorum civilibus bellis propter jus ſucceſſionis inter Eboracenſem & Lancaſterum, 309, 4.

Anglorum dignitates non ſunt hereditariæ, id eſt, Ducis filius non ſit Dux, niſi à Principe impetraverit, 316, 29.

Anguſii Comitis familia, 200, 24. 321, 47.

Annalia feuda, vid. *Feudum.*

Anniverſaria quæ ſint? 92, 20.

Annonam & victualia intercipientium pœnæ, magiſtratibus burgi, ubi deprehenduntur, applicantur, 159, 28.

Annuum reditum hereditarium habens, non ſolum dicitur obiiſſe in feudo, ſed etiam gaudet privilegiis Baronis, 82, 37.

Annui reditus feudum triplex apud nos eſt, 82, 38. Idem apud Anglos, à Gallis ut videtur acceptum, 95, 30.

Annus à primo die Januarii quando inceperit? 242, 11.

Annus & dies à quo tempore currit, & cur dies addatur anno, 298, 5. 493, 12. 379, 2. Et prolongari poteſt, 299, 7.

Annus deliberandi, 354, 18. 451, 8.

Antichriſtus miſerè orbi Chriſtiano illudit, 89, 10. 117, 1.

Antiquum dominium & ejus tenentes quid? 92, 22.

Antiquus extentus quid? 360, 35. 384, 20.

Antiquum feudum, vid. *Feudum.*

Apocha generalis, in locationibus, non extenditur ad alia debita, 280, 7. *fin.* & trium annorum, libe-

rat ab omnibus præcedentibus, 508, 12.

Apoſtata eſt incapax feudi, 127, 2. 130, 10.

Apparitori, ſive officiario, in executione ſui officii credendum, 450, 6. 522, 22.

Appellationis jus, & ad quos appellandum, 44, 15. 515, 2. 520, 18. 524, 28.

Appretiatio quid? 448, 1. in ea quinque ſunt conſideranda, *ibid.* § 2. Non procedit, niſi ſubſit debitum, idque liquidum, 448, 3. 449, 5. ſit bonorum immobilium, non diſcuſſis nominibus, 450, 6. Inter quos procedat? 450, 7.

Appretiationi ſubjiciuntur omnes res mobiles & immobiles, 453, 11 & 12. etiam jura & ſervitutes, & etiam quod non eſt, 454, 13, 14 & 15. Reverſio etiam ſive conventionalis ſive legalis, 455, 15. Officium aliquod hereditarium, aut juriſdictio hereditaria, aut aliud jus ſervitutis in fundo debitoris, 455, 15. Appretiationis forma in procedendo, 455, 16, 17 & 18.

Appretiatione finitâ, ſententiâ extractâ, ſupplicatione Senatui oblatâ literæ impetrantur, quibus ſuperior mandatur hunc creditorem in vaſſallum recipere in locum prioris vaſſalli, eâdem formâ inveſtituræ, 457, 20. ubi advertendum an prædium quod appretiatur de Rege, an de alio ſuperiore teneatur, *ibid.*

Appretiatione dominium non minus tranſit à debitore in creditorem quàm in pura & ſimplici venditione: at debitori relinquitur aliqua ſpes, ex reverſione legali, quæ eſt 7 annorum, 458, 21 & 22. Et in tantum liberatur debitor, 458, 20. *fin.*

Appretiator, aut quicunque alius ab eo jus habens, qui jure dominii uti potuerat, fructus collegiſſe præſumitur, 458, 22. *fin.*

Appretiari non poteſt res incerta, & vix commodè univerſitas, ideo fit adjudicatio hereditatis jacentis, 459, 23.

Appretiationem inter & adjudicationem moribus noſtris differentiæ, 459, 24.

Aquilianæ ſtipulationis uſus apud nos, 198, 16.

Arbitrium boni viri quid? 275, 34. 507, 9. *fin.*

Arbitrum inter & Arbitratorem differentia, 469, 21. 483, 17.

Archiepiſcopus quis? 118, 4. Eligitur ab Epiſcopis, 121, 10. Qualiter locatio ei permittatur? 86, 5.

Arenæ fodinæ cum fundo tranſeunt, 258, 21.

Argentum purum quid? 158, 24.

Argentariæ poteſtas quid? 161, 36.

Armandiæ ſive Armaniæ vox quid? 152, 9.

Armiger quis? 89, 13.

Armorum uſus cur inventus? 2, 4.

Arrharum uſus, 214, 21.

Arrôliæ Comitis familia, 343, 19.

Arſenalia quid? 152, 9.

Arreragia, quid? 458, 22.

Artificia omnia nobilitatem extinguunt, 75, 16. *fin.* 109, 25.

Arvum eſt terra arabilis? 252, 4.

Aſſedatio unde? quid ſit? & aſſedatarii jus, 272, 23. 279, 2. & ſeqq.

Aſſedationes qui facere poſſint? 278, 1. Sunt ſtrictiſſimi juris, nec in aſſignatos aut heredes tranſeunt, abſque illorum mentione, 279, 3 & 6. 280, 7. *fin.*

Aſſedationes omnes dormire dicuntur durante warda, 273, 27. 434, 12.

Aſſedatione factâ à marito ejus feudi, cujus conjuncta inveſtitura uxori etiam competebat, mortuo marito, uxor removere poteſt colonum, quod etiam

am in Anglia obtinet, 276, 37.
Aſſedatione alicui & ejus uxori factâ & heredi expreſſo nominatim & ejus heredibus, vir aut uxor jus illius aſſedationis transferendæ non habent, ſed heres nominatus tantum, 277, 37. Aliud, ſi tantum heredibus indefinitè factum ſit; nam plenum jus utendæ vel abutendæ illius aſſedationis ad conjuges recuperatores pertinet, *ibid.*
Aſſedatio facta in 19 annos, ab eo qui tantùm habet poteſtatem faciendi ad 5, ne quidem ad 5 valet, 279, 1. *fin.*
Aſſedatio pro 19 annis, aut ad vitam, ſpecies eſt alienationis, 279, 5.
Aſſedatione duobus aut pluribus factâ, quid juris in variis caſibus? 279, 6. Viduæ factâ, virum ſuperinducere nequit, *ibid.* Quid ſi introitus incertus, aut in indebitum tempus? 280, 7. Semper tempus introitûs ſpectandum, potiùs quàm tempus aſſedationis faciendæ, 281, 11.
Aſſedatione qui ſe veſtit prædeceſſori ſuo factâ, id pro deſervitione in heredem eſt, 208, 6. 310, 5. 452, 8.
Aſſedatione aliquot annorum adjunctâ alienationi ſub pacto de retrovendendo, redemptione ſecutâ aſſedatio ad heredem, non ad viduam pertinet, 423, 26.
Aſſeſſor aliquando adhibendus, cui expenſæ & competens ſalarium debetur, 524, 27.
Aſſignatio non transfertur in heredes aut aſſignatos abſque illorum mentione aliqua, 72, 9. 217, 5. 218, 7. 224, 3. 272, 23. 279, 3. 280, 7. *fin.*
Aſſignatio ſit apud nos, ſed non apud Anglos; cedere tamen poteſt Rex ſuas actiones, 147, 31.
Aſſignatio facta pecuniæ in reverſione contentæ, nulla eſt, 229, 16.
Aſſignatus ex ea tantum numeratione, quæ in prima reverſione contenta eſt, terras redimet, neque poſteriorem obligationem tenetur agnoſcere, 229, 18.
Aſſignatio priùs inſinuata præfertur aliis, 226, 7. 230, 19.
Aſſignatus, ſive Ceſſionarius, idem eſt cum ſingulari ſucceſſore, 474, 31.
Aſſiſæ quæ dicantur? 154, 17. 517, 7. Licet ſententiam non proferant, reſpondent tamen, verum ſit necne? 520, 16.
Auctores librorum juris Feudalis, 35, 3.
Auctoritas juris Feudalis, 37, 7.
Auctoritas juris Canonici nulla, *ibid.*
Auctoritas juriſprudentum, 11, 6.
Auctoritas quando rectè interponatur? 444, 31.
Aucupationis jus cum feudo tranſit, 141, 17. 255, 13.
Augmentatio rentalis quid? & quomodo fieri poſſit in feudis Eccleſiaſticis? 125, 18.
Aureum ſeculum quid? 5, 10.
Aurum purum quid? & aureæ monetæ bonitas, 158, 25. Auri una uncia ejuſdem valoris eſt cum duodecim unciis argenti, 158, 26.
Auri, argenti, æris & plumbi fodinæ ad Regem pertinent, 258, 21.
Authentica conſtitutiones, 12, 9.
Autographum quodcunque ſine teſtibus in Senatu fidem facit, 225, 6.

B

Baculi ſive virgulæ traditio in reſignationibus quorſum? & an de neceſſitate interponenda ſit? 433, 8.
Balfurius inquirendus de patrimonio publico, 151, 7.
Balliſtri qui? 394, 10.
Ballivi ſeu Balliatus vocis etymologia, 72, 8. 186, 16. 210, 12. 238, 4.
Ban & Arierban quid? 290, 20. 295, 36.
Baneritus, ſive Banneritus, aut potius Baronettus, id parvus baro, 106, 17.
Bannito Princeps, non autem inferior quiſpiam, ſciens feudum concedens, eum natalibus reſtituit, 130, 9. Valvaſſor, aut eo inferior, non poteſt feudum dare Bannito, 150, 10.
Bannito, aut excommunicato domino, non licet vaſſallo alienare, ut excludatur recognitio, 472, 28.
Barratriam, modum eſſe amittendi feudi apud nos, 494, 15. Sed ejus pœnam Regi, non domino ſuperiori cadere, *ibid.* Quid ſit? & unde ejus nomen? *ibid.* Primum ad Eccleſiaſticos, & poſtea ad nobilitatem eſſe tranſlatam, 495, 16.
Barratriam apud nos hodie committere dicitur, qui feudum de Rege tenens, ſine jus licentia regno egreditur, 495, 16. An ſit cauſa amittendi feudi, an etiam crimen læſæ majeſtatis? *ibid.* Ejus pœna ad quas extendatur? 495, 17.
Barones olim erant, & dicebantur, Capitanei tribuum, 48, 2. *fin.* & 75, 17.
Baronis privilegium eſt habere heredem in mobilibus, 82, 37. 310, 7. Idem jus habent Barones in Eccleſiis ab iis dotatis, ac Reges, 146, 29. *fin.* Plerique etiam maritima poſſidentes jus ad Wreck habent, 163, 42.
Baronis nomen apud Ciceronem ſignificat quemque ſtupidum, ſtolidum aut fatuum, 105, 15. Unde nomen, & quid eo, olim, & nunc ſignificetur? *ibid.* Et quomodo inveſtiebatur? 180, 2.
Baro eſt qui gladii poteſtatem habet, 105, 16. 160, 35. 252, 3. 318, 32.
Baronia eſt nomen univerſitatis, 162, 41. 256, 15. Jus habens ſuos magiſtratus creandi, 160, 35.
Barones diſponunt de non-introitu ſuorum prædiorum, tam urbanorum, quàm ruſticorum, 386, 27.
Barones inter nullum diſparagium, 411, 25.
Bartolus quando vixit? 13, 11.
Baſtardi an feudorum capaces ſint? 132, 16. 369, 14. Tales jure heredem habere non poſſunt, 351, 12.
Baſtardiæ ratione, feudum ad Principem devolutum non retinet Rex, ſed novum vaſſallum domino præſentat, 133, 18. 150, 5. 201, 26. 352, 12. 510, 16.
Baſtardiæ inter Regalia numerantur, 150, 5. 369, 15.
Baſtardo, aut majeſtatis damnato, Rex non ſuccedit ut ultimus heres, 351, 12.
Baſtardo Rex ſuccedit in omnibus feudis tam de ſe quàm de aliis tenentibus, & in mobilibus, jure coronæ, 351, 12.
Baſtardus ſucceſſionis paternæ jure Divino non eſt capax, 365, 3. Jure Civili, & Imperialibus conſtitutionibus, in duabus unciis, ſi non ſint liberi legitimi, ſuccedit, 365, 5. 367, 10. Jure Normanniæ, & totius fere Galliæ, ſuccedendi capax non eſt, 369, 14.
Baſtardis pater aut mater ſuccedit, ut illi his? 366, 6.
Baſtardus reſcripto Principis legitimatus, jure feudorum non ſuccedit, ſecus ac legitimatus per ſubſequens matrimonium, 366, 7.
Baſtardus apud Anglos non ſuccedit, licet per ſubſequens

quens matrimonium legitimetur: quod diversum ab omni jure Divino & humano; & hoc in publicis regni comitiis Westmonasterii habitis, invito tàm populo quàm clero, à nobilibus factum est, ne inquinaretur eorum sanguis, 366, 8. Licet spurios aliquando loco legitimorum habeant, 372, 20.
Bastardiæ exceptio apud nos remittitur judici Christianitatis cognoscenda, 367, 9. 425, 32. Intra sex menses finienda, 367, 10.
Bastardus, licèt succedere non possit, titulo tamen venditionis acquirere feudum, & de eo liberè disponere, nisi in lecto ægritudinis, potest, 358, 13 & 14. Apud nos feudum à patre bastardo concessum valet, secus apud Gallos, *ibid.*
Bastardo pater ex mobilibus, vel testamento, vel inter vivos, aliquid donare potest, nisi sit ex damnato coitu natus, 369, 14.
Bastardi sibi invicem succedunt, iisque omnes quos ex justis nuptiis susceperunt: at iis decedenti Bus sine liberis Rex succedit, & omnia eorum mobilia fisco jure coronæ cadunt, si testamentum non fecerint; at feuda ad dominum redeunt, 369, 15.
Bastardus habet testamenti factionem; si non fecerit, & uxorem habeat, ea dimidium habebit, & reliquum fisco cedet, qui optimum ex quaque specie consequetur, tanquam ultimus heres, 369, 16.
Bastardo, aut de bastardo natis, non competit jus protimeleos, 480, 6.
Bastardi, nisi legitimentur, aut cum iis dispensetur, nec dignitatibus frui, aut judiciariam aliquam functionem exercere possunt, 370, 16. *fin.*
Bassum jus, apud nos parvi æstimatur, 197, 14. 227, 11 & 13. Neque inquisitores, neque dominus tenentur illud agnoscere, 361, 38.
Belgarum maxima nobis injuria, piscando in nostris maribus, 140, 13. 256, 14.
Bella unde orta? 3, 6. 7, 13. *fin.* Bellum justum quid? 287, 12. Belli inter Francum & Anglum origo, 292, 26. 301, 15. Bellis Anglorum civilibus Gallia amissa, 309, 4.
Beneficium à Principe concessum quomodo interpretandum? 66, 34.
Beneficiorum omnium superior est Rex, 122, 11. *fin.*
Beneficia duo habens, suffragia duo habere debet, 122, 13.
Beneficia conferuntur præsentatione, collatione, & institutione, 182, 6. *fin.* 191, 31.
Beneficia collata continere debent modum vacationis, 201, 26.
Beneficiorum unio quid? 245, 18.
Beneficii resignatio, seu abdicatio, nisi in manibus mandantis, aut superioris acceptantis, nihil operatur, 436, 14.
Beneficiis in Ecclesiasticis, si patronus, qui jus præsentandi habet, unum ordinario præsentaverit, & postea alium, quis præferendus? 436, 17.
Bernegarii Diaconi Andegavensis abrenunciatio veritatis, urgente concilio Lateranensi, 138, 8.
Bisset de Lessindrum familia, 510, 15.
Bladum quid? 255, 10.
Blancum feudum, vid. *Feudum.*
Bluidwit quid? 261, 31.
Bohemiæ regnum, ut feudum apertum defectu heredis, rediit imperio, 352, 12.
Bona quæ immunitatem habent à præstatione vectigalium, 155, 19. Vid. *Proprium.*
Bonæ fidei esse quid sit? 65, 33. 284, 1.
Bonorum appellatione apud Romanos tam immobilia quàm mobilia comprehendebantur, 173, 17.
Bona caduca vel confiscata non fiunt patrimonialia, 165, 48. de quibus Rex solus, aut ejus concilium generale judicat.
Bona fides, ex decursu temporis jure requisiti, & domini patientia præsumitur, 171, 10.
Bona & facultates privatorum, quoutque non in dominorum, sed in eorum qui eas acquisiverant operâ vel pecuniâ suâ, sint potestate? 174, 18.
Bonorum possessores, apud nos generales successores, qui sint? 208, 5.
Bona vacantia, quæ sunt tantum mobilia, ad Regem pertinent, 159, 30.
Boneri de Rossy familia, 496, 18.
Boreales gentes feudorum semina jecerunt, 25, 3. 88, 8.
Bothna quid? 254, 10.
Bràia quid? vid. *Curialitas.*
Brasinæ, sive *Breweria*, antiquitus in feudis exprimi solebant, aliàs eas exercere vassallus non potuit, 259, 25.
Brevia testata in usu fuisse his 500 annis in locis meridianis, 185, 13, 186, 16. 193, 2. Non sufficiunt ad probationem investituræ sine testibus, 188, 23. 357, 25. Vid. *Cartam.*
Breve in usu apud Anglos, quo citatur debitor ut ad diem certum pignus redimat, aut ex eo die jus pignoris ad creditorem decerni videat, 234, 29.
Brevia necessaria, cum dominus renovationem feudi recusat, 305, 25. Aut hereditatem aditurus heres, 356, 22.
Brevium origo, & vocis definitio, 357, 24 & 25.
Breve de dissasina quid? ubi multiplices eorum formæ apud nos, sed quæ omnes exoleverunt præter sex, 357, 25.
Brevium usus frequentissimus apud Anglos, eorumque formæ supra 140 habentur; à quibus ad nos pervenerunt, *ibid.*
Brevis nobilissimi de morte antecessoris explicatio, 358, 26. Si patrimonium heredis sit in diversis territoriis, judicibus delegatis Breve dirigitur, *ibid.*
Brevis capita pro deservitione viduæ in triente duo sunt, primum de quibus terris maritus obiit sasitus, secundum an ea quæ petit sit legitima ejus uxor, 424, 27. *fin.* 425, 31.
Brussium inter & Baliolum controversiæ causa, 326, 8.
Burgus in quo consistat? 80, 31. Est inter Regalia, ideoque non transit cum territorio, nisi sit expressa ejus mentio, *ibid.* Apud Anglos unius tenementi sasina pro aliis in eodem burgo sufficit, 245, 17. Est nomen universitatis, 386, 26. Burgi sunt vel Baroniarum regalium, vel regalitatum, 386, 26 & 27.
Burgorum servitia, 80, 31.
Burgalibus in feudis, heredis personæ custodia ad materni generis proximum cognatum pertinet, 392, 6.
Burgale vel Burgagium feudum. Vid. *Feudum.*
Burgi de Innerkeithen tenor, 80, 31.
Burgagium apud Anglos, species est soccagii, 92, 19.
Burgis omnibus reservantur sua jura vel consuetudines, *ibid.* & 97, 36.
Burgorum res aut bona, ne quidem cum consensu civium alienari, aut ultra triennium locari possunt, sine consensu Regis, 141, 16.
Burgalia feuda apud Anglos testamento disponi possunt, 143, 21. 177, 27. 248, 28.
Burgi ipsi suos creant magistratus, 160, 35. 163, 44. *fin.*
Burgorum quidam sunt, qui jus Vicecomitatûs intra suos

ſuos fines habent, ut Edinum & Pertha, 358, 26. Burgenſium etiam quædam inter ſe dignitas, ut non poſſint niſi per Burgenſes judicari, 411, 25.

C

Cæco feudum dari non poteſt, 130, 10 & 11. 132, 15. 375, 29 & 30. 431, 4.
Cædes Noachidarum tempore morte puniebatur, 5, 10.
Caduca, 128, 4 & 5. 141, 16. 159, 30. 165, 47. 332, 7. *fin.* 351, 11. 369, 15. 373, 24. 509, 15.
Calcis fodinæ cum fundo tranſeunt, 258, 21.
Cambium, ſive Excambium, vid. *Permutatio.*
Cameræ feudum, vid. *Feudum.*
Canæ nomine quid intelligatur? 79, 28. 360, 33.
Canone per triennium non ſoluto, feudo privatur vaſſallus, 204, 34. 506, 7. 508, 12.
Cancellariæ & ſaſinarum uſum Jacobus I. ad nos ex Anglia traduxit. 186, 18. 238, 2. 306, 26. 439, 21.
Cancellariatûs feudum, vid. *Feudum.*
Cancellaria Regis perſonam ſupplet, 305, 25. 358, 26. 362, 41.
Capitanei qui? 34, 2. 48, 2. *fin.* 75, 17. 101, 2. 106, 19. 110, 26. 515, 3. 517, 9.
Capita Brevis de quibus inquiſitores cognoſcunt in Brevi de morte anteceſſoris; & quibus omnibus reſpondendum, aliàs retornatus non admittitur, nec præceptum de ſaſina capienda dirigitur, 359, 29.
Capituli conſenſus, 120, 7. 122, 13. 124, 17. 196, 13.
Capitulum an mortuo Prælato feudare poſſit? 123, 16. Habet adminiſtrationem tàm in temporalibus, quàm ſpiritualibus, in iis quæ ſunt nudæ tantum adminiſtrationis, *ibid.* Sede vacante judicat in cauſis ad Capitulum pertinentibus, 520, 17.
Capiendo ſecuritatem, contentum eſt in mandato Regis Vicecomiti de ſaſina danda heredi retornato, 362, 41.
Capti ab hoſtibus diſponere nequeunt, 115, 38.
Carbones, aut carbonarii an ex diſpoſitione feudi vaſſallo cedant? 256, 17. 396, 19. Carbones ſubtus fundo maris effoſſi ei cedunt cujus ſolum eſt mari proximum, licet inter Regalia numerentur, 258, 20.
Carboniana poſſeſſio quid? & an ei locus apud nos? 363, 44.
Carceris duritie oppreſſus, nihil cum effectu agit, 172, 12.
Carceris ſqualor, olim apud majores noſtros erat pro ſolutione debiti, & ulteriùs non procedebant creditores: hinc orta eſt auctoritate Senatûs licitatio, 450, 5.
Cardinalium collegio electio Pontificis invito Imperatore tributa eſt, 20, 15. Cardinalis etymologia, dignitas, officium, atque poteſtas: collegium eorum eſt Capitulum univerſalis Eccleſiæ, 119, 6.
Carolovingorum familiâ extinctâ, Capetorum familia regnum Francorum capeſſit, quæ in feudis lege ſtatuit, ut ſucceſſio in primo gradu perpetua eſſet apud Gallos, 29, 11. 104, 12.
Carta, Athelſtani ante Conquæſtorem, 40, 4.
Cartæ nomine leges intelliguntur, 42, 10. Aut Breve teſtatum, 181, 4. 185, 13. 186, 16 & 18. 193, 2.
Cartam à domino qui habet de prædio, nec tamen inveſtitus eſt, apud Anglos precarius tantùm poſſeſſor dicitur, 85, 3.
Carta & ſaſina ſeparata diverſa producunt jura, at utraque ſimul ſumpta unicum conſtituunt infeofamentum, 187, 18. 436, 17.
Cartæ virginis uſus præferendus ſpiſſioribus membranis, 194, 5.
Cartæ forma olim ſimpliciſſima, 194, 6.
Cartæ forma per indenturam rara apud nos, 195, 7. ſed frequentior apud Anglos, 195, 8.
Cartæ forma apud nos quo antiquior eo ſimplicior, abſque conditionibus aut clauſulis irritantibus, 195, 9.
Cartæ aliæ ſunt diſpoſitionis, aliæ confirmationis, & eæ rurſus vel primariæ, quas originarias dicimus, & per reſignationem, *ibid.* & 211, 16.
Carta originaria apud nos octo potiſſimum continere debet, 195, 10.
Cartæ à minoribus Principibus conceſſæ revocationi ſunt obnoxiæ, 195, 11.
Cartâ, aut diſpoſitione à pluribus factâ, obſervandum, ne incertitudo aliqua ſit unde deſcendat dominium, 197, 14.
Cartis, quæ originales ſequuntur, inſeri ſolent quæcunque in primo infeofamento continebantur, 201, 26.
Carta continere debet modum quo res diſpoſita ad dominum pervenerit, ſciz. ſi originaliter diſponat, ſufficit ſi dicat ſe diſponere terras ſuas; ſi alienas, dicat, *Totas & integras illas terras quæ aliquando fuerunt W. R.* & per reſignationem, baſtardiam, ſive foriſfacturam in manus ſuas pervenerunt, 201, 26.
Cartæ ſunt etiam warrantiæ, in quibus hæc clauſula adjicitur (*& hoc in ſpeciale warrantum terrarum de H.*) 201, 27.
Cartæ prima pars *diſpoſitiva* dicitur, & quod non eſt in hac parte, non eſt in diſpoſitione; & licet in alia parte de ea ſit mentio, non tamen cenſetur diſpoſitum, *ibid.* & 202, 29.
Cartæ clauſula, *cum domibus, ædificiis, boſcis, planis*, &c. magis exegetica quàm neceſſaria eſt, 202, 30.
Cartis extantibus, neceſſe non eſt producere præceptum ſaſinæ poſt 40 annos, 211, 12.
Cartis extrema clauſula eſt ſubſcriptio & ſigillum concedentis, cum annotatione diei, menſis, anni, & teſtium qui intererant, 211, 13.
Cartæ confirmationis duplices ſunt, una de vaſſallo diſponente tenenda, ubi ejus effectus, 211, 16. Alia de ſuperiore tenenda, 212, 17. Forma cartæ confirmationis, 212, 18. Eædem in ea ſolennitates adhibendæ, quæ in cartis originariis, *ibid.* Saſinæ etiam (ſi aliqua data fuerit) confirmationem continere debet, 212, 18. Cavendum ne medium aliquod impedimentum inter cartam confirmatam & ſaſinam intercedat, quod confirmationem cum confirmato conjungi prohibeat, 212, 19.
Cartæ confirmatio ſemper in vita concedentis eſt obtinenda, 213, 19. At nihil intereſt quo tempore confirmatio interponatur cartis emphyteuſeon Eccleſiaſticarum, cum ea non fiat ex neceſſitate juris, ſed ex ſpeciali ſtatuto trium ordinum, idque à Rege, non tanquam ſuperiore, ſed qui in Rom. Pontificis locum ſuffectus eſt, *ibid. fin.*
Cartæ omnis effectus tantummodo eſt nudum pactum, niſi traditione veſtiatur & perficiatur, 209, 7. 213, 20 & 21.
Cartæ ſi qua inſit ambiguitas aut obſcuritas, quomodo ea explicanda? 214, 22. Ab ea abeſſe debet omnis raſuræ ſuſpicio in aliquo capite ſubſtantiali, 215, 23. Ea eſt regula & norma ſaſinæ, 246, 19.

Caſtaldus quis? 72, 8. 104, 13. Caſtaldiæ feudum, vid. *Feudum.*
Caſtalguardia quid? 90, 14. Caſtrum aut propugnaculum nemo in regno extruere poteſt, ſine Regis licentia, & Rex caſtrum concedendo cum terris, tantum cuſtodiam, aut Caſtalguardiam conceſſiſſe intelligitur, *ibid.*
Caſtro conceſſo conceditur etiam juriſdictio, 252, 3. Arma etiam & bellica inſtrumenta, & annona pertinentiarum nomine veniunt, 264, 39.
Caſualitates Regiæ ultra triennium locari nequeunt, 279, 2.
Catallorum nomine quid ſignificetur? 42, 10. 85, 2. 369, 16.
Cathedralis Eccleſia, ſi laicum patronum habeat, ejus conſenſus cum Capitulo accedere debet in feudando, 122, 11. Quæ ſit Eccleſia cathedralis? 123, 16.
Cauſæ favorabiles quæ ſint? 94, 25. 95, 28. Cauſa conjuncta etiam eſt favorabilis, 301, 15.
Cauſa quid ſit? 353, 15.
Cautio præſtanda ab uxore conjunctè inveſtitâ intra 40 dies, 418, 12. Et ab uſufructuaria, 421, 21. *fin.* Et à domino wardæ, 402, 39.
Cavenæ feudum, vid *Feudum.*
Cenſus nomine quid comprehendatur? 125, 18. Si is minuatur, emphyteoſis Eccleſiaſtica non valet, *ibid. fin.*
Cereviſiæ uſus pervetuſtus, & apud multas gentes receptus, 260, 25.
Ceſſionarius non niſi declaratoriâ præcedente ad appretiationem, vel alias actiones, procedere poteſt, 273, 27. *fin.* 450, 7.
Citandus dominus trina denunciatione, ſi vaſſallus contra eum agat, 178, 28 *fin.* Quibus diebus citandus ſit vaſſallus? 491, 10.
Citationes in certum diem ita fieri debent, ut alter dierum ſit liber, 226, 9. In præmonitione ad migrandum 40 dies debent eſſe integri, 267, 2.
Citationis intervallum apud nos relinquitur arbitrio judicis, licet intervallum ſeptem dierum fiat ex jure Pontificio, decem dierum ex jure Civili, 492, 12. Aliquando tribus edictis non eſt opus, 493, 12. *fin.* 518, 11.
Citatio ad faciem quid, & ad habitationem, quâ in multis adhuc utimur? 521, 21.
Citatione duplici utimur coram Senatu, in iis actionibus ubi teſtes ſunt producendi & examinandi, 521, 21. Citatio etiam fit ad crucem foralem burgi, 353, 15. Quare inventum ſit hoc remedium? 521, 21. Citationis vetus mos in burgis, 522, 22. Ea ſolennitatem teſtium requirebat, *ibid.* Citatus debitor ſi non comparuerit, actor mittitur in poſſeſſionem, *ibid.*
Civitas quid, & ejus origo? 2, 3. Gaudet privilegiis minoris, 444, 30. Cives qui? 2, 4. Eorum privilegia, 128, 4. 373, 24. Civibus onera imponentibus fatalia contigerunt, 153, 16. Civitas quæcunque ſuum habet fiſcum, 164, 46. Invita alienari non poteſt, 295, 35. Cives habent heredes in mobilibus, 310, 7. Civi an civitatem ejurare permittatur, 155, 20. 294, 32. 433, 9.
Civitas acquirit bona etiam neque per poſſeſſionem, aut ſaſinam apprehenſa, 444, 30.
Cives civitatis præſentes jurant fidelitatem domino, 284, 2. Civitas non amittit feudum ex delictis, ut alius vaſſallus, 499, 23. 508, 11. Civitas qualiter delinquat, & qua pœnâ puniri debeat? 508, 11. Recognoſcens ſuperiorem, alteri ſe ſubjicere ſine conſenſu domini non poteſt, 512, 22. non moritur, nec heredem habet, 81, 36. In feudum data ſuas habet pertinentias, 264, 39.
Clamores, Clamei, Clamantes, & Clamati, 357, 25. 488, 2.
Clandeſtinæ matrimonia, 372, 21.
Claudo ineptè conceditur feudum curſoris, 77, 20. 132, 15.
Clementinarum libri origo, 19, 11.
Clerici qui? 117, 2. Eorum mulctæ non fiſco ſed pauperibus applicantur, 159, 27.
Clericatus an ſit impedimentum ſucceſſionis, 372, 22. Vid. *Juriſdictio.*
Clericus ſecularis feudi, tam novi quàm antiqui, capax eſt, 131, 11.
Clericorum maxima perfidia poſt pugnam apud Flowdoun, 122, 12. Licet eorum maxima debeat eſſe fides, 91, 18. 191, 30.
Clericus an feudum accipere, & per ſubſtitutum ſervire poſſit? 131, 11. 372, 22.
Clerici non poſſunt in laicum judicem conſentire, 516, 5.
Clericus omnis, vel Scriba, debet eſſe Notarius, 521, 20.
Coactio per *cornu*, auctoritate Senatûs, jure fit intra tempus arbitrio Senatûs limitatum, 436, 16.
Cockburni de Ormiſton familia, 213, 20.
Codex Theodoſianus & Juſtiniani, 12, 8.
Cognatio computatur ad ſeptimum gradum. Alii ad decimum extendunt; Feudiſtæ diſtinguunt, 332, 7. 351, 11.
Cognati conſortes præferuntur in jure protimeſeos, 485, 21.
Cohabitatio diuturna filium legitimum eſſe, ſed matrimonium fuiſſe non præſumit, 371, 19.
Collaterales quando primò admittebantur ad ſucceſſionem in feudis? 28, 8. 30, 12. 332, 10.
Collatio ad tranſitum exercitûs, inter Regalia numeratur, 160, 34.
Collectæ ſunt vectigalia perſonalia, ſeu ratione perſonarum impoſita, 153, 15. Non ſolum à Principibus, ſed etiam ab inferioribus aliquando imponuntur, 155, 20. Et inter Regalia majora numerantur, 163, 44. 433, 9, 10 & 11. In æſtimatione collectæ tria occurrunt quæ quæſtionem movere ſolent, *ibid.* & 155, 20.
Collectas quis ſolvat, propietarius an conductor? *ibid.*
Collegii liciti ſi quis ſine herede decedat, ejus pars non ad fiſcum, ſed ad collegium pertinebit, 159, 27.
Coloni officium, 86, 5.
Colonus domini conditionem in prædio invertens, à locatione cadit, 86, 5. 275, 36.
Colonus vi ſcripti ingredi poſſeſſionem poteſt apud Anglos, ſecus apud nos, 86, 5.
Coloni duplices ſunt, inquilini vel coloni propriè ſic dicti, 267, 2. Colonus contumax citandus eſt ad 6 dies, 269, 7. 271, 15. Colonus verus quis? 277, 37. 282, 13.
Colonus contumax cavebit de fructibus violentis, 269, 8. 277, 38.
Colonorum ſæpe fraus in denunciationibus ad migrandum intervenit, quæ omnimodo inveſtiganda ne veris dominis præjudicent, 276, 36.
Colonus poſſeſſionis cauſam ex conducto habens, poſtea dominium acquirens, non poteſt poſſeſſionem hanc ſupervenienti titulo aſcribere, ſed primo cedere poſſeſſionem illi à quo habuit, & dein de dominio agere debet, *ibid.*
Si colonus aſſedationem ſuam in extraneum tranſtulerit, aut ſilvas domini vaſtaverit, cadit à ſuo jure, 279, 3.

Colonus dominus factus ſub reverſione, redemptione facta excluditur ab aſſedatione, quia idem & dominus & colonus eſſe non poteſt, licet ſecus in uſufructu, 280, 7.
Colonus variis pactis defenditur, ne removeatur, 281, 11. Etiam tacitis, *ibid.*
Colonus cogi poteſt exhibere ſuas aſſedationes, 281, 13.
Columba & columbaria, 259, 23. Qui habet ſex acras terræ columbarium habere poteſt: at in Gallia cuique licet ſi vel aream columbarii habeat; aliter in Normannia, *ibid.*
Colvill de familia de Eaſter-wemyſs, 322, 47.
Comites apud Tacitum qui? 32, 6. In jure erant adminiſtratores, & pro varia atque diverſa adminiſtratione varia ſibi aſſumebant nomina, 103, 12. Comitatûs dignitas jure Feudali ad heredes non deſcendit, licet apud nos & Anglos Comitis primogenitus nomen retineat, 316, 29.
Commendatio ſola à Pontifice Principibus pro præſentatione relicta eſt, 20, 15.
Commerciorum ratio, 4, 6.
Commiſſarii Edinburgenſes, qui & judices Chriſtianitatis vocantur. Unde ſubjectum juriſdictionis eorum, 21, 16, 17, 18 & 19. 23, 24. Semper reprobant pactum legis commiſſoriæ, 234, 29. Quod continet conditionem in favorem creditoris, 235, 30. Qui etiam mitiorem partem plerumque ſequuntur, 451, 7. *fin.* Vid. *Carboniana poſſeſſio*, & 422, 24.
Commiſſariis propriè legitimationis quæſtio competit, 367, 9.
Communia an diſtinguat agros ejuſdem dominii? 245, 16.
Communia omnium feudorum, vid. *Feudum.*
Communis paſtura quid? 262, 33.
Communia in quibuſdam caſibus dividi nequit, niſi conſenſu omnium in communione, 263, 35. 264, 41.
Communionis bonorum effectus, 416, 5.
Compromittere in arbitrum an vaſſallo ſine conſenſu domini liceat? 264, 40. 469, 21. 483, 17.
Conatus jure Feudali idem eſt ac ſi in actum ſit deductus, 502, 29.
Concilium Lateranenſe, 138, 8.
Concubina domini an idem reſpectus debeatur ac uxori? 501, 28. Inter concubinam domini laici & Eccleſiaſtici diſtinguitur, *ibid.*
Conditionem aliquando ſignificant hæ voces, *meus, tuus, ſuus,* 200, 23.
Conditio feudi ſemper debet eſſe certiſſima, 80, 29.
Conditio hæc, ne quis feudum alienet, pro non adjecta habetur apud Anglos, 142, 21. 217, 5.
Conditiones cartis inſertas, *Proviſiones* dici, & duplices eſſe, tacitas ſive legales, & expreſſas ſive conventionales, 216, 3 & 4. 239, 5. Conditionis tacitæ definitio, & exempla, *ibid.* Conditionis expreſſæ ſive conventionalis exempla, 216, 4.
Conditiones irritantes locum habent apud Anglos, & nos, ſed declaratoria judicis opus eſt apud nos, 216, 4.
Conditio, ne vaſſallo liceat rem ei conceſſam alienare, in feudo ſimplice pro nulla habetur, 217, 5. At in feudo militari valet, *ibid.*
Conditio hæc, ne alicui liceat rem ſuam alienare in feudo talliato, an cum conſcientia pugnet? 218, 6.
Conditiones in favorem tam dantis quàm accipientis, vel utriuſque, 216, 4. 218, 8.
Conditiones fideicommiſſariæ in feudis, 219, 9.
Conditiones aliæ poſſibiles, aliæ impoſſibiles, de jure & de facto, 219, 10.
Conditiones, quæ prohibent quod jus permittit, quales ſint? *ibid.* Conditio ſi feudum domino aperiatur, aut ſi ſine liberis decedat, 219, 11. Conditionibus his affinia ſunt pacta quæ feudis apponuntur, 220, 12. Vid. *Pactum.*
Conditionatum feudum, vid. *Feudum.*
Conductio rei ſuæ nulla eſt, nec ex ea jus proprietatis tollitur, 276, 37. 280, 7.
Confeſſio domini, ſe ſaſinam alicui dediſſe, non ſupplet defectum ſaſinæ, 241, 8.
Confirmatio Regalis in emphyteuſibus Eccleſiaſticis neceſſaria eſt, 126, 20. 146, 29.
Confirmatio Pontificis unde? 121, 10.
Confirmatio ſuperioris neceſſaria eſt, ubi cartæ vel diſpoſitiones ſunt de eo tenendæ, 190, 29. 212, 17. 508, 10.
Confirmaſſe verbum in cartis, apud Anglos, magni æſtimatur, 198, 18.
Confirmatio ſuperioris vel maxime neceſſaria eſt, ad excludendam recognitionem, 211, 16. 475, 35. 476, 36. 508, 10.
Confiſcatio pœna eſt non ſoluti vectigalis, 154, 18. Inceſtarum nuptiarum in certis caſibus jure Civili, cui & apud nos mors ſuperadditur, 159, 31. De proprietate rerum confiſcatarum, vid. 164, 47.
Confiſcata bona non fiunt patrimonialia, 165, 48.
Conjunctæ perſonæ inveſtitura, propriis manibus facta ſimulatâ præſumitur, 185, 14. Vid. *Filius.*
Conjunctâ inveſtiturâ alicui & ejus uxori factâ, ſi maritus aliquam ejus partem aſſedaverit, eo mortuo, & colono in poſſeſſione exiſtente, uxor tamen eum removere poteſt; idem in Anglia, 276, 37.
Conjuncta inveſtitura reſolvitur in uſumfructum, 294, 34. 416, 5. Quid ſit? 415, 4. 417, 8. Ejus differentia ab uſufructu communi, 416, 5. De ea regula generalis, ut intelligatur quis proprietarius, quis uſufructuarius, 199, 21. 416, 6. 417, 6. *fin.* Diverſitas juris Anglorum in hac re à noſtro, 417, 7. Nullæ tales apud majores noſtros fuerunt, ſed ex proviſione legis viduis proviſum, 417, 8.
Conjuncta inveſtitura ex conventione partium legem accipit, 417, 9. Niſi fiat expreſsè in compenſationem trientis, vidua etiam eam habebit, *ibid.* Ejus nulla utilitas uxori, ſtante matrimonio, 418, 10. Immunis eſt ab oneribus, niſi aliter convenerit, *ibid.* Fieri poteſt de quolibet tenemento, urbano vel ruſtico; ſed conſultius eſt de militari concedere, 418, 11. Conjugibus conceſsâ in feudo quod reverſioni eſt obnoxium, ſi redemptio ſequatur, poſt mortem mariti uxor de evictione aget contra mariti heredem. Si uxor alienationi ſub reverſione conſenſerit, & mortuo viro heres redemerit, uſusfructus ei redintegrabitur, 419, 13. 423, 26.
Conjuncta inveſtitura niſi ex voluntate ſuperioris non fit, 382, 14. 419, 14. Stante hac conjunctâ infeudatione, ac matrimonio, vir nihil de feudo alienare poteſt, ſine conſenſu uxoris, 419, 15 & 16.
Conjuncta inveſtitura obnoxia eſt annuis reditibus pendi ſolitis de terra ſuæ infeudationis, ante inveſtituram impoſitis, 421, 20.
Conjugum alterutro mortuo intra annum & diem, quid juris? 421, 23 & 24. 426, 34. *fin.* 427, 36. *fin.*
Conquæſtus quid? 74, 13, 14 & 15. 79, 26. 335, 17. Apud Normannos & Gallos teſtamento diſponi poteſt, 143, 21. Quilibet de conquæſtu liberè

berè disponere potest, 145, 27. 175, 22. 177, 27. 180, 1. *fin.* 232, 25. 332, 10. 334, 16. 351, 10. Angli à nobis differunt in successione in conquæstu, 335, 17. 515, 4. Conquæstus inter sorores, 335, 18. Ad proximum ex materna linea devolvitur, si nemo sit ex parte patris; sed in successionibus materna linea non attenditur apud Anglos, sed ad dominum redit, 43, 14. ibi, *Conquæstus*, 350, 9. Jus accrescendi in conquæstibus apud Anglos obtinet, 198, 19.

Consanguineorum fratrum successio, 331, 5.

Consanguinitatis privilegia, 478, 2.

Conscientiæ forum, 45, 21.

Consensus Capituli non inducitur emendicando suffragia aut subscriptiones; licet secus nonnunquam sit apud nos, 122, 14. 212, 17. 466, 11.

Consensus & confirmatio æquiparantur, 146, 29. *fin.* 212, 17.

Consensus domini an necessarius in acquisitione aut constitutione feudi novi? 178, 28. 212, 17. 466, 11.

Consensus uxoris quomodo mariti facto interponatur in suum damnum? 142, 20. 419, 16.

Consensus domini necessariò requiritur in resignationibus in favorem, 435, 13.

Consensus uxoris apud Anglos, stante matrimonio, est omnino irritus, 421, 20.

Consentiens alienationi rei suæ, an à dominio ejus cadat? 442, 29.

Consensus quando interponendus? 444, 31. 466, 11.

Consensus patris liberè tenementarii, licet possit renovare feudum, non tamen sufficit absque consensu filii in feudo existentis, ad excludendam recognitionem, 472, 28.

Consensus proximi agnati olim requirebatur in alienationibus feudi, 474, 33.

Consensus generalis alienationi non extenditur ad illicita, 474, 34.

Consensus specialis domini, ut vassallo liceat certæ personæ, aut certam partem feudi alienare, quid operetur? 474, 34.

Consensus tacitus domini, ut vassallus alienet, an sufficiat ut excludatur recognitio? 466, 11. 475, 34.

Consequentiâ, æque ac expressis verbis, aliquid ex jure fit, 379, 2. 491, 10.

Consignationis locus, si nullus convenerit, 204, 37. 224, 4. 226, 9. 235, 31. *fin.* Ejus forma, 228, 14. Et quando fieri possit? 493, 12.

Consignandum quid in redemptione legali? 231, 24.

Consignatione factâ, consignator suam pecuniam recipere potest, nec videtur à præmonitione recessisse, modò paratus sit eam Senatui repræsentare, 231, 24.

Consilium quid? 444, 31. De consilio, nisi fraudulento, jure Civili nemo tenetur, 286, 8.

Constabularius quis? 104, 12.

Constitutiones Principum pro legibus, 11, 5.

Constitutionis Græcæ de jure protimeseos tenor, 485, 21.

Constantini donatio, stultæ pietatis zelo facta, damnatur, 145, 28.

Constituitur feudum tribus modis, præscriptione, investiturâ, & judicis declaratione, 179, 1.

Consuetudinis (cujus nulla ratio, nisi memoriam hominis excesserit) apud Anglos à præscriptione differentia, 45, 18 & 19.

Consuetudo, licet antiquissima, nunquam tamen sequenda, contra jus proprium scriptum, 51, 14. 321, 47.

Consuetudo optima interpres juris scripti proprii, 51, 14.

Consuetudines feudales sunt locales, 52, 16. 66, 36. 77, 21. 92, 19. 177, 27.

Consuetudo majorum nostrorum in alienationibus & traditionibus, 237, 1.

Consuetudo unius gentis non sufficit ad tollendum id quod omnium consensu introductum est, 256, 14.

Consuetudo admittens fœminas succedere, intelligenda est, si non sint masculi, 325, 3.

Conterminus sive contiguus ager quid? 245, 15.

Contractus unde? 2, 4. 4, 6. 5, 10. 50, 8.

Contractûs bonæ fidei, & stricti juris, ut inter se differant? 65, 33.

Contractus aut dispositio feudalis non valet apud Anglos, nisi inseratur libris publicis Concilii Westmonasterienſis, secundum statutum Hen. VIII. aut in libris Comitatûs, 95, 30.

Contractus omnes inter patrem & filium initi, præsumuntur simulati, 131, 12. 208, 5.

Contractuum obscuritas aut ambiguitas unde solvenda? 214, 22.

Contractus simulatus quis? 483, 17.

Contractus cum potentioribus, non minus sunt suspecti, quàm qui dolo aut fraude fiunt, 484, 19.

Contractus feudalis quiddam in se divinum continere videtur, 506, 6.

Contumacia rei quid, & ejus effectus? 522, 23.

Contumacia vassalli quomodo punienda? 491, 10. 493, 12. 522, 23.

Conventio Statuum in Scotia, olim vice Parliamentorum, 50, 10.

Conventionalis pœna peti nequit ultra id quod interest, 205, 37. Secus tamen speciali Senatûs acto, *ibid.*

Conventio, quâ dominus suâ auctoritate fundum ingredi potest, 217, 4.

Copieholds apud Anglos quæ? 93, 24. 441, 25.

Corona domini Regis, pro sasina est, 151, 7. 164, 47. 254, 7 399, 25. Vid. officium *Coronæ*.

Corrodium quid? 441, 26.

Corvagium quid? 89, 12.

Cranston (Domini de) familia, 362, 42.

Crawfurdiæ Comitis familia, 376, 32.

Creditor, auctâ æstimatione nummorum, pecuniam creditam recipere non cogetur, cum non sit ejusdem valoris cujus erat cum crederetur, 157, 22. Creditoris pars est favorabilis, 455, 14.

Crichton de Innernytie familia, 292, 25. 496, 18.

Cretæ fodinæ cum fundo transeunt, licet non exprimantur, 258, 21.

Criminis reus si resignationem fecerit, ea dubii eventûs est, 445, 33.

Cucurbitare quid? 500, 26.

Cuniculariæ cum cuniculis, à tempore cujus non extat memoria possessa, retinenda sunt à vassallo, 259, 22.

Curatoris furiosi, & ejus qui prodigo datur, magna est differentia, 111, 28. Curator bonis datus quis apud nos? 347, 2.

Curatores quomodo eligendi? 393, 8. Curatores ad lites à judice dantur, 393, 9. In pluribus curatoribus, unus pro alio fidejubere potest, *ibid.* Curatorum nulla auctoritas in hærede maritando, ideo de necessitate non sunt citandi à domino in forma requisitionis, 411, 24.

Curialitas est ususfructus à lege constitutus, 59, 11. 87, 7. 308, 2. 382, 15. 398, 24. 415, 3. 427, 40. Ejus origo ex jure Civili, ob reverentiam prioris

prioris matrimonii, *ibid.* In quantitate differt à triente; in reliquis congruunt, 427, 41. Non competit nisi mulier sasita fuerit, & delatam hereditatem agnoverit, & maritus ex herede vivam prolem susceperit; 428, 42. Non-introitum, wardam & relevium impedit; obventiones tamen non lucratur maritus, ut in conjuncta infeudatione, 398, 24. 428, 42. Obtinet in vidua, atque virgine; secundo etiam viro post mortem primi, in qualicunque feudo, franco, militari, aut burgensi, sive heres fuerit cum nupsit, aut constante matrimonio hereditas supervenerit, 428, 43. Maritus eodem modo satisdare debet ut alii usufructuarii, 428, 44. 454, 13. Quomodo curialitas in appretiatione æstimanda? *ibid.*

Curtis quid? 69, 3. Curiæ jus qui habeant? 107, 21. 188, 24. 261, 30 & 31. 290, 18. 470, 23. 515, 2.

Custodiæ jus juris feudalis est, 47, 2. Et mortuo domino ad heredes domini pertinet, 91, 18. Eâ durante omnes assedationes silent, & eâ finitâ restituuntur, 207, 3. 230, 20. 397, 19. Vid. *Wardam.*

Custodia oritur domino per decessum sui vassalli, 308, 2. Alia est personalis, 391, 5. Alia feudalis, 394, 12. In maribus ad 21 annum, in fœminis ad 14 tantum durat, 390, 4. 397, 21. Ejus diversitatis ratio, *ibid.*

Custodia non debetur domino, nisi quando vassallus, qui de eo immediatè tenet, decedit, 399, 28.

D

Damnatorum bona quibus applicentur? 159, 28 & 32. 445, 33.

Data cartæ, vera aut falsa; & de omissione diei & anni in instrumento, 211, 14. 244, 13.

Decanus, vacante sede, sustinet locum Capituli in spiritualibus tantum, 123, 16. 520, 17. Itaque in cognitionibus causarum pro Prælato non sufficit, *ibid.*

Decanus & Capitulum supplent defectum Prælati apud Anglos, 124, 16.

Debitor licet sit in custodia, proceditur ad licitandum, 450, 5. Debitoris pars est odiosa, 455, 14.

Decemviri apud Romanos quando creati? 10, 3.

Decimæ in feudum post Concilium Lateranense dari non possunt, 125, 17. Cum sint in patrimonio Christi, 138, 8. Quomodo earum jus in Scotia & Gallia introductum sit? 138, 9. Non sunt juris Divini, *ibid.* Decimæ garbales quæ sint, & unde dictæ? 139, 10. Aliæ à garbalibns in feudum aut emphyteusin concedi non possunt, locari tamen possunt pro spatio 19 annorum, *ibid.*

Decisiones Rotæ, 20, 14.

Decisionum in banco regio quis sit auctoritas? 45, 20.

Declaratoria ex denunciatione priùs obtinenda, si colonus contumax fuerit, antequam aut res suas, aut novum tenentem, inducat dominus, 269, 7. 271, 16.

Declaratoria juris, in multis causis necessaria, 304, 19. 209, 8. 217, 4. 223, 3. 228, 14. 269, 7. 273, 27. 280, 7. 304, 19. 350, 8. 377, 32. 381, 10, &c.

Declaratoriâ opus est super rescissionem juris hereditarii, antequam denuncietur ad migrandum, 281, 12.

Declaratoriæ super non-introitum varii sunt effectus, quoad tempus præteritum, 385, 22. Et quoad tempus futurum, *ibid.* 23.

Declaratoriâ judicis semper opus est in omnibus delictis quæ privationem feudi inducunt, 507, 9. 512, 22.

Decreta Principum, 11, 5.

Decreti Gratiani origo, 18, 8.

Decretalium Epistolarum liber, 18, 9.

Dedisse & Concessisse, Vendidisse & Assignasse, verbis in chartis quid significetur? 198, 18.

Defectus personæ non est causa amittendi feudi, ne quidem si ex nativitate procedat, 431, 4.

Defectus in statu, non est propriè causa amittendi feudi, 432, 5.

Delegati Pontificis, 146, 29.

Delegati judices in executione Brevis de morte antecessoris qui sint? 358, 26.

Delictum patris filium successione privat, 377, 32.

Delictum augetur ratione loci, 501, 26. Delictum delicto pensatur, 501, 28.

Delictum quodcunque spatio 30 annorum præscribitur, 509, 14.

Delictum commissum in personam administratoris Ecclesiastici, ab eo remitti potest, 509, 14. Si in ipsam Ecclesiam, aut in corpus Ecclesiæ, sine consensu Capituli non potest remitti, *ibid.* Delictum Prælati in vassallum eum directo dominio privat, 512, 22.

Delictum unius in feudo talliato an alteri in ordine nominato præjudicet? 511, 20.

Demonstrativè hæ voces *meum, tuum, suum*, aliquando accipiuntur, 200, 23. vid. *Conditionem.*

Denunciatus ad cornu, feudum acquirere potest, 128, 2. 130, 10. 272, 26. 376, 31.

Denunciatio, quæ præmonitio in redemptionibus vocatur, 226, 9. Semper debet fieri possessori hereditario, 227, 13. 232, 24. *fin.*

Denunciationis forma, 228, 14.

Denunciato minore aut rebelle existente, consignatio facienda est, *ibid.*

Denunciatio in actione ad migrandum, 40 dies integros ante ferias Pentecostes facienda, 267, 2. Ejus forma apud majores nostros, 268, 4. Hodie in usu est in prædiis rusticis & urbanis, 268, 4, 5 & 9. 271, 16. Fieri debet in fundo prædii, & die Dominico ad ostium Ecclesiæ parochialis, 269, 6.

Denunciatio ad migrandum à piscatione salmonum fieri debet 40 dies ante 15 diem mensis Augusti, 269, 9.

Denunciatio ad migrandum in quibusdam casibus necessaria non est, sed judicio legitimo opus est, 269, 11. A turribus & fortaliciis removendi sunt vassalli ex præmonitione 6 dierum, 271, 17.

Denunciatione factâ distinguendum inter colonos, 277, 37.

Denunciare specialiter subtenentibus necesse non est, 271, 16. At principali colono non monito, subtenens removeri nequit, 275, 36.

Denunciatio expirat, si non intentetur actio super ea intra triennium, 271, 19.

Denunciationem producere non cogitur dominus, adeptâ possessione, 271, 19.

Denunciatio extinguitur, si terræ appretiatæ fuerint, & proprietarius jus suum renunciaverit, 277, 38.

Denunciatione ad cornu, mobilia debitoris omnia in fiscum rediguntur, cum onere debiti, 449, 4.

Denunciatio in appretiatione fieri debet ad crucem foralem præcipui burgi, in eo districtu, ubi bona sita sunt, 455, 16.

Denun-

Denunciatio poteſt eſſe vel particularis, vel generalis, ſed hæc hodie magis eſt in uſu, 456, 17. Sub præmonitione 15 dierum fieri debet, & inſinuanda eſt debitori, vel perſonaliter, vel ad locum habitationis, *ibid.*

Denunciatio in jure protimeſeos quid? 480, 7. Quomodo & intra quod tempus facienda? 485, 21.

Denunciatio perſonalis, & ad locum habitationis quid? 480, 9. 521, 21. An requiratur, ubi eſt ſcientia? 481, 9.

Deportato feudum dari nequit, 130, 10.

Deſcendentes numerantur ad ſeptimum gradum, alii ad decimum extendunt, 331, 7. 351, 11.

Deſertio ſervitii dominici, aut domini in bello, vaſſallum feudo privat, 499, 23.

Deſignatio accipientis & cedentis, tam nomine quàm cognomine in cartis, aut diſpoſitionibus fieri debet, & deſignatio falſa dolosè facta obligat deſignantem, ne ſuo dolo lucretur, 197, 14. 198, 19. 201, 25.

Deſignatio partium contrahentium, atque teſtium neceſſaria eſt, 244, 14. 246, 20.

Deſuetudo ſtatutorum in Anglia nulla, 50, 9. Sed apud nos obtinet, vel in totum, vel pro parte, *ibid.*

Deveſtire quid? 35, 2. 181, 3.

Deus Opt. Max. primus auctor juris ſcripti, operâ Moſis amanuenſis ſui, 7, 13.

Deus Opt. Max. eſt dominus ſuperior omnium terrarum & ditionum terreſtrium, 100, 1. 129, 8. 173, 16.

Dictum probroſum privat vaſſallum feudo, 502, 30.

Dies non ſemper pro homine interpellat, 87, 5.

Dies 40 vaſſallus inſtructus in exercitu cum domino manere debet, 90, 14. 290, 20.

Dies certus ſi non ſit in reverſione conſtitutus, ſi tamen convenerat in communi forma concedendam reverſionem, vel ſi non ita convenerat; vel ſi præmonendus extra regnum ſit, quid faciendum? 226, 9.

Dignitas feudi militaris, 80, 29.

Dignitatum feuda ſunt indiviſibilia, 77, 21. 318, 32. An ſit ſucceſſio in dignitatibus? 162, 41. 220, 12. 316, 29.

Dignitas Eccleſiaſtica eſt electiva, 121, 10.

Dignitatis nomen eſt dividuum apud Germanos, 77, 21. 110, 26. *fin.* Olim vitalis tantùm erat, 162, 41.

Diſclamatio etiam competit domino adverſus vaſſallum, 93, 23.

Diſclamatio unde, & quid ſit? 488, 2. Rationes pro ea, *ibid.* Locum habet ſi partem tantum feudi neget vaſſallus, & ex certa ſcientia fiat, *ibid.*

Diſclamationis alterius conſcius, etiam diſclamationis reus eſt, 488, 2. 489, 5.

Diſclamationi an locus ſit ex negatione extrajudiciali, 489, 3.

Diſclamationis reus vaſſallus fit, ſi conditionem feudi negaverit, 489, 3.

Diſclamationis forma, 489, 4.

Diſparitas generis & ſanguinis obſervanda in jure maritationis, 411, 25. Item ex ætate & corpore ejus qui quæve offertur, 411, 26 & 27. Arbitrio Senatûs permittitur, 411, 28. Ab herede tempore oblationis alleganda, 412, 29. *fin.*

Diſpenſare videtur qui promovit incapacem, 130, 9.

Diſpenſatio ætatis quid? 390, 2.

Diſſolutiones patrimonii annexi inventæ maximo Principum malo, 150, 5.

Diſtinctiones in ſcientiis cur inventæ? 59, 13.

Diſtrictus quid? 69, 3. 261, 31. 264, 39.

Diſtringere poteſt dominus vaſſalli bona, ſed non niſi ea quæ ſunt in domini territorio, & iis deficientibus ipſum feudum haſtæ ſubjicere, 385, 22.

Diviſibile feudum, vid. *Feudum.*

Diviſionis causâ res litigioſa alienari permittitur: aliàs illicitum eſt, 145, 26.

Diviſio eſt cauſa favorabilis, 264, 41. Quomodo fiat jure Civili, Canonico & noſtro? *ibid.*

Doli intervenientis effectus, 265, 42. Dolo poſſidere deſinens pro poſſeſſore habetur, 277, 38.

Dolo aut fraude abeſſe quid ſit? 482, 13. Dolus nemini prodeſt, *ibid.* & 483, 17. Doli capax eſt pubertati proximus, 395, 15. Dolus dolo penſatur, 464, 7.

Dominii vox eſt homonyma, 57, 9. Dominium quid? Et dominus quis, *ibid.* 197, 14. 360, 32. 415, 4.

Dominii dichotomia, 57, 9. A Cujacio reprobata, 58, 10. Abſque ratione, 59, 12.

Dominium directum in feudo ſemper retinetur, 56, 7. Quid ſit? 58, 11. 61, 20. 78, 23. 360, 32. Eſt indiviſibile apud nos, 290, 18. 472, 28. Et ſemper remanet apud dominum, 436, 14.

Dominus ſuperior ſemper in charta eſt exprimendus, 61, 21.

Dominium finitum & infinitum quid? 62, 25.

Dominus in vaſſallum habet ordinariam juriſdictionem, 67, 36. ibi, *Sexta*, 128, 5.

Dominus antiquiſſimus eſt Rex, 107, 21. 304, 21.

Dominicum quid? 88, 8. 125, 17. 126, 20.

Dominus rei, in dominio ejus transferendo, poteſt quas vult conditiones annectere, & prohibere ne extra familiam alienetur, 143, 21.

Dominus & vaſſallus in feudis penè æquiparantur, 170, 8. 174, 19. 294, 33. 295, 35. 434, 9. 512, 21.

Dominus quid ſi feudum à vaſſallo pro annua mercede conducat? 189, 25.

Dominus ſemper vaſſallo tenetur de evictione, licet non exprimatur, 63, 27. 147, 30. 206, 1. 207, 3. Vid. *Evictio.*

Dominium, niſi ab uno, & ex una cauſa, transferri non poteſt, 197, 14.

Dominus vaſſallum mutare, ex alieno arbitrio, ſine conventione non tenetur, 212, 17. 232, 25. Secus in Gallia, 212, 17. 295, 37. 435, 13. 436, 14.

Dominium utile conſequitur vaſſallus quam primùm ſaſitus eſt, & omnes inde utilitates fundi, 251, 1. 264, 39, 40 & 44.

Domino ſuperiori ex rebellione per annum & diem competit uſusfructus amiſſus, & non Regi ratione coronæ, 272, 26. Et declaratoriâ opus eſt, *ibid.* & 273, 27. *fin.* 290, 17. 507, 8.

Dominus antiquior ſemper in beneficio prior, 289, 16. Et præſumitur exceptus in juramento, 77, 19. 101, 1. *fin.* 304, 21.

Dominus ad quæ obligetur vaſſallo ſuo? 54, 2. 284, 1. 294, 33. 512, 22.

Dominus ſuperioritatem adire debet, ut de eo vaſſallus teneat, 294, 34.

Dominus ſi moriatur, attamen annus currit vaſſallo petenti renovationem, 298, 5.

Dominus immediatus, ſive major ſive minor, pubes ſive impubes, mas ſive fœmina, ſolus feudi renovationem concedere poteſt, 302, 16. Item, fœmina in conjuncta inveſtitura, marito mortuo; & liberi tenementi dominus, *ibid.*

Dominus ſuperior ejuſve ſucceſſor, ſive univerſalis

ſive ſingularis, minimè tenetur renovationem feudi vaſſallo petenti concedere ſi feloniam commiſerit, 303, 19.

Dominis duobus de directo dominio contendentibus, poſſidenti præſtanda eſt fidelitas; & ei tantum, non filio, vivo patre, niſi vi coactus vaſſallus fuerit, 305, 21. Nec filio reſignatio eſt facienda, 436, 14.

Domino recuſante renovationem feudi vaſſallo petenti concedere, remedium vaſſallo ex Cancellaria quæritur, 305, 25. 357, 22. *fin.* 379, 2.

Domino aperitur feudum ſi deficiant heredes vaſſalli, 351, 11. Et retinere poteſt, ſi lis oriatur de feudo inter heredes, donec decidatur, 352, 12. *fin.*

Dominus ſi ideo non intraverit vaſſallum, quòd de dominio directo non ſit ipſe inveſtitus, poteſt ex ſummonitione 40 dierum à vaſſallo moneri ut intret: ſi monitus moriatur antequam intret, in eadem cauſa eſt vaſſallus, quoad fructus, ac ſi ſuperioritatem dominus agnoviſſet, 357, 22.

Dominus Regalitatis, ſi extra regni fines ſit, poterit citari ex prænonitione 60 dierum, ut Brevia ex ſua regalitate dirigat pro intrando vaſſallo, alioqui Senatus poſt diei lapſum poteſt dirigere, ut hic qui petit ex Regalitate intret per Brevia ex capella Regia, 294, 34. 357, 22.

Dominus directus in inquiſitione ſemper eſt declarandus, 360, 32.

Dominus an ſine cenſûs præteriti ſolutione, teneatur vaſſallum inveſtire? 362, 43.

Dominus cuſtodiam heredis habebit, donec ab herede homagium acceperit, 399, 25.

Dominus, finitâ wardâ, & ſine juſta cauſa heredem inveſtire recuſans, herede per Brevia retornato, ei tenetur ad intereſſe, non ſecus ac ſi violens eſſet poſſeſſor, 399, 25.

Dominus ſuperior pro relevio diſtringere poteſt colonorum bona, pro quibus compenſatio à domino ſuo eſt facienda, 401, 36. Retinet etiam feudum exactâ cuſtodiâ, donec de ſimplo vel duplo maritationis ei ſatisfiat, 410, 22. 412, 30.

Dominus, ſi ante legitimam ætatem vaſſallum heredem copulaverit, conquerentibus propinquis & amicis, ſeparari poſſunt conjuges, & dominus omni commodo maritationis privatur, 412, 29. Si quis domino eripiat jus maritationis tenetur ad intereſſe, 413, 32.

Dominus, ſi vaſſalli heredem inveſtierit, non videtur à jure maritationis receſſiſſe, 413, 32.

Dominium in jure non amittitur, niſi alteri acquiratur, 437, 17. 440, 22.

Dominium in quibuſdam caſibus ſine traditione tranſfertur, 444, 30.

Dominus poſt annum & diem heredi vaſſalli inveſtituram concedens, remiſiſſe ex jure pœnam, & omnem animi offenſionem videtur: non tamen illius temporis fructus, quo feudum in non-introitu erat, 494, 14. Item in recognitione, *ibid.*

Dominus contra quem peccatum eſt ſi præmoriatur, ſuperſtite vaſſallo qui feloniam commiſit, an ſilentio eam remiſiſſe videatur? 509, 14.

Dominorum in vaſſallos delicta varia, & eorum effectus, 511, 21. Iiſdem ex cauſis dominus peccando in vaſſallum dominio directo feudi privatur, quibus vaſſallus dominio utili ejuſdem delinquendo in dominum, *ibid.*

Dominus dominium directum oppignerare poteſt, ſine vaſſalli conſenſu, pro modica ſumma: ſecus, ſi pro magna, cujus luendæ non eſt ſpes, ne pro venditione habeatur, 512, 22.

Dominus vaſſallo jurare non tenetur, *ibid.*

Domino permittitur alienatio dominii directi, modò vaſſalli ſui conditionem non faciat duriorem, 174, 19. 295, 35. 512, 22. Aut ſi ſimul cum toto territorio illud diſtrahat, 512, 21.

Dominus Ballivos creare ſolet, qui jus dicat ſibi & inter convaſſallos, 520, 16.

Dominus immediatus ſemper judex eſt in cauſis inter ipſum & vaſſallos ſuos jure Feudali & uſu noſtro, 381, 11. 520, 16.

Dominus & pares quando ſint in mora judicandi? 520, 18.

Dominus & vaſſallus ſi invicem contra ſe agant, cauſa vaſſalli priùs eſt terminanda, 522, 24. Dominus de calumnia jurare non tenetur, *ibid.*

Domino licet agere, vaſſallo negligente, ne feudum deterioretur, *ibid.* Dominus ſuam ſententiam executioni mandare poteſt, 524, 28.

Domus Dei eſt titulus libri, à D. Edwardo Angliæ Rege conſcripti, 93, 22.

Donatio revocatur ob ingratitudinem, 62, 23, 463, 3. 482, 15.

Donatio eſt ſtricti juris, 65, 33. Inter virum & uxorem eſt revocabilis, 115, 38.

Donatio, quâ feudum acquiritur, unde beneficii nomen meruit, eſt duplex, 169, 5.

Donatione mortis causâ vaſſallus feudare non poteſt, 172, 14.

Donatio quid majus in ſe habet traditione, 182, 5.

Donans ſi quid arte aut dolo fecerit, eatenus de evictione tenetur, & jure communi, & apud nos, 206, 1.

Donatarii non-introitûs jus, 380, 7.

Donatario wardæ idem incumbit, quod domino ipſi, 402, 39.

Donatio non obnoxia eſt juri protimeſeos, nec alii contractus ultimarum voluntatum, 482, 16.

Dotes olim aut nullæ aut raræ erant, 324, 2. 417, 8.

Dotis & donationis propter nuptias exæquatio, 143, 21. 145, 26. 421, 23.

Dotare filiam non poteſt vaſſallus toto feudo, aut maximâ ejus parte, licet aliquot annorum fructus aſſignare poſſit, 469, 18.

Draco primus Athenienſium legiſlator, 8, 15. 309, 4.

Dubitans an pro ignorante habeatur? 298, 5. 480, 8. 489, 3.

Ducis exercitûs origo, 3, 6.

Ducis nomen non patrimonii, ſed muneris, ſive adminiſtratoris potiùs, 103, 10. 162, 41. 515, 3.

Duello res litigioſæ olim decidebantur, 46, 24. 104, 13. Ei ſubjectus, cenſetur in lecto ægritudinis, nec præjudicare heredi poteſt, 115, 38. 519, 11.

Dunbar de Cumnock familia, 500, 25.

E

E *Boracenſem* inter & Lancaſterum contentio, 309, 4.

Eccleſia in Abrahami familia, 5, 10.

Eccleſiaſtici Imperii duo fulcra, 18, 7. Eccleſiæ per 72 annos ſchiſma, 19, 11.

Eccleſiaſticum feudum, vid. *Feudum.*

Eccleſiaſticis interdicitur bellare, niſi per ſubſtitutum, 81, 32. 90, 14. *fin.* 288, 16. Et conducere, niſi pro ſuſtentatione familiæ, 87, 5. *fin.* 131, 11. Sed feudare poſſunt cum conſenſu patroni, 124, 17. 125, 17. Et feuda accipere, 117, 1. 131, 11.

Eccleſia matrix, 123, 16.

Eccleſiæ cauſa eſt favorabilis, 94, 25. 202, 28. 438, 17. 444, 30.

Ecclesia ipsa, in Ecclesiastico feudo, est vera Regis vassalla, 80, 32. Sed multum Principi præjudicatur hisce feudis, 82, 36. 92, 21. 220, 13.
Ecclesia, post 40 annorum decursum, non tenetur de jure suo docere, 92, 21.
Ecclesia prioribus seculis solis eleemosynis alebatur, sed postea & fundos & prædia recepit, 117, 1. 131, 11. Quæ juribus & privilegiis Ecclesiæ gaudent, 136, 5. 138, 7.
Ecclesiastici qui? 117, 2. Ecclesia patronata quæ? 120, 7. Necessariò adhibet consensum Patroni in feudando, *ibid.* & 121, 11.
Ecclesiasticæ personæ minores quæ sint? 121, 11. Tales feudare non possunt, nisi patronum habeant, *ibid.*
Ecclesia semper minor est, 125, 18. An ea feudando, sine consensu Prælati vel Capituli, meliorem suam conditionem facere possit? 126, 19. 128, 3. 444, 30.
Ecclesiasticæ res, licet alienari nequeant de jure Civili, in perpetuam tamen emphyteusin dari possunt, 137, 5 & 6. 146, 29.
Ecclesiasticis in feudis constitutum est, apud nos, ne successores de evictione teneantur, 206, 1. Non-introitus in iis locum non habet, 386, 28.
Ecclesiasticis in feudis salutationis clausulæ in chartis præmittitur nomen concedentis, 196, 12.
Ecclesiis pastores providere quibus competat? 385, 23. 396, 18. 416, 5.
Ecclesia utitur jure communi, 408, 14.
Ecclesia acquirit bona, neque per possessionem, neque per sasinam apprehensa, 444, 30.
Ecclesiam non permittitur vassallo subinfeudare, 471, 23.
Ecclesia ex delicto feudali non amittit feudum, 80, 32. 508, 11. 512, 22.
Ecclesiastici tantùm olim rei Barratriæ, 495, 15.
Ecclesiastica in causa feudali quis judex? 520, 17.
Edicta Principum, 11, 5.
Edictum admonitorium, citatorium, conventionale, & peremptorium, 492, 12. 518, 11.
Edictis pluribus citatoriis aliquando non est opus, 493, 12. 518, 11.
Edini civitatis speciale privilegium est, ut eorum, qui cædis in burgo damnati sunt bona civitati accrescant, 159, 28. & ut fiscum suum habeat, 164, 46.
Ejectionis actio, 293, 30. 357, 25.
Electio Pontificis, vid. *Pontifex.*
Electores Germaniæ septem, 76, 19. In eos committitur crimen læsæ majestatis, 160, 32.
Electio in regnis & sibi & aliis plurima mala adfert, 309, 4.
Electio unius ex pluribus heredibus, domini vel vassalli, ad concedendam vel recipiendam renovationem investituræ cujus sit? 303, 17 & 18.
Eleemosynarium feudum, vid. *Feudum.*
Elephantiasis impedit successionem, 375, 28.
Emphyteuseos origo, 56, 6. 61, 19. 88, 8. 94, 24. 470, 22. Si ejus tenor sit ad politiam regni augendam, & emphyteuta vastum fecerit, à feudo cadit, 508, 12.
Emphyteuta est dominus, 57, 10. 59, 12. Et emphyteusis species feudi, 170, 8. Ejus successor renovationem investituræ petere debet, 249, 28. Quod antiquitùs non cogebatur facere, 386, 25.
Emphyteuses omnes terrarum Ecclesiasticarum, specialibus trium ordinum statutis, debent à Rege ratificari seu confirmari, 126, 20. Et emphyteuses monasteriorum speciali acto prohibentur, *ibid.* In emphyteusibus semper est causa onerosa, 206, 1.
Emphyteuseos extentus non est diversus novus ab antiquo, 361, 36. 472, 27.
Emphyteuta vendere volens rem emphyteuticam, tenetur primo offerre domino, 478, 2.
Emphyteuta canonem solvere debet intra biennium, ne nulla sit emphyteusis, 508, 12. In Ecclesiasticis inhospitalitas causa est amittendæ emphyteuseos, *ibid.* vid. *Canon.*
Emptio hodie est modus acquirendi feudi vulgatissimus, 169, 6.
Emptio & venditio quibuslibet legibus & pactis fieri potest, 233, 28.
Episcoporum fidei quantum credatur apud Anglos? 91, 18.
Episcopus quis? 118, 4. A quibus elegatur? 121, 10. Cui velit gratificari potest in præsentatione, 436, 17.
Episcopi nomen unde? 120, 7.
Episcopus Cathaniæ ferventi aquæ injectus, ob tyranicam decimarum exactionem, 139, 9.
Escheta unde? 150, 5. Regi competit ut Regi, & ut domino superiori, 257, 18. 272, 26. 273, 27. *fin.* 289, 17. 396, 18. 421, 21. 422, 25. 449, 4. 507, 8.
Essentialia omnium feudorum, 61, 20, 21, 22 & 23. 220, 12. Essentialia pactis abesse non possunt, 63, 27. *fin.* 66, 35.
Etymologia argumentationem producit, 54, 1. 161, 36. Variæ opiniones circa etymologiam feudi, 54, 2.
Eucharistia nefariè perversa, 19, 11.
Evictio apud Anglos præstatur à domino, licet vassallus nullam ab eo habeat chartam, 93, 23.
Evictioni obnoxii non sunt consentientes, si non sint & disponentes, 197, 14. 206, 1. 443, 29.
Evictio non competit ex causa lucrativa, sed onerosa, 198, 18. 200, 23. *fin.* 206, 1 & 2. 207. 3. Evictio non competit adversus administratores, tutores, aut curatores, nisi quatenus quid receperint, 207, 1. Evictio aliquando non præstatur, licet exprimatur, 207, 2. Evictionem præstat qui vendidit sub reversione, & sic de periculo futuro tenetur alienans, 207, 3. *fin.*
Evictionis actio personalis est, & datur tantum contra concedentem & ejus heredes, 208, 4. Quid singulare in reali actione evictionis, 209, 8.
Evictioni an quis obnoxius esse possit, contra fidem pacti? 209, 9.
Evictioni nemo obnoxius est ex aliquo novo statuto, nisi ità convenerit, 204, 35. 210, 11. Princeps feudum concedendo de evictione non tenetur, 66, 35. 210, 10.
Evictio quomodo præstetur, rescisâ forisfacturâ, 210, 10.
Evictionis actio non competit emptori, contra venditorem rei redemptioni ex jure protimeseos obnoxiæ, 482, 14.
Executioni mandare sententiam quis possit? 524, 28.
Exceptiones competentes colonis ne migrent, sunt vel ex forma denunciationis, titulo denunciantis, aut quòd forte actor in judicio stare nequeat, ob rebellionem aut excommunicationem, si habeat assedationem quorundam annorum, 275, 33 & 34. 278, 1. 280, 8. Si servitia in assedatione contenta aliorum terminorum post denunciationem, domino requirente, præstiterit: secus si sint officiosa, 275, 34. Si colonus habeat satisfactionem à domino promissam, pro nativa sua sede, & satisfactio vel conferatur in tertium aliquem, aut boni viri

ri arbitrium, *ibid.* Cujus pacti probatio, si plurium annorum, scripturam; si unius tantum anni sit, testes requirit, 275, 34. *fin.* 280, 10. Si partem unam à qua migrare monetur, pro indiviso cum alia parte occupet, quæ replicâ divisionis factæ, aut separatæ possessionis eliditur, quarum hæc testibus, illa scripturâ probatur, 275, 35. Si colonus cui denunciatur possessionem ab alio habeat, qui non est monitus aut citatus, si excipiens probet illum alium fuisse in possessione, quem sic actor ignorare non potuit, 275, 36. Si herezeldam dominus acceperit, 262, 32. 277, 38. Si paciscatur de non removendo, 280, 9. Vel de non removendo, antequam colono creditori suo satisfecerit, quod prodest contra paciscentem, & ejus heredes, sed non contra singularem ejus successorem, 281, 11. Idem, si annorum sequentium mercedes præceperit dominus, colonum removere nequit, *ibid.* Ex aliis pactis excipere potest colonus, *ibid.* Qui ejusmodi exceptionibus utitur debet esse in possessione, 281, 12.

Excommunicationis fulmen quare à Pontificibus Rom. commentum? 22, 20. Ejus effectus, *ibid.* & 21.

Excommunicatus feudum acquirere potest, 127, 2. 130, 9. 376, 31. Jure Feudali non potest esse testis, 523, 26. *fin.*

Excusationes, vid. *Investitura.*

Executoribus domini superioris defuncti competit jus custodiæ prædefuncti vasalli, si id nominatim testamento caverit; alioqui heredibus ejus, 91, 18.

Executoribus pluribus nominatis, quamdiu unus supererit excutionem habet, 198, 19. *fin.* Et unus sine aliis conveniri potest, 354, 17.

Executor apud nos quis? 310, 5 & 7. 347, 1 & 2. Executor dativus, *ibid.*

Executores dativi rectè conveniuntur à creditoribus, & à debitoribus defuncti rectè exigunt, 348, 2. Executores ex testamento, vel ab intestato, nihil rectè faciunt antequam inventarium confecerint confirmationemque sui officii obtinuerint; nisi à Commissariis vel Senatu licentiam in quibusdam casibus impetrent, 348, 2. 353, 15. Executor, quod est nomen juris, debet auctoritate judicis liberari, 348, 3. 353, 15. Executor heredem indemnem ab evictione rei immobilis servare non tenetur; nec assedationes, aut aliæ actiones, quæ hereditatem sapiunt, in executorem dantur, 349, 5. 452, 8. *fin.*

Executor, aut qui se immiscuit, potest à creditoribus quandocunque conveniri, 349, 6. 353, 15 & 16. Executoribus, aut intromissoribus discussis, qui heredes sunt conveniendi, 354, 16. Summa diligentia uti debet Executor pro recuperandis defuncti debitis intra annum, 353, 16. Executor non potest jus suum renunciare, aut in alium transferre, 354, 18.

Exheredatio in usu non est, nisi quam pater, meritorum filii in se optimè conscius facit, disponendo, vel aliis alienando id in quod filius, si in officio mansisset, successurus erat, 312, 13. 376, 32. 404, 3. 463, 2. Ubi quid exheredatio, & quæ ejus causæ jure Civili?

Exitus curiæ quid? 261, 30. 516, 5.

Extentus novus quid? 360, 35. 384, 20. 398, 23.

Extinguitur feudum, vid. *Amittitur.* Extinguitur ad tempus, aut sub modo concessum, 431, 2.

Extraneus, in materia successionis, quis dicatur apud nos? 353, 14. 355, 19. 373, 24. Vid. *Alienigena.*

Extravagantium liber, 20, 12.

F

F*Abrilia*, si non exprimerentur, antiquitùs vasallo non cedebant, nec cuiquam ea extruere licebat absque consensu domini, 259, 25.

Falsarii nominis domini circa vectigal pœna, 155, 19. Falsam monetam fabricantium pœna, 158, 26.

Falsa designatio, si de persona constet, non nocet, 197, 14.

Falsi cognitio ad Senatum spectat, 452, 9. Simulatio est species falsi, 435, 13.

Famam domini lædentem actionem vasallo intentare non licet, 293, 30. Hujusmodi sunt actiones *unde vi*, & *vi bonorum raptorum*, *ibid.* Famæ aliquando credendum, in iis quæ ultra hominum memoriam sunt, 351, 11. 524, 27.

Familiæ nomine hereditas intelligitur, 330, 2. Qui familiæ nomine comprehendantur? 482, 15.

Familiæ quædam apud nos illustres sunt, quarum feuda tali tenore habentur, ut die prælii Regem loricâ, armis, calcaribus, &c. ornent. 432, 4.

Fatui à successione jure nostro non prohibentur quoad usumfructum, 375, 29.

Feloniæ apud Anglo-saxones pœna non erat feudi amissio, 39, 3. Apud Anglos in quibusdam locis felonia patris non præjudicat filio in successione, 44, 18. 62, 23. 220, 13. 303, 19. Dominus eam remittere potest: etiam Prælatus, nisi in Ecclesiam ipsam committatur; quo casu Capituli consensus requiritur, 509, 14. Optimè probatur testimonio parium, 523, 26.

Ferri fodinas ad vasallos pertinere, 259, 21.

Feudastrum, vid. *Feudum conditionatum.*

Feuda precaria, annalia, & vitalia, 27, 5. 60, 18. Nulla talia apud nos, 78, 23. 104, 13.

Feudum olim erat ususfructus, 27, 5 & 7. 170, 8. Feuda primùm hereditaria sub Carolo Magno cœperunt, 29, 10. 72, 8. Feudo alicui & jus filiis concesso, omnes in capite succedunt, 27, 7.

Feuda multa olim hereditaria ex privilegio, non ex lege, 29, 10. Nulla jam hereditaria nisi specialis mentio heredum, &c. fiat, 71, 7. 87, 8. 94, 25. 95, 28. 202, 28.

Feudum pro mercede plerumque sumitur, 55, 3. 73, 11.

Feudum verbum primitivum esse, non derivativum, 55, 3. Vox est homonyma, *ibid.* § 4. 168, 2. *fin.*

Feudum ex mera & gratuita domini liberalitate constituebatur, 56, 6. 61, 19. 100, 1. 169, 5. 520, 15.

Feudum conditionatum & feudastrum quid? 56, 6. 63, 27 & 28. 169, 5. 216, 1 & 2.

Feudum à Principe concessum, interveniente pecuniâ, non est verum feudum, 56, 6.

Feudum in rebus immobilibus tantum constituitur, 56, 7. 168, 2. 220, 12. Et quasi immobilibus, 57, 7. 82, 37.

Feudum quare usumfructum esse volunt Doctores quidam? 58, 10. 64, 29 & 30. In quo ususfructus & feudum inter se conveniant & differant, *ibid.* & 78, 23.

Feudum ob unum certum & reale servitium propriè non est feudum, 60, 18. 63, 27. 220, 12. Feudum non semper est perpetuum, 60, 18.

Feudum contractum esse reciprocum inter dominum &

& vaſſallum, 65, 31. Nominatum, & ſtricti juris, 65, 32 & 33. 71, 7. 342, 17.
Feudum ideò ſtricti juris eſſe quia habet naturam privilegii, 27, 7. 78, 25. Et quia eſt donatio, 65, 33. 214, 22. 224, 3.
Feudum à Principe conceſſum apud nos ſtricti juris eſſe, 66, 34.
Feudum proprium eſt & improprium, 69, 2. Rectum & non rectum, 70, 4. Natura proprii feudi apud nos penè exolevit, 285, 5.
Feudum non ſemper ſecum comitem habet juriſdictionem, 70, 4. 261, 30. 515, 3. 517, 8.
Feuda inferiora apud nos habent diſtrictum, ſed non juriſdictionem, 70, 4.
Feudum francum, & quod ad emphyteoſin aut ad libellum conceditur, cum ſervitia non debeant, vix propriè feuda ſunt dicenda, 64, 28. Blancum, & non francum, 70, 5. Ejus origo, *ibid.* & 203, 32. Nihil tale apud Anglos; & ratio quare? 96, 31. Feudum blancum licet liberet vaſſallum à ſervitiis, non tamen à maleficiis, 70, 5. 80, 30. 473, 30. Nec à juriſdictione domini, 516, 6. Feudum in blanco, & in blanca firma, 203, 32.
Feudum maſculinum vel paternum, fœmininum vel maternum, 71, 6. 325, 6. 343, 19. 350, 9. Uſu noſtro præſumitur feudum ad fœminas æque ac ad mares conceſſum, 71, 6. *fin.* 324, 3 & 6.
Feudum eſt reale & proprium, vel perſonale & temporarium, 71, 7. Multi putant ſemper præſumi feudum ad heredes deſcendere, licet de iis mentio non ſit, *ibid.*
Feudum in perpetuum, aut in tempus ſempiternum conceſſum, apud Anglos, abſque mentione heredum, vitale tantum eſt, 71, 7. 202, 28.
Feudum perſonale, & annale, vel vitale, 71, 7 & 8. 78, 23.
Feudum vitale datur, vel ad vitam accipientis, vel dantis, vel alterutrius, 72, 8.
Feudum guardiæ, & caſtaldiæ quid? 55, 3. 72, 8.
Feudum habitationis finitur morte accipientis, 72, 9.
Feudum ſoldatæ, quod extinguitur tam morte dantis quàm accipientis, 72, 10.
Feudum cameræ & cavenæ quid? 73, 11. Eorum ea eſt natura, ut ſi nihil ſit in theſauro domini, vel penu, nihil debeatur, *ibid.*
Feudum Advocatiæ, Cancellariatûs, Rotulatoris, Regiſterii, Secretarii: quibus omnibus eſt immunitas ab exactionibus, 73, 11.
Feudum laicum ſive ſeculare, & Eccleſiaſticum, 74, 12.
Feudum antiquum ſeu paternum, & novum, 74, 13. An pacto contrahentium feudum novum fieri poſſit antiquum? 74, 15. 79, 26. 93, 23. Feudum quo antiquius eo nobilius ac ſimplicius, 109, 25. 167, 2. 195, 9.
Feudum nobile & ignobile, 75, 16. 80, 31. Aut aliqualiter nobile, 76, 18. 98, 39. 108, 23.
Feudum ligium ſive regale, & non ligium ſive non regale, 76, 19. 103, 7. 107, 21. 374, 24 434, 10.
Feudum ſimplex & conditionatum, 77, 20. 78, 24. 216, 2. 217, 5. 338, 3. 343, 18 & 19.
Feudum diviſibile, & indiviſibile, 77, 21. 109, 26. 264, 41. 318, 32. 326, 8. 333, 12.
Feudorum diviſiones quædam apud nos, 78, 23.
Feudum hereditarium & conquæſtûs, 79, 26.
Feudum militare, blancum, burgale, Eccleſiaſticum, & ad manum mortuam, 79, 27. 80, 30 & 31. 97, 36 & 37. 202, 28. 203, 32. 217, 5. Feudum francum idem cum blanco, 80, 30.
Feudum Eccleſiaſticum triplex eſt, 74, 12. 80, 32, 33 & 34. 92, 20. 169, 5. 172, 14.
Feudum ad libellum dare quid? 81, 33.
Feudum ad manum mortuam, 61, 22. 81, 35. 92, 20. 126, 20. 169, 5. 203, 32. 204, 35.
Feudum aliud eſt ipſius prædii, aliud annui reditûs ex ipſo prædio, 82, 37.
Feudum militare & ſoccagium apud Anglos quid? 85, 1. 87, 8. 91, 16. 391, 6.
Feudum militare apud Anglos tribus conſtat, ſciz. hominio, fidelitate, & ſoccagio, 88, 9.
Feudum in puram eleemoſynam apud nos, 80, 32. 81, 33, 34, 35 & 36. In liberam eleemoſynam apud Anglos, eſt vel certum vel incertum, 92, 20. Ut & apud Gallos, 97, 37.
Feudum per homagium anteceſſorum apud Anglos quale? 93, 23.
Feudum apud Anglos eſt vel ſimplex, aut talliatum, 94, 25. Vid. etiam 77, 20. 78, 24.
Feudum apud Anglos in francum maritagium, 71, 7. 95, 28. 202, 28. 342, 16.
Feudum apud Gallos loricæ, 89, 13. Ex jure pariſi, burgagium, & eleemoſynarium, 97, 35, 36 & 37. Sunt & aliæ diviſiones feudorum apud Gallos, 98, 38 & 39.
Feuda Divina quæ ſint? 100, 1. 129, 8. 173, 16. 504, 1.
Feudum qui concedere poſſint? 101, 2 & 3. 103, 7. 106, 19. 110, 27 & 28. 115, 39. 119, 5. 125, 17. Feudum qui concedere non poſſint? 110, 28. 111, 112, 113, 114. 121, 11.
Feudorum cauſa materialis & formalis, 167, 1.
Feudum per quas perſonas acquiratur? 168, 3.
Feudum acquiritur ſtipulationibus, obligationibus aut omnibus aliis contractibus, 168, 2. 172, 13.
Feudorum qui ſint capaces? in quo conſiderandum an concedantur à Rege, valvaſſore, aut eo inferiore? 127, 2. 130, 10. 375, 27.
Feudum in cujus perſona conſiſtat, ſæpè incertum, 197, 14. Quod ex variis chartarum formis oritur, *ibid.* & 199, 21. 416, 6.
Feuda omnia ab initio pura, abſque ulla conditione, aut ſervitio, præter illud quod eſt militare, 127, 1. 195, 9. 216, 1.
Feudorum in conſtitutione quis ordo ſervetur? 183, 9. *fin.*
Feudi qui ſint incapaces & omnis beneficii in jure? 131, 12 & 13. 132, 14, 15, 16, 17 & 18. 216, 3.
Feudum ſuum ſi vaſſallus inimico domini capitali, aut alii qui moleſtiam ei inferre poteſt, conceſſerit, redit ad dominum, 130, 10. 133, 19.
Feudi in prima conceſſione, ſi dominus diſertè caverit, ne vaſſallus poſſit in feudum dare, ſi contra fecerit, is à feudo cadet, 143, 23. Aut ſi vaſſallo & heredibus ejus de corpore deſcendentibus feudum conceſſum ſit, eo decedente nullo deſcendente relicto, feudum extinguitur, & ad dominum ſuperiorem redit, 78, 25. 431, 2.
Feuda acquiſita in primo matrimonio non poſſunt transferri ex ſecundo genitis; ſed aliter nunc, 145, 27.
Feudum non poteſt conſtitui in re aliena, 146, 30. 187, 21.
Feudum in pecunia non conſiſtit, 57, 7. *fin.*
Feudum antiquum acquiritur ſucceſſione, vel inveſituræ renovatione, 167, 2. 297, 1. 308, 1.
Feudum novum tria requirit, acquiſitionem, conſtitutionem & conſummationem, 167, 2. 184, 10.
Feudum nobis acquiri poteſt, vel per eos qui ſunt in

noſtra poteſtate, vel per procuratores, ſive actornatos, 168, 3.
Feudum etiam judicis ſententiâ conſtituitur, 190, 28.
Feuda dignitatum non admittunt diviſionem, 77, 21. 318, 32. Nec ſucceſſionem; id eſt, ducis filius non fit dux, 162, 41. 220, 12. 316, 29. 473, 29.
Feudo privatur apud Anglos, ſi ſit inidoneus vaſſallus ad ſervitia requiſita, 216, 3.
Feudum militare ex jure alienare non licet, 217, 5. vid. *Alienatio.*
Feudorum omnium (1) commune in ſucceſſione eſt, ut ſemper inquiratur, quis obierit ultimò veſtitus & ſaſitus, & quæ ſit inveſtituræ conditio, an illa ſalvis ejus verbis poſſit ad petentem accommodari, 350, 9.
Feudorum omnium (2) commune eſt, ut in omni ſucceſſione feudali attendatur conſuetudo loci, & ubi feudum ſitum ſit, 351, 10.
Feudorum (3) commune eſt, quòd deficiente lineâ, feudum ad dominum redeat, 351, 9, 11 & 12.
Feudorum (4) commune eſt, ut inſtitutio in iis locum non habeat; heredes enim non veniunt ex inſtitutione, ſed ſucceſſione, 131, 12. 352, 13. Vid. *Heres.*
Feudorum (5) commune eſt, ut quilibet ſucceſſor teneatur exolvere defuncti debita, 353, 15.
Feudorum (6) commune in ſucceſſione eſt, quòd ſi plures ſint heredes ſciz. portionarii, aut executores, unus ſine aliis rectè conveniri nequeat, 354, 17. Cujus & ratio redditur.
Feudorum (7) commune eſt, quòd qui ſemel executor factus eſt, aut hereditatem adierit, renunciare non poſſit, neque jus ſuum in alium transferre, 354, 18.
Feudorum (8) commune eſt, ut ſemper aliqua alimentorum heredis habeatur ratio, 355, 20. Secus in non-introitu, 385, 23.
Feudorum (9) commune eſt, quòd repræſentatio locum habeat in omni linea, directâ æquè ac collaterali, 356, 21.
Feudorum (10) commune eſt, quòd ad ſucceſſionem feudi heres admittatur per Brevia, 356, 22.
Feudum quid valeat nunc per annum, & tempore pacis, quintum caput eſt Brevis de morte anteceſſoris, 360, 34.
Feudum domino aperitur, vel pro tempore, vel in perpetuum ob delictum, 434, 12.
Feudo ab hoſte recuperato, aut ceſſante inundatione, cui cedat? 431, 2.
Feudum quaſi fideicommiſſarium quid? 432, 6.
Feudum in remunerationem conceſſum ob ingratitudinem non amittitur, 206, 1. 508, 10. *fin.* 511, 18.
Feudalis quæſtio, ſi dependeat à vi juramenti, ad judicem Eccleſiaſticum pertinet, 520, 18.
Feudale jus conſuetudinarium eſt, in ſcriptum primò redactum à Friderico Ænobarbo, 34, 2. 65, 33.
Fideicommiſſum quandoque illicitum, 369, 14.
Fidejuſſione dominus gravandus non eſt à vaſſallo, de indemnitate perſonæ, 293, 30.
Fidelitas maximè in feudis requiritur, 54, 2. 60, 16. 285, 5.
Fidelitas in feudo ne pacto quidem remitti poteſt, 60, 16. 62, 23. 220, 12. Et non expreſſa exprimi præſumitur, 61, 20. 62, 23. 216, 3.
Fidelitate præſtitâ à vaſſallo in feudis non-ligiis, ſemper excipitur perſona Principis, 77, 19. 88, 10. 101, 1. 107, 21. 289, 16. 304, 21.
Fidelitas ſpecialis vel generalis eſt, 89, 11. Eadem eſt quod hominium, *ibid.* & 304, 20.
Fidelitatem non ſolùm ſuo domino præſtat vaſſallus, ſed & jurare debet ſolenniter, 284, 2. Neque repetere cogitur, licet dominus moriatur, niſi ſit Eccleſiaſtica perſona, 304, 20. Fidelitas pro omni feudo eſt præſtanda, 305, 22. Fidelitatem non jurat dominus vaſſallo, 294, 33.
Fideles homines patriæ qui? 359, 28.
Filius non poteſt feudum à patre acquirere, 131, 12. 172, 12. 208, 5. 227, 11. 327, 10.
Filii cum filiabus non admittuntur in ſucceſſione jure Divino, ut jure Civili, 311, 10, 11 & 12. 331, 5.
Filiorum diverſa genera, & circa eos diverſum jus, ex LL. 12. Tabb. media juriſprudentia, & Imperialibus conſtitutionibus, 311, 13, 14, 15 & 16.
Filii ad morganaticam nati, qui, & qualiter ſuccedant? 316, 28.
Filiæ omnes in capita ſuccedunt, niſi aliter proviſum fuerit, 324, 3.
Filii qui ſint legitimi, qui baſtardi? 370, 17.
Filius legitimus cenſetur, licet de facto matrimonium nunquam fuerit contractum, 371, 19. Imò ex diuturna cohabitatione jure Pontificio, *ibid.*
Filiationis in quæſtione, an dicto parentis unius, an utriuſque ſit ſtandum? 372, 20.
Filius privatur ſucceſſione patri, vel ob grave delictum patris in dominum, vel ſi ipſe patre vivente in dominum deliquerit, 377, 32. 506, 6. Et omnes ab eo deſcendentes excluduntur, 509, 15.
Finium regundorum judicium vaſſallo non competit, ſine domini conſenſu, 251, 1. 469, 20. 490, 8. *fin.*
Fiſci ſui rationem ſemper habent Principes, 42, 10. *fin.* 48, 3. 146, 29. Fiſcum ſolus Princeps habet, 164, 46. Aut civitates ſuperiorem non agnoſcentes. Differt ab ærario, *ibid.* & 165, 48. *fin.*
Fiſcus acquirit dominium, abſque traditione, 164, 47. 437, 17. ibi, *Quædam enim ſunt*, 444, 30.
Fiſcus cum ſit loco heredis, debitis delinquentis eſt obnoxius, 165, 47. 369, 16. Sed non tenetur, ſi feudum ante traditionem publicetur, ejus poſſeſſionem tradere, 188, 21.
Fiſcus, vel ejus donatarius, declaratoriâ ſententiâ devoluti juris, procedit in appretiatione, 450, 7.
Fiſcus in perpetuum retinet bona capitaliter accuſati, ſi intra annum & diem judicio ſe non offerat, 493, 12.
Florentinus textus, 12, 11.
Flumina ſunt inter Regalia, 141, 15. 152, 11.
Fœdus inter Carolum Magnum, & Achaium noſtrum, ſæpiùs renovatum, 129, 7.
Fœmininum feudum, vid. *Feudum.*
Fœminæ, ut ineptæ, à ſucceſſione feudali naturaliter excluduntur, 55, 2. 63, 27. 66, 36. ibi, *Quarta.* 127, 1. 130, 10. 323, 2.
Fœminis ſervire permittitur per ſubſtitutum, 90, 14. Eæ non ſolum juriſdictionem habent, ſed etiam aliis feudando concedere poſſunt, 110, 27. Sunt feudorum capaces, 127, 2.
Fœmina, in capillitio conſtituta una heredum portionariarum militaris feudi, ſi corpus ſuum polluerit, à ſua portione cadit, eaque accreſcit cæteris ſororibus, & ſi omnes idem fecerint, totum feudum domino ſuperiori aperitur, 328, 17. Sed non ita in viduis, *ibid.* & 407, 11. 501, 26.
Fœminarum juſta ætas, apud Anglos, in ſoccagio, 361, 37. Et apud nos in militari feudo, 390, 4. 396, 18. Si ſit heres diverſorum feudorum militarium, cuſtodia ejus corporis pertinet ad antiquiorem

quiorem, 399, 27. *fin.* Apud Anglos, ſi ante annos nubiles maritata fuerit, quid juris? 413, 31. Fœminæ jure feudali à teſtimonio rejiciuntur, 523, 26.
Fodinæ metallorum quæ ad Principem pertineant? 161, 36. 256, 17.
Fodrum quid? 160, 34.
Forbeſii de Pitſligo familia, 177, 26.
Foriſfacturæ origo unde? 107, 21. 150, 5. Ejus effectus, 210, 10. 293, 29. 351, 12. 373, 23. 463, 2. 510, 15. Vid. *Bannitus.* Foriſfacto vaſſallo an filiis legitimæ, aut filiabus dotes debeantur? 469, 18.
Foriſfamiliatio apud nos ignota eſt, 319, 39.
Forma feudorum, 167, 1. 203, 32.
Formedon apud Anglos quid? 442, 26. *fin.*
Forenſis quis? 155, 18. An ſolvat collectas? 156, 20.
Fortalicia quæ ſint? 271, 18. Non cenſentur pertinentiæ, 201, 24.
Foſſæ & *Furcæ* quid? 105, 16. 517, 8.
Fowlis dominium, 373, 22.
Fowliſii de Collington familia, 226, 7.
Francum feudum, vid. *Feudum.*
Frater fratri quando primò ſuccedebat in feudo paterno? 28, 8. Sed non in novo, *ibid.* § 9. 220, 12. 332, 16. A qua regula aliquot ſunt exceptiones, 333, 11 & 12.
Fratres prædicatores qui? & quomodo feudare poſſint, 122, 11. Fratres minores, qui nihil habent, nec in feudum dare poſſunt, *ibid.* § 12.
Fratrum nomine ſorores veniunt, 331, 5. Ubi fratrum diſtinctio & ſucceſſionis ratio: at nulla differentia inter fratres jure Feudali, 333, 12.
Fratricidii pœna in familia de Luſs. 505, 3.
Fraus legi quomodo fiat? 144, 24. Ejus interpretatio non ex eventu ſed conſilio fit, 506, 5.
Fraude & dolo qui dicantur abeſſe? 482, 13.
Fraus in omnibus contractibus cenſetur excepta, 483, 17.
Fructuum ratio habetur in redemptione facienda, 223, 3. 228, 14. *fin.*
Fructus fundi cenſentur tacitè obligati domino pro mercede, & dominus præfertur fiſco, 270, 11.
Fructuum qui in poſſeſſione eſt, non poteſt ob non-introitum agere, 384, 18.
Fructus violenti qui? 229, 14. 268, 2, 4 & 5. 269, 8. 277, 38. 385, 20.
Fundi Eccleſiis conceſſi, neque ſacri, neque religioſi ſunt, & proinde nec commercio exempti, 137, 5.
Fundus dotalis, an alienari aut in feudum dari poſſit? 142, 20.
Fundus optimus maximus talis eſt detracto omni onere, 200, 23.
Furioſus feudare non poteſt, & quis ſit?, 110, 28. 111, 29. Furioſis & mente vel judicio captis, & ſic per judicis ſententiam declaratis, proximus agnatus tutor aut curator eſt, 111, 29. [*ita enim ibi legendum*] 375, 29. 393, 9. Quomodo feudum furioſi acquirant? 128, 3. 375, 29. 392, 8. 393, 9. Eorum prædia, ut minorum, alienari aut feudari nequeunt, niſi urgente æris alieni, aut alimentorum neceſſitate, causâ apud judicem examinatâ, 142, 19.
Furioſi à ſucceſſione jure noſtro non prohibentur quoad uſumfructum, 375, 29. & 393, 9.
Furnorum apud Gallos, in multis locis, idem jus ac molarum apud nos? 255, 10.
Furtum quadruplo olim puniebatur, 5, 10. Excuſatur in cauſa neceſſitatis, 50, 7. 481, 10. In Anglia, ſi valor rei furto ablatæ 12 nummos ſuperet, fur laqueo punitur, 44, 17.
Furti reus eſt, qui Principem ſuo jure & commodo fraudat, 154, 18. 161, 40. Et contra, ſi non furtum, ſaltem furto proximum eſt in Rege adverſus populum extendere valorem pecuniæ, 156, 21.

G

Gagium, ſive vadium, quid? 233, 26.
Gallorum Reges ſuos Romanorum legibus teneri nolunt, 13, 13.
Gallia nunquam Romanæ Eccleſiæ ſubjecta, 17, 5. 21, 15. 121, 10.
Garbales decimæ, vid. *Decimæ.*
Garthland familia, 453, 10.
Gavel-kynd of Kent jus ſingulare, 44, 18. 142, 19.
Gemelli, vid. *Primogenitura.*
Generalis poſſeſſor, vid. *Bonorum poſſeſſores.*
Generale reſtringitur enumeratione ſpecierum, 479, 5.
Geniſtas ſecandi poteſtatem ex inveſtitura conſequitur vaſſallus, 260, 26.
Germania neſcit jus Civile, tantum feudale amplectitur, 14, 13.
Germanorum fratrum ſucceſſio, 331, 5.
Geſtio pro herede non eſt titulus activus gerenti, multo minus ei cui titulum tranſtulit, 227, 12. 310, 5. 354, 16.
Gladii poteſtatem quis habeat? 105, 16. 110, 26. 251, 3. 261, 30 & 31.
Glebæ liberæ ſunt à decimis, 108, 22.
Glencarnii Comitis familia, 226, 7. 467, 12.
Gradus conſanguinitatis, jure Civili, Canonico, & Feudali, 30, 13. 159, 30. 342, 16.
Gray familia, 228, 13.
Greſſumæ quid, & circa eas jus? 279, 4.
Grierſon de Lag familia, 281, 10.
Guadium, & guadiare quid? & unde? 26, 3. *fin.*
Guardiæ feudum, vid. *Feudum.*
Guardus, ſive cuſtos curtis, domûs, vel palatii domini, 34, 2. 72, 8.
Guardianus de jure & de facto quis? 405, 5. Per accidens, ut apud Anglos, quis? 405, 7.
Guelphorum & Gibellinorum factiones, 28, 8. 36, 5.

H

Habitatione alicui conceſsâ, ſublocatio non conceditur, niſi exprimatur, 72, 9. 77, 20. 137, 6.
Habitare ibi quis dicitur, ubi uxorem, liberos & familiam habet, 269, 6. 456, 17. 521, 21.
Hamefucken quid? 255, 12.
Hamilton de Pardowan familia, 521, 20.
Hayus reſtituit prælium adverſus Danos, 108, 23.
Hedera quid? 396, 19.
Hepburn de Wauchton familia, 327, 10.
Heraldi qui? 55, 3.
Hereditarium feudum, vid. *Feudum.*
Heredis appellatio, relata ad id quod ſuâ naturâ non eſt tranſmiſſibile, in perſona primi heredis finitur, 58, 10.
Heredum mentio nulla in antiquis monumentis, 202, 28.
Heredis nomine maſculus intelligitur, & deſcendens ex corpore primi vaſſalli, non collateralis, 66, 36. ibi,

ibi, *Quarta*, 202, 28. 324, 2. Heres masculus quis? 343, 19. Aut provisionalis, *ibid. fin.*
Heredibus quibuscunque quid intelligatur? 67, 36. ibi, *Quarta*, 202, 29. 324. 3. Et *heredibus eorum*? 343, 17. 344, 21. *Heredibus & assignatis*? 473, 31. 474, 34.
Heredum nisi mentio fiat, feuda ad heredes non transeunt, 71, 7. 94, 25. Nec in locatione, ad heredes aut assignatos locantis, 87, 5. *fin.* Aliud apud Anglos in mortuo vadio, 235, 31.
Heredum limitationes, si quæ sint, in clausula tenoris sunt; & si ibi nulla heredum mentio, hereditarius titulus non præsumitur, 71, 7. 202, 28.
Heredes apud Anglos non succedunt in simplici feudo, nisi eorum specialis mentio sit, 94, 25. 235, 31.
Heres apparens non potest infeudare dum deliberat, 146, 30. Nisi postea heres extiterit, *ibid.* § 31.
Heres non potest institui testamento, 172, 14. 177, 25. 178, 28. 352, 13.
Heredum extraneorum institutiones, etiam inter privatos, contra pietatem & conscientiæ leges fieri creduntur, 175, 22. 176, 24.
Heredes concedentis an nominentur vel non, nihil interest, 202, 28. *fin.* 235, 31.
Heredum generaliter quorumcunque, aut talliæ mentio, quid importet? 202, 29. 324, 3.
Heredes sunt qui in jus universale succedunt: & universale dicitur, licet rem unam tantum, tanquam heres quis agnoverit, & alia repudiaverit: nec pœnitentiæ locus est postquam in re aliqua hereditatem agnoverit: tamen secus jure Civili, 208, 4. 209, 6. 312, 14. 349, 4. 354, 18. 451, 8.
Heredis loco habetur, qui succedit in assedationibus decimarum, aut prædiorum; imò tantummodò si in nativam possessionem defuncti successerit; nisi pietatis aut custodiæ causâ quid fecerit, 208, 6. 310, 5.
Heredibus apparentibus consilium datur, 208, 6. 348, 3. Cum periculosum admodum sit se immiscere bonis jacentibus, *ibid.*
Heres apparens si intromiserit, non tenetur de evictione pro obligatione à patre pòst contracta, 209, 6.
Heres talliæ warrantizare tenetur, 209, 7. In subsidium tantùm, 354, 16. 355, 19.
Heres apparens jus redimendi potest in alium transferre, 227, 12.
Heres contra factum defuncti auditur, 229, 16.
Heredi apparenti competit actio ad migrandum, 273, 28. Ubi differentia inter majorum mores & hodiernos. At non competit contrahenti pro feudo, nisi cessionario, licet investiatur ante ferias pentecostes, *ibid.* Et fructus pro rata dividuntur inter heredem & executores, 274, 29.
Heredi quæ jura obveniant ex morte vassalli? 308, 2.
Heres in jure quis dicatur, & (ut apud nos) ejus definitio, 208, 4. 310, 5. 315, 25. 333, 10. 349, 4. Heres particularis, vel generalis quis? 310, 6. 315, 25. 327, 10 & 11. Ubi decisiones duæ de heredibus, 333, 10. *fin.* Qui heredes post annum sint conveniendi? 354, 16. Heredes etiam sunt bonorum possessores, quoad creditores, 310, 8. 349, 4. Heredem quilibet habere potest, nisi in mobilibus, 310, 7.
Hereditatem qui semel adierit, resiliendi potestatem non habet, 208, 4. 312, 14. 354, 18. 377, 32.
Hereditatis petitio quibus competat, vel negetur? 315, 25.
Heres lineæ & talliæ qui simul fit, potest curare se deserviri in quo genere voluerit, nec inde talliam rumpitur, 345, 22.
Heres quandoque dicitur in rebus mobilibus, idque vel ex testamento, vel ab intestato, 347, 1 & 2. 349, 4. Quatenus teneatur? 451, 7. ibi, *In Debitore.*
Heres, si à creditoribus hereditariis conveniatur, & damnetur, repetit ab executore, 349, 5. Quod non competit successori universali, nisi & hereditatem adierit, *ibid.*
Heres non potest conveniri nisi elapso anno: secus tamen in executore, intromissore, aut successore universali, 349, 6. 353, 16. 451, 8.
Heredes generales & talliæ omnes in uno libello conveniri possunt, 354. 16. In quibus tales heredes inter se differant? 355, 19.
Heredibus inter se certantibus, feudum à domino retinetur donec lis decidatur, 352, 12.
Heres nomen heredis, nec executor executoris in alium transferre possunt, 354, 18.
Heres talliæ nunquam tenetur priusquam generalis excutiatur, sed pro extraneo habetur, 355, 19.
Heredem facere nec Princeps, aut Prætor potest, sed solus Deus, nec heredem non consentienti dare, 349, 4. 354, 18. 368, 12.
Heres, ex constitutione Justiniani, quartam habet totius hereditatis, ex usufructu deductam, alimentorum gratia, 356, 20.
Heres ut cognoscatur quis sit in aliquo feudo legitimus & propinquior, perpendendum est quale sit feudum? 350, 9. 360, 31. 367, 11.
Heredem alere non tenetur dominus, in possessione per declaratoriam super non-introitum constitutus, 385, 23.
Heres nunquam educandus est apud eum qui proximè successurus est, 392, 6. Vid. *Pater.*
Heres qui nolit adire hereditatem, ut præstet simplum vel duplum maritationis, cogi potest per literas Senatûs, ut adeat, cum certificatione, 409, 20.
Heres institutus si noluerit hereditatem defuncti agnoscere, remanet hereditas apud defuncti heredes ab intestato, 437, 17. ibi, *Nam si is.*
Heres apparens monetur per literas à Senatu impetratas ut intra 40 dies hereditatem adeat, 451, 8. 459, 23.
Heres, qui semel in judicio renunciaverit hereditati, an postea admittatur? & an tali reversio legalis competat? 459, 24.
Hereticus est incapax feudi, 127, 2. 130, 10.
Hereticorum bona cui applicentur? 160, 32.
Herezelda quid? & unde dicta? 261, 32. Herezeldam colonus domino non debet, si aliquos annos suæ assedationis decursuros habeat, 277, 38.
Haribannum quid? 91, 15.
Heriotum quid? 40, 6.
Hispaniarum Reges capitali pœnâ vetuerunt Romanorum leges, 13, 13. Hispaniam in 10 aut 12 partes divisam per partes Pontifex invasit, 17, 6.
Hominium tantum obtinet in feudis militaribus, 88, 10 & 11. 304, 20. Ut differat à fidelitate? *ibid.*
Homo vivens & moriens quis? 97, 37.
Hortos ad vassallum transire, extra controversiam esse, 259, 24. Et cum hortis fructus crescentes, 263, 38.
Hospitalium & collegiorum magistris, ut locare permittatur? 86, 5. Gaudent privilegio Ecclesiæ, 125, 18. Eorum res feudari nequeunt sine consensu Regis, 138, 7. *fin.* 141, 16.
Humius Aitonius, 432, 4.

Humii de Polwart familia, 200, 24.
Humii de Nynwells familia, 204, 33.
Humii Comitis de Dunbar familia, 224, 5.
Humii de Spot familia, *ibid.*
Humii de Faſtcaſtle familia, 491, 9.
Husbandia terra quid ? 282, 13.

I

Diotis quomodo curatores dentur ? 392, 8. Eorum cuſtodia ad proximos agnatos pertinet, 393, 9 & 10. Vid. *Furioſus.*
Ignobile feudum, vid. *Feudum.*
Ignobilis nobilitatem conferre poteſt, 75, 16.
Ignorantia excuſat à ſolutione vectigalis, 155, 18. à renovatione feudi, 298, 5. & à recognitione, 472, 27. Ignorantiâ dominia rerum non acquiruntur, niſi per ſervum, procuratorem, & filium familias, 437, 17. Etiam ignorantes aliquando acquirimus, *ibid.* & 444, 30. Ratio habetur ignorantiæ in delictis vaſſalli, 502, 30. Eaque aliquando ejus juramento permittitur, 472, 27. Ignorans jus ſibi competere, illud renunciare non præſumitur, 509, 13.
Illegitimo quocunque à ſucceſſione patris aut cognati excluſo, omnes ab eo deſcendentes etiam excluduntur, 372, 21. 373, 23.
Immunitatem à ſolutione vectigalium quæ res aut perſonæ habeant ? 73, 11. 93, 22. 155, 19 & 20. Hæc immunitas eſt ſtricti juris, & certis modis amittitur, *ibid.*
Imperatoris nomen unde ? ejuſque magnitudo & inſignia, 102, 4. Ei aut Regi, quid contra conſcientiam jubenti, non eſt parendum, 175, 21. 176, 23. *fin.* Imperium Romanum Pontifici Romano ſubjectum, 17, 4.
Imperium merum quid ? 105, 16.
Imperfectio, quatenus eſt impedimentum ſucceſſionis, eſt vel corporis vel animi, 375, 29. Vid. *Defectus.*
Improbationis apud nos origo, 491, 10.
Improprium feudum, vid. *Feudum.*
Impuberes ſunt feudorum capaces, 127, 1. Impubes in committendo, ſed non in omittendo, eſt doli capax, 301, 14.
Incapaci feudum conceſſum, cui accreſcat ? 133, 19. 216, 3.
In capite teneri quid ? 96, 34.
Incertudo omnis vitiat diſpoſitionem, 197, 14.
Inceſtarum nuptiarum pœna, 132, 14. 134, 19. 159, 31. Inceſtuoſi ſpurii qui ? 132, 14. 365, 4.
Incorporalia jura ſunt in quibus feudum rectè conſtituitur, 57, 8. 60, 15. 69, 3. 82. 37. Et tantùm quaſi poſſidentur, 238, 3.
In cujus manibus nunc feudum exiſtit, ſeptimum eſt caput Brevis de morte anteceſſoris, 361, 38.
Indenturæ nomen quatenus in uſu apud nos ? 195, 8.
Indigni qui legibus declarantur, feudum accipere nequeunt, 134, 19. Quæ ut ab indignis legibus auferuntur, inter Regalia numerantur, 152, 8. 159, 31.
Indictionis annus, 243, 12.
Indiviſibile feudum, vid. *Feudum.*
Infamis non poteſt eſſe teſtis in jure Feudali, 523, 26. *fin.*
Infantis nullus conſenſus, nullus actus, nullum judicium, 128, 3 172, 12. 395, 15. Infantes quomodo feudum acquirant ? *ibid.* Si pater deceſſerit, ſub matris cuſtodia ſunt, 394, 14.
In feudo eſſe, *Pro feudo dari*, &, *Nomine feudi habere*, nihil aliud eſt quàm pro mercede, ob mercedem, & nomine mercedis habere, 55, 3.
Inficiationis pœnæ jure Civili, 488, 2.
Ingratitudinem unicam cauſam eſſe amittendi feudi, 462, 1. 490, 8. 496, 18. *fin.* & 19. Etiam hereditatis mobilium, 350, 8. Ingratitudinis variæ ſpecies ob quas vaſſallus feudo privatur, 490, 8. 496, 18. *fin.* & 19.
Inhabilitas aut imperfectio animi aut corporis eſt ſucceſſionis impedimentum, 318, 35. 375, 29. 431, 4. Sed non habet locum in feudis quæ non debent ſervitium, 376, 30.
Inhibitionum literis quæ objiciantur ? 112, 31. 144, 24. 279, 6. 453, 10.
Inimico domini capitali feudum dari nequit, 130, 10. Inimicitiæ inter fratres omnium aliarum graviſſimæ, 288, 13. Amicitiam cum inimicis domini contrahendo amittitur feudum, 505, 4.
Injuriarum actio domino competit ob injuriam vaſſallo illatam, etiam ſuo nomine, 294, 33. *fin.* Injuria atrox quæ ? 482, 15.
Inquiſitorum numerus, 44, 15 & 17. 47, 2. 49, 5. 111, 29. 359, 27. 457, 19. 515, 2. 517, 7. Inquiſitio quid ſit, quæ fit per probos & fideles homines patriæ ? 359, 27. Si jurati iniquam ſententiam dicant, quæ eorum pœna ? 359, 29. Inquiſitio retornari non debet ad Cancellariam, niſi ſub ſignis tam judicis ordinarii quàm inquiſitorum, 362, 41.
Inſinuatio ſive Intimatio alicujus juris quomodo facienda ? & qui ejus effectus ? 226, 7. 380, 7 & 8.
Inſtitutiones ſunt juris elementa, 12, 10.
Inſtrumentorum in ſaſinis teſtificandis uſus quando & quomodo receptus ? & eorum forma, 239, 5. 242, 11.
Inſulæ in mari ejus ſunt cujus eſt proximus continens, 140, 14.
Interdictio voluntaria quid ? & quando locum habeat, & quomodo in eo procedatur apud Gallos ? 110, 28. 111, 29. Interdictione voluntariâ publicatâ, negatur actio evictionis, 113, 32. 143, 24. ibique ratio. Interdictionis, ut finis, ſic & ejus effectus eſt diverſus ab inhibitione, 113, 32.
Intereſſe reale habeat neceſſe eſt, qui obſtat alicujus rei immobilis adjudicationi vel appretiationi, 382, 12. 452, 9. 457, 19.
Interlineatio, & ſi quid ſcribatur per notas aut figuras quod integrè ſcribi debet, reddit ſcriptum ſuſpectum, 215, 23.
Interpretatio obſcuritatis in contractibus unde petenda ? 214, 22.
Inteſtatorum hereditates ad quos deſcendant ? 308, 3. Jure Divino ? 311, 10 & 11. Jure Civili ? 311, 12.
Intromiſſor cum bonis mobilibus hereditariis, 208, 6. 347, 3. 451, 7. Intromiſſor quis ? & quare talis teneatur ? 353, 16. 451, 7. Intromiſſoribus pluribus exiſtentibus, 348, 3. an creditor habeat electionem, vel an omnes æqualiter ſint conveniendi ? 451, 7.
Invadiata bona quæ ? & de iis jus, 233, 26.
Invecta omnia pro mercede obligantur, 86, 5.
Inventarium conficiendum ab officiariis Principis ubi bona ſunt caduca, 165, 47.
Inventarium cogebantur facere heredes, quibus dabatur facultas abſtinendi ab hereditate damnoſa, 312, 14.
Inventarium ab executore conficiendum : & ſi fraus in confectione intervenerit, denegatur ei actio ad petendum, 348, 2. 353, 15.
Inventarium facere debet tutor quicunque vel cura-

tor, 392, 8. Et etiam dominus in warda, 397, 20.
Inveſtitura exempla in Anglia ante Conquæſtorem, 40, 4.
Inveſtituram in uſu fuiſſe apud Normannos ante eorum adventum in Galliam, 41, 7. Inveſtituræ nomen unde? 180, 2.
Inveſtitura debet eſſe libera, & non extorta; & rei certæ, non incertæ: talis enim in feudum dari non poteſt, 115, 38. 182, 5. ibi, *Ad hæc.*
Inveſtitus qui non eſt, apud Anglos alium inveſtire non poteſt; ſecus apud nos, 115, 38.
Inveſtiturâ impropriâ à teſtatore facta, an teneatur heres legatarium in poſſeſſionem mittere? 172, 14.
Inveſtire alium qui tenetur, aut qui feudum promiſerit, id ſuis ſumptibus agere debet, aut ad intereſſe tenetur, 172, 12. 214, 22.
Inveſtituras duas aut plures de eodem feudo qui acceperit, ei utro velit uti liberum eſt, *ibid. fin.*
Inveſtitura ſolus penè modus eſt feudi conſtituendi, 180, 2. 188, 22.
Inveſtitura propria vel impropria, 181, 4. Specialiter & propriè ſumpta, ipſum inveſtiendi, ſive traditæ poſſeſſionis actum ſignificat; aliquando inſtrumentum ſuper ipſo actu confectum, *ibid.* Et variè ſumitur, *ibid.* & 237, 1.
Inveſtituram diverſum quid eſſe à poſſeſſione, variis argumentis probatur, 181, 5 & 6.
Inveſtiturâ factâ, an dominum pœnitere poſſit ante poſſeſſionem traditam, 181, 5. ibi, *Et ad eam reſp.* 184, 12. 188, 22.
Inveſtituram quid minus eſſe poſſeſſione ſecundum Pontificios, 182, 5. ibi, *Imò dominus.*
Inveſtitura rei incertæ fieri poteſt, at non poſſeſſio, 182, 5. ibi, *Ad hæc.*
Inveſtitura duobus facta, ſi poſteriori prima ſit facta traditio, quis præferendus? 182, 5. ibi, *Præterea*, 190, 29 & 30. ubi excipitur Princeps, cujus prima voluntas declarata, licet non ſequatur traditio, ſufficere creditur.
Inveſtituram à Lombardis ad exemplum Romanorum inductam eſſe, ut ſit titulus vaſſallo, cùm hominium & fidelitatem præſtiterit, quo agere poſſit adverſus dominum ad conſequendam poſſeſſionem, 182, 6. 184, 10. 188, 22. 237, 1.
Inveſtitura impropria aliquando ſufficit pro traditione poſſeſſionis, ſciz. ſi vaſſallus ex alia cauſa, putà ex locato aut pignore, ſit antecedenter in naturali poſſeſſione, 183, 7.
Inveſtitura propria eadem eſt quæ poſſeſſio quam nos ſaſinam realem & actualem poſſeſſionem dicimus, 183, 9 & 10. 185, 14.
Inveſtituræ propriæ definitio, itemque impropriæ; & differentia inter utramque, & exempla utriuſque, 183, 8 & 9. 185, 15. 187, 19.
Inveſtitura propriis manibus qualis olim & nunc apud nos? 185, 13. 239, 5.
Inveſtitura propriis manibus conjunctæ perſonæ facta, ſimulata præſumitur, nec de evictione tenetur dominus, 185, 14. Propter militaria ſervitia concedi præſumitur, 185, 13. 239, 5.
Inveſtituram propriam etiam eſſe, quæ licet ſuper ipſo ſolo non fiat, in eo tamen diſtrictu oculis & digito domini demonſtratur, 185, 14. 189, 25. 237, 1. Ea adhuc in uſu apud Montanos, & in limitaneis regni partibus, 186, 16.
Inveſtitura impropria feudum conſtituit, ſed non conſummat aut perficit, 184, 10.
Inveſtituræ impropriæ origo poſterior Brevi teſtato, 186, 16. Quare ea uſitatior quàm propria? *ibid.* & § 17.
Inveſtituræ actus, olim unicus, in duas aut tres partes dividitur, quæ omnes unicam faciunt inveſtituram, 186, 17. 194, 1. 210, 12.
Inveſtitura jurium quomodo, & quibus ſymbolis facta? 187, 20.
Inveſtitura de re aliena, aut de feudo ab alio poſſeſſo, puta facta, non valet, niſi ita concipiatur, *Si mea erit*, aut, *Cùm mea erit*, aut ſi ſit ſpecialis inveſtitura, 188, 21. 219, 11.
Inveſtiturâ factâ, dominus aut ejus ſucceſſor cogitur tradere poſſeſſionem, niſi ſit ex electione Princeps, aut perſona Eccleſiaſtica, 188, 21. 237, 1. aut niſi ſit feudum antiquum, 188, 22.
Inveſtitura ſine ſolennitate teſtium fieri non debet, 188, 23. Et, deficientibus Paribus, extranei admittuntur, 189, 24. 191, 32.
Inveſtitura coram Paribus facta ſine ſcriptura, majoris ſolennitatis eſt, quàm alia cum ſcriptura & extraneis teſtibus, 189, 24. Eâ amiſsâ, quomodo apud nos probetur? 189, 26.
Inveſtitura antiqua quomodo pactis mutetur inter dominum & vaſſallum, 190, 27.
Inveſtitus ſecundò, licet cum clauſula, *Salvo jure primi*, præfertur primo, 190, 29.
Inveſtiturâ duobus generaliter factâ, ut feudum primi vaſſalli qui mortuus eſt accipiat, feudo aperto per mortem vaſſalli, prior poſſidens præfertur: ſed ſi prior inveſtiatur generaliter, & poſterior in certo feudo, putà Titii aut Sempronii, eo aperto poſterior eſt præferendus, 191, 29.
Inveſtiturâ duobus aut pluribus factâ, ſinguli apud nos habent æquales partes, & in præmorientis locum ſuccedit ejus heres: ſed ſecus apud Anglos, 198, 19. 221, 14.
Inveſtituram pro nudo tantùm pacto haberi multi volunt, ſed perperam, 237, 1.
Inveſtitura ſola etiam ſine ſaſina veteribus ſufficiebat, *ibid.*
Inveſtitura aliquando retrotrahitur, 273, 28.
Inveſtituræ non petitæ intra annum & diem à pœna qui excuſentur? 300, 14. 384, 19.
Inveſtitus ſemel, quamdiu vixit inveſtitus creditur, 360, 30.
Inveſtitura conjuncta interdum gratiâ heredis mutatur in nudum uſumfructum, qui tamen excludit non introitum, 382, 14.
Inveſtitura conjuncta, aut uſusfructus, an debeatur, alterutro conjugum intra annum ſine liberis mortuo? 421, 23.
Irritantes clauſulæ ſunt accidentia feudorum, 63, 28. 195, 9. 218, 5.
Itali omnes Romanis legibus reguntur, 13, 13.
Judex primò optimus ſocietatis vir eſt electus, 2, 4. *fin.* 5, 9.
Judex in cauſa feudali quis? 107, 21. 381, 11. 514, 1. 518, 11. 519, 13 & 14. 520, 16 & 17.
Judices an in ſua diœceſi ſint feudorum capaces? 132, 17.
Judicis inferioris non eſt cognoſcere de validitate tituli, 457, 19.
Judici ordinario quando locus? 520, 18.
Judicium poſſeſſorium quid? 248, 27. Si quæſtio ſimul ſit de judicio petitorio & poſſeſſorio, poſſeſſorium prius eſt terminandum, 522, 24.
Judicium omne tribus perſonis conſtat, 381, 10. Judiciorum ordo in feudis regulariter eſt localis, 521, 21.
Judæus eſt incapax feudi, 127, 2. 136, 10.
Juncti tenentes apud Anglos qui, & quales? 198,

19 & 20. 221, 14. 226, 7.
Juramentum inaugurale Regis, 100, 1. Vid. *Regis.*
Juramento domini aut vaſſalli feudum interdum probatur aut tollitur, 189, 25. 214, 21.
Juramento partis an permittatur ſupplere defectum ſcripturæ ? 214, 21.
Juramenti fidelitatis duplex forma ex jure; una prolixior, altera brevior, 284, 3.
Juramentum fidelitatis jure noſtro ſcripto 4 continet, 284, 4. 304, 20.
Juramentum fidelitatis apud pleraſque gentes comprehenditur unico verbo *Fidelitatis*, 285, 5.
Juramentum fidelitatis quomodo præſtetur, ſi plures ſint vaſſalli ? 304, 20. *fin.*
Juramento deferre non poteſt vaſſallus cauſam feudi ſine conſenſu domini, 470, 21.
Juratum poſtquam eſt in cauſa, an probatio admittatur ? 484, 18.
Juramentum triplex eſt ; voluntarium, judiciale & neceſſarium, *ibid.*
Juramentum in ſupplementum, an poſſit deferri ſemiplenè probanti, & an juramentum purgationis ? 523, 27.
Juramentum veritatis & credulitatis quid ? *ibid.*
Juridicos honores pretio ambire peſſimum eſt, 73, 11.
Juriſconſulti ſub Cæſaribus floruere, 11, 6.
Juriſconſultorum ſucceſſio ab Irnerio ad noſtra tempora, 12, 11.
Juriſdictione ſeculari Clerici exempti, 16, 2. 494, 15. 516, 5.
Juriſdictionis Pontificiæ amplitudo, 21, 15, 16, 17, 18 & 19.
Juriſdictio eſt diſtrictus apud Feudiſtas, 69, 3. Licet etiam inter ſe differant, *ibid.* At diſtrictus non eſt juriſdictio, 70, 4.
Juriſdictio in feudis privativè concedi non poteſt, quin ſemper remaneat apud concedentem tam juris dicendi quàm delegandi poteſtas, 104, 14. 119, 5. 128, 5. 252, 3. 261, 30 & 31. 516, 6.
Juriſdictiones dividi poſſunt, 77, 21. At ſecundum alios juriſdictio eſt indiviſibilis, 109, 26. 318, 32. 326, 8.
Juriſdictio hereditaria magno eſt reipublicæ malo, 104, 14. 515, 3. Quomodo æſtimetur ? 455, 15.
Juriſdictio maris ejus eſt cujus eſt proximus continens, 140, 13.
Juriſdictio nunquam conceſſa videtur, niſi exprimatur, 252, 3. Et rarò per ſe, 295, 35.
Juriſdictionum in feudis agnati in infinitum ſuccedunt, 332, 7.
Juriſdictio omnis à Principe, 358, 26. 517, 8. Et reſignari nequit niſi in manibus mandantis & acceptantis, 436, 14.
Juriſdictione ſub una qui ſunt, ne quidem volentes ſe alienæ juriſdictioni ſubjicere poſſunt, in his quæ ad ſuum feudum pertinent, 516, 5.
Jurisjurandi clauſula olim vice clauſulæ regiſtrationis, 21, 18.
Juriſprudentum reſponſa, 11, 4. & interpretatio, 11, 6.
Juſſum quid ? 164, 45. 444, 31.
Jus olim in honore poſitum, tanquam Deorum munus, 3, 5. 7, 13.
Juris gentium origo, 4, 6.
Jura etiam inter latrones & oppreſſores, 5, 9. 515, 2.
Jura ſcripta Patriarcharum temporibus nulla, ſed jus naturale & timor Dei eorum vicem ſupplebant, 5, 10.
Jura quare ſcripto mandentur ? 6, 11.
Jus Civile Papyrianum, 10, 1.
Jus Civile Flavianum, 10, 2.
Jus Civile obrutum, & denuò emergens, 12, 11.
Juris Civilis laudes, 13, 12. 14, 14. 41, 9. 45, 22. 52, 17.
Juri Civili nullus locus apud Germanos, ſed tantùm juri Feudali, 13, 13.
Juris Canonici origo, 15, 1. Ejus dignitas, 22, 22. atque uſus apud Scotos, 23, 24. 53, 17. 137, 5. quod ſequimur in computatione graduum conſanguinitatis, 30, 13.
Juris Feudalis origo, 24, 2, 3 & 4. 514, 2. Defenditur, 33, 8 & 9. Auctoritatem juris ſibi vendicat, & ſcripto committitur, 34, 2. Prima hujus juris ſedes, *ibid.* Ejus ſtylus, 36, 4. & ſubjectum, 38, 11. 49, 4. 52. 16.
Jus Feudale authenticum, 37, 10.
Jus Feudale à Normannis cum Conquæſtore ad Angliam venit, 39, 1 & 3. 42, 9 & 10. 358, 25.
Jus quo Britannia uſa ante conquæſtum, 41, 8.
Jus in Anglia varium pro variatione dominorum, 41, 9.
Jus apud Anglos primum & præcipuum eſt ſtatutarium, 43, 12. Jus commune patrium ſecundo loco obtinet, 43, 13. Juris hujus communis axiomata quædam, 43, 14. Juris ejuſdem generales maximæ tertio loco, 44, 16. Ejus ſpeciales quarto loco, 44, 18. Juris ejuſdem quintum locum obtinet auctoritas rerum judicatarum, 45, 20. Et ſextum locum obtinet juris ſummi mitigatio in curia conſcientiæ, 45, 21.
Juris Civilis rarus apud Anglos uſus, 45, 22. Licet non in totum ab iis exulet, *ibid.*
Juris Pontificii apud Anglos in conſiſtoriis uſus, 45, 23.
Jus Feudale quo tempore in Scotiam pervenerit ? 47, 1. Eo uſi ſunt Scoti multo ante Gul. Conquæſtorem tempore, *ibid.* & § 2. 48, 3.
Jure eodem & Scoti & Angli utuntur, 49, 4. Non tamen iiſdem legibus, *ibid.*
Jus & lex quomodo inter ſe differant ? *ibid.*
Jure nullo ſcripto ante conquæſtum Angliæ uſi ſunt Scoti, 49, 5.
Juris nomen multiplex, 49, 6. Cui juri in judicando primæ partes ſint apud nos ? *ibid.*
Juri gentium apud nos locus, non ſolùm cum exteris, ſed & inter cives, 50, 8.
Jus noſtrum ſcriptum, ſciz. ſtatuta Parliamenti, tertium locum in judicando obtinet, 50, 9. 51, 12.
Jure proprio deſtituti ad praxin in judicando recurrimus, 51, 13.
Jure proprio & conſuetudine deficiente, is qui juriſdictioni præeſt à ſimilibus ad ſimilia procedere debet, 52, 15. 66, 36. ibi, *Quinta.* 214, 22. 507, 9.
Jus Feudale proprium noſtri regni jus, & ad id recurritur, deficiente jure ſcripto & conſuetudinario, 52, 16. Et præferendum juri Civili aut Pontificio in rebus hereditariis, &c. *ibid.* & 24, 1. 284, 1. 315, 24. 524, 28.
Juris Civilis maximus uſus, non ſolùm apud nos, ſed ubique ferè terrarum, 13, 12.
Juris Feudalis infantia, 26, 4 & 5. Pueritia, 27, 7. Adoleſcentia, 28, 8. Et virilis ætas, 30, 12 & 13.
Jus Feudale à Lombardia in Galliam cum Carolo Magno venit, 34, 1.
Juris Feudalis ſenilis ætas, 30, 13. *fin.* 61, 19.
Juris noſtri & Anglorum differentia, 198, 19 & 20.

Juri Feudali iniquus Hottomannus, 286, 10. 293, 31. Diverſæ de eo Hottomanni & Cujacii ſententiæ, 35, 3. 58, 10 & 11.
Jus ſuperveniens auctori prodeſt ſucceſſori, 147, 31. 170, 6. 380, 8. Secus jure Anglorum, *ibid.* Nemo de jure auctoris ſui diſputare cogitur, 276, 36.
Jus naturale & gentium, uſu ſtabilitum in ſucceſſione, in præjudicium ejus qui jus acquiſitum habet Actis Parliamentorum inverti aut mutari nequit, 175, 20. 308, 3. 309, 4.
Jus accreſcendi apud Anglos obtinet in diſpoſitionibus hereditariis, duobus, tribus aut pluribus conceſſis, 198, 19 & 20. Aliter in coheredibus, *ibid.*
Jura ſanguinis aliquando obſunt, 208, 5. 327, 10.
Jura ſanguinis ſæpe aut inimicitiis non obſtant, aut etiam atrociùs exerceri faciunt, 288, 13.
Jus non patitur, quod contra leges fit, pro valido haberi, 341, 12.
Jura, quæ oriuntur ex morte vaſſalli conjugibus, ſive alterutri eorum, ſunt conjuncta infeudatio, nudus uſusfructus, triens ac curialitas, quæ ſunt partim ex proviſione hominis, partim ex proviſione legis, 415, 1.
Jus congrui quid, & quale; perſonale, an reale? 482, 14.
Jus primogenituræ ob impietatem in patrem amittitur, 175, 22.
Jus Protimeſeos quid? 478, 2. Licet id videatur damnatum jure Civili, Sacro tamen jure competebat, & Conſtitutionibus Græcorum: nec tamen omnino jus Civile illud abhorrebat, *ibid.* Jus hoc locum habet inter burgenſes, & vocatur *Jus Retractûs*, 479, 4. Locum habet in rebus immobilibus, diviſis vel indiviſis; ſed non in fructibus pendentibus aut annuis reditibus, *ibid.* Quibus in contractibus aut perſonis competat? 479, 5 & 6. Intra quod tempus denunciatione factâ, vel non factâ? 480, 7. Jus hoc excluditur à neceſſitate, 481, 10.
Jus Protimeſeos habens, duo facere debet intra tempus competens, 481, 11. 482, 13. Et lapſu temporis illius excluditur, 481, 12. Si hoc jus habens abfuerit, niſi ei denunciatum fuerit, habet annum & diem, *ibid.*
Jus Protimeſeos competit procuratoribus, aut defenſoribus; & eorum causâ indulgetur ſpatium 4 menſium, 482, 13. Sed hoc tempus variat ſecundum conſuetudinem regionum, 482, 14. Non competit ei qui atroces injurias contra venditorem exercuit, 482, 15. Jus Protimeſeos vicinis etiam competit, 484, 20. Jus Protimeſeos ex jure Feudali competens, 486, 22.
Jus ſibi dicere poteſt, cui denegatur juſtitia, 519, 11.
Juſtitia conſervat ſocietates, & eſt compages regnorum, 5, 9. 515, 2.
Juſtinianus Imperator feliciſſimus Princeps, ſed nimis uxorius, 12, 11. 323, 2. 330, 4. 339, 7. 340, 11.

K

Karri de Pherneheſt familia, 212, 19.
Keir (Dominus de), 521, 20.
Kethorum familia Mareſcalli Comitis, 104, 13.
Kill quid? 260, 25. *fin.*
Kircaldii de Grange familia, 212, 19.
Knaveſhip quid? 253, 6.
Kyndneſs & Kyndly Tenents, 275, 34.

L

Laicum feudum, vid *Feudum.*
Laici indiſtinctè feudare poſſunt, licet cenſus minuatur, 125, 17. 126, 18.
Laſus ultra dimidium, 265, 42. 341, 13.
Lapicidinæ omnes cum feudo tranſeunt ad vaſſallum, 258, 21. 396, 19.
Latrocinari, pro bellum gerere, & latrocinii nomen olim non infame, 4, 8.
Leaſe apud Anglos eſt aſſedatio aut locatio apud nos, 86, 4.
Lecto in ægritudinis qui eſt, ut feuda alienare non poteſt, ita nec mobilia hereditaria, niſi neceſſitate prematur, 114, 36. 350, 8. Nec heredis ſui matrimonium in fraudem ſuperioris præcipitare, 412, 30. Quis ſit lectus ægritudinis, 114, 36. Lex de ægritudine experientiâ magiſtrâ uſu introducta eſt, 174. 18. 178, 28.
Legalis reverſio, vid *Reverſio.*
Legati à latere, 120, 6. Legati à Principibus miſſi munus, 176, 23.
Legatum quid majus in ſe habet traditione? 182, 5. ibi, *Imò.*
Legatariis acquiruntur bona abſque poſſeſſione aut traditione, 444, 30.
Legum prima origo, 2, 4 & 5. 6, 11. Leges ut primò ferebantur? 8, 14.
Lex Salica fundamentalis apud Gallos, 28, 8. 173, 16.
Lex agraria à Conquæſtore lata, 39, 3.
Legum XII. Tabb. origo, & elogium, 10, 3. 309, 4. 338, 5.
Leges patriæ in acquirendo obſervans, non videtur in foro conſcientiæ peccare, 317, 31. *fin.* 341, 14.
Leges naturæ omnibus privilegiis ſunt præferendæ, 176, 23.
Leges ſucceſſionum, quæ ex ſacra Scriptura traduntur, non ſunt ad neceſſitatem trahendæ, 340, 10.
Lex Voconia, 340, 11.
Legitimati per ſubſequens matrimonium eodem modo ſuccedunt ac naturales & legitimi, jure Divino ac Civili, 313, 16. 316, 27. Sed ſecus apud Anglos, *ibid.* & 366, 8. 372, 21. *fin.* An ſuccedant in feudis diſputatur, 316, 27. 366, 7.
Legitimati per Principem, aut oblationem curiæ, ſpurii cenſentur, 316, 27.
Legitimationis literæ, quorſum? Et an reſcindi poſſint ob ſupervenientes liberos? 368, 12.
Legitimari nequeunt ex damnato coitu nati, 368, 13. *fin.*
Legitimatis rectè tribuitur poteſtas de rebus ſuis diſponendi, tam in vitâ quàm in lecto ægritudinis, 368, 13. *fin.*
Legitimationem liberis tribuit alterutrius parentum bona fides, licet non ſufficiat ad ſtabiliendum matrimonium, 370, 18 & 19.
Lenonum pœnæ ad quem pertineant, 159, 28.
Leo, Rex armorum dictus, ejuſque feudum, 55, 3.
Leproſus, quia à communione hominum arcetur, diſponere nequit, 115, 38.
Leviniæ ducatus, 150, 5. 209, 9.
Libellum [*ad*] feudum, vid. *Feudum* ad libellum.
Libellus appretiationis, 456, 17.
Libellus de felonia contra vaſſallum continere debet locum & tempus delicti, 522, 24.

Liberè

Liberè tenentes qui dicantur? 87, 6. 248, 28. 362, 42.
Liberorum hominum nullum ex jure commercium, 174, 19.
Liber introitus & exitus rem ipſam comitatur, 263, 36. Et precariò poſſidenti eſt concedendus, 270, 12.
Liberum tenementum quid? 87, 6. 248, 28. 302, 16. 362, 42. 472, 28.
Liberi quando ſibi, quando aliis acquirant? 168, 3.
Liberorum nomine nepotes, &c. intelliguntur, 319, 40.
Liberi non poſſunt eſſe in poteſtate alterius quàm patris, 392, 7. 399, 29. 408, 16.
Liber reſponſionum quid? 387, 30. Vid. *Reſpondere.*
Librata terræ quid? 291, 24.
Licentia Regis requiritur ad extruendam turrim, aut propugnaculum aliquod, 90, 14. 252, 3.
Licentia quid? 348, 2. 444, 31. 466, 11.
Licitatio quid? 234, 29. 385, 22. 435, 13. Vid. *Appretiatio.*
Ligium feudum, vid. *Feudum.*
Ligius homo, & feuda ligia, 48, 2. 62, 24. 103, 7. 107, 21. 289, 16. Nemo duorum uno tempore poteſt eſſe homo ligius, 373, 24. At aliud inter Principes, *ibid.* § 25.
Liquidatio fructuum in non-introitu, vid. *Non-introitum.*
Liquidum debitum quid in jure, & in appretiatione? 448, 3.
Lite motâ, quiſque inſiſtere cogitur? 145, 26. Excuſationem ea præbet in variis caſibus, 301, 15.
Lis conteſtata quando dicatur? 522, 24.
Litigioſam rem comparare, Senatoribus, aut aliis juriſdictionem aut officium quodcunque habentibus, denegatur, 133, 17. Quæ ſit res litigioſa? 144, 25 & 26. ubi pœnæ mentis aut vendentis rem litigioſam.
Literæ quando in uſu apud Britannos? 41, 8.
Literæ quatuor formarum quæ? 449, 4.
Literæ in ſupplementum, 454, 12.
Literæ diſpenſatoriæ olim in uſu, 455, 14.
Literæ conformes quæ ſint? 524, 28.
Littletonius apud Anglos probatiſſimus Auctor, 89, 10. 440, 25.
Littus maris quid, & cujus juris? 140, 15.
Locatione conceſsâ, ſublocatio, niſi conceſsâ poteſtate, non permittitur, 72, 9. Nec in aſſignatos tranſlatio, 87, 5 & 6. 279, 3.
Locationi omni hoc pactum ineſt, Si penſio ſolvatur, 86, 5. 280, 7.
Locans ſine mentione annorum, ad vitam conducentis locaſſe videtur apud Anglos, 86, 5. (pro mercede diſtringere poteſt, 70, 4.) at apud nos pro uno tantùm anno, 280, 7. Locans neceſſariò debet eſſe ſaſitus, 44, 14. ibi, *In locationibus.* 87, 5. Locanti jus prohibendi competit, ſi fundum deterioraverit colonus, 257, 19.
Locare in modicum tempus vaſſallus poteſt, niſi in fraudem domini, 264, 40. 470, 23 & 24.
Locationes diverſas habens, colonus, unâ electâ, ab altera receſſiſſe videtur, 276, 36. *fin.*
Locatio ad certos annos, quibus finitis duratura, dum pecunia colono debita ſolvatur, ſpecies alienationis eſt, 279, 5. De tali pacto, 281, 11.
Locationum duo ſunt genera; unum, in longum tempus; alterum, in breve: ad decem annos eſt ad longum tempus, 471, 24. 479, 5.
Loco nullo conſtituto in reverſione, quid faciendum? 204, 37. 224, 4. 226, 9. Vid. *Datam.*
Locus inſerendus ſaſinæ ubi res agitur, 238, 2. 239, 6. 244, 14.
Longobardiam natale ſolum eſſe juris Feudalis, 34, 2.
Lord, nomen dignitatis, unde? 106, 18. 108, 23.
Lundie familia, 327, 10.
Luſs (Dominus de), 505, 3.
Lycurgus Lacedæmoniorum Legiſlator, 8, 14. 309, 4.
Lyndeſii de Spynie familia, 151, 6.

M

Magiſtratuum creatio meritò inter Regalia numeratur, adeò ut aut ipſe Rex creet, aut aliis creandi poteſtatem mandet, 160, 35. 163, 44. 517, 8.
Magno ſacramento interveniente, verbis Brevis de morte anteceſſoris, quid intelligatur? 359, 29.
Magna charta quæ? 42, 10. 400, 31.
Magus ex religione Perſarum quis? 365, 4.
Mains unde? 108, 22. *fin.*
Majeſtatis damnati feudum dare non poſſunt, 115, 37. Majeſtatis reus quis? 160, 32. An qui probare non poteſt detegere teneatur? 285, 7. Majeſtatis reus reſignare non poteſt poſt crimen commiſſum, 445, 33. 510, 17.
Majori parti ineſt totum, 122, 13.
Major reſtituitur in integrum, 301, 15.
Mala fides actionem non producit, 207, 3.
Mandatum generale & cum libera quid? & quouſque extendatur? 176, 23. 239, 4, 5 & 6. 275, 34. 278, 1. 281, 11. 474, 34.
Manſus quid ſit? 107, 22. 261, 30. *fin.* De manſo Eccleſiaſtico, *ibid.* & 137, 6.
Manuarius quæſtus nobilitati opponitur, 109, 25.
Manus mortua quid? 81, 35. 202, 28. Vid. *Feudum* ad manum mortuam.
Manutenentiæ, ſive hominii & protectionis obligatio, vulgò Manrent, damnata, 218, 8. 284, 1.
Marchionis nomen & dignitas unde? 103, 11. 104, 13. 162, 41. 316, 29. 318, 32.
Maris proprietas eorum eſt quorum eſt proximus continens, 140, 13.
Mariſcalli dignitas unde? 104, 13. 517, 9.
Maritus jurat pro uxore vaſſalla, 88, 10.
Maritus, jure Anglorum, nullum jus uxoris, ne quidem cum ejus conſenſu, alienare poteſt, 142, 20. 445, 34.
Maritatio & relevium juris Feudalis ſunt, 47, 2.
Maritatio heredis ſemper priori domino reſervatur ſtatuto Parliamenti Perthæ menſe Julio anni 1606, 398, 23.
Maritationis nomen utrique conjugum commune eſt, & ita cum cuſtodia conjuncta eſt, ut niſi heres ſit earum terrarum quæ cuſtodiam debent, non procedat maritatio, niſi vi pacti, 404, 1. Ut in emphyteuſibus vallis Erniæ, *ibid.* 407, 13.
Maritatio videtur introducta contra regulas juris Divini & naturalis, Civiles & Pontificias conſtitutiones, & libertatem matrimonii, 404, 2. Nec adeò tamen, quin omni jure defendi poſſit, imò ex ipſis fontibus juris Feudalis deſcendere, 404, 3.
Maritatio quid ſit? 405, 4, 6 & 9. 408, 15. 412, 30. Fraus omnis ab ea abeſſe debet, *ibid.*
Maritatio competit ſoli domino aut ejus donatario, cùm vaſſallus in feudo militari decedens relinquit heredem non conjugatum, 405, 5. 407, 12.
Maritatio non debetur, ſi heres in vita prædeceſſoris ſui ſaſitus fuerit, 405, 6. 407, 12.
Maritatio an habeat locum, ſi heres apparens credi-

tor ſit ſui patris, & pro debito feudum appretiaverit, & ſaſitus fuerit invito domino? 405, 6.
Maritandum circa heredem maſculum & fœminam differentiæ variæ, 406, 8, 9, 10 & 11.
Maritatio domino non competit vaſſallo vivente, niſi heres ſit fœmina, 406, 8. At apud nos hoc in uſu non eſt, 407, 10. *fin.*
Maritationi heredis fœminæ ſi diſſentiat dominus, quid faciendum vaſſallo? 406, 9.
Maritatus heres mas ſemel cum conſenſu domini, ſi cœlebs poſtea fuerit, non opus habet ſecundo conſenſu ſui domini: ſed ſecus in fœmina herede, 406, 10.
Maritationis jure, ſicut pater (ut 404, 3.) cum filium maritat, ſic dominus, dotem lucratur, 407, 13.
Maritationis jus ad nulla alia feudorum genera ſe extendit quàm militaria, 407, 13. 408, 14.
Maritationis jus, diverſis ob diverſa feuda militaria debitum, domino tantùm antiquiori debetur, aut Regi, ſi heres habeat tale feudum de Rege, 407, 14. *fin.* Idem, de fœmina herede, 408, *eod.*
Maritationis jus non competit ſuperiori Eccleſiaſtico, 408, 14.
Maritationis circa jus ſi lis oriatur inter plures diverſos dominos, curabit heres omnes coram Senatu convocandos, ut cognoſcatur quis ſit antiquiſſimus, 408, 15.
Maritationis jus impeditur à patre quàmdiu vivit, ſi forte heres ſuccedat matri, aut avo per matrem; nam dominus in hoc caſu cuſtodiam feudi habebit, ſed non corporis, nam liberi non poſſunt eſſe in cuſtodia alterius quàm patris quamdiu vivit, 408, 16.
Maritandi heredem jus non competit matri, *ibid.*
Maritationem circa, quid ab herede præſtandum, ſi indotatam duxerit, aut eam ubi ſpes magnæ dotis effulgeat, 409, 17 & 18. Si requiſitus à domino ut ſuum conſilium ſequatur, nec fecerit, duplum præſtat, *ibid.* § 18 & 19.
Maritationis ſimplum & duplum quid? quomodo utrumque æſtimandum? & quid inde juris? 409, 19.
Maritationis ſimplum in duobus caſibus locum habet, 409, 20.
Maritationem circa, jure Anglorum in fœmina herede quæ 14 annum excedit relicta, quid? 409, 20. 412, 30.
Maritationis in æſtimatione ſimpli faciendâ, non tantum feudi ipſius utilitates, ſed etiam omnes aliæ quas aliunde habet heres, ſunt æſtimandæ, 410, 21 & 24. 433, 9.
Maritationis duplum quando debeatur? 410, 22. Aliquando non exigitur, 411, 25.
Maritationis valor in herede maſculo, aliter quàm in herede fœmina æſtimandus, 411, 28. 413, 32.
Maritationis duplum in Anglia æſtimatur ſacramento duodecimvirali, 412, 30.
Maritationis pœna aut ſimpli aut dupli non repetitur apud Gallos, 412, 31. Maritationis jus, utrum à Gallis, an à nobis, ad Anglos emanaverit? 39, 2. 48, 3. 413, 33.
Marito intra annum mortuo, uxor nullam bonorum mobilium partem conſequitur, 422, 23.
Marito an transferri poſſit jus feudi, nomine dotis? 469, 18.
Marmoriſodinæ omnis generis apud nos repertæ, 258, 21. Cum feudo tranſeunt ad vaſſallum, *ibid.*
Marus, ſive Major urbis, quis? 363, 43. 517, 9.
Mar familia, 159, 30. 351, 11.
Maſculinum feudum, vid. *Feudum.*
Maſculorum conditio in materia ſucceſſionis quàm fœminarum potior, 330, 3. 339, 7.
Materia juris feudalis, 48, 4. 167, 1.
Matri domini an eadem reverentia quæ uxori habenda? 501, 28.
Maternum feudum, vid. *Feudum.*
Maternis bonis materni conſanguinei ſuccedunt, 331, 6. 334, 13. 350, 9.
Matrimonii favor, 65, 33. 71, 7. 94, 25. 95, 28. 113, 32. 142, 20. 145, 26. Symbolum annulus, 180, 3.
Matrimonium ad morganaticam quid? 316, 28. Filii ex eo non ſuccedunt in feudo, *ibid.*
Matrimonium aliquando de jure, aliquando de facto contrahitur, 370, 18. Ejus diverſi effectus, 371, 19. 421, 22.
Matrimonium quicquid impedit contrahendum, idem etiam dirimit contractum, 370, 18. 371, 19.
Matrimonium debet eſſe liberum, 404, 2.
Matrimonium non eſt præcipitandum à domino, nec in fraudem domini, neque à vaſſallo, dum ipſe vivit, neque ab ipſo herede, 412, 30. 413, 32.
Matrimonium ſi ab initio nullum, aut de facto, aut de jure, nulla etiam erit conjuncta infeudatio, aut uſusfructus, 421, 22.
Matrimonii dirimendi cauſæ, 463, 4.
Maxwell de Calderwood familia, 475, 35.
Maxwell de *Aikenhead* familia, *ibid.*
Mediolanenſium jus circa exteros & cives, quoad ſucceſſionem, & jus civitatis commutandum, 374, 24.
Membranæ unde dictæ? 194, 4. Pergamenæ unde nomen habeant, *ibid.*
Menſâ Epiſcopi quid intelligatur? 124, 17. 137, 7.
Menſis & dies ſunt apponendi inſtrumentis ex neceſſitate, ut ſciatur quo die quid actum, 244, 13. & etiam hora, *ibid.* § 14. *fin.*
Mente captus quomodo acquirat feudum? 128, 3.
Mercatura nobilitati adverſatur, 109, 25.
Merces in emphyteuſibus & locationibus, non in moneta, ſed in frumento, vino, aut hordeo, &c. eſſe debet, 151, 5. Si in pecunia numerata, aut fructibus ſoli fuerit, quando exigenda? 270, 13 & 14. Mercedes decimarum ſtatim poſt collectas fruges debentur, *ibid.*
Merchetæ mulierum quid, & unde ad nos pervenerint? 203, 31.
Meſuagium capitale alienari vel feudari nequit, 145, 27.
Metallorum omnium fodinæ, auro & argento exceptis, non ad Regem ſed ad dominos fundi pertinent, 161, 36.
Metus reſtitutionem præbet, 286, 8. 302, 15. 420, 18.
Meum definitur in jure, cujus nulla pars alterius dici poteſt, 57, 9. 199, 23. *Meum* etiam dicitur cujus uſusfructus eſt alterius, & quod cum altero eſt commune, *ibid.*
Migratio quid? 267, 1. Alia eſt voluntaria, alia coacta, 268, 3. In omnibus migrationibus, quid generaliter obſervandum? 276, 37. vid. *Actio.*
Militare feudum, vid. *Feudum.*
Militibus an liceat acquirere feuda in ea regione ubi militant, 132, 17. Iis olim incognitæ erant literæ, 189, 24. 298, 4.
Militibus non permittitur inquirere in facta ejus à quo ſtipendia accipiunt, 287, 11.
Miniſtri verbi Dei Notarii in teſtamentis fiunt, 242, 10. Si hereditas iis obtigerit, non ſunt revocandi à ſuo miniſterio ad ſecularia, 373, 22.

Minor curatorem habens aut non habens, quomodo agat? 111, 30. 114, 33. 142, 19. 301, 14. 302, 16. 395, 16. Læſus in integrum reſtituitur; & licet non poſſit feudum novum dare, vetus tamen renovare poteſt, 111, 30. 196, 11. 302, 16. Non tenetur warrantizare à warda & relevio, vel non-introitu, cùm hæ cauſæ ex jure procedant, quod nemo debet ignorare, 210, 11. Minor octodecim annis non poteſt eſſe teſtis in cauſa feudali, 523, 26. *fin.*

Minutes, vid. *Abbreviaturas* contractuum.

Miſericordia domini Regis quid? 44, 15. 490, 7.

Miſerabilis perſona quæ? 519, 13.

Mobilia bona hereditaria quæ? Qui eorum quid tenet, pro herede habetur, 208, 6. 310, 7. 335, 17. 350, 7. 369, 16. 452, 8. In eorum partitione filiæ cum filiis pariter admittuntur, 325, 4 At ſoluto matrimonio ſine ſobole, nulla eſt partitio, 422, 24. Vid. *Ingratitudinem.*

Mobiles res per ſe non poſſunt in feudum conſtitui, ſed cum re immobili, 57, 7. *Jura* ad mobilia quidam referri volunt, 60, 15, Mobilia omnia allodialia eſſe, nec de Principe teneri, nec in ejus patrimonio aut poteſtate eſſe, niſi quoad ejus tuitionem & protectionem, 62, 25

Mobilia & omnia alia bona ſubjiciuntur cognitioni domini ligii, non ſecus ac feudum ipſum, 107, 21.

Mobilia inter & immobilia nulla differentia eſt jure Civili, quoad acquiſitionem aut alienationem, 173, 17. 422, 24.

Mobilia bona quomodo haſtæ ſubjicienda? 453, 11.

Modis iiſdem, quibus acquiritur rerum dominium jure gentium aut Civili, etiam feudum acquiritur, 168, 2.

Molæ privatæ causâ, ſine Principis licentia, nequit aqua à flumine publico derivari, 152, 11.

Molendina an inter Regalia? 162, 41. An pertinentiarum nomine veniant? *ibid. fin.* 201, 24 & 27. 244, 15. 252, 3 & 5. Non tranſeunt cum feudo niſi exprimantur, etiam apud Normannos, 259, 23. Molæ, ſive molendina conceſſa ab eo qui jus diſponendi habet, liberant vaſſallum ab aſtrictis multuris, ſi fortè ejus terræ antea erant multuris pendendis in molis domini obnoxiæ, 253, 5.

Molam an in ſuo feudo exſtruere poſſit vaſſallus, qui multuris aſtrictis obnoxius eſt? 253, 5. In publico fluvio exſtrui non poteſt, etiam cum Principis licentia, ſi navigationis uſus inde impediatur, *ibid.*

Molituris ab aſtrictis liberatio fit, vel expreſsè vel tacitè, 253, 5. 255, 11.

Molæ veteris reparandæ causâ, quædam, aliàs illicita, permittuntur, 253, 5. Molendinum quomodo præſcribatur? *ibid.* In molis Regiis uſus perpetuus pro conſtitutione eſt, 254, 7.

Molituræ, (quas *Multuras* dicimus) quid? & circa eas jus, 253, 6 & 7. Multurarum aſtrictio, licet per temporis uſum probari non poſſit, quantitas tamen poteſt, *ibid.* § 7. *fin.* Aſtrictio duobus modis fit, *ibid.* § 7. Circa molas & multuras ſtatutum Gulielmi I. apud nos, 254, 9.

Moleſtatio à purpræſtura diſtinguitur, 490, 7 & 8.

Molucca inſulæ à Carolo V. Imp. impigneratæ Regi Luſitano pro grandi ſumma, 140, 14.

Monachorum origo, 121. 9. Eorum in deteriora verſio, *ibid.* Cùm nihil habeant, feudare non poſſunt, 126, 20. An feudorum capaces cum ſervis æquiparentur? 131, 11.

Monaſterium ſuperiorem habens, ejus conſenſum requirit in ſuis actibus, 121, 11. Feudari nequit, 137, 6. Pleraque apud nos in uſum privatorum ſunt tranſlata, in Anglia omnia, *ibid.*

Monaſteria, quia nunquam moriuntur, non cadunt in non-introitum, 387, 28.

Monetæ valor mutatus maximum malum, 150, 5. Ejus feriendæ jus ad Regem pertinet, 156, 21. 360, 35. Hoc jus aliis conceſſum ſurreptitium præſumitur, 158, 26. Ejus bonitas quoad formam aut materiam, 158, 24. Quæ bonitas aut qualitas in reverſione contenta eſt, eadem in redemptione eſt obſervanda, 157, 22. 229. 17.

Monitio per cornu, vid. *Coactio.*

Monitione factâ debitori à creditore, ut intra terminum juris illi quod debet ſolvat, ſi ab inferiore judice fiat, quindecim dierum ſpatium indulgebit, 449, 3. *fin.*

Monomachia pro armis & deprædationibus ſubſtituta, 519, 11 *fin.*

Monſtroſus partus an admittatur ad ſucceſſionem? 314, 18.

Mora jure Civili indulgetur debitori, ut debitum ſuum ſolvat, 449, 3. Moram in judicando quando dominus & Pares dicantur committere? 520, 18.

Morgagium, vid. *Mortuum vadium.*

Moraviæ Comitis familia, 227, 12. 367, 11.

Mors non eſt modus feudi amittendi, 431, 3.

Mors civilis & naturalis quomodo differant? 427, 36.

Mortificatio quid? 81, 35. 204, 35. Prohibetur & apud nos & apud Anglos abſque conſenſu domini ſuperioris, 92, 21. 126, 20. 141, 16. Et etiam apud Gallos, 97, 37.

Mortoniæ Comitis familia, 202, 29.

Mortuum vadium & morgagium quid? 216, 4. 233, 27. Olim apud Normannos idem erat cum impigneratione, quæ apud nos Wadſett dicitur; at, ut recentiores Angli accipiunt, idem eſt ac apud Romanos pactum legis Commiſſoriæ, *ibid.* Quare mortuum vadium dicatur? *ibid.* Quædam in eo peculiaria apud Anglos, 235, 30, 31 & 32.

Mortuus non ſaſit vivum apud nos, ut apud Gallos, 249, 28.

Mortuo vaſſallo, ex hereditate jacente varia oriuntur jura, 308, 2.

Mos regionis inſpiciendus in feudis, 66, 36. ibi, *Secunda.* 214, 22. 351, 10. 464, 7. 474, 32. 515, 4.

Moſes primus leges ſcriptas exhibuit, 7, 13. 9, 15. 310, 9.

Mulctarum pœnarumque compendia ad Regalia pertinent, exceptis iis quæ ſpeciali privilegio communitatibus aut privatis applicantur, 159, 27. 261, 30. 272, 26. 290, 17. 516, 5.

Mulctæ veteres apud nos, cur numero ovium aut boum conſtabant? 159, 29.

Mulctas judiciorum levare poteſt dominus, 295, 37. 516, 5.

Mutilatio quid? 130, 10. 261, 31.

Muto ineptè conceditur feudum patroni, 77, 20. 130, 10 & 11. *fin.* Mutus, aut alioqui lege vel naturâ impotens, à ſucceſſione olim repellebatur, 47. 2. Mutus non poteſt in feudum dare aut accipere, niſi intelligat id quod agitur, 110, 27. 114, 34. 130, 10 & 11. *fin.* 132, 15. 172, 12. 216, 3. 375, 29. 431, 4.

Mutehill, 521, 19.

Myrica quid? 396, 19.

N

Namare quid? 264, 40.

Narratio meritorum cartis Principum inſeri ſolita, examinanda eſt, 151, 6. 196, 12. Chartæ ex falſa narratione conceſſæ revocationi obnoxiæ ſunt, *ibid.* An ejuſmodi narrationes fidem faciant? *ibid.*

Narrationes requiſitæ in Eccleſiaſticis conceſſionibus aut feudis, 197, 15. In privatorum chartis, ſæpe falſæ pro veris adhibentur, *ibid.*

Nativi tenentes qui? 27, 6. *fin.*

Nativæ poſſeſſionis ſucceſſor eſt obnoxius creditoribus, 208, 6.

Naturalia feudorum, quæ plerumque innovantur accidentalibus, 63, 27. 66, 35. 220, 12. Quæ pactis abeſſe poſſunt, 63, 27 & 28. 66, 35. 69, 2. 71, 7.

Naturalizatio apud Gallos quid? 129, 6. Angli *Denizationem* vocant, 43, 14. ibi, *Si extraneus.* 129, 6. 366, 8. ubi quid ſingulare in ſucceſſione.

Navigandi jus ad privatos pertinet, 152, 11.

Naves angariariæ quæ? 160, 33.

Neceſſitas non habet legem, 114, 33 & 36. 142, 19 & 21. 145, 27. 218, 7. 350, 8. 467, 12. 468, 16. 481, 10. 484, 19. Tamen quod ex pietate fit, non eſt ad neceſſitatem trahendum, 365, 5.

Nefarii ſpurii qui? 365, 4.

Nemus inter & ſylvam diſcrimen, 260, 28.

Nepotes olim non ſuccedebant in feudo alicui & filiis conceſſo, 27, 7. Sed poſtea à Conrado Imperatore ad ſucceſſionem admiſſi, 28, 8.

Newbottle (Dominus de), 204, 36.

Nidrai Dominus, 257, 18.

Nobile feudum, vid. *Feudum.*

Nobilitare quid? 75, 16. Et qualiter nobiles inveſtiantur? 76, 19. 108, 23.

Nobilitatur regulariter nemo feudo novo, 74, 14. Nec burgali, 80, 31.

Nobilitas & juriſdictio quomodo apud Gallos redintegretur? 96, 34.

Nobile feudum in Britannia Armorica poſſidens nobilis cenſetur, in reliqua Gallia non item, 98, 39.

Nobilitas quomodo apud Gallos concedatur & amittatur? 109, 23, 24 & 25.

Nobilitas patris filio baſtardo agnito impertitur, 372, 21.

Nomen, cognomen & deſignatio concedentis ſunt in chartis exprimenda, 197, 14. Atque idem in accipiente, 198, 19.

Non-francum feudum, vid. *Feudum.*

Non-introitûs ratione ſuperior non poteſt ad migrandum cogere colonos abſque declaratoria ſui juris, 273, 27. *fin.* 385, 23.

Non-introitus ſiſtitur clauſo feudo per renovationem, 305, 23. Vel per conjunctam inveſtituram, 416, 5.

Non-introitus remedium eſt, quo cogitur vaſſallus petere renovationem feudi, 305, 24 & 25. 357, 22. 389, 1. Oritur domino ex morte vaſſalli, 308, 2. 378, 1. 494, 14.

Non-introitus non minùs juris Feudalis eſt, cùm ex ratione oriatur, ac ſi in ipſo textu contineretur, 379, 2. ubi etiam pœna dicitur.

Non-introitus duplex; unus, quando vaſſallus ex negligentia craſſa vel malitia feudum ingredi differt; alter quando, etiamſi velit, non poteſt, ut in warda, 379, 4. 384, 18.

Non-introitus etiam fit, ſi retornatus heredis aut alterius cujuſquam majorum declaretur judicio reſciſſorio nullus, aut etiam in reſignationibus, 380, 5. 383, 16. ibi, *Medii temporis.* 385, 20. *fin.* 436, 16.

Non-introitûs actio competit ſoli domino immediatè ſuperiori, (ne ſervitiis ſuis careat) aut ejus donatario, 380, 6.

Non-introitum circa ſi contentio oriatur inter diverſos donatarios de prælatione, qui priùs citaverit, vel jus ſuum inſinuaverit, præferetut: ſi tamen heres vaſſalli id ipſum jus à domino impetraverit, omnibus aliis præferetur, ob naturalem poſſeſſionem quam habet, 380, 7.

Non-introitûs donatarius inſinuationem facere debet ipſi vaſſallo, non valvaſſori, 380, 8. 382, 12. In his donationibus non comprehenditur jus aliquod ſuperveniens, ſed id ſolùm quod tempore donationis competebat, 380, 8. Duobus caſibus exceptis, 381, 9.

Non-introitûs in judicio quâ formâ procedendum ſit? 381, 10.

Non introitûs in judicio dominus eſt judex; ſed vaſſallus providus hoc judicium avocabit ad Senatum, 381, 11.

Non-introitûs libellus duplicem habet concluſionem; alteram petentem feudum in non introitu tali tempore declarari; alteram petentem fructus tot annorum liquidari, pro quibus diſtringere poteſt dominus, 382, 13. Ex ſola tamen prioris partis concluſione omnia agere poteſt quæ ipſe vaſſallus, *ibid.* De ſecunda concluſione libelli, vid. 384, 20.

Contra non-introitum objici ſolent exceptiones variæ: (1.) Feudum eſſe plenum, non ſolùm per ſaſinam vaſſalli, ſed etiam per conjunctam inveſtituram viduæ vaſſalli, modò hæc à domino procedat, aut ab eo confirmetur, 382, 14. (2.) Curialitatis, vel ſi vir in conjuncta inveſtitura fuerit cum uxore, vel per reſignationem ejus, vel domini confirmationem, modò proprietaria hæc aut vaſſalla conjunx ante deceſſum ſaſita fuerit à domino. Idem in Tertia, quæ viduæ non competit, niſi maritus fuerit à domino receptus & ſaſitus, 383, 15. (3.) Trium ſaſinarum ex retornatibus deſcendentium: nec ſufficit ſi ex tribus alienationibus aut reſignationibus, 383, 16. (4.) 36 annorum, ſi feudum fuerit plenum, imò 30 ſufficere, 383, 17. Et plenitudo principalis feudi ad pertinentias extenditur, *ibid.* (5.) Cuſtodiæ exceptio contra non-introitum objicitur, 384, 18. 389, 1. Sunt quædam exceptiones temporariæ, de quibus dubitatur, 384, 19.

Non-introitûs actio odioſa admodum eſt, 383, 17. 385, 20.

Non-introitus, ſi cum warda continuetur, iidem fructus debebuntur qui tempore wardæ ſolvi ſoliti ſunt, 385, 21.

Non-introitûs poſt declaratoriam effectus varii, & quoad tempus præteritum & quoad futurum, 385, 22 & 23. Non oneratur dominus alimentis heredis, & quare? *ibid.* Hæc actio extenditur ad omnis generis feuda, quibuſdam exceptis, viz. burgalibus, & annuis reditibus burgalibus, 386, 25 & 26. Habet locum etiam in burgis Baroniarum, ſed non in feudis Eccleſiaſticis, quia non moriuntur; ea tamen feuda quæ de Eccleſia tenent, in non.introitum, ut cætera, cadunt, 386, 27 & 28.

Non-introitus in judicio hoc proprium eſt, quòd ſententia pro non-introitu lata per inſtrumentum de novo repertum retractari poſſit; & in terris quæ

de

de Rege tenentur, extractum de libris reſponſionum illius regionis ſaſinam poteſt ſupplere, 387, 29.
Non-introitum inter & wardam differentia, 389, 1.
Non-introitûs cauſa ſi dominus exſtiterit, non lucrabitur fructus, 436, 16.
Non-ligium feudum, vid. *Feudum.*
Non-numeratæ pecuniæ exceptio non competit, nec jure Anglorum nec noſtro, 198, 16.
Non-rectum feudum, vid. *Feudum.*
Non-regale feudum, vid. *Feudum.*
Normannia nova ex Neuſtria antiqua facta, 41, 7.
Normannicæ leges vi inductæ Anglis, 40, 4. 42, 10. 48, 3. 309, 4. 358, 25. Antiquatis omnibus aliis, unâ exceptâ de pace tenenda, 42, 10. Normannia jure hereditario Anglis obvenit, 493, 13.
Notario in modo tenendi non creditur, ſi non adſit charta, 187, 18.
Notarii nomen à notis capiendis, 238, 4. 240, 7. Notarii duo requiruntur in omnibus atteſtationibus majoris momenti, 50, 9. 211, 13. 225, 5. 241, 7. 246, 20. præter teſtes, 432, 7. Notario pro inſtrumento præſens pecunia ſolvenda, 433, *eod.*
Notariorum alii ſunt Apoſtolicâ, alii Imperiali auctoritate, 240, 7.
Notariorum nomen & uſus natus, cùm privatarum ſcripturarum fides vacillare cœpit; & deinde abuſus eorum ad ſcripturarum privatarum fidem regreſſum fecit, 241, 7.
Notario non eſt adhibenda fides, niſi in iis quæ ſub ſenſus cadunt, 241, 7. 246, 21. Tria requiruntur in Notario in conficienda ſaſina, 241, 8, 9, 10 & 11. Nomen ſuum & ſignum apponere debet, & inſtrumentum propriâ manu ſcribere, 246, 21. Si ab alio ſcribatur, quid illi faciendum? *ibid.* Specialiter eſt rogandus, aliter inſtrumentum nullum, *ibid.*
Notarius in omnibus judiciis intervenire debet, 521, 20.
Novum feudum, vid. *Feudum.*
Nullitates an per exceptionem recipiendæ? 50, 9.
Nundinarum jus Barones habent, 105, 16. Eſt à Principe, 161, 37.
Nuptiæ ſine conſenſu patris à filio familias contractæ, an valeant? 404, 3.
Nurûs appellatione quid intelligatur? 319, 40.

O

OBaratis debitoribus in fraudem creditorum alienantibus, quomodo occurratur? 112, 31.
Obiiſſe in feudo dicitur is etiam qui annuum reditum hereditarium habet, 78, 23. 82, 37. 359, 30.
Oblatâ & conſignatâ ſummâ in reverſione contentâ, fructuum in redemptione ratio habetur, 223, 3. Oblatio & conſignatio quomodo facienda? 224, 4. 228, 14. Conſignatæ pecuniæ periculum ad quem pertineat? 224, 4. Et quid operetur? 228, 14. 231, 24. Oblatio mercedis coram Tabellione liberat emphyteutam, ne cadat ab emphyteuſi 508, 12.
Obligatio inter patrem & filium eſt nulla, 131, 12.
Obligatio uxoris conſentientis viro, quatenus uxorem poſt mortem mariti obliget? 142, 20.
Obligatio an fieri poſſit ejus quod non eſt, aut quod incertum eſt an unquam ſit futurum? 229, 16.
Obligatio pro concedenda reverſione, vim reverſionis habet, 231, 23. 280, 10. 423, 27.
Obligationes mutuæ inter dominum & vaſſallum, 284, 1.
Offenſa apud nos non cenſetur remiſſa, niſi expreſsè remittatur, 509, 14.
Officia coronæ dignitatem annexam habent, & eorum mercedes feuda dicuntur, 73, 11.
Officia pleraque quæ à vaſſallo domino debentur Hottom. 4 capitibus comprehendit, 292, 28 & 29.
Officia inter dominum & vaſſallum plerumque mutua ſunt, 294, 33.
Officium aliquod publicum quomodo æſtimetur, ut licitetur, 455, 15.
Omnibus viſuris vel audituris quid ſignificetur? 196, 13.
Omiſſiones quædam vaſſallis fatales ſunt, 506, 7.
Opinio eſt gradus ſcientiæ, 480, 8.
Oppido aut civitate in feudum datâ, ſuæ ſequuntur pertinentiæ, 264, 39.
Orcades vi fœderis Scotiæ partæ ſunt, 140, 14. Orcadum Comes ſpeciali infeofamento Mark lucratur, ut & plerique Nobiles & Barones maritima poſſidentes, 162, 42. & etiam fiſcum ſuum habendi privilegio gaudet, 164, 46.
Ordaliæ lex, 46, 24. 104, 13.
Ordinarius ordinariorum quis? 119, 5.
Ordinarius judex quis intelligatur, cui Breve de morte anteceſſoris dirigitur? 358, 26.
Ordo judicii Feudalis idem ferè ac juris Civilis, 521, 21. 522, 25.
Ormiſtonii familia, 213, 20.
Ornamenta muliebria non cadunt ſub numerum bonorum mobilium hereditariorum, 349, 7.

P

PActa quædam jure Feudali prohibita, 62, 23. 220, 12. 233, 28.
Pacta contra naturam feudi appoſita, non tollunt, ſed improprium reddunt, 69, 2.
Pacto prohiberi non poteſt, ne quis rem ſuam alienet, 143, 21 & 23. 217, 5. 220, 13.
Pacta non ſunt ſervanda contra naturalem æquitatem, 209, 9. 220, 13.
Pactorum de reverſione & regreſſu in quatuor libris Regiæ Majeſtatis, de Judicibus, Quonium attachiamenta, legibus Burgorum & Forreſtarum, nulla mentio: unde librum iſtum à noſtris hominibus ſcriptum non fuiſſe Auctor colligit, 232, 25. 234, 30.
Pacta dant legem contractui feudali, 216, 2. 220, 12. Et ſunt ſtricti juris, 224, 3. In omnibus pactis perſona paciſcentis ſemper excipitur, 288, 14.
Pactum legis Commiſſoriæ, 216, 4. 220, 13. An hoc pactum ex jure & bonis moribus valeat? Auctor diſtinguit, 233, 28. Circa pignus, *ibid.* Quatenus valeat jure Canonico, *ibid.* Jure Feudali non recipitur, 234, 29.
Pactum ne res communis dividatur, in jure reprobatur, quaſi contra publicam utilitatem, 263, 35. 264, 41.
Pactum inter dominum & colonum de non migrando, nihil ad ſingularem ſucceſſorem, 280, 9.
Pactum de aſſedatione facienda & ipſa aſſedatio parificantur; at an idem in eo cui jus hereditarium promittitur, dubitatur, 280, 10. 423, 27.
Pactum quo jus libertatis imminuitur an valeat? 293, 31.
Pactum de inſtituendo aliquo in quota parte bonorum

rum apud nos reprobatur, 352, 13.
Pactum non producit actionem, multo minus dominium transfert, 443, 29.
Pedagium est vectigal itineris, 35, 2.
Palatia, seu Prætoria, inter regalia numerantur, 161, 37. 261, 30.
Pandectæ unde? 11, 7. Earum auctoritas, 37, 8.
Papæ nomen unde? 117, 2. In feudum dat, non solum patrimonium Sancti Petri, sed etiam terras aliarum Ecclesiarum in alieno territorio sitas, 119, 5. An legitimare possit? 368, 13. Papali sede vacante, jurisdictio omnis est penes collegium Cardinalium, 123, 16.
Papyrus unde? 194, 3.
Paraphernalia, 349, 7. 445, 34.
Pares curiæ vel curtis qui? 69, 3. 188, 24. 221, 14. 359, 28. 516, 7. 518, 11. Pares à domino & vassallo sunt eligendi, 518, 11. Si suspecti sint, si cognoscere recusaverint, aut testes sint futuri, quid dicendum? *ibid.* Parium jurisdictio undique exolevit, 520, 16. Cum eliguntur non jurant, 521, 18. Nisi sint suspecti, 522, 24. Parium & domini judicium vindicatum, 520, 15.
Parliamentorum origo apud Anglos, 42, 11. An duo ordines per se dissentiente tertio aliquid agere possint? *ibid. fin.* Parliamentum Westmonasteriense tallias introduxit, 94, 27. Eorum acta statuta Dei & naturæ mutare non possunt, 174, 20.
Parricida quis? 505, 3.
Pascua & pascendi jus, 252, 4. 262, 33, 34 & 35. Pascua sunt vel publica vel privata, d. § 33. Non expressa appellatione feudi continentur, *ibid.* An jus pascendi dividi possit? *ibid.* § 35.
Paternum feudum, vid. *Feudum.*
Pater an possit testamento alium heredem, seu successorem, à vero herede instituere? 173, 16.
Pater, si pupillus matri aut aviæ succedat, in tutela omnibus aliis præfertur, 392, 7. 399, 29.
Patre excluso, omnes ab eo descendentes excluduntur, 510, 15. 511, 20.
Patria potestas apud nos penè exolevit, 142, 20. 312, 13. 319, 39. Patris nomine, avus, proavus, &c. intelliguntur, 319, 40.
Patria, communis omnium domina est, 304, 21. 359, 28,
Patriarcha quis? 118, 4.
Patrimonium Regis proprium quare apud nos ab exactionibus publicis sit immune? 93, 22. 149, 2. 164, 45.
Patrimonium Regis, aut quæ ei ita annexa sunt ut partem ejus faciant, lege alienari prohibentur, 142, 18. 149, 1. 150, 5.
Patrimonium Regis jure Feudali feudari potest, modo successori non magnum fiat præjudicium, 149, 1. Sed neque alienationi, neque præscriptioni subjacet, *ibid.* & 165, 48.
Patrimonii vox homonyma, 150, 2. Ejus definitio, & divisio in publicum & privatum, *ibid.* Patrimonium publicum quid? *ibid.* & 164, 46. Estque aliud proprium, aliud fiscale, *ibid.* 150, 4 & 5. Hoc non annexum, illud annexum vocatur, *ibid.* Hujus origo, *ibid.* Prædiorum quæ in hoc annexo patrimonio sunt feudum prohibetur, nisi meritorum examinatio & approbatio in Parliamento fiat, 150, 5, 6 & 7. Patrimonii regii vidua, aut quæ partem ejus occupat, jure Anglorum si sine Regis consensu nupserit, migrare cogitur, 407, 10. 412, 31.
Patronus apud Gallos, est Ecclesiæ patronatæ dominus, 97, 37. Patroni consensus in feudis Ecclesiasticis necessarius, 121, 11. 124, 17. Non inducit evictionem, 206, 1. Patronatûs jus etiam non expressum transit cum feudo, aut ejus parte cui erat annexum, 263, 37. 295, 35. Patronatus omnes qui antea ad Ecclesias pertinebant, speciali statuto Regi adjudicati sunt, 263, 37. Si patronus unum ordinario præsentaverit, postea alium, uter præferendus beneficio? 436, 17.
Pauperies, vid. *Vastum.*
Pecunia vi reversionis ex redemptione redacta aliquando censetur mobilis, 231, 23. Cum pecunia vilescit, maximo fit reipublicæ malo, 360, 35. Non est de regno exportanda, 494, 15.
Perambulatio, vid. *Finium regundorum.*
Peregrinus non permittitur acquirere feuda, nec iis apud Anglos permittitur beneficium hastæ, 128, 4. Nec ei succeditur, 374, 24. Vid. *Extraneus.*
Perfectum in jure dicitur cui nihil deest, 123, 14. 191, 29.
Perjurium causam unicam esse feudi amittendi, 462, 1. Ejus pœna, 359, 29. 484, 18.
Permutari res Ecclesiæ possunt ex ejus utilitate, 137, 5.
Permutatio Regi in annexo patrimonio permittitur, 151, 6.
Permutatio est modus feudi acquirendi sine safina apud Anglos, 43, 14. ibi, *Sine*, 170, 7. 248, 28. Nihil æquius quàm alterum prædium alteri esse de evictione obligatum, 209, 8. In permutatione symbolum, 238, 1. *fin.* Permutatio non est obnoxia juri protimeseos, & licet communiter venditionis nomine permutatio comprehendatur, in prohibitoriis tamen ab ea distinguitur, 483, 17. Id exemplis illustratum, *ibid.*
Perpetuum feudum, vid. *Feudum.*
Per probos & fideles homines patriæ quid intelligatur? 359, 28.
Personale feudum, vid. *Feudum.*
Personarum divisio in jure, 168, 3.
Pertinentiarum nomine quid contineatur? 200, 24. Qui eas allegat debet esse in possessione, 201, *eod.* Sunt vel proximæ vel remotæ, 264, 39. Earum non-introitus excluditur plenitudine principalis fundi, 384, 17. Pertinentiæ etiam sequuntur trientem, 423, 25. *fin.*
Peste in familia existente, etiam intacti censentur in lecto ægritudinis, 115, 38.
Petaria quid? 256, 16.
Pherneheftii Dominus, 475, 35.
Pignus recuperari potest, etiam post diem ejus redemptioni pacto præstitutum, 234, 29. Creditor tamen die elapso illud hastæ sujicere potest, *ibid.* Recusante creditore suam pecuniam accipere, eam perdere debet, ut apud Anglos in feudis, 235, 32. Pignori opposita apud defunctum mobilia non sunt in inventario executoris describenda, 349, 7. Pignus prætorium, secus quam conventionale, constituere super feudo potest vassallus sine consensu domini, 470, 21.
Piratæ conveniendi in urbe proximi continentis, 140, 14.
Piscatio eorum est quorum est mare, 140, 13. 256, 14 & 15. In feudum dari potest, 141, 15. Etiam ut res nullius, *ibid.* § 17. Inter regalia non numeratur, nisi salmonum sit, 152, 11. 161, 38. Piscatio cum feudo transit, 256, 15. 263, 38. Piscationes Belgarum in nostris maribus prohiberi possunt, 140, 13. 256, 14. Piscatio ejus est cujus est proximus continens, *ibid.* Piscatio, ut secundum Bartolum, sic apud nos duplex

plex eſt; alia ſalmonum, alia communium ſeu alborum, 256, 15. Piſcationibus quid contineatur? & an aliquod majus jus, quàm competeret ſi earum mentio nulla eſſet in inveſtitura? 255, 14. An veniant ſub nomine *Libertatum*, *Privilegiorum* & *Utilitatum*, ſi earum nulla mentio in inveſtitura? *ibid.*

Pitſligo, (Dominus de) 468, 17.

Picis fodinæ cum feudo tranſeunt, 258, 21.

Plebiſcita, 10, 3.

Plenitudo poteſtatis abſoluta nulli homini tributa, 100, 1. 102, 5. 119, 6. 145, 28.

Plumbi fodinæ non ad vaſſallum, ſed ad Regem jure omnium gentium pertinent, 161, 36. 258, 21.

Pœnarum cauſæ, 4, 6.

Pœna exigentis vectigal plus æquo, 155, 18. Speciales pœnæ variæ, quæ non fiſco, ſed privatis cedunt, 159, 27.

Pœnæ diverſitas non facit diverſitatem juris, 379, 2. *fin.*

Pœnitentia an locus in hereditatis aditione? 208, 4. & an in contractibus ante ſcripturam perfectam? 214, 21. 478, 1. 493, 12. Pœnitentiæ etiam locus eſt in reſignationibus, 438, 17. *fin.*

Polentarius quis? 260, 25.

Pomeria diverſimodè ſumuntur, 259, 24.

Pontificum Rom. maxima ſuperbia, 16, 3. 17, 6. 23, 22 & 23. 88, 10. 119, 5 & 6. 145, 28. 163, 44. 180, 2. 304, 20. Pontificis nomen unde? 118, 3. Pontifex primò electus à Cæſare, 20, 15. Deinde à collegio Cardinalium, invito Imperatore, *ibid.* Pontifex aliarum Eccleſiarum præſentationes ſibi arrogavit, *ibid.* & 119, 5. Pontificis Maximi conſenſus quomodo interponebatur in emphyteuſibus Eccleſiaſticis conſtituendis, 146, 29.

Portus & *Portoria* (quæ ſunt inter Regalia) civitatibus & univerſitatibus attribuuntur, & locari aut feudari poſſunt, 141, 15. 153, 12.

Poſſeſſio civilis apud dominum, naturalis apud vaſſallum eſt, 59, 12. 64, 29. 184, 12. 194, 2. Poſſeſſio confirmata à ſuperiore vel Principe juſta intelligitur, 67, 36. ibi, *Septima*. Poſſeſſio rerum immobilium apud nos eſt ſtatus apud Anglos, 85, 3. Poſſeſſor precarius quis apud Anglos? *ibid.* Nemo apud nos poſſeſſionem apprehendere poteſt, niſi tradente poſſeſſore, 86, 5. 251, 2. Rege excepto, 164, 47. Apud Gallos poſſeſſio defuncti ipſo jure continuatur in heredem, *ibid.* Poſſeſſiones & res immobiles Eccleſiæ poſſunt certis caſibus alienari, 136, 5. Poſſeſſio nobis ignorantibus acquiri poteſt, 168, 3. Poſſeſſio in rebus immobilibus quid? 181, 5. Ab inveſtitura diſtinguitur variis argumentis, *ibid.* & 238, 2 & 3. Poſſeſſionem tantùm qui tradit, pœnitere poteſt, neque inveſtire cogitur, 181, 5. ibi, *Et ad eam*. Poſſeſſione uni conceſsâ, feudi dominus alterum in eodem inveſtire poteſt, priore vivente, *ibid.* ibi, *Imò*. Poſſeſſionem Pontificii contendunt quid magis eſſe quàm inveſtituram, *ibid. Imò*. Poſſeſſio non eſt pedum, ſed ſedis poſitio, & à proprietate diverſa eſt, 181, 5. 238, 3. 272, 23. Poſſeſſio civilis à vacua diſtinguitur, 184, 12. 251, 2. Poſſeſſor per annum & diem verus & indubitatus eſt poſſeſſor, 248, 27. Imò minùs ſufficit in actionibus de ejectione, *ibid.*

Poſſeſſio nulla juſta cenſetur poſt ſententiam de migrando, 277, 38. Poſſeſſio præſumit proprietatem, 381, 10. Poſſeſſio, licet ſolo animo amittatur, non tamen niſi alteri acquiratur, 437, 17. Poſſeſſio domino datur ob contumaciam vaſſalli, 493, 12. Poſſeſſorium judicium ante petitorium determinandum eſt, 522, 24. Poſſeſſio hanc habet vim, ut ſi poſſidens ſemiplenè probaverit, deferatur ei juramentum ſuppletorium, 523, 27.

Poſthumis idem in ſucceſſione jus datur ac aliis, 312, 15.

Potentes qui dicantur? an divitiis, honore, nobilitate, aut ratione officii? 2, 3. 4, 8. 7, 13. 133, 17. 145, 25. 484, 19. Potentiori feudum dari nequit, 130, 10. 485, 21.

Poteſtas condendi jura Principibus ſecularibus, non Pontifici competit, 37, 7.

Prata ea dicuntur quæ per decem annos proximos ſecta non ſunt, 252, 4.

Præceptio hereditatis quid? 335, 17. Locum tantùm habet inter aſcendentes & deſcendentes, ſed non inter collaterales, *ibid.*

Præceptum ſaſinæ in impropria inveſtitura requiſitum, 186, 17. 193, 1. 210, 12. Præceptum hoc ut dirigitur, ita exſequendum, 246, 22 & 23. 358, 26. Præceptum ſaſinæ, quod ex inquiſitione procedit, nemo exſequi poteſt niſi Vicecomes, Seneſcallus, aut eorum deputatus, 246, 22. 358, 26. 363, 43.

Præceptum de *Clarè conſtat* quid? 248, 25. 300, 10. 305, 24. 357, 22. 494, 14.

Prædia Eccleſiaſtica ſunt de patrimonio Eccleſiæ, 138, 8.

Prædia minorum, niſi urgente neceſſitate & cognitione cauſæ factâ, alienari aut feudari nequeunt, 142, 19. Prædia gentilitia à teſtatore alienari non poſſunt, 142, 21. Exceptâ causâ neceſſitatis, vid. *Neceſſitas*.

Præfationes chartarum variæ, prout concedentis perſona variat, 196, 11, 12, 13, 14 & 15.

Prælatus in Eccleſiaſtico feudo tantùm eſt adminiſtrator, & quaſi tutor Eccleſiæ, & numeratur inter proceres laicos, 80, 32. 81, 32. 113, 33. 120, 7 & 8. 188, 21. 206, 1. 278, 1. 387, 28. 508, 11. Fidelitatem tantùm præſtat, non hominium, 88, 10.

Prælato cum Capitulo delinquente, damnum æſtimatur, 508, 11. Et dividitur inter utrumque, 81, 32. Abſque Capitulo Prælatus feudare nequit de jure: ſed uſus noſter (cui aliquando nihil non licet) hoc defectum ſupplet, 123, 15.

Prælatis pugnare interdictum; per ſubſtitutum tamen ſervire debent, 81, 32 & 36. 131, 11. 288, 16. Habet Prælatus heredem in mobilibus, 310, 7.

Prælatus ſine conſenſu Capituli feudum ad Eccleſiam reverſum de novo feudare poteſt, niſi fuerit de menſa Epiſcopi, 124, 17.

Prælatis quid permittatur circa aſſedationes terrarum ſuarum aut decimarum? 278, 1.

Prælatus cum Capitulo ſemper judex eſt in cauſis temporalibus ſuæ emphyteuſeos, 520, 17.

Præmonitio vel denunciatio quomodo facienda? 226, 9.

Præſcriptio 30 vel 40 annorum locum habet apud Gallos, 97, 37.

Præſcriptio non competit mortalibus contra Deum immortalem, 136, 5. 165, 48. Nec privatis contra Principem aut rempublicam, 149, 1. 165, 48. 170, 8. 171, 10.

Præſcriptio nulla terrarum apud Anglos, ſed annui tantùm reditus, aut cujuſlibet alterius utilitatis ex terris, 44, 17. 171, 11.

Præſcriptione feudum non ſolùm acquiritur, ſed etiam conſtituitur, 170, 8. 171, 9. 179, 1.

Præſcriptio apud nos in uſu non eſt, niſi in cauſis pauciſſimis, 170, 8. 180, 1.

Præſcriptio requirit annos completos, nec cœptus habetur pro completo; & poſſeſſio continua, & non interrupta requiritur, & auctoris cum ſucceſſore conjuncta, 171, 9. 179, 1. Eſt vel 30 vel 40 annorum, prout eſt feudum laicum vel Eccleſiaſticum, ſecundum alios; ſed Auctor non diſtinguit, & 30 ſufficere contendit, 171, 10. Ut eâ feudum acquiratur tria requiruntur, 170, 9. 179, 1. Jure Feudali non currit contra impuberem, 301, 14.

Præſcriptio annalis, intra quam niſi petatur inveſtituræ renovatio feudum amittitur, currit contra majorem; ſed reſtituitur is ex iiſdem cauſis ex quibus majores læſi reſtituuntur, 301, 15. ubi variæ exceptiones, quæ præſcriptioni obſtant, recenſentur

Præſcriptione 30 annorum dominus ad recognitionem agens à vaſſallo repellitur, 475, 35.

Præſcriptionis tempus quibuſdam non currit, 481, 13.

Præſcriptio decennalis omnes à jure Protimeſeos excludit, 486, 21.

Præſcriptione 30 annorum quodvis delictum feudale extinguitur, 509, 14.

Præſcriptis verbis actione feudum acquiritur, 170, 7.

Præſentatio, vid. *Beneficium.*

Præſumpta voluntas concedentis interdum determinat ſucceſſionem in feudo, 27, 7. 79, 25. 199, 21. 202, 28. 333, 12. 369, 15.

Præſumptionibus utrinque paribus quid agendum? 472, 27. 502, 30. 506, 5. Præſumptio ſemper & multùm prævalere debet in jure Feudali pro poſſeſſore, 523, 27.

Prætorium jus, 11, 3. 309, 4. 311, 13. 320, 41.

Prætorium apud nos quid? 456, 18.

Prætores heredes facere nequeunt, 311, 13. 349, 4. 368, 12. Vid. *Heredes.*

Præventioni locum eſſe inter dominum & vaſſallum, 261, 31. Et inter creditores agentes contra executorem debitoris, 353, 15.

Precarium feudum, vid. *Feudum.*

Precariò poſſidens, quandocunque dominus vult, migrare cogitur, 26, 4. 85, 3. 270, 12. 277, 37.

Presbyterale regimen, 118, 4. 196, 13.

Presbyter & cæteri inferiores Prælatis an feudum concedere poſſint? 124, 17.

Pretium interveniens in comparatione feudi nunquam juſtum aut adæquatum præſumitur, 56, 6. Pretium verum in jure Protimeſeos quid? 481, 11.

Primogenito dominus præjudicare poteſt, 27, 7. 173, 16. Primogenituræ apud Anglos prærogativa, 43, 14. 515, 4. Unde hæc prærogativa? & ubi locum habeat? 43, 14. 317, 31. 324, 3. 340, 10. Jus primogenituræ ob impietatem in patrem amittitur, 175, 22. Pater primogenito præjudicare non poteſt, infeudando ſecundo genitum, 145, 27. 317, 31. 352, 13. Reipublicæ expedit ut primogenitus ſuccedat ſolus, 318, 32. 324, 3. Primogenitus quis, ſi ſint gemelli, aut ſi primogenitus ſit inhabilis ad præſtanda ſervitia feudalia? 318, 34 & 35. Eſt etiam natu minimi prærogativa in quibuſdam locis, 44, 18. 92, 19. Primogenitus habet electionem rerum mobilium, 350, 7.

Princeps optimus civitatis pater familias. Ejus officium primò vitale, dein hereditarium, 4, 6 & 7. Nomen Principis apud nos ſucceſſori Regis tribuitur, 103, 8. Princeps juventutis apud Romanos quis? *ibid.*

Principatus legitimus ut differat à tyrannide? 5, 9. 153, 16. 174, 19.

Princeps Cambriæ quis? 40, 5.

Princeps feudum concedens, de evictione non tenetur, 66, 34. 210, 10. In eo major ætas requiritur in feudis ab initio conſtituendis: aliter enim ea revocationi ſunt obnoxia, 195, 11. Princeps tamen minor antiquum feudum renovare poteſt, ita tamen ut nihil ei adjiciatur, 196, *eod.*

Princeps nobilitatis fons, 75, 16. 108, 23, 163, 44.

Princeps electivus non tenetur ſolvere debita ſui prædeceſſoris, 188, 21.

Princeps injectionem manûs in eum vaſſallum ligium habet, qui offert ſuam fidem ejurare, 103, 7. 107, 21. 434, 10.

Privilegia quamdiu durent? 20, 13. Quomodo interpretanda? 27, 7. 176, 23. Aliquando in legem abeunt, 384, 19.

Privilegia quædam eorum qui ſunt tenentes Regii patrimonii apud Anglos, aut Seneſcalliæ apud nos, 93, 22.

Privilegium inane Principis & Cleri, ut ab iis inveſtitura alicui conceſſa ſufficiat pro traditione, 191, 30.

Probatio fit juramento, vid. *Juramentum.* Probatur feudum teſtibus, 189, 24 & 26. 213, 21. 523, 26. Probatio in his delictis, quæ feudum auferunt vaſſallo, quot teſtes requirat? 511, 20. Probationes interdum recipiuntur poſtquam juratum eſt in cauſa, 484, 18.

Proceſsûs formæ in variis juriſdictionibus variæ, 517, 10.

Procurator cum libera non poteſt in feudum dare, 113, 33.

Prodigus quis? 110, 28 & 29.

Prohibitio hominis concurrens cum prohibitione legis omnimodam alienationem prohibet, 470, 23.

Promethei fabula, 7, 13.

Proprium feudum, vid. *Feudum.*

Proprium quid? An Dominus Jesus, aut ejus Apoſtoli proprium quid habuerint? 117, 1.

Proprietas & poſſeſſio rerum quæ ad fiſcum pertinent ipſo jure transfertur, 164, 47. 444, 30.

Prorogare judicem jure Feudali non licet, nec apud Gallos, 516, 5.

Proteſtatio contra non agentem unde? 145, 26.

Proteſtatio neceſſaria contra dominum in cauſa renovationis petendæ, 301, 15.

Proteſtatio facto contraria nihil valet, 472, 26.

Protocolla Notarii omnes habere debent. Quid ea ſint? 242, 10.

Proviſiones, vid. *Conditiones.* Variant jus linealis ſucceſſionis, 327, 10. 338, 2.

Publicatum feudum ante traditionem fiſcus non tenetur tradere, 188, 21. Vid. *Confiſcatio.*

Publica utilitas ut ſemper prævalet adverſus creditores obærati debitoris, 112, 31. Sic & præferri debet pactis privatorum, 448, 1. Vid. etiam 154, 18. 497, 21. ubi publicæ utilitatis ratio habetur.

Publica utilitas prævalere debet privatæ cujuſquam utilitati, 147, 30. *fin.* 176, 23. 398, 23.

Pupillus non poteſt in feudum dare, 110, 28. Quomodo feudum acquirat? 128, 3. Vel ipſe per ſe, vel per tutorem, vel tutor cum impubere, vel ſine eo feudum recognoſcere poſſunt, 301, 14.

Purpræſtura quid ſit? 152, 10. 252, 3. 489, 6 & 7. Tria ejus genera ad unum reducta, § 8. Quid antiquitùs fuerit? & an locum habeat in proprietate tantùm, an etiam in communiis? & quis in eo judex? 490, 9.

Q

Quadriennium utile, 301, 14. 341, 12. 395, 17.
Quæ in fraudem creditorum, edictum Prætoris, explicatur & comparatur literis inhibitionis, 112, 31.
Qualiter, per quod ſervitium, per quem, & ex qua cauſa, verba Brevis ſunt de morte anteceſſoris, 362, 40.
Quaſi-feudum, ut quaſi uſusfructus, nullum, 57, 7.
Quaſi poſſeſſio eſt rerum incorporalium, 238, 3.
Querela inofficioſi an detur adoptivo, 313, 17.
Quibus deficientibus, clauſula *Hæc omiſſa* præſumitur, & habetur pro expreſſa apud nos in caſu pro amico, 342, 16, 17 & 18. 416, 6. Aliter apud Anglos, quibus feudum abſque hac clauſula talliatum cenſetur, 342, 17.
Quid nunc valeat feudum per annum, & quid valuit tempore pacis, quintum eſt caput Brevis de morte anteceſſoris, 360, 34.
Quis obiit ultimò veſtitus & ſaſitus ut de feudo, primum caput Brevis de morte anteceſſoris, in quo Angli nobis differunt, 359, 30.

R

Ramſai de Dalhouſie familia, 257, 17.
Raſuræ ſuſpicio ab omnibus chartis abeſſe debet, 194, 5. 215, 23.
Raſtellus (Johannes.) Ab eo editus eſt liber expoſitionis omnium vocum quibus Angli in ſuo foro utuntur, 39, 2.
Ratificatur à majore tallia à minore facta, 344, 20.
Ratihabitio intra annum & diem fieri debet, 168, 3. Et cum res in principio noſtro nomine acta eſt, 168, 4. 475, 35.
Realem actionem qui habet, rem ipſam habere videtur, 200, 23. 223, 3.
Reale feudum, vid. *Feudum*.
Rebelli an competat actio ad migrandum? 272, 26.
Rebellis Regi & regno vocatur, qui denunciatur ad cornu ob non ſolutum debitum; ſed eſt feudi capax, 128, 2. 273, 27. 449, 4. 507, 8.
Rebellionis hujus pœna non eſt feudi amiſſio, ſed mobilium, 273, 27. *fin.* 449, 4. 507, 8. Rebellis aut excommunicatus, quamdiu talis, non admittitur ad ſucceſſionem, 376, 31. Rebellionis pœna in cauſa publica, 507, 8.
Recognitio non habet locum in feudis blancis, 70, 5. Ejus ratio ex jure Feudali, 344, 20. 473, 30.
Recognitio. Pro vaſſallo adverſus eam rationes, 465, 8. Pro domino rationes, *ibid.* § 9. 344, 20.
Recognitionis in materia, ratio habetur neceſſitatum vaſſalli, in quas ſine ulla ſua culpa inciderat, 467, 12.
Recognitionis ſola ratio apud Anglos, 467, 12. Ex cujus incertitudine nos certiorem viam ſequimur, *ibid.* & § 13. Ut nec feudum alienetur, aut ultra dimidium ære alieno oneretur, 476, 36.
Recognitionis in materia, quomodo dimidietas æſtimetur? 467, 14. 474, 32.
Recognitioni locus eſt, non ſolùm in ſimplici venditione, ſed etiam ſi ſub pacto de retrovendendo, ignorante domino, feudum ad vaſſallum revertatur, 468, 15.
Recognitionem non excuſat maxima vaſſalli neceſſitas, 468, 16. Niſi ſit pro ſervitiis domini, 471, 24.
Recognitionem plerumque excludit vel tenor inveſtituræ, vel mos regionis, 473, 31 & 32. Item multa alia ab Auctore memorata, 475, 34 & 35.
Recognitio in quibus feudis locum habeat? 473, 30.
Recognoſcere quid? 476, 36. *fin.*
Recognitionis genus propter non demonſtrata monumenta, 491, 10.
Rectores & Vicarii Eccleſiarum, ſine conſenſu Patronorum, terras ſuas & decimas pro triennio, ſed non ulteriùs locare poſſunt, 279, 1.
Rectum feudum, vid. *Feudum*.
Redditio eſt eſſentiale feudi, 61, 22. 203, 32.
Redditiones francas Angli ſeveriſſimè exigunt. 61, 22. Sicut nunc & nos, non obſtante clauſulâ, *Si petatur tantùm*, 203, 32.
Redditio in feudis ad manum mortuam conceſſis eſt precum & ſuffragiorum præſtatio, 61, 22. 92, 20. 204, 35.
Redditiones variæ, prout variant feuda, 203, 32.
Redditio quæ ſervitium præſtat (niſi alia exprimatur) ſemper præſumitur, ut in propriis feudis, per verba *Servitii debiti & conſueti*; nec obſtat clauſula, *Pro omni alio onere, quæſtione ſeu demanda*, &c. quo minus cuſtodia, relevium & maritagium debeantur, 204, 33. 360, 33.
Redditio in feudifirmis ſeu emphyteuſibus eſt aliquis canon annuatim perſolvendus: & ſi vaſſallus in ſolutione defecerit, adjici ſolet inveſtituram fore nullam, 204, 34. ubi agitur de parte canonis ſoluta.
Reditus ſervitii, reditus oneroſus, & reditus ſiccus apud Anglos, 82, 38. 95, 30.
Reditus Eccleſiæ aut collegii cujuſvis in feudando non eſt imminuendus, 137, 5 & 7.
Reditus annui inter mobilia numerantur, 479, 4.
Redemptionibus in omnibus quid obſervandum circa valorem pecuniæ? 157, 22. 229, 17.
Redemptio poteſt fieri ab herede apparente, 227, 12.
Redemptionibus in omnibus Senatus ſolus judex eſt, 228, 14.
Redemptioni moram faciens tenetur ut violentus poſſeſſor, 229, 14.
Redemptiones declaratoriæ potiores ſunt voluntariis, 229, 15. 231, 23 & 24.
Redemptioni obſtat damnum cuſtodiâ eveniens, 230, 20. Non tamen conventio illa, quâ obligatur omnes alias terras ante hanc redimere, 230, 21.
Redemptio ſi à minore fiat, cautè eſt procedendum, 231, 23.
Redemptione & regreſſu per vaſſallum facto, an vetus feudum, an novum videatur? 232, 25.
Redemptiones omnes ſunt ſtricti juris, 65, 33. 224, 3. 235, 32.
Refutare feudum vaſſallus poteſt, ſi abhorreat à cauſa domini, 287, 11. 288, 13. 294, 32. 433, 9.
Refutatio, reſignatio & renunciatio apud nos ſunt idem, 432, 6.
Regale feudum, vid. *Feudum*.
Regalia ſunt in Regis annexo patrimonio, 151, 7 & 8. Quæ ſint Regalia? 152, 8 *& ſeqq.* Regalia, longâ deſuetudine intermiſſa, Imp. Friderico Barbaroſſæ ſunt reſtituta, 162, 41 & 42. Alia majora, alia minora, 163, 44 & 45. Clauſula generalis minora tantùm comprehendit, 164, 45.
Regalia nunquam præſcribuntur, 165, 48.
Regalitas quid? 386, 27. 516, 5. Suam habet Cancellariam, 357, 22. *fin.* 358, 26. Regalitatum domini, de non-inrroitu ſuorum prædiorum,

rum, tam urbanorum quàm ruſticorum, diſponunt, 386, 27.
Regalitatis privilegium non ad eſchetam ex cauſa publica extenditur, 507, 8. Regalitas ſuum habet procuratorem, 516, 5.
Reges, vid. *Rex*.
Regiſterii feudum, vid. *Feudum*.
Regiſtrationes apud Anglos in uſu, atque ab iis ad nos pervenerunt, 95, 30.
Regna quædam in orbe Chriſtiano, quæ ſuperiorem agnoſcunt, 102, 6. 173, 16.
Regnum totum eſt in patrimonio Regis, cujus ſaſina eſt Corona, 151, 7. 254, 7. 399, 25.
Regna neque inter vivos, neque teſtamento diſponi poſſunt, 174, 19. 176, 23 & 24. 332, 7.
Regia majeſtatis libri quatuor minimè juris noſtri nomine ſunt habendi, 51, 11. 85, 1. 232, 25. 319, 39. 489, 4.
Regreſſus pactum eſt inter vaſſallum vendentem & ſuperiorem, 232, 25. 440, 22.
Regularum Cancellariæ liber, 20, 13. 49, 4.
Regulæ quædam juris Feudalis memoriæ mandandæ, 66, 36.
Relaxatio à cornu neceſſaria, priùs quàm rebellis poſſit jure agere, 272, 26. Relaxatio apud Anglos quid? 440, 23. Ejus tria genera, 441, 26, 27 & 28.
Relegatus omnia ſua retinet, 130, 10. *fin.*
Relevium non eſt ſervitium, ſed caſualitas, 79, 27. 308, 2. 398, 22. Non debetur apud Anglos niſi in caſu quo heres, vaſſallo moriente, ſit perfectæ ætatis, 398, 22. 400, 31.
Relevii origo, ejuſque cum cuſtodia conjunctio, 399, 30. Non debetur niſi ex militaribus feudis, ſecundum quoſdam, circa quod jus noſtrum, quo hodie utimur, à vetere plurimùm differt, 400, 31. Nulli domino debetur, niſi ſit paratus hominium recipere, & inveſtituram vaſſallo concedere, *ibid.*
Relevium etiam debetur ex aliis feudis quàm quæ wardam debent, tam francis, ſciz. duplicatio ejus quod in blanco perditur, quàm emphyteuticis, ſciz. duplicatio mercedis, vel ex pacto, 400, 32 & 33.
Relevium nullum debetur ex feudis quæ ad manum mortuam tenentur, 401, 33.
Relevii quantitas, ſi ſolùm debeatur, cum novo extentu concurrit; ſed ſi dominus in poſſeſſione fuerit ratione cuſtodiæ, continuatur pro altero anno, *ibid.*
Releviorum jus apud Anglos, 401, 34. Ejus quantitas æſtimata, *ibid.* & § 35.
Relevium ſtatim poſt mortem vaſſalli eſt præſtandum, 401, 34.
Relevium dominus non videtur remittere inveſtiendo heredem, ſed pro eo diſtringere poteſt; & illud exigunt Seneſcalli, aut Ballivi regalitatum, qui præceptum Regium exſequuntur, 402, 37.
Relevium impedit, ſi fœmina heres cum conſenſu domini nubat, 402, 38. Vel ſi heres inveſtiatur in proprietate; ſi uſusfructus à domino ſit conſtitutus; curialitas, aut conjuncta inveſtitura: & ſi quid pro relevio indebitè ſolvatur, repeti poteſt, 402, 38.
Relevium præſtatur filiæ primogenitæ, ſi plures ſint domini fœminæ heredes, *ibid.*
Religioſum locum privatus facere non poteſt, 136, 3. 139, 11.
Remanentia quid apud Anglos? 441, 26.
Renovatio feudi fieri poteſt ab adminiſtratoribus rei alienæ, aut minore, 113, 33. 125, 17. 302, 16. Univerſitatis nomine petenda eſt per ſyndicum, 304, 20. *fin.*
Renovationis à minore effectus, ſive Principe, ſive privato, 196, 11.
Renovatio eſt ſecundus modus feudi acquirendi, 297, 1. Ejus definitio, & differentia à prima feudi acquiſitione per inveſtituram, *ibid.* Nulla per eam poſſeſſio vaſſallo acquiritur, nec novum ullum jus, ſed tantùm quod primùm habuit confirmat; eâdemque formâ fieri debet quâ principalis inveſtitura, 188, 22. 297, 1 & 2. 299, 8. Jure Feudali fieri debet, mutato tam domino quàm vaſſallo: at moribus Gallicis & noſtris tantùm ex mutatione vaſſalli, 298, 3. Intra annum & diem à morte prædeceſſoris, 298, 4. niſi impubes ſuperior tutorem non habeat, 302, 16.
Renovationis petendæ forma & modus, 299, 6. 304, 20. 379, 2.
Renovatio ſecundum tenorem præcedentium inveſtiturarum concedenda eſt, 190, 27. 299, 8. Si difficultas oriatur in renovatione, ad primam inveſtituram recurrendum, 299, 9.
Renovatione an tenor prioris inveſtituræ mutari poſſit abſque conſenſu agnatorum? 299, 10.
Renovationem ſimplicem inter & reſignationem in manibus domini differentia, 300, 10.
Renovationem petere poteſt impubes, vel per ſe, vel per tutorem, vel tutor cum ipſo impubere, vel ſine eo, 301, 14.
Renovatio, ſi lis ſit inter duos vel plures de hereditate, petenda eſt ab eo qui poſtremus in poſſeſſione fuit, 301, 15.
Renovatio fit à domino, ſive ſit major ſive minor, &c. 302, 16. Vel etiam à domino liberi tenementi, *ibid.* & 362, 42. Vel à fœmina domina, vel in conjuncta inveſtitura, *ibid.* & 416, 5. Quomodo fiat ſi plures ſint vel domini vel vaſſalli heredes? 303, 17 & 18. 304, 20. *fin.*
Renovatio feudi apud nos voluntatis tantùm eſt, non neceſſitatis, 305, 24. 379, 2. 494, 14.
Renovationis utriuſque effectus, 305, 23.
Renovatio feudi à filio vel nepote, qui offenderunt dominum, ante ſatisfactionem non eſt petenda, 566, 6.
Rentalia non tranſeunt ultra primum heredem, 58, 10. Rentallariorum in emphyteutas mutatio, 94, 24. Rentallarii Epiſcopatûs Glaſcuenſis, & monaſterii Paſletenſis, 45, 19. 93, 24. 406, 10. Rentale Eccleſiaſtici feudi ſemper præſumitur eſſe vitale, 272, 24. In aliis unius anni tantùm, *ibid.* Rentale pro indefinito tempore quinque annorum æſtimatur, *ibid.*
Renunciatio ex renunciantis facto & alterius acceptatione conſtat, 187, 18.
Renunciatio in redemptione facienda duplex eſt, una declaratoria juris, altera voluntaria, 229, 15. Eſt & etiam judiciaria, *ibid.*
Renunciatio eſt ſtricti juris, nec ad ullum jus extenditur, niſi de quo agitur, 231, 23.
Renunciatio hereditatis, ante eam delatam, nihil valet, 427, 39.
Renunciatio non præſumitur niſi probetur, 433, 7.
Renunciatio, reſignatio, vel refutatio ſimplex, eſt vel expreſſa, vel implicita per conſenſum, 439, 20.
Renunciatio expreſſa vel fit per contractum, &c. vel ante judicem aut Notarium publicum, per hæc aut ſimilia verba, *Tali feudo, & omni jure in eo mihi competenti, in favorem tuam renuncio:* ubi quæritur, an per talem renunciationem dominium rei renunciatæ transferatur in eum in cujus favorem fit? 439, 20. Et ſecundò quæritur, an ſaltem renunciantem deveſtiat? 439, 22. 443, 29.

Renunciationis ſimplicis effectus, qui ex ſententia procedit, tam in neceſſariis quàm voluntariis redemptionibus, 440, 22.
Renunciationis ſimplicis effectus qui fit extra judicium & extra præſentiam partis, *ibid.*
Renunciationis effectus in obligationibus in quibus ſaſina neceſſaria non eſt, 440, 23.
Renunciatio juris circa feudum prodeſt omnibus jus habentibus in feudo, *ibid.* Renunciatio omnium actionum perſonalium contra debitorem competentium non extenditur ad reales; nec talis renunciatio tollit actionem de felonia, aut de gravi aliquo crimine, nec executioni obſtabit, *ibid.* Renunciatio apud Anglos *Relaxatio* vocatur, *ibid.* & § 24.
Renunciationes omnes ſunt ſtricti juris, tam apud nos quàm Anglos, 440, 23.
Renunciatio fruſtra fit in favorem ejus qui nullum jus in re habet juris renunciantis capax, 441, 25.
Renunciatio juris futuri nulla eſt aut eſſe poteſt cum effectu, 445, 32.
Renunciatio ſi fiat per procuratorem, ſpeciali ad id mandato opus eſt, 445, 32.
Renunciationis, reſignationis vel refutationis validitatem quæ impediunt, unicâ regulâ generali comprehenduntur, 444, 33.
Renunciatio prioris facit locum poſteriori, 480, 6.
Replegiatio apud nos dominis regalitatis competit, ſive cauſa civilis ſive criminalis ſit, 386, 27. 516, 5.
Repræſentationis jus quid? 314, 21. Et an locum habeat in linea collaterali? 356, 21.
Requiſitionis forma in materia maritationis à domino vaſſallo facienda, 410, 23.
Reſciſſorium judicium nos loco reſtitutionis habemus, 420, 19. Quod reſciſſum eſt, fingitur nunquam fuiſſe, 280, 7.
Reſcripta Principum, 11, 5.
Res ad coronam Regis, aut ad publicam utilitatem pertinentes, non poſſunt feudari, 141, 17.
Res à judice alienari prohibitæ, 141, 18. 143, 24.
Res à lege prohibitæ alienari, 142, 19. 149, 1. 470, 23.
Res aliena vendi poteſt, ſed non feudari, 147, 30. 187, 21. 219, 11.
Res à teſtatore alienari prohibitæ, 142, 18 & 21.
Res communes, publicæ, & univerſitatis, 136, 1. 140, 13. 141, 16.
Res communes, quarum diviſio poſtulata eſt, alienari non poſſunt, 143, 23. 145, 27.
Res Divini & humani juris, 136, 1.
Res fideicommiſſariæ reſtitutioni obnoxiæ, ut nec alienari, ſic nec in feudum dari poſſunt, 143, 22. 219, 9.
Res immobiles quæ dicantur? 56, 7.
Res immobilis, & quaſi immobilis, in feudum dari poteſt, 57, 8. 167, 2.
Res immobiles Eccleſiæ & fundi Eccleſiaſtici in feudum dantur, 119, 5. 136, 5. Licet ſint de menſa Epiſcopi, 137, 7. Rebus ſacris non connumerantur, 137, 5.
Res in & extra patrimonium, 136, 1.
Res in hereditate jacente alienari nequeunt, nec in feudum dari, 143, 23. 145, 27.
Res in charta aut diſpoſitione diſpoſita, quomodo ſit deſignanda aut deſcribenda? 199, 22. 201, 25.
Res nullius in feudum dari poſſunt, 141, 17. Res privatorum omnes in feudum dantur, niſi quæ vel à lege, judice vel teſtatore in ultima voluntate prohibentur, 141, 18.
Res religioſæ in feudum dari non poſſunt, nec ſunt in commercio, 139, 11.
Res redemptioni obnoxiæ non poſſunt alienari, 143, 23.
Res ſacræ, ſanctæ & religioſæ, 136, 1, 2, 3, 4 & 5, *&c.* Sacræ in feudum dari non poſſunt, 136, 5. 141, 17. *fin.*
Reſervatio in gremio quid operetur? 143, 23. 423, 25.
Reſignationes quæ fiunt in manibus ſuperioris, in favorem vel ipſius vaſſalli, vel alterius, ſunt inveſtituræ impropriæ quæ fiunt extra locum feudi, 183, 10. Cùm dominus gratuitam tantùm operam, & nudum conſenſum adhibet, de evictione non tenetur, niſi quid oneroſum intervenerit, 207, 2.
Reſignatio de novo neceſſariò facienda eſt, ut rumpatur tallia, 344, 21.
Reſignatio facta in favorem heredum talliæ quæ nulla eſt, nihil valet, 344, 22.
Reſignatio in extraneum collata, non fit tallia, *ibid.*
Reſignatio, & ſaſina inde, fieri poteſt inſcienti & ignoranti, quo caſu iniquum eſt quempiam oneribus hereditariis implicari, 353, 14.
Reſignatione factâ, feudum eſt in non-introitu, 380, 5.
Reſignatio, refutatio vel renunciatio feudi duplex eſt: altera, quæ in manibus domini ſuperioris præſentis, aut alterius ab eo ſpecialem poteſtatem ad hoc habentis, 432, 6. Altera pura, & quæ extra ejus præſentiam fit, 439, 20. Prior *Reſignatio* dicitur, & eſt duplex: altera, quæ apud nos *in perpetuam remanentiam* vocatur; altera, quæ *in favorem*, 432, 6. Utriuſque deſcriptio & effectus, *ibid.* & § 7.
Reſignare feudum an vaſſallus poſſit ad perpetuam remanentiam, invito domino? 433, 9.
Reſignato feudo ad perpetuam remanentiam, quale id redeat domino? 434, 12.
Reſignatio feudi ad tempus recuſari poteſt à domino, donec vaſſallus onere ſibi ratione feudi incumbente ſe liberet, 434, 11.
Reſignato feudo, jure feudorum ſcripto locus erat proximioribus agnatis, qui à domino inveſtituram peterent, 435, 12. *fin.*
Reſignatio in favorem quæ? 435, 13. In ea reſignatione opus eſt non ſolùm præſentiâ domini, ſed etiam ejus conſenſu, *ibid.* Quæ ulteriùs domino incumbant? 436, 14, 15, 16 & 17.
Reſignatio juriſdictionis, niſi in manibus ſuperioris mandantis, jure Civili nihil operatur, 436, 14. Ni manibus filii domini, qui in feudo ſucceſſurus eſt, nihil valet, *ibid.*
Reſignatio beneficii ab Epiſcopo facta, niſi in manibus Papæ, non ſolùm nihil operatur; ſed ſi in manibus laici fiat, reſignantem beneficio privat jure Pontificio, 436, 14.
Reſignatione in favorem factâ, ſi dominus noluerit illum inveſtire, quid ſequatur? 436, 16.
Reſignantem ſi pœnituerit, & in alterius favorem reſignationem fecerit, uter præferendus? 436, 17.
Reſignatione factâ, dominus immediatè tenetur eum, in cujus favorem eſt facta, inveſtire, 436, 15. 439, 19.
Reſignatio tribus conſtat partibus, 437, 17.
Reſignationis ratione quæritur, an traditio, quæ ſecundæ perſonæ danda eſt, fieri debeat incontinenti, an ex intervallo? 438, 19.
Reſignatio apud Anglos *ſurſum Redditio* vocatur, 440, 25.
Reſignatio in omnibus ferè cum venditione convenit, 445, 33.
Reſignatio non valet, ſi à majeſtatis reo facta ſit; nec ſi in fraudem fiſci, aut aliorum creditorum facta ſit, valebit, *ibid.*

Reſignatio ob cauſam lucrativam ſequitur naturam donationis, 445, 33.
Reſignatio à vaſſallo facta, & poſt alienationem a domino accepta, recognitionem excludit, 475, 35.
Reſpondere Vicecomes debet, quid ſignificet? 105, 14. 247, 22. 362, 41. 387, 30. 402, 37.
Reſtitutio minoris, vid. *Minor*. Reſtitutionis gratioſæ effectus, 426, 36.
Retornatus, ſeu deſervitio in heredem, conſequitur ſaſinam vi præcepti ex Cancellaria ad Vicecomitem, cujus Clericus ſit Notarius neceſſe eſt, 246, 22. 521, 20. Retornare & retornatus quid? 357, 22. 359, 29.
Retrovenditionis pacti effectus, 257, 19. 419, 13. 423, 26.
Reverentia maritalis quid? & inter quos locum habeat? 420, 18 & 19.
Reverſio apud Anglos eſt ut ſucceſſio apud nos, 85, 3. 95, 29. 441, 26. 455, 15.
Reverſio (ut apud nos ſumitur) plerumque fit in ſeparata obligatione, 143, 23. 223, 1. Inter res immobiles numeratur, & nequit tranſmitti in lecto ægritudinis, 178, 28. 231, 23. Eſt ſtricti juris, 223, 1. 224, 3.
Reverſio realis eſt conditio vel proviſio, 217, 4. Ex inveſtituris ſequitur, & rem ipſam ita afficit, ut ſi per mille manus res tranſierit, ſemper hæc conditio poſſeſſorem obliget, 223, 1. 231, 23. 257, 19.
Reverſio vocatur lex contractûs ſive conditio, quâ impletâ, totus contractus reſolvitur; Doctores pactum de retrovendendo vocant, 223, 2. 257, 19.
Reverſionis jus producit & realem & perſonalem actionem, 223, 3. Ejus tenor eſt inſpiciendus, 224, 3.
Reverſionis jus habens incipit à præmonitione, quam requiſitionem vel denunciationem vocamus, 224, 3. 226, 8 & 9. Vid. *Præmonitio*.
Reverſio eaſdem ſolennitates requirit quas diſpoſitio, 224, 5. Si ſigilli appenſio omiſſa, quid ſtatuendum? 225, 6.
Reverſio αὐτόγραφη, ut omne aliud inſtrumentum, ſine teſtibus fidem in Senatu facit, *ibid. fin.*
Reverſione alicui & uxori conjunctim competente, uxor eam redimens poſt mortem mariti, fit uſufructuaria tantùm, 225, 7.
Reverſione duobus conjunctim competente, uterque ſimul redimet; altero mortuo, ſupervivens ſolus jure Anglorum, eo etiam mortuo, heredibus utriuſque reverſio competit: ſecus apud nos, 226, 7. Duobus alternativè competente, qui primus redemerit potius jus habebit, *ibid.* Duobus ſeparatim conceſsâ aut aſſignatâ, qui primò intimaverit, poſſoris loco eſt, & perinde potior, *ibid.* Reverſionem tacitè renunciâſſe videtur, qui de novo abſque prioris reverſionis mentione feudum alienaverit, *ibid.*
Reverſionum aliæ conventionales, aliæ legales, 226, 8. 231, 24. 458, 22.
Reverſioni obnoxio diem obeunte, heres ejus eſt præmonendus, nullo habito reſpectu ad dominam conjunctæ infeudationis, aut Tertiæ, niſi de domino ſuperiore teneant, 227, 11.
Reverſio legalis quid? & unde deſcendat? 227, 10. 458, 22.
Reverſionem qui conceſſit, ſi adhuc vivat & poſſideat, ſolus præmonendus eſt: & datâ tam à patre quàm à filio, uterque eſt præmonendus, ſi uterque vivat, 227, 11.
Reverſio cum reſignatione non tranſit, ſed apud reſignantem remanet, 230, 22.
Reverſionem concedens, poſt redemptionem factam renunciando nihil ſibi præjudicat quoad alia jura, ſive priora, ſive poſteriora ſibi competentia in eodem fundo, 230, 23.
Reverſio quæ fundatur in obligatione ad eam tradendam, vim reverſionis in omnibus habet, 231, 23. *fin.*
Reverſionum conventionalium & legalium differentiæ, 231, 24.
Reverſio, niſi faciat mentionem heredis, apud nos heredi non competit, 235, 31.
Reverſionis in appretiatione, quâ formâ procedatur? 455, 15.
Revocatio feudorum olim quibuſdam dominis competebat, 26, 4. 107, 20. 131, 11. 170, 7.
Revocatio Regi competit ob læſionem in minore ætate, in publicis regni comitiis, ſine ulla ſpeciali declaratione: quod non obſervatur in aliis minoribus, 195, 11. 341, 12. 475, 35. *fin.*
Revocandæ donationis cauſæ, 463, 3.
Rex eſt dominus antiquiſſimus, 107, 21. At adminiſtrator tantùm eſt, 150, 4. 176, 24. Reges excommunicationis Papalis executores fiunt, 22, 21.
Rex an filium in Regem adoptare poſſit, aut regnum dimittere? 109, 26. 172, 14.
Rex feudum, ad ſe devolutum ratione forisfacturæ, an retinere poſſit? 133, 18. 164, 47. 201, 26. 351, 12. 510, 16.
Rex an res regni aut ejus latifundia alienare poſſit? 145, 28. aut donare? *ibid.* & 150, 4.
Rex terras ſuas, tam annexas quàm non annexas, in feudifirmam locare poteſt certis conditionibus, 151, 6.
Rex, ſicut alius ſuperior, ſuperioritatem alienare nequit; ſic nec regnum, aut quamlibet ejus partem, 151, 7. Suſtinet perſonam patris patriæ, & populi tutoris, 152, 11. 158, 26. 292, 26. 295, 35. 393, 9. 494, 15.
Reges primi judices erant, 3, 5. Regis officium duobus olim conſtabat, 3, 6. Regum nomen unde? 102, 5. Juramento Regis inaugurali quid promittatur? 43, 13. 100, 1. 150, 4. Regum inſignia antiquitùs in uſu apud nos, *ibid.* *Regis* vox olim non tam imperii quàm dignitatis & excellentiæ nomen, 6, 10.
Regis patrimonium, & quæ ei annexa ſunt, nequeunt alienari, 142, 18. 149, 1. 151, 7 & 8.
Regis Galliæ exhortatio teſtamento inſerta, & filio relicta, 154, 16.
Rex brevi manu rem ad ſe devolutam apprehendere poteſt, ſive jure hereditario, ſive jure fiſci ad eum perveniat, 164, 47.
Rex ſceptrum ſecundo genito relinquere non poteſt, niſi primogenitus ſit inhabilis ad imperandum, 172, 14 & 16. 352, 13.
Rex an teſtamento ſucceſſorem in regno nominare, & vero heredi præjudicare poſſit? 173, 16. 176, 24.
Regis ſunt omnium facultates, quoad fiduciam, tuitionem & protectionem, 174, 18, 19 & 20. 252, 3. *fin.* Ejus fides maximè ſpectanda eſt, 191, 30.
Rex nemini poteſt jus ſuum auferre, 105, 16. 175, 21. 210, 10. 252, 3. 368, 12. 462, 1. 514, 1.
Reges Angliæ & Galliæ ſemper ſunt majores; at in quacunque ætate poſſunt revocare quod de patrimonio alienatum, 196, 11. Cur non & idem apud nos ex ſtatuto Canethi? 47, 2.
Rex pro filia elocanda ſubditos tributo gravare poteſt, 156, 20. 291, 22.
Rex in multis ſubditis ſuis obligatur, 294, 33.

Rex, an immediatus dominus præferendus, ſi vaſſallus tam reus læſæ majeſtatis, quàm alterius criminis cujus accuſetur à domino ad amiſſionem feudi, & utroque judicio damnatus ſit? 510, 17.
Rex judex in ſua cauſa, 107, 21. 519, 12. & ſolus, ſive ejus concilium cognoſcit de his maleficiis ex quibus feuda caduca fiant, 520, 16.
Ripatica quæ ſint? 153, 13.
Rogari debent neceſſariò non ſolùm Notarius, ſed etiam teſtes, 246, 20 & 21.
Rollo Normannorum Dux Normanniâ inveſtitus, 41, 7.
Rotulatoris feudum, vid. *Feudum.*
Ruthven (Dominus de) 227, 12.

S

Sacerdotes Angliæ vi excommunicationis uxores demittere coguntur, 22, 21.
Sacramentum fidelitatis in inveſtitura impropria præcedere debet traditionem poſſeſſionis, 183, 9. At contrà in propria. Vid. *Juramentum* fidelitatis.
Salinæ, aut ſalinarum vectigal, an inter Regalia? 161, 39. 258, 21.
Salmonum piſcatio in feudi diſpoſitione generali non venit, niſi exprimatur, neque ſub piſcationibus; ſed inter Regalia refertur, 152, 11. 161, 38. 256, 14 & 15.
Salutationis clauſula in chartis Regiis nomen ſequitur, in privatorum verò chartis præmittitur, 196, 11, 12 & 13.
Salvo jure cujuſlibet, Salvo jure noſtro Feudali, &, *Salvo jure domini mei*, quid hiſce clauſulis ſignificetur? 300, 13. 472, 26.
Sandilands de Calder familia, 213, 20. 420, 17.
Saſinæ neceſſariæ non ſunt in locationibus, 86, 5. 248, 28.
Saſina reſervationem habens in favorem alterius, vim habet ſeparatæ ſaſinæ, 143, 23. 423, 25.
Saſinæ omnes, quæ propriis manibus dominorum fiunt, militaria feuda præſumunt, 185, 13. Idem in ſaſina quæ per Balivum datur, & aliæ conditiones non extent, 239, 5. Saſina principalis prædii eſt pro ſaſina prædii in reali warranto dati, 209, 8.
Saſina non minùs confirmanda eſt quàm ipſa charta, 212, 18.
Saſinæ vox Gallica, à quibus ad Anglos, & inde ad nos pervenit, 237, 1. Quæ fuerit apud majores noſtros conſuetudo in ſaſinis? *ibid.* & 523, 26. Ejus introducendæ occaſio per Jacobum noſtrum I. 186, 18. & definitio, d. § 1 & 2. & diviſio ex perſona domini, 239, 5. Ejus forma, cum ratione temporis, loci, anni Dei & Regis, 241, 8. 242, 11.
Saſina tribus perſonis conſtat, domini, vaſſalli & Notarii, 239, 4. Saſina eſt poſſeſſio, *ibid.* Unius Notarii teſtimonium in ſaſinis ſufficit, 241, 7. Saſinæ privatim fieri non debent, ſed actu publico 241, 8. 433, 7.
Saſina danda eſt in omnibus fundis non unitis, niſi ſint contermini: extra fundum data nihil operatur, 244, 14 & 15.
Saſinarum apud nos quædam ſpecialia, etiam in burgis, 247, 22 & 23.
Saſinam frangere apud nos, apud Anglos diſſaſire, quid? 247, 24.
Saſinarum diviſio apud nos una eſt à præcepto Cancellariæ poſt inquiſitionem de morte anteceſſoris, altera quæ de *Clarè conſtat* dicitur, 247, 25. Differentiæ inter has ſaſinas, *ibid.*
Saſinæ burgales continere debent rationem propter quam conceduntur: quod tamen in ſaſinis extra burgum non eſt neceſſarium, 248, 26. Saſinæ bos domino debetur; & ſi vaſſallus illum aut recuſaverit, aut dare diſtulerit, aut non ſit bos in feudo, dominus pro eo diſtringere poteſt ſine ulla citatione, 245, 18. 248, 26. 362, 41.
Saſinæ effectus, ſi ſaſitus per annum & diem poſſideat, 248, 27. 251, 1.
Saſina quando & in quibus requiſita apud nos & Anglos? 248, 28. Saſinâ nullâ, nulla terra, *ibid.* & 439, 22.
Saſina debitoris an cum libello appretiationis producenda? 456, 19.
Scire & ſcire debere in jure paria ſunt, 298, 5.
Scientia in jure Protimeſeos quid? & quomodo probetur? 480, 7 & 8.
Scientia vera & præſumptiva quid? *ibid.* § 8. Scientiæ præſumptivæ effectus, *ibid. fin.*
Scientia certa in diſclamatione requiritur, 488, 2. *fin.*
Scientiæ vaſſalli in delictis ratio maxima habetur, 502, 30.
Scoti reguntur jure Civili, quatenus legibus naturæ & rectæ rationi conveniunt, 14, 14. Scotia nunquam vaſſalla Romanæ Eccleſiæ, 17, 5 & 6. *fin.* 21, 15. 121, 10. Nec Anglis unquam ſubdita, argumento Nicolai Adami, 49, 4. Scotorum cum Gallis, eorumque cum Scotis vinculum antiquum, 129, 7.
Scriptura, ſigillatio & traditio, ſunt tria neceſſaria in omnibus obligationibus apud Anglos, 172, 12.
Scriptura introducta eſt, non ut quis fortiùs obligetur, ſed ut obligatio meliùs probetur, 189, 24. 213, 21. Neceſſaria eſt in omnibus cauſis majoris momenti, 239, 4.
Scripturæ aut ſcribentium diverſitas reddit ſcriptum ſuſpectum, 215, 23.
Scripturæ fictæ aut fictæ ſubſcriptionis remedium Juſtinianeum, 240, 7.
Scutagium quid? 44, 17. 89, 13. Eſt vel certum vel incertum, 90, 14. Scutum quid? & Scutifer quis? 89, 13.
Scrimgerorum familiæ proprium eſt vexillum Regium in bello geſtare, 89, 12. 228, 13.
Secretarii feudum, vid. *Feudum.*
Secta in curiis capitalibus, 79, 27. 81, 32. 204, 33. 290, 18.
Seculare feudum, vid. *Feudum.*
Sedes Epiſcopalis aut monaſterii in feudum dari non poteſt, 137, 6.
Sedere verbo quid comprehendatur? 181, 5.
Segetes creſcentes an ſimul tranſeant cum feudo? 263, 38.
Sempill familia, 316, 27.
Sempiternum feudum apud Anglos, vid. *Feudum.*
Senatuſconſulta, 11, 3.
Seneſcalli nomen unde? 103, 9. Ejus dignitas & officium, *ibid.* Vid. *Tenentes Regii patrimonii.*
Sententia judicis an neceſſaria ſit in alienatione prædii minoris, 111, 30.
Sententiam paſſus capitalem diſponere de rebus immobilibus non poteſt, 115, 37.
Sententiæ ſunt ſtricti juris, 65, 33.
Septentrio officina gentium, 26, 4.
Sequelæ molendinorum quid? 255, 12.
Seriendria magna quid? 89, 12. Seriendria parva, 91, 17.
Servitia vel ſervitutes unde? 3, 6.
Servitium per quod teneatur feudum, eſt inquirendum per inquiſitores, 360, 33.

Reſignatio ob cauſam lucrativam ſequitur naturam donationis, 445, 33.
Reſignatio à vaſſallo facta, & poſt alienationem a domino accepta, recognitionem excludit, 475, 35.
Reſpondere Vicecomes debet, quid ſignificet? 105, 14. 247, 22. 362, 41. 387, 30. 402, 37.
Reſtitutio minoris, vid. *Minor*. Reſtitutionis gratioſæ effectus, 426, 36.
Retornatus, ſeu deſervitio in heredem, conſequitur ſaſinam vi præcepti ex Cancellaria ad Vicecomitem, cujus Clericus ſit Notarius neceſſe eſt, 246, 22. 521, 20. Retornare & retornatus quid? 357, 22. 359, 29.
Retrovenditionis pacti effectus, 257, 19. 419, 13. 423, 26.
Reverentia maritalis quid? & inter quos locum habeat? 420, 18 & 19.
Reverſio apud Anglos eſt ut ſucceſſio apud nos, 85, 3. 95, 29. 441, 26. 455, 15.
Reverſio (ut apud nos ſumitur) plerumque fit in ſeparata obligatione, 143, 23. 223, 1. Inter res immobiles numeratur, & nequit tranſmitti in lecto ægritudinis, 178, 28. 231, 23. Eſt ſtricti juris, 223, 1. 224, 3.
Reverſio realis eſt conditio vel proviſio, 217, 4. Ex inveſtituris ſequitur, & rem ipſam ita afficit, ut ſi per mille manus res tranſierit, ſemper hæc conditio poſſeſſorem obliget, 223, 1. 231, 23. 257, 19.
Reverſio vocatur lex contractûs ſive conditio, quâ impletâ, totus contractus reſolvitur; Doctores pactum de retrovendendo vocant, 223, 2. 257, 19.
Reverſionis jus producit & realem & perſonalem actionem, 223, 3. Ejus tenor eſt inſpiciendus, 224, 3.
Reverſionis jus habens incipit à præmonitione, quam requiſitionem vel denunciationem vocamus, 224, 3. 226, 8 & 9. Vid. *Præmonitio*.
Reverſio eaſdem ſolennitates requirit quas diſpoſitio, 224, 5. Si ſigilli appenſio omiſſa, quid ſtatuendum? 225, 6.
Reverſio αὐτόγραφη, ut omne aliud inſtrumentum, ſine teſtibus fidem in Senatu facit, *ibid. fin.*
Reverſione alicui & uxori conjunctim competente, uxor eam redimens poſt mortem mariti, fit uſufructuaria tantùm, 225, 7.
Reverſione duobus conjunctim competente, uterque ſimul redimet; altero mortuo, ſupervivens ſolus jure Anglorum, eo etiam mortuo, heredibus utriuſque reverſio competit: ſecus apud nos, 226, 7. Duobus alternativè competente, qui primus redemerit potius jus habebit, *ibid.* Duobus ſeparatim conceſsâ aut aſſignatâ, qui primò intimaverit, poſſoris loco eſt, & perinde potior, *ibid.* Reverſionem tacitè renunciâſſe videtur, qui de novo abſque prioris reverſionis mentione feudum alienaverit, *ibid.*
Reverſionum aliæ conventionales, aliæ legales, 226, 8. 231, 24. 458, 22.
Reverſioni obnoxio diem obeunte, heres ejus eſt præmonendus, nullo habito reſpectu ad dominam conjunctæ infeudationis, aut Tertiæ, niſi de domino ſuperiore teneant, 227, 11.
Reverſio legalis quid? & unde deſcendat? 227, 10. 458, 22.
Reverſionem qui conceſſit, ſi adhuc vivat & poſſideat, ſolus præmonendus eſt: & datâ tam à patre quàm à filio, uterque eſt præmonendus, ſi uterque vivat, 227, 11.
Reverſio cum reſignatione non tranſit, ſed apud reſignantem remanet, 230, 22.
Reverſionem concedens, poſt redemptionem factam renunciando nihil ſibi præjudicat quoad alia jura, ſive priora, ſive poſteriora ſibi competentia in eodem fundo, 230, 23.
Reverſio quæ fundatur in obligatione ad eam tradendam, vim reverſionis in omnibus habet, 231, 23. *fin.*
Reverſionum conventionalium & legalium differentiæ, 231, 24.
Reverſio, niſi faciat mentionem heredis, apud nos heredi non competit, 235, 31.
Reverſionis in appretiatione, quâ formâ procedatur? 455, 15.
Revocatio feudorum olim quibuſdam dominis competebat, 26, 4. 107, 20. 131, 11. 170, 7.
Revocatio Regi competit ob læſionem in minore ætate, in publicis regni comitiis, ſine ulla ſpeciali declaratione: quod non obſervatur in aliis minoribus, 195, 11. 341, 12. 475, 35. *fin.*
Revocandæ donationis cauſæ, 463, 3.
Rex eſt dominus antiquiſſimus, 107, 21. At adminiſtrator tantùm eſt, 150, 4. 176, 24. Reges excommunicationis Papalis executores fiunt, 22, 21.
Rex an filium in Regem adoptare poſſit, aut regnum dimittere? 109, 26. 172, 14.
Rex feudum, ad ſe devolutum ratione forisfacturæ, an retinere poſſit? 133, 18. 164, 47. 201, 26. 351, 12. 510, 16.
Rex an res regni aut ejus latifundia alienare poſſit? 145, 28. aut donare? *ibid.* & 150, 4.
Rex terras ſuas, tam annexas quàm non annexas, in feudifirmam locare poteſt certis conditionibus, 151, 6.
Rex, ſicut alius ſuperior, ſuperioritatem alienare nequit; ſic nec regnum, aut quamlibet ejus partem, 151, 7. Suſtinet perſonam patris patriæ, & populi tutoris, 152, 11. 158, 26. 292, 26. 295, 35. 393, 9. 494, 15.
Reges primi judices erant, 3, 5. Regis officium duobus olim conſtabat, 3, 6. Regum nomen unde? 102, 5. Juramento Regis inaugurali quid promittatur? 43, 13. 100, 1. 150, 4. Regum inſignia antiquitùs in uſu apud nos, *ibid.* *Regis* vox olim non tam imperii quàm dignitatis & excellentiæ nomen, 6, 10.
Regis patrimonium, & quæ ei annexa ſunt, nequeunt alienari, 142, 18. 149, 1. 151, 7 & 8.
Regis Galliæ exhortatio teſtamento inſerta, & filio relicta, 154, 16.
Rex brevi manu rem ad ſe devolutam apprehendere poteſt, ſive jure hereditario, ſive jure fiſci ad eum perveniat, 164, 47.
Rex ſceptrum ſecundo genito relinquere non poteſt, niſi primogenitus ſit inhabilis ad imperandum, 172, 14 & 16. 352, 13.
Rex an teſtamento ſucceſſorem in regno nominare, & vero heredi præjudicare poſſit? 173, 16. 176, 24.
Regis ſunt omnium facultates, quoad fiduciam, tuitionem & protectionem, 174, 18, 19 & 20. 252, 3. *fin.* Ejus fides maximè ſpectanda eſt, 191, 30.
Rex nemini poteſt jus ſuum auferre, 105, 16. 175, 21. 210, 10. 252, 3. 368, 12. 462, 1. 514, 1.
Reges Angliæ & Galliæ ſemper ſunt majores; at in quacunque ætate poſſunt revocare quod de patrimonio alienatum, 196, 11. Cur non & idem apud nos ex ſtatuto Canethi? 47, 2.
Rex pro filia elocanda ſubditos tributo gravare poteſt, 156, 20. 291, 22.
Rex in multis ſubditis ſuis obligatur, 294, 33.

Rex, an immediatus dominus præferendus, ſi vaſſallus tam reus læſæ majeſtatis, quàm alterius criminis cujus accuſetur à domino ad amiſſionem feudi, & utroque judicio damnatus ſit? 510, 17.
Rex judex in ſua cauſa, 107, 21. 519, 12. & ſolus, ſive ejus concilium cognoſcit de his maleficiis ex quibus feuda caduca fiant, 520, 16.
Ripatica quæ ſint? 153, 13.
Rogari debent neceſſariò non ſolùm Notarius, ſed etiam teſtes, 246, 20 & 21.
Rollo Normannorum Dux Normanniâ inveſtitus, 41, 7.
Rotulatoris feudum, vid. *Feudum*.
Ruthven (Dominus de) 227, 12.

S

Sacerdotes Angliæ vi excommunicationis uxores demittere coguntur, 22, 21.
Sacramentum fidelitatis in inveſtitura impropria præcedere debet traditionem poſſeſſionis, 183, 9. At contrà in propria. Vid. *Juramentum* fidelitatis.
Salinæ, aut ſalinarum vectigal, an inter Regalia? 161, 39. 258, 21.
Salmonum piſcatio in feudi diſpoſitione generali non venit, niſi exprimatur, neque ſub piſcationibus; ſed inter Regalia refertur, 152, 11. 161, 38. 256, 14 & 15.
Salutationis clauſula in chartis Regiis nomen ſequitur, in privatorum verò chartis præmittitur, 196, 11, 12 & 13.
Salvo jure cujuſlibet, Salvo jure noſtro Feudali, &, Salvo jure domini mei, quid hiſce clauſulis ſignificetur? 300, 13. 472, 26.
Sandilands de Calder familia, 213, 20. 420, 17.
Saſinæ neceſſariæ non ſunt in locationibus, 86, 5. 248, 28.
Saſina reſervationem habens in favorem alterius, vim habet ſeparatæ ſaſinæ, 143, 23. 423, 25.
Saſinæ omnes, quæ propriis manibus dominorum fiunt, militaria feuda præſumunt, 185, 13. Idem in ſaſina quæ per Balivum datur, & aliæ conditiones non extent, 239, 5. Saſina principalis prædii eſt pro ſaſina prædii in reali warranto dati, 209, 8.
Saſina non minùs confirmanda eſt quàm ipſa charta, 212, 18.
Saſinæ vox Gallica, à quibus ad Anglos, & inde ad nos pervenit, 237, 1. Quæ fuerit apud majores noſtros conſuetudo in ſaſinis? *ibid.* & 523, 26. Ejus introducendæ occaſio per Jacobum noſtrum I. 186, 18. & definitio, d. § 1 & 2. & diviſio ex perſona domini, 239, 5. Ejus forma, cum ratione temporis, loci, anni Dei & Regis, 241, 8. 242, 11.
Saſina tribus perſonis conſtat, domini, vaſſalli & Notarii, 239, 4. Saſina eſt poſſeſſio, *ibid.* Unius Notarii teſtimonium in ſaſinis ſufficit, 241, 7. Saſinæ privatim fieri non debent, ſed actu publico 241, 8. 433, 7.
Saſina danda eſt in omnibus fundis non unitis, niſi ſint contermini: extra fundum data nihil operatur, 244, 14 & 15.
Saſinarum apud nos quædam ſpecialia, etiam in burgis, 247, 22 & 23.
Saſinam frangere apud nos, apud Anglos diſſaſire, quid? 247, 24.
Saſinarum diviſio apud nos una eſt à præcepto Cancellariæ poſt inquiſitionem de morte anteceſſoris, altera quæ de *Clarè conſtat* dicitur, 247, 25. Differentiæ inter has ſaſinas, *ibid.*
Saſinæ burgales continere debent rationem propter quam conceduntur: quod tamen in ſaſinis extra burgum non eſt neceſſarium, 248, 26. Saſinæ bos domino debetur; & ſi vaſſallus illum aut recuſaverit, aut dare diſtulerit, aut non ſit bos in feudo, dominus pro eo diſtringere poteſt ſine ulla citatione, 245, 18. 248, 26. 362, 41.
Saſinæ effectus, ſi ſaſitus per annum & diem poſſideat, 248, 27. 251, 1.
Saſina quando & in quibus requiſita apud nos & Anglos? 248, 28. Saſinâ nullâ, nulla terra, *ibid.* & 439, 22.
Saſina debitoris an cum libello appretiationis producenda? 456, 19.
Scire & ſcire debere in jure paria ſunt, 298, 5.
Scientia in jure Protimeſeos quid? & quomodo probetur? 480, 7 & 8.
Scientia vera & præſumptiva quid? *ibid.* § 8. Scientiæ præſumptivæ effectus, *ibid. fin.*
Scientia certa in diſclamatione requiritur, 488, 2. *fin.*
Scientiæ vaſſalli in delictis ratio maxima habetur, 502, 30.
Scoti reguntur jure Civili, quatenus legibus naturæ & rectæ rationi conveniunt, 14, 14. Scotia nunquam vaſſalla Romanæ Eccleſiæ, 17, 5 & 6. *fin.* 21, 15. 121, 10. Nec Anglis unquam ſubdita, argumento Nicolai Adami, 49, 4. Scotorum cum Gallis, eorumque cum Scotis vinculum antiquum, 129, 7.
Scriptura, ſigillatio & traditio, ſunt tria neceſſaria in omnibus obligationibus apud Anglos, 172, 12.
Scriptura introducta eſt, non ut quis fortiùs obligetur, ſed ut obligatio meliùs probetur, 189, 24. 213, 21. Neceſſaria eſt in omnibus cauſis majoris momenti, 239, 4.
Scripturæ aut ſcribentium diverſitas reddit ſcriptum ſuſpectum, 215, 23.
Scripturæ fictæ aut fictæ ſubſcriptionis remedium Juſtinianeum, 240, 7.
Scutagium quid? 44, 17. 89, 13. Eſt vel certum vel incertum, 90, 14. Scutum quid? & Scutifer quis? 89, 13.
Scrimgerorum familiæ proprium eſt vexillum Regium in bello geſtare, 89, 12. 228, 13.
Secretarii feudum, vid. *Feudum*.
Secta in curiis capitalibus, 79, 27. 81, 32. 204, 33. 290, 18.
Seculare feudum, vid. *Feudum*.
Sedes Epiſcopalis aut monaſterii in feudum dari non poteſt, 137, 6.
Sedere verbo quid comprehendatur? 181, 5.
Segetes creſcentes an ſimul tranſeant cum feudo? 263, 38.
Sempill familia, 316, 27.
Sempiternum feudum apud Anglos, vid. *Feudum*.
Senatuſconſulta, 11, 3.
Seneſcalli nomen unde? 103, 9. Ejus dignitas & officium, *ibid.* Vid. *Tenentes Regii patrimonii*.
Sententia judicis an neceſſaria ſit in alienatione prædii minoris, 111, 30.
Sententiam paſſus capitalem diſponere de rebus immobilibus non poteſt, 115, 37.
Sententiæ ſunt ſtricti juris, 65, 33.
Septentrio officina gentium, 26, 4.
Sequelæ molendinorum quid? 255, 12.
Seriendria magna quid? 89, 12. Seriendria parva, 91, 17.
Servitia vel ſervitutes unde? 3, 6.
Servitium per quod teneatur feudum, eſt inquirendum per inquiſitores, 360, 33.

Servitus apud populos Boreales juſtior, apud Meridionales durior, 25, 2 & 3.
Servitutis mentio rara apud Boreales gentes, 25, 3.
Servire & ſervum eſſe quomodo differant? 26, 4.
Servitia feudalia debent eſſe honeſta, incerta & perſonalia, 60, 17. Non realia, 60, 18. 63, 27. 79, 27. 80, 29. 220, 12. 360, 33.
Servitium feudale eſt titulus oneroſus, & actionem de evictione producit, 63, 27. Quod tamen nullus ſuperior invitus recipere cogitur, 448, 1.
Servitium unius militis, dimidii aut quartæ partis, 90, 14.
Servitutis apud Anglos veſtigia quædam, quoad bona villanorum, ſuperſunt, 96, 32.
Servitus omnis apud nos, quoad bona, extincta eſt, *ibid.*
Servitus mari imponi nequit à privato, 141, 15.
Servitus glebas aut focalia eruendi comprehenditur ſub communi paſtura, 252, 4. 263, 35. Servitus alieno fundo imponi non poteſt, niſi expreſsè conſtituatur, 262, 34.
Servitutem vaſſallus feudo nequit imponere ſine conſenſu domini; acquirere tamen poteſt, 265, 43. 293, 29. 416, 5. 469, 19.
Servitutes hæ quomodo æſtimentur ut licitentur? 455, 15.
Seſſionem Jacobus V. primus inſtituit, 14, 14.
Seton familia, 159, 30. 351, 11.
Sheriff unde dictus? 104, 14.
Sigilli communis appenſio olim pro Capituli conſenſu habebatur, 123, 15. 191, 31. 194, 2.
Sigillum ſolùm ſine ſubſcriptione prohibetur, 123, 15. 211, 13. 225, 5. *fin.* Licet ſufficiat in principalibus alienationibus, 212, 18.
Sigilli uſus apud Anglos, 141, 16. 172, 12.
Sigillum Vicecomitis extra, aut Ballivi intra burgum ſufficiebat olim pro ſaſinæ inſtrumento, 186, 18. 194, 2. 238, 2.
Sigillum proprium appendi debet; olim tamen & alieno uti licebat, 211, 15.
Silvii de Largo familia, 209, 9.
Silvæ vaſſallo cedunt, licet non exprimantur, 260, 27. 263, 38. 396, 19.
Silvæ cæduæ fructus an ſub Tertia comprehendantur? 257, 17. Silvæ non ſunt deteriorandæ, 292, 25.
Simplex feudum, vid. *Feudum.*
Simulatio & fraus tribus modis in contractibus probatur, juramento, teſtibus & conjecturis, 483, 18. Vid. *Contractus.*
Singularis ſucceſſor quis? & an warrantizare factum defuncti teneatur? 208, 5. Talis in dominio directo tenetur renovationem feudi vaſſallo petenti concedere, 303, 19.
Soccagium quid? Soccomannus quis? 44, 17. 85, 1. 88, 8. 90, 14. 92, 19. 392, 6. Soccagium inter & militare feudum diſcrimen, 91, 18. ubi quædam peculiaria. Soccagii cuſtode mortuo, perit actio rationum reddendarum, & quare? *ibid.*
Soccagium feudum, vid. *Feudum.*
Societas quid? & ejus origo, 2, 3. Nulla ſocietas abſque legibus, 5, 9. 514, 1 & 2.
Socius liberalitatis Imperialis præfertur fiſco, 159, 27. Socio competit jus Protimeſeos, 485, 20
Sok, Sak, hoc ſervitium judiciale, illud ruſticum ſignificat, 203, 31.
Soldata feudum, vid. *Feudum.*
Solennitates quæ in jure inveſtituræ præſcribuntur, 191, 32. 210, 12. 220, 12. 221, 14. 238, 2. Solennitates hæ extrinſecæ neceſſariæ, nec præſumuntur niſi manifeſtè de iis conſtet, 432, 7.
Solidi atque Soldatæ etymologia & origo, 73, 10. Soldarii qui? *ibid.* & 32, 4.
Solon, Athenienſium legiſlator, omnes Draconis leges antiquavit, 9, 15. 309, 4.
Solutio an fieri poſſit reo majeſtatis ante ſententiam? 115, 37. 445, 33. Solutio in quali moneta fieri debeat inter privatos? 157, 22. Et quo loco in reddendo aut perſonalibus obligationibus facienda? 205, 37. 224, 4. 226, 9. 235, 31. 458, 22. Facta creditori ante inquiſitionem de crimine valet, 445, 33. Solutio partialis non admittitur, 204, 34.
Somervellii de Camnethen familia, 260, 27.
Soror ipſa inter agnatos numeratur, at qui ex ea deſcendunt ſunt tantùm cognati, 330, 3. 339, 7. Sororum ſucceſſio in conquæſtu apud Anglos & nos, 335, 18.
Spes ſuccedendi, júſne aliquod ſit, an juris umbra? 300, 11. 500, 25.
Spoliationis actio, 293, 30. 357, 25.
Sponſalibus ſub pœna contractis nulla eſt pœnæ petitio, 404, 2.
Sponſæ domini an eadem reverentia quæ conjugi debeatur? 501, 27.
Spottiſwood familia, 491, 9.
Spuriorum conditio, jure Civili, Canonico & Feudali apud nos & alios, quoad ſucceſſionem, 365, 4. An nobilium ſpurii nobiles ſint? 108, 24.
Status apud Anglos poſſeſſio eſt, 85, 3. 440, 25. Eſt temporalis vel perpetuus; & temporalis rurſus triplex, *ibid.* 85, 3. 93, 24. Status nomen unde? 240, 6. Status precarius, 85, 3. Eſt etiam ad certum numerum annorum; apud eos Leaſe, apud nos *Aſſedatio* aut *Locatio* appellatur, 85, 3 & 4. 272, 23. Status vitalis pecuniâ comparatur, aut lege defertur, 87, 6. Tres ejuſmodi ſtatus, Uſusfructus, Tertia & Curteſia, 87, 7. Status apud Anglos perpetuus idem ac feudum apud nos, 87, 8. Statum ſeu poſſeſſionem hereditariam, actualem & realem tradere, quid? 240, 6.
Statûs quæſtio ſtatim remittitur judicibus Chriſtianitatis, pendente interim ſucceſſorio edicto, 363, 44. 367, 9. 371, 19. Et præcaveri debet, 372, 21.
Statuta à Principe & ſecreto ejus conſilio facta vim legis non habent, 50, 9.
Statuta conventionum vim legum non obtinent, 51, 10.
Statuta ſive ſanctiones quæ ſint? 136, 4.
Statutum fœminas ad ſucceſſionem admittens, intelligendum eſt ſi deficiant maſculi, 325, 3. 335, 16.
Statuta pœnalia etiam extendi poſſunt, 507, 9.
Steilbow-goods, 57, 7. *fin.*
Steuartorum origo, 103, 9.
Steuart de Garlies, 422, 24.
Stipendia extra imperium Romanum ignota, 26, 4. Poſtea irrepſerunt, creſcente avaritiâ militum, 73, 10. 290, 20. Stipendiariis militibus non permittitur de factis ejus cui militant nimium diligenter inquirere, 287, 10 & 11.
Stipulari alter alteri jure Civili non poteſt, niſi ſua interſit, 168, 3. Seeus apud nos. Inutiliter ſtipulamur ab illis qui in noſtra poteſtate ſunt, aut illis promittimus, 172, 12 & 13. Stipulationes vi aut metu extortæ nihil operantur, *ibid.* Ex ſtipulationibus ac obligationibus non minùs ac ex aliis contractibus feuda acquiri poſſunt, *ibid.* § 13. Stipulatio eſt unius partis interrogatio, & alterius partis reſponſio, 438, 19.

Stricti juris esse, quid sit? 65, 33. 224, 3.
Suam rem nemo dicere potest, nisi qui actionem realem ad rei vindicationem habet, 200, 23. 223, 3.
Subditi non sunt servi, 174, 19. 292, 26.
Subinfeudatio fieri potest, 107, 20. Ut liceat, tria requiruntur, 470, 23. Talliari potest, 344, 20.
Subscriptio, vid. *Sigillum*.
Subsidia pecuniaria à vassallis domino præstanda æstimantur secundum libratas terrarum, 291, 24.
Subvassallus à jure suo cadit, feudo à vassallo amisso, 508, 10.
Successionis incertitudo in Imperiis pestis, 4, 7. 176, 24.
Successio est continuatio feudi in persona heredis, 378, 1. 431, 3.
Successio in feudis extenditur ad nepotes, collaterales & fratres in feudo paterno, à Conrado Imp. 28, 8.
Successionum regulæ in regnis & feudis privatis, an eædem an diversæ? 129, 8. 173, 16, 17 & 18. 317, 31. 332, 7. 340, 10. 341, 14.
Successionem suam, posthabito primogenito, transtulit in secundò genitum ex justa causa Conquæstor, 173, 17. 175, 22. 309, 4. *fin.*
Successio non tam est modus feudi amittendi vel acquirendi, quàm retinendi, 172, 12. 308, 1.
Successionis jus naturâ introductum est, & jure gentium confirmatum, 175, 20. 176, 24.
Successio plerumque in regnis obtinuit, non obstante solenni abjuratione, 175, 20.
Successio ab intestato omni jure, Divino, naturali, gentium, Civili & Feudali stabilita & confirmata est, 308, 3.
Successio legibus XII. Tabb. tam ex testamento quàm ab intestato, 309, 4. 311, 12.
Successionis jus illibatum servari debet, publicæ utilitatis causâ, 309, 4. Et pro eo ut pro aris & focis contendendum, *ibid. fin.*
Successio quadruplex, linealis, collateralis, talliata, & domini tanquam ultimi heredis, 310, 8. 343, 19. 350, 9 & 11.
Successio, quâ conjux conjugi succedit, juri Feudali incognita, 310, 8.
Successionis in recta linea prima regula generalis, ut, mortuo patre, ejus filii in capita succedant. Idem de filiabus, deficientibus filiis, secundum jus Divinum, leges XII. Tabb. & jus Feudale, 28, 7. 311, 10, 11 & 12. 314, 19 & 22.
Successionis secunda regula est descendentium, quâ, deficientibus filiis, nepotes succedunt; & iis deficientibus, pronepotes, & ita deinceps: sed non in capita, sed in stirpes, servato semper jure repræsentationis, 314, 20.
Successio in stirpes & in capita quæ? 314, 21 & 22.
Successionis tertia regula in linea recta, tam ex jure Divino quàm Civili est, quòd matri eodem modo filii succedant ab intestato quemadmodum patri, in capita, & nepotes in stirpes, 315, 23. In quibus tribus regulis hoc notandum, quòd eodem modo filiæ succedant ac filii, *ibid.*
Successionis regulæ ab intestato jure Canonico nullæ, *ibid. fin.* & 366, 6.
Successionis feudalis hoc præcipuum est, ut successio feudi secundum juris Civilis dispositionem fiat, nisi quatenus in jure Feudali aliter dispositum legimus, 315, 24.
Successio feudi est actus legitimus, per quem, vassallo defuncto, qui proximus est ei agnatus feudi jus nanciscitur, aut in quem jus illud continuatur, 315, 25.
Successionis feudalis prima regula est: Quòd, mortuo vassallo, filii, omnibus aliis exclusis, succedant in capita, 27, 7. 315, 26. Et hi agnoscere videntur hereditatem paternam. Sed aliud in agnatis, nisi feudum sit novum aut masculinum, 316, 27. *fin.* Hæc regula patitur quasdam exceptiones, *ibid.*
Successionis feudalis secunda regula est: Quòd matri defunctæ ex jure Feudali succedant filii eodem modo ac patri, & in capita; nec interest ex eodem matrimonio nati sint, an ex diversis, 317, 31. Salvâ primogenituræ prærogativâ, *ibid.*
Successionis feudalis tertia regula est: Quòd, deficiente primo filiorum gradu, nepotes aut pronepotes, non in capita, sed in stirpes succedant, 319, 37.
Successio nulla est apud nos masculorum in capita; nam primogenitus excludit reliquos, primogenitus nepos excludit alios nepotes, & ex eo neptis excludit patruos, 319, 38 & 39. 321, 46. *fin.* De successione contentiones cruentissimis præliis causam dedere, 319, 38.
Successionis ascendentium descendentibus ratio ex jure Civili, &c. 320, 41. Quatuor regulæ de successione tali pro diversitate parentum, *ibid.* & § 42, 43, 44, 45 & 46.
Successio ascendentium ex jure Feudali nulla est, 43, 14. Quid singulare de hac re apud Anglos. 43, 14. ibi, *Feudum & Mortuo.* 321, 46. 322, 47. 334, 14. Duo casus excipiuntur in jure Feudali, quibus pater filio succedere potest, 321, 46. *fin.*
Successor, nisi unus, nullus apud nos, præterquam in fœminis, 77, 21. 321, 46. *fin.*
Successio ascendentium descendentibus, an apud nos locum habeat? 321, 47.
Successio fœminarum in jure Feudali nulla regulariter, nisi quatenus moribus nostris permittitur, 77, 21.
Successionis fœmineæ in feudis regula prima prohibitoria est, quâ fœminæ ab omnis generis feudis excluduntur, 323, 2. Ab hac regula quatuor exceptiones, 324, 3. 325, 4, 5 & 6.
Successionis fœmineæ secunda regula est, si nulli sint masculi, & feudi natura admittat, fœminæ in capita succedunt, 326, 7. Exceptâ superioritate, quæ ad primogenitam solam pertinet, & ei soli bos ex sasina debetur, & principale messuagium, *ibid.* Mobilia hereditaria dividuntur inter eas, 350, 7.
Successionis fœmineæ tertia regula est, si filiæ præmortuæ sint relictis nepotibus aut neptibus, nepotes aut neptes succedunt in stirpes jure Feudali; apud nos tamen primogenitus nepos excludit omnes ex eadem filia, 326, 8.
Successionis in materia Justinianus Imp. uxorius admodum creditur, 324, 2. 330, 4. 339, 7. 340, 11.
Successio in feudis, non tam ex voluntate vassalli, quàm domini concedentis est, 27, 7. 324, 2. 339, 8.
Successio permittitur fœminis in feudis francis aut emphyteuticis secundum Auctorem, 324, 2. *fin.* Aut si desint masculi in eodem gradu, 325, 3. *fin.*
Successio, quæ excludit fœminas, excludit etiam per fœminas descendentes, 324, 2. *fin.* & 3.
Successio fœminis permittitur in allodialibus seu mobilibus, unà cum maribus, 325, 4.
Successionis in materia, aliquando fœminæ maribus præferuntur, cum neptis ex filio jure repræsentationis nepoti ex filia præfertur, 325, 5. 343, 19. Si feudum sit fœmineum, fœminæ ex vi taciti pacti succedunt, 325, 6. 350, 9.

Succeſſio fœminea aſcendentium jure Civili, 326, 9. Jure noſtro mater nunquam ſuccedit, ſive ſola, ſive cum aliis, *ibid. fin.* De ſucceſſione fœminea nobiles quædam quæſtiones, 328, 13, 14, 15, 16 & 17.

Succeſſionis ſecundâ linea eſt collateralium; nam deficiente lineâ directâ deſcendentium, ita ut nemo ex iis ſuperſit, aut ſupereſſe ſperetur, proximus agnatus familiam habere debet ex ll. XII. Tabb. 330, 1. 331, 5.

Succeſſio mediâ juriſprudentiâ in linea collaterali erat talis, ut licet ſororum liberos ad ſucceſſionem agnatorum vocare non poſſet; attamen ex tit. *Unde cognati*, iis bonorum poſſeſſionem tribueret, 330, 4 & 7.

Succeſſio in linea collaterali ex Imperialibus conſtitutionibus omnes ex paterna linea deſcendentes pariter ad ſucceſſionem vocabat indiſtinctè, 331, 4 & 7.

Succeſſionis in materia, ex jure Civili, tam veteri quàm media juriſprudentia, licet eadem eſſet ratio omnium filiorum ex eodem patre deſcendentium, etiamſi ex diverſis nuptiis eſſent ſuſcepti, tamen in ſucceſſione collaterali aliud jus obſervabatur, 331, 5. At ſecus jure Feudali, 333, 13.

Succeſſionis causâ, in linea collaterali, ſtatus hereditatis non minùs conſiderandus eſt, quàm perſonæ ſuccedentium, 331, 6. 333, 13.

Succeſſionis collateralis ſecunda regula eſt: Deficientibus fratribus in primo collateralium gradu, ſucceſſio ad fratrum filios devolvitur, 331, 7.

Succeſſionis collateralis in linea aliquando accidit, ut cognatus remotioris gradûs excludat gradu propiorem, *ibid.*

Succeſſio jure Civili ad conjuges defertur, ſi defunctus neque liberos, neque parentes, neque cognatos aut agnatos habuerit, 332, 7. Si neque vir aut uxor ſit, bona cenſentur vacantia, & fiſco cedunt, *ibid.*

Succeſſio collateralis in feudo novo nulla eſt jure Feudali, 28, 9. Imò ne in antiquo, niſi hi collaterales deſcendant à primo acquirente, nec ſic videantur defuncti debita agnoſcere, 316, 27. *fin.* 333, 10. 354, 16. *fin.* 355, 19. *fin.* Ab hac regula aliquot exceptiones, 333, 11 & 12.

Succeſſio collateralis moribus noſtris, 333, 13. 334, 15 & 16. 351, 11.

Succeſſio collateralis apud Anglos plurimum reſpicit totum ſanguinem, 43, 14. ibi, *Feudum.* 334, 14.

Succeſſione talliatâ & lineali & collaterali præjudicatur, 337, 1. 339, 9.

Succeſſio, ut heredis nomen, apud nos duplex, 347, 1.

Succeſſor univerſalis in immobilibus, licet debitis gravetur, non habet repetitionem ab executore, niſi adierit hereditatem, 349, 5.

Succeſſio in bonis mobilibus hereditariis, 349, 7.

Succedendi jus quædam impediunt omnino, quædam ad tempus tantùm, 365, 1.

Succeſſio ſpuriorum jure Feudali, 366, 7. Apud Anglos, *ibid.* § 8. 372, 20. *fin.* Et apud nos, 367, 9 & 10.

Succeſſionibus in privatis an ſit locus extraneis in alieno regno ſuccedendi? 373, 24, 25 & 26. An idem inter Principes? *ibid.*

Succeſſor qui ſemel oblatam ſucceſſionem repudiaverit, ad illam poſtea non admittetur, 377, 32. Sed ſecus jure noſtro, *ibid. fin.*

Succeſſionis qui certam ſpem habet, pro ſucceſſore habetur, 500, 25.

Suicidæ bona cui applicentur? 160, 32. Ejus mobilia confiſcantur, 511, 19.

Swintoun familia, 355, 20.

Sulphuris fodinæ cum feudo tranſeunt, 258, 21.

Superior quis? 60, 14. 61, 21. 78, 23. Semper eſt exprimendus, 61, 21. Quo plures, eo duriores ſunt vaſſalli partes, 107, 20. 295, 35. Superior præferendus omnibus aliis tutoribus, 393, 9. Superioritas, quam nos *directum dominium* dicimus, jure noſtro ad ſolam primogenitam pertinet, 326, 7.

Surdus, aut alioqui lege vel naturâ impotens, à ſucceſſione olim repellebatur, 47, 2. In feudum dare aut accipere non poteſt, 110, 27. 114, 34. 130, 10. 131, 11. 172, 12. 216, 3. 375, 29. 376, 30. 431, 4.

Suſpenſionum literæ, 449, 4.

Suſpicio eſt gradus ſcientiæ, 480, 8.

Sylva, vid. *Silva.*

Symbola inveſtituris uſitata, 41, 7. 76, 19. 180, 2. Quæ in uſu apud Romanos? *ibid.* § 3. 182, 6 & 8. Apud nos in diverſis rebus diverſa, 187, 20. 237, 1. 240, 6. 268, 4.

T

Tacita relocatio apud Anglos nulla, 86, 4. Apud nos quid ſit? *ibid.* Et quomodo fiat? 269, 10. Ei locus eſt in decimis, niſi inhibitio fiat, *ibid.* § 11.

Taciturnitas inter conjunctas perſonas conſenſum præſumit, & ſolutionem debiti, 443, 29. 478, 2.

Talliæ nomen unde? 78, 25. Talliatum feudum quid? 337, 1 & 2. Apud Anglos duplex, ſciz. talliatum in genere, & talliatum in ſpecie, 94, 25, 26, 27 & 28. 342, 15 & 16. 511, 20. Vid. *Alienatio interdicta.*

Tallias ab Anglis ad nos perveniſſe veriſimile videtur, 94, 27. 337, 1. 338, 4.

Talliæ heredibus deficientibus, feudum ad dominum redit, 94, 26. 95, 29. 332, 10. 351, 11 & 12. 511, 20. Vid. *Bona* caduca.

Tallia Comitatûs Mortoniæ, 202, 29.

Talliata moneta quid? 229, 17.

Tallia & feudum talliatum juri Feudali incognitum, 337, 1.

Talliati feudi definitio, 338, 3. Origo talliæ, 338, 5. 339, 8 & 9. Quatenus ex ll. XII. Tabb. media juriſprudentia? 338, 5 & 6. 340, 11. Jure Feudali, 339, 8. Jure Divino, 340, 9 & 10. Et apud nos ſubſiſtere poſſint? 340, 12. Sed odioſæ admodum ſunt, & ſtrictiſſimam interpretationem recipiunt, *ibid.*

Talliata feuda ſub revocationem cadunt ob enormem læſionem concedentis, 341, 13.

Talliata feuda nec eſſe contra leges regni nec conſcientiæ, 217, 5 & 6. 341, 13 & 14.

Talliatum feudum eſt, cùm non ſolùm principalis lineæ perſonæ excluduntur, ſed etiam cum quovis modo cohibentur aut limitantur, 342, 15.

Talliatum feudum dicitur, quod in *liberum maritagium* conceditur; quod frequentius eſt apud Anglos quàm apud nos, 95, 28. 342, 16.

Talliatum feudum eſt, ſi concedatur *Titio & Mevia, & heredibus eorum quibuſcunque*, apud Anglos, 95, 28. 342, 17. 351, 11.

Talliatum dicitur, ſi detur feudum *Titio & heredibus ex ejus corpore procreatis*, 94, 26. 333, 10. 351, 11.

Talliatum feudum apud Anglos ſemper eſt ubi hereditas providetur, ideoque ſemper verba inveſtitu-

ræ ſunt inſpicienda, 343, 18.
Talliatum feudum apud nos quid? 343, 19.
Tallia etiam in baſtardum fieri poteſt, *ibid.* & 367, 11. 368, 13.
Talliari feudum nequit ſine conſenſu ſuperioris, 341, 12. 344, 20. At ubi interim jus agnatis in antiquis feudis quæſitum, (vid. *Agnatorum jus*) an hoc iis auferendum? negat Auctor, nequidem Parliamento Weſtmonaſterienſi, 338, 4. Cùm leges naturæ & jura ſucceſſionum iis conformia longâ conſuetudine ſtabilita ſunt, omnibus privilegiis præferenda, 175, 20. 176, 23.
Tallia à minore conceſſa, quando à majore ratificari poſſit? 344, 20.
Tallia rumpitur per reſignationem de novo factam, & ſaſinam inde, 344, 21. Idem ſi alienatio fiat à vaſſallo, licet filio ſuo, vel extraneo, & ejus heredibus quibuſcunque, & ſequatur confirmatio ſuperioris, *ibid.*
Tallia non reſcinditur, ſi heres maſculus & lineæ deſerviri ſe faciat in heredem in genere patri ſuo, 345, 22.
Taxativè, vid. *Conditionem* & *Demonſtrativè*.
Telonia quid ſint? 153, 14.
Templariorum ordo ſublatus, 19, 11.
Tempore pacis quid intelligendum? 361, 36. Tempus diuturnum quid? 371, 19.
Temporarium feudum, vid. *Feudum*.
Tenendria quid? 77, 19. 78, 23. 82, 37. 85, 1.
Tenendriæ quædam, vel incuriâ patronorum, vel importunitate poſtulantium introductæ quales? 80, 29.
Tenendria per extractum rotulamenti curiæ qualis? 93, 24.
Tenendria poſſibilitate ſucceſſionis extinctâ apud Anglos qualis? 95, 29. De villenagio quæ? 96, 32.
Tenendas & *habendas*, ſive clauſula tenoris, eſt modus quo vaſſallus eſt inveſtitus, & de quo domino tenet, 202, 28. Hæc clauſula non eſt diſpoſitiva, ſed tantum exegetica, 203, 31. 256, 17. In hac clauſula, etiamſi heredes domini non nominentur, ſemper præſumuntur, 202, 28.
Tenentes in vitali ſtatu apud Anglos qui? 71, 7. Statum habent, vel pro ſua vita, vel pro aliena, 87, 6.
Tenentes Regii patrimonii apud Anglos qui? 93, 22. Illis non abſimiles apud nos ſunt Seneſcalliæ tenentes, *ibid.*
Tenor feudalis ſemper eſt inſpiciendus, 29, 9. 66, 36. 143, 23. 190, 27. 194, 2. 202, 28. 325, 3. 337, 1. 343, 18. Tenoris probatio, 190, 26. In tenoris ſive diſpoſitionis clauſula, heredum mentione, aut limitatione promiſcuè utimur, 202, 29.
Tenor chartæ familiæ Dinmocorum in Anglia, & quarundam aliarum in Scotia, 432, 4.
Tenuiores Græcâ conſtitutione defenduntur, 485, 21.
Tenuta, vid. *Tenendria*.
Termini ſolutionum apud nos ſunt feriæ Pentecoſtes & S. Martini in hyeme, 270, 13. 362, 41.
Terrienus Gulielmus exquiſitiſſimos commentarios in conſtitutiones Normannicas conſcripſit, 42, 10. 390, 3. 400, 31.
Tertia, vid. *Triens*.
Teſtamento feuda diſponi nequeunt, niſi ex cauſa neceſſitatis, 43, 14. ibi, *Teſtari*, 87, 8. 94, 25. 114, 36. 142, 21. 172, 14. Nec gravari, 177, 25, 27 & 28. 350, 8. 481, 10. De eo qui teſtamenti tabulas celavit, 159, 27.
Teſtamento pater non poteſt prohibere filios à diviſione, ne quidem juratos, 264, 41.
Teſtes in chartis neceſſarii ſunt, & ſpecialiter denominandi, 211, 14. 215, 23. 221, 14. Et in ſaſinis, 238, 4. 246, 20. Et etiam deſignandi 244, 14.
Teſtes ad factum probandum adducuntur, 275, 35.
Teſtis non ſibi præjudicat, qui interfuit venditioni rei ſuæ, 485, 21.
Teſtes non minus 5 requiruntur, ubi agitur de amiſſione feudi ob ingratitudinem, 511, 20. 523, 26.
Teſtis vaſſallus admittitur aliquando, imò cogitur teſtimonium dicere adverſus dominum, 498, 22. 523, 26.
Teſtimonia teſtium contractibus inſertorum ad quæ probanda admittantur? 52, 14. Teſtimonii dictio jure Feudali negatur fœminis & ſervis, 191, 32.
Teſtimonium Parium contra vaſſallum prægravat teſtimoniis aliorum, 523, 26.
Textûs 1 F. 1. *Si antiquitus conſuetudo fuerit*, explicatio, 124, 17.
Thani, Thaniæ, & Thaindoms quid? 106, 16.
Theſaurus quid? & cujus ſit ſi inveniatur? 161, 40.
Timmariæ Turcicæ quid? 27, 6.
Titulus oneroſus in feudis, 63, 27. 93, 23. 198, 17 & 18. 206, 1.
Titulus & poſſeſſio duo ſunt in unaquaque re ſpectanda, 190, 29 & 30. 238, 3. 248, 27. 349, 7.
Tituli paſſivi qui? 208, 5 & 6. 227, 12. 310, 5, 6 & 7. 335, 17. 352, 13, 14 & 15. 353, 16, 17 & 18. 452, 8.
Torphichen (Dominus de) 151, 6. Vid. *Sandilands de Calder*.
Traditio brevis manus, 183, 7. Traditio transfert dominium quale tradens habet, 237, 1. 248, 27. Non ſemper requiritur ad dominium transferendum, 164, 47. 444, 30. Adeò neceſſaria eſt, ut abſque ea nulla ſit dominii certitudo, 439, 23. De traditione facta *ſalvo jure primi*, 190, 29. Vel *domini mei*, 472, 26.
Traditio baculi in reſignatione an ſit neceſſaria? 433, 8.
Traditio conditionalis non infert privationem feudi, niſi fiat dolo, 472, 26.
Tranſactio quomodo fiat ſuper alimentis, 138, 7. Tranſactio eſt favorabilis 145, 26. Tranſigere ſolent vaſſallus & ſuperior de alienatione feudi, 212, 17. Modo non præjudicetur agnatis, 264, 40. 469, 20.
Tranſactio non obnoxia eſt juri protimeſeos, 483, 17.
Tranſactionis effectus in variis caſibus, 426, 36.
Tranſlatio activa & paſſiva quid? 450, 7. Tranſlatio paſſiva fit in heredem deliberantem, ſed differtur interim executio, 451, 8.
Triens, ſive Tertia, viduæ debetur, vel ex proviſione legis, vel ex pacto, 87, 7. 383, 15. 398, 24. 422, 25. Ejus jus circa carbones, & ſylvas cæduas, 257, 17 & 18. Quomodo triens deſignetur? 425, 32. Ejus incommoda occaſionem dederunt conjunctis inveſtituris, 417, 8.
Trientem nullæ obventiones aut Eſchetæ ſequuntur, ut conjunctam inveſtituram, 416, 5. 422, 25.
Triens, etiam indefinitus, ex proviſione hominis procedit, 423, 25.
Trienti, per contractum aut obligationem conſtitutæ ſine ſaſina, maritus præjudicare poteſt dum vivit, ſed uxor de evictione actionem contra mariti heredem habebit: ſecus ſi per ſaſinam conſtituatur, 423, 25.
Triens apud Anglos debetur uxori deſponſatæ, ſi annum nonum ſuperaverit, licet matrimonium in ea ætate conſiſtere non poſſit, *ibid.*

Triens tantum debetur ex iis terris, in quibus maritus obiit veſtitus & ſaſitus, unà cum pertinentiis, 423, 25. *fin.* & 26.
Trientem feudi tenetur heres viduæ præſtare, ſecutâ redemptione, 423, 26. Sed triens tantùm pecuniæ uxori debetur, ubi ſciverat fundum eſſe redemptioni obnoxium; ſed nihil aſſedationum, quæ ad heredem pertinebunt, 423, 26.
Triens aliquando debetur, licet maritus non fuerit ſaſitus, 423, 27.
Trientis conſtitutioni plurimum favetur jure Normannorum, Anglorum & noſtro, *ibid.*
Triens debetur ex annuis reditibus fundi alieni, ſi modò defunctus obiit in iis veſtitus & ſaſitus; & de domibus, 424, 28.
Triens debetur ex fructibus earum rerum quæ commodè dividi nequeunt, *ibid.* § 29.
Triens etiam duplex, major & minor, aliquando debetur ex eodem feudo, *ibid.* § 30.
Trientis ab uſufructu & conjuncta infeudatione differentia, & forma petitionis trientis, 425, 31.
Trientis deſervitio retrotrahitur ad diem mortis mariti, *ibid.* § 33.
Trientem quædam non admittunt, licet in iis vaſſallus moriatur veſtitus & ſaſitus, 426, 34.
Triens non debetur, ſi aut vir aut uxor moriatur intra annum, *ibid.* & 427, 36. *fin.*
Trientis amittendi multi modi numerantur, ut ſi uxor adulterii damnata ſit, aut ſine juſta cauſa virum reliquerit, nec ante mortem reconciliata fuerit, 426, 35. Etiam amittitur ſi ſuperior, de quo feudum tenetur, majeſtatis damnetur, *ibid.*
Triens ab omni warda, relevio & non-introitu libera eſt, 427, 37.
Triens obnoxius eſt omnibus debitis hereditariis quæ tempore mortis defuncti aſſi hereditatis inhærebant, 427, 38.
Triens ex proviſione hominis proveniens obnoxius tantùm eſt debitis ante ejus ſaſinam competentibus, *ibid.*
Triens quatenus in appretiatione æſtimetur? 454, 13.
Turbaria quæ? 256, 16.
Turcæ nobilitatem ludibrio habent, & ſe ſervos ſui domini gloriantur, 174, 19.
Turris faſtigiatæ ſive pinnatæ jus, 105, 16. 162, 41. 252, 3. 271, 17.
Turres omnes jure Anglorum ad Regem pertinent, 90, 14. 105, 16. 252, 3. In earum cuſtodia dominus præfertur aliis tutoribus, 396, 18. *fin.*
Tutores aut curatores non poſſunt comparare res immobiles pupillorum, 132, 13. 144, 24. Nec aſſedationes facere ultra tempus ſuæ adminiſtrationis, 278, 1. Defectum ætatis ſupplent, & renovationem feudi petere poſſunt, 301, 14. Pœna ſe excuſantis, cùm excuſari non debeat, accreſcit pupillo, 159, 27.
Tutores teſtamentarii excluduntur à domino in militari feudo, 173, 16. 391, 4. 393, 9 & 12. 520, 15.
Tutores aut curatores non tenentur de evictione, 206, 1.
Tutor quomodo detur ex inquiſitione? 359, 27.
Tutela deferenda eſt, prout hereditas obvenit, 392, 7.
Tutorum omnium primus eſt teſtamentarius, & eo deficiente locus eſt legitimo, qui deſcribitur, 91, 18. Et ſi hic recuſaverit, dativo, 392, 7.
Tutores etiam furioſis, idiotis, mutis & ſurdis, ex Brevi per inquiſitionem dantur, 111, 29. 392, 8 & 9.
Tutorum & curatorum nomina apud Anglos rara ſunt, utrique Guardiani dicuntur, 392, 9. Tutor aut curator non poteſt adminiſtrationem ſibi commiſſam alii demandare, 394, 10. Sed ſecus apud Anglos, *ibid.*
Tutores & curatores citandi ſunt, ſive noti ſint, ſive ignorentur, ad crucem foralem burgi qui præcipuus eſt in ea regione, 521, 21.
Tutrix aliquando mater dari poteſt, 393, 9. Et apud eam educandus pupillus, niſi virum ſuperinduxerit, 394, 11 & 14.
Tyrannidis initium, 4, 8. Et exempla, 153, 16. 174, 19.
Tyranni & Regis differentia, *ibid.*

U

Ultimus heres quis? & in quibus bonis locum habeat? 129, 7. 159, 30. Et quâ formâ procedat? 164, 47. Aliquando dominus eſt ultimus heres, 310, 8. 351, 11 & 12. 369, 15 & 16.
Ultimæ voluntates ſunt favorabiles, 65, 33. 71, 7. 94, 25. 95, 28. 219, 10. 438, 17. 444, 30.
Ultimarum voluntatum liberrima facultas apud veteres, 174, 17 & 18. At aliud apud nos, 174, 18. 178, 28. Et alias gentes, 176, 24.
Unde vi, vid. *Ejectionem.*
Unio quid? & à quo fiat? 245, 17. Ejus apud Anglos ratio, *ibid.* Tria conſideranda in ea facienda, *ibid.* § 18. Ejus diſſolutio quid? & quomodo fiat? *ibid.* § 19. Non mutat juriſdictionem judicis ordinarii, *ibid.* & § 20.
Univerſitas quæ? 141, 16. In feudum dat & acquirit, *ibid.* Servit per ſubſtitutum, 289, 16. Vaſſallus univerſitatis, non ſingulorum, ſed univerſitatis eſt vaſſallus, 292, 27. Fidelitatem præſtat & jurat per ſyndicum, 304, 20. *fin.* Ex delicto partis non amittitur feudum, 499, 23. Per univerſitatem multa tranſeunt, quæ per ſe non ritè tranſeunt, 295, 35.
Univerſalis intromiſſor quis? 348, 3. Tenetur in ſolidum ultra vires hereditatis, & eſt nomen facti, *ibid.* & 353, 16.
Univerſalis ſucceſſor etiam eſt in immobilibus, & idem diſcrimen inter hunc & heredem, quod inter executorem & univerſalem ſucceſſorem, & talis pro herede habetur, 335, 17. 349, 4. Contra eum omnes actiones competunt, quæ contra defunctum competere poterant: agere tamen non poteſt, antequam hereditatem legitimè adierit, cùm hoc ſit nomen facti; at heres, qui habet nomen juris, poteſt & agere & conveniri, *ibid.* Quocunque tempore à creditoribus hereditariis conveniri poteſt, 349, 6. Vid. *Bonorum poſſeſſiones.*
Urbis nomen unde? 2, 4. Urbs propriè ad ædificia, civitas ad cives pertinet, *ibid.*
Uſurarum aſperitas legibus comprimenda, 234, 29. *fin.*
Uſus apud nos plurimum valet, 122, 13. 123, 15. 133, 18. Interdum contra ipſius juris regulas, 144, 24. 150, 5. 196, 12. 227, 13. 342, 16. Uſus ſtultorum magiſter, 174, 18. Reprobat pactum legis commiſſoriæ, 234, 29.
Uſusfructûs aſſignatio apud Anglos fieri poteſt, licet in ejus conſtitutione nulla ſit aſſignatorum mentio, 44, 17.
Uſusfructus alius perſonalis, alius qui pacto in heredem tranſit, 58, 10. Uſufructuarius alium uſufructuarium facere non poteſt, 59, 11. Uſusfructus

ctus & feudum inter ſe ut differant? 64, 30. Uſusfructus lege conſtituti ſunt Tertia & Curteſia, 87, 7. Uſufructuarius præſcriptione nunquam acquirit proprietatem, 170, 8.
Uſusfructus apud unum eſſe poteſt, feudi proprietas apud alium novum vaſſallum, 184, 12.
Uſuſfructus conſtituitur per ſaſinam ſecundum quoſdam, 248, 28.
Uſufructuariæ dominæ jus circa carbones & ſilvas cæduas, 257, 18 & 20. Ea cavere debet, ut in cuſtodia, 402, 40. 418, 12.
Uſumfructum aut uſum alii ſine conſenſu domini vaſſallus conſtituere nequit, 264, 40 & 43.
Uſufructuario mortuo, an mors ejus terminum faciat, ita ut neceſſe non ſit proprietario denunciare ut migret? 270, 13.
Uſufructuarius aſſedationem recipiens, non videtur receſſiſſe ab uſufructu, 280, 7.
Uſusfructus communis differt à conjuncta inveſtitura, 416, 5. Hinc alius eſt uſusfructus nudus & civilis, alius qui proprietatis quædam privilegia ſecum conjuncta habet, 417, 6.
Uſusfructus nudus de domino ſuperiore tenendus, vice conjunctæ infeudationis introductus eſt, favore heredum, 421, 21. Cavere debet hæc uſufructuaria, ut altera, *ibid.*
Uſusfructus æſtimatur quindecimvirali judicio in appretiatione, 454, 13.
Uſufructuarius re abutendo à jure ſuo cadit, 496, 18.
Uterinorum ſucceſſio, 331, 6.
Utiles actiones in jure quæ ſint? 58, 11 & 12.
Utile dominium quomodo acquiratur? 188, 22.
Utlagus apud Anglos quis? 449, 4. 507, 8.
Uxorum varium jus ex varietate locorum, 92, 19. Eæ feudare nequeunt ſine conſenſu maritorum, 110, 28. Uxoris à marito occiſæ heredes præferuntur fiſco pro dote, 159, 27. Uxorum conjunctæ infeudationes intra juſtos limites coërcendæ, 417, 8.
Uxor quomodo conſentiat alienationi rei ſuæ à marito factæ? 142, 20. 419, 16.
Uxori ne alimenta quidem relinquere poſt mortem poteſt vaſſallus ſine conſenſu domini, præcipuè ſi feudum ſit militare, 265, 43.
Uxor nulla bona habere præſumitur, quæ non ſunt mariti, 350, 7.
Uxori jure Anglorum 40 dies à morte mariti indulgentur, priuſquam ab habitatione mariti expelli poſſit, 421, 22.
Uxor partem tranſactionis ſolvendo ab herede jus ſuum recuperabit, 426, 35. *fin.* & 36. Non poteſt Tertiæ renunciare durante vitâ ſui mariti, 427, 39.
Uxor in favorem mariti moribus noſtris in manibus ſuperioris poteſt reſignare feudum; licet ſecus jure Anglorum, 445, 34. 469, 18.

V

Vacante ſede Papali, omnis juriſdictio eſt penes collegium Cardinalium, 123, 16.
Vacua poſſeſſio quid jure Feudali, & apud nos? 183, 9. 251, 2.
Vadium & vadiare quid? 26, 3. *fin.* 349, 7. Vid. *Gagium.*
Vadiante negligente ſolvere, an tertius quis aut extraneus redimere poſſit? 235, 32.
Valvaſſores majores, minores & minimi qui? 76, 17. 106, 19. Valvaſſor aut eo inferior non poteſt ſubvalvaſſori minus apto feudum concedere, 130, 10.
Vaſſi & *Vaſſalli* qui? 29, 11. 76, 17. 106, 19. 515, 3.
Vaſſallus an poſſit teſtamento unum ex filiis eligere ad ſervitia domini magis aptum? 27, 7. 172, 15. 177, 25. 318, 35. 473, 29. Vid. *Primogenitus.*
Vaſſallus ligius non poteſt feudum ligium refutare, 48, 2. 103, 7. 107, 21. 373, 24.
Vaſſalli non ſunt uſufructuarii, 58, 11.
Vaſſallus non poteſt directum dominium ſui feudi præſcribere, 64, 29. 170, 8. 171, 10.
Vaſſallus ſervire poteſt per ſubſtitutum aut vicarium, ſed non ſemper, 81, 32. 90, 14. 216, 3. 288, 16.
Vaſſallus dominum in bello juvare debet, tam offendendo quàm defendendo, quoties bellum juſtum eſt, 81, 32. 286, 10.
Vaſſallus an ſuis an domini ſumptibus ſerviat, inſpicienda ſunt pacta feudalia, 290, 20.
Vaſſallus ſubfeudando non poteſt domini ſui conditionem facere deteriorem, 107, 20. 130, 10. 211, 16. 344, 20. 470, 22.
Vaſſallus ob feloniam ipſo feudo privatur, 107, 21.
Vaſſallus an contra dominum antiquiorem dominum immediatum juvare teneatur? 107, 21. 289, 16. 500, 24.
Vaſſallus an in prædio, quod de domino tenet, rurſus dominum ſubfeudare poſſit? 133, 18.
Vaſſallus à feudo cadit alienando contra voluntatem domini ſui ſuperioris, 143, 23. 172, 14 & 15. 217, 5. 465, 8. 466, 11.
Vaſſallus dominum in primogenita filia dotanda juvare tenetur, & ut primogenitus militari cingulo donetur, 156, 20. 291, 22. Et in relevio domini ſolvendo, *ibid.* § 23. 402, 38.
Vaſſallus præſtando ſervitia ſuum feudum præſcribere poteſt, 170, 8. 179, 1.
Vaſſallus à domino requiſitus, priores inveſtituras exhibere tenetur, 171, 10. 187, 18. 304, 19. 491, 10.
Vaſſallus ut alium à vero ſucceſſore teſtamento nominare non poteſt, ſic neque tutores, ſi militare ſit feudum, 172, 15 & 16. 393, 9 & 12.
Vaſſallo inveſtito, actiones quædam competunt adverſus dominum, & ad migrandum adverſus colonos, 182, 6. 251, 1. 265, 44.
Vaſſallus ſaſitus conſequitur non ſolùm utile dominium, ſed etiam omnes alias utilitates & fructus fundi, 251, 1. Et pro iis diſtringere vel namare poteſt, 264, 40. 519, 12.
Vaſſallo remoto, ſubvaſſallus in ejus locum ſuccedit, non cum ſua qualitate, ſed cum ea quam ille qui remotus erat habuit, 211, 16. 508, 10.
Vaſſallo ad perpetuam remanentiam reſignare parato, an dominus talem reſignationem recipere teneatur? 212, 17. 433, 9.
Vaſſallus fundum in feudum datum non deteriorare, ſed ita colere debet, ut melior reddatur, 216, 3. 265, 43. 292, 25. 496, 18.
Vaſſallo, & in eum, omnes circa feudum actiones competunt, inſcio & ignorante domino, exceptâ perambulatione, 251, 1. 264, 40.
Vaſſallus, ſi ſemel poſſeſſor ſit, & amittat poſſeſſionem, eaque ad dominum pervenerit, contra dominum poteſt agere ad recuperandam poſſeſſionem amiſſam, & ſuâ auctoritate vacuam poſſeſſionem ingredi, 251, 2.
Vaſſallus à Rege aut alio ſuo ſuperiore per compoſitionem jus cuſtodiæ aut non-introitûs ſui nactus, 273, 27. aſſedationes à prædeceſſore factas ſervare tenetur, 381, 9. 399, 26. 426, 35 & 36.

Vaſſallus juramentum præſtabit domino per ſe, aut per procuratorem, 284, 2. Sed ſi alii quàm domino juraverit, feudum amittit, 497, 21.
Vaſſallus prohibetur ſciens & prudens conſilio aſſiſtere, ubi læſio domino accidere poſſit, in ſalute, fama aut fortunis; & ſi quid de facto acciderit, ignorantiam ſuam probare debet, 284, 3. 285, 4, 5, 6, 7 & 8. 373, 24. 489, 5. 506, 5.
Vaſſallus an quod probare non poterit domino detegere teneatur? 285, 7. 492, 22. 497, 19.
Vaſſallus multa prohibetur facere in dominum, aliàs non ſolùm violat fidem, ſed à feudo cadit, 285, 6. 293, 29 & 30. 496, 19.
Vaſſallus auxilium præſtare debet domino ſuo, etiam non requiſitus, 286, 9. 293, 28. 506, 7. Idem, ſi ſtatis diebus, aut certo anni tempore ſervitia debeat, 286, 9.
Vaſſallus an domino ſe defendenti in injuſta cauſa adeſſe debeat? 286, 10. 499, 23.
Vaſſallus dominum juvare non tenetur contra patriam, vid. *Patria*. Sed contra omnes alios, etiam fratrem, filium aut patrem, 288, 13. 292, 28. Non autem contra ſeipſum, 288, 14.
Vaſſallus privatur feudo, ſi filium aut ſubvaſſallum dominum offendentem ad eum non deducat, 288, 13. 506, 6.
Vaſſallus quomodo opem & auxilium domino præſtare debeat, & an ſi periculum vitæ immineat? 288, 15.
Vaſſallus, ſi plures dominos inter ſe dimicantes habeat, juvabit æquiorem; & ſi non conſtiterit, antiquiorem, 289, 17. 294, 33. 399, 27.
Vaſſallus in quibuſdam caſibus eſt ab omni ſervitio liber; ſed domino non officit, ſi vaſſallo tale quid contingat, 289, 17. 472, 28.
Vaſſallus præſentiam ſuam in curiis domini ſui debet, 289, 17.
Vaſſallus dominum ſuum in diſtrictu, & extra eum comitari debet, 289, 18 & 19. 508, 10. 517, 7.
Vaſſallus dominum inopem alere non tenetur, niſi tribus in caſibus, 291, 24.
Vaſſallus agri fines domino monſtrare debet, & dominus etiam vaſſallo, 292, 24. 294, 33. 489, 6.
Vaſſallus ſubditos ſuos comiter tractare debet, 292, 26. 398, 24. 496, 18.
Vaſſallus univerſitatis, non ſingulis, ſed univerſitati, aut ejus adminiſtratori obligatur, 292, 27.
Vaſſallus in jus vocare dominum non debet abſque venia, & nunquam in actione famoſa, 293, 30.
Vaſſallus ab officio excuſatur in quibuſdam caſibus, 294, 32.
Vaſſallus, ſi non reſpondeat ad debita ſervitia, feudum ſuum amittit, 295, 36. 380, 5.
Vaſſallus ſi moriatur intra annum, ejus ſucceſſor integrum annum habet ad petendam renovationem inveſtituræ, 298, 4. 494, 14. Sed excuſatur ſi dominus ſit rebellis aut excommunicatus, 301, 15.
Vaſſallus qui feloniam commiſit ſi antequam eo nomine accuſatus fuerit præmoriatur, an delictum cum perſona extinguatur, ita ut heres de eodem delicto accuſari non poſſit? 303, 19. 509, 13.
Vaſſallus non debet fidelitatem jurare alii quàm domino, niſi coactus fecerit, 305, 21. 498, 21.
Vaſſallus ſolus citandus eſt in judicio non-introitûs, nec valvaſſor ad judicium vocatus in ſe hoc judicium recipere cogitur, 382, 12.
Vaſſallus non privatur feudo, ſi dolo domini inducatur ad delinquendum, 464, 7. 511, 18.
Vaſſallus ſi non toto feudo, an ſaltem aliquâ ejus parte, aut parte venditâ ex pretio, filiam ſuam dotare poſſit? 469, 18.
Vaſſallus non poteſt feudum ſuum oppignerare ſine conſenſu domini, 470, 21.
Vaſſallus feudum amittit contrahendo amicitiam cum inimicis domini, 474, 34. 505, 4.
Vaſſallis Regiis illicitum eſt de regno excedere abſque venia, ſub pœna Barratriæ, 495, 16.
Vaſſallus ob ingratitudinem variis modis, qui perſonam vaſſalli reſpiciunt, privatur feudo; ut, ſi dominum vulneraverit, aut interfecerit, aut domino mortuo injurioſus fuerit, &c. 496, 19 & 20, &c.
Vaſſallus, ſi contra dominum rebellem arma ſumpſerit, feudo non privatur, 497, 21.
Vaſſallus, ſi dominum criminaliter accuſaverit, vel per ſe vel per alium, feudo mulctatur; aut ſi teſtimonium non coactus dixerit, aut ſponte advocatus contra dominum fuerit; niſi vel neceſſitate officii, aut judicis, aut de delicto in Principem accuſaverit, 498, 22. Si crimen tantùm retaliaverit, non amittit feudum, 501, 28.
Vaſſallus ſi dominum in bello deſeruerit, aut ſervitium aut militares operas recuſaverit, feudo privatur, 499, 23.
Vaſſallus ſi dominum cucurbitaverit, feudo privatur, 500, 26.
Vaſſallus feudo privatur, ſi in familiam domini peccaverit, 502, 29.
Vaſſallus mulctatur amiſſione feudi, ob varias cauſas quæ verſantur circa perſonam vaſſalli, 504, 1, 2, 3, &c. ut, ſi ſe inceſto polluerit, aut inceſtas nuptias contraxerit; ſi fratrem ſuam occiderit, *ibid.* & 511, 19. Non autem occidendo fratrem domini, 504, 3. Ob parricidium feudo privatur, *ibid.* Amittente feudum vaſſallo, ſubvaſſallus etiam amittit, 508, 10.
Vaſſallo ob delictum feudo privato, ad quem pertineat feudum? 509, 15. Excluſo filio, omnes ab eo deſcendentes excluduntur, *ibid.* & 511, 20.
Vaſſallo moriente, ejus primogenitus damnatus locum facit fiſco, 510, 16.
Vaſſallo extra domini perſonam delinquente, feudum novum aperitur domino; antiquum, proximo agnato, 511, 19. Si vaſſallus impias manus ſibi inferat, bona mobilia amittit, *ibid.*
Vaſſallo quandoque jus ſibi dicere permittitur, 518, 11. *fin.*
Vaſſallus ſitne an non, dominus & Pares judicabunt, non ordinarius judex, 519, 14.
Vaſſarii nomine quid opinione Budæi intelligatur? 76, 17.
Vaſtum ſive pauperies, 85, 3. 95, 29. 396, 19. 398, 24. 402, 39. 428, 44. 496, 18. 508, 12.
Vectigal unde? 73, 10. Ejus definitio, quòd ſit onus patrimoniale à ſolo Rege impoſitum, non tamen ſine conſenſu populi, 153, 15, 16 & 17. Novorum vectigalium auctores miſerè perieruut, 138, 9. 154, 16. Quatenus ſcripto Princeps vectigal remittere poſſit? 155, 19. Ejus non ſoluti pœna, 154, 18. Ejus ad Elſinurum ratio iniquiſſima, *ibid.* § 17.
Veneti mare Adriaticum præſcriptione ſibi vindicant, 140, 13. 141, 15.
Venus vaga cædium & bellorum teterrima cauſa, 8, 13. *fin.*
Veniam ætatis dare, eſt inter Regalia, 162, 41. *fin.* 390, 2.
Venationis jus cum feudo tranſit, 255, 13.
Venditio in ſe quid majus habet traditione, 182, 5. ibi, *Imò*. Venditio an permutatio ſit? vid. 483, 17.

Verborum

Verborum [*viſuris, vel audituris*] in chartis ratio, 196, 13.
Vi bonorum raptorum, vid. *Ejectio.*
Vi fieri videtur, quodcunque jure & juris viâ non fit, 229, 14. *fin.* 269, 7.
Via & iter ſunt inter regalia, 141, 15. *fin.* 152, 10. Ubi magiſtratûs officium circa vias, & 154, 17. 252, 4. 490, 8. Viæ publicæ ſolum eſt publicum, 152, 10. Vid. *Purpreſtura.*
Vicarii, vid. *Rectores.*
Vicecomes unde factus perpetuus? 72, 8. Vicecomitis, & vicecomitatûs nomen unde? 104, 14. Vicecomes in hac parte quis? 453, 12. Ejus feudum, 55, 3. *fin.* 457, 19. *fin.*
Vicinus quis? 485, 20. Inter vicinos eſt quaſi purpreſtura, 490, 7. Habitare in vicinia omnem tollit ignorantiæ excuſationem, 516, 7. Vicinitatis jus præfertur juri ſanguinis, in jure protimeſeos, 485, 20.
Vidua apud Anglos, in nonnullis locis, ſingulare jus competit, ſi cælebs permanſerit, 45, 18. 92, 19.
Viduæ quædam poſt mortem vaſſalli ſui mariti oriuntur jura, 308, 2.
Vidua, quæ de Rege tenet, ſine ejus conſenſu nubere non poteſt jure Angliæ, 412, 31. 427, 37. Vid. *Patrimonium.* Viduæ domini an eadem reverentia quæ conjugi debeatur? 501, 27.
Villanus apud Anglos quis? 96, 32. Non præſcribit adverſus dominum, 165, 48. Domino ſuo, non ſibi, acquirit, 168, 3.
Vinculum feudale quale ſit? 54, 2. 56, 6. 60, 16. 65, 31. 284, 1. 288, 13. 293, 31. 295, 35. 390, 4. 433, 9. 463, 1. *fin.* 465, 9. 504, 1. 512, 21.
Viro apud Anglos, in quibuſdam locis, ſingulare jus in uxoris præmorientis hereditate competit, 45, 18. Vir uxori, vel uxor viro, quomodo cum effectu feudare poſſit? 115, 38.
Virgulta, licet non expreſſa, fundo vel ſilvis accedunt, 261, 29.
Vitalis ſtatus quis? 85, 3.
Vitale feudum quid? vid. *Feudum.*
Vitæ, famæ, & membrorum in jure par ratio, 285, 7. 286, 8. 464, 6. 482, 15. 497, 21. 498, 22. 499, 23. 506, 5 & 6.
Vitia apud primos mortales ubique odioſa, 3, 5.
Vivum vadium quid? 233, 26.
Vocabulis artis in jure Feudali uſitatis probatur jus illud Lombardicæ originis eſſe, 34, 2. Vocabulis iiſdem in Anglia uſitatis probatur illud etiam jus à Gallis ad eos manaſſe, 39, 2.
Volumina infinita Juriſconſultorum unde nata? 11, 6. 309, 4.
Vulneratus, aut quicunque temere vitæ periculum ſubit, cenſetur in lecto ægritudinis, 115, 38.

W

Wadſetts, vid. *Mortuum vadium.*
Wallia ſive Cambriæ feuda antiquitus dividebantur in capita ſucceſſorum, 318, 33.
Wardas, relevia, &c. remittere ſolent Reges in procinctu ſtantes, 28, 8.
Wardæ, ſeu cuſtodiæ heredum, & eorum maritationes, cum relevio, priùs in Scotia, quam in Anglia viguerunt, 47, 2 & 3. 390, 3.
Warda non eſt ſervitium, ſed ſequela ſervitii, 79, 27. Aliter apud Anglos, 91, 18.
Wardâ non obſtante, redemptio competit ex reverſione, ſalvâ actione ob damnum & intereſſe concedenti reverſionem adverſus alienantem, 207, 3. *fin.* 230, 20.
Warda liberat à warranto, 210, 11.
Wardatarii jus circa carbones & ſilvas cæduas, 257, 18. 396, 19. 399, 24.
Wardatariis competit actio ad migrandum, ut omne aliud jus vaſſallo competens, & etiam aliquid majus, abſque declaratoria ſui juris, 272, 27. 396, 19. Wardatarius alienationes, quæ non confirmaverit, aut aſſedationes, agnoſcere non tenetur, *ibid.* 293, 29. 434, 12.
Warda oneratur alimentis heredis, 355, 20. 393, 10. Licet non ita fiat in non-introitu poſt declaratoriam, 385, 23.
Warda ſpecies eſt non-introitûs, 389, 1. Et ejus jus præferendum non-introitui, 390, 2. *fin.*
Warda eſt cuſtodia, tam ipſius feudi, quam perſonæ heredis, domino cum aliis juribus poſt mortem vaſſalli competens, 378, 1. 394, 12 & 13.
Wardam deducit auctor ex ipſo jure Feudali, 391 4. Et eſt duplex, alia perſonæ, alia feudi cum perſona, *ibid.* § 5. Cuſtodia corporis pupilli domino wardatorio concedenda eſt, 392, 6. 393, 9, 11 & 13.
Wardatarius, ſi jus aliquod vaſſalli ſui alienet, aut intervertat, cuſtodiam & omne jus ſuum in feudo vaſſalli ſui amittit, 399, 24.
Wardâ durante, dominus non tantum principalis feudi, ſed etiam valvaſſoris ſui vaſſalli adminiſtrationem habet, fructuſque omnium ſuos facit, & maritagia omneſque utilitates quæ vaſſallo, ſi viviſſet, evenire poterant, 396, 18. Omnia etiam adminiſtrabit, ſed ita ut nihil deterius reddatur; alias de damno tenebitur, 396, 19. Et eo nomine cavere debet, 402, 39. Non indiget declaratoriâ ſui juris ut in non-introitu, 273, 27. 397, 19.
Wardatarius tenetur, durante cuſtodiâ, lites omnes pupilli nomine perſequi, & hereditaria debita vaſſalli ſolvere quæ conſenſu domini conſtituebantur, imo & tributa & exactiones publicas, 397, 30.
Warda finitur poſt perfectam ætatem vaſſalli, maris anno 21, fœminæ 14, poſt quod tempus inveſtituram ei de feudo ſuo concedere dominus debet, 397, 21. Finitur etiam cuſtodia nuptiis fœminæ vaſſallæ, ſi ante 14 annum à domino elocetur, *ibid.* Major natu factus vaſſallus immediatè feudum ingredi poteſt per Brevia ex Cancellaria regia, 398, 22. 399, 25.
Wardam ſeu cuſtodiam impediunt; ſi feudum militare in emphyteuſin detur, pro certa annua mercede, 398, 23. Curialitas etiam, & dominæ Tertia quæ proviſione legis fiunt, non ſecus ac uſusfructus à domino conſtitutus, 398, 24. Conjuncta inveſtitura etiam wardam impedit, 418, 11. Omnis fraus abeſſe debet, nec vaſtum aut pauperiem facere debet dominus, ne cuſtodiâ feudi privetur, 398, 24. Eoque nomine ſatisdando cavere debet, & ſi ante ſatisdationem damnum dederit tenebitur, 396, 19.
Warda introducta eſt maritationis causâ, 404, 1.
Warrantizationis vis omnis à diſpoſitione pendet, prout ex cauſa lucrativa vel oneroſa procedit, 206, 1, 2. Eſt vel generalis vel ſpecialis, 207, 3.
Warrantizanda ſemper eſt res cum ſua cauſa, *ibid.*
Warrantizatio realis, eſt vel ex prædiorum permutatione, aut ubi unum prædium in ſpeciale warrantum alterius datur, 209, 8.
Warrantum non cadit in minorem, nec tenetur reſpondere dum in cuſtodia ſit, 210, 11.

Warrantizationis clauſula generalis, viz. *Ab omni alio onere*, non comprehendit tributa, neque realia neque perſonalia onera, 210, 11. Warrantum non habet qui litem ſuâ culpâ amiſit. Aliter tamen nunc, *ibid.* Warrantos plures habens, perſonalem & realem, emptor utro velit uti poteſt, *ibid.* Warrantum non habet ſpoliatio, ſive delictum quodcunque, *ibid.*
Wauchop de Edmiſton familia, 169, 3.
Wedderburnii familia, 204, 33.

Wrack & Waith qualia bona, & unde dicta? 162, 42. Wrack apud Anglos tantum eſt, ſi nemo ne vel canis, vel felis, ex navigantibus ſalvus appulerit, *ibid.*

Z

Z*Aſius* inter juris Feudalis interpretes doctiſſimus, 521, 28.

APPENDIX

Regularum ſive Axiomatum juris, quibus in hoc Opere Auctor ſparſim eſt uſus, eodem ordine quo apud eum occurrunt ſervato: ubi prior numerus Paginam, poſterior Paragraphum, ut in Indice, denotat.

Ex Libro primo.

BOnos etiam viros licentia reddit deteriores, 6. 12.
Præſumpta voluntas concedentis ſemper in feudo ſpectatur, 27, 7.
Tenor feudalis ſemper eſt inſpiciendus & ſervandus, 29, 9.
Appellatio heredis relata ad id quod ſuâ naturâ non eſt tranſmiſſibile, in perſona primi heredis finitur, 58, 10.
Niſi in charta exprimatur, de quo feudum tenetur, omni effectu & robore deſtituitur, 61, 21.
Naturalis poſſeſſor contra civiliter poſſidentem nunquam proprietatem præſcribit, 64, 29.
Mos regionis non minus dat legem feudo quàm tenor, 66, 36. ibi, *Secunda.*
Heredis nomine in libris feudorum heres maſculus intelligitur, ibid. *Quarta.*
In feudis, licet ſint ſtricti juris, proceditur de ſimilibus ad ſimilia; & etiam in pœnalibus, 67, ibi, *Quinta.*
In omni feudo conceſſo, retineri videtur in vaſſallum juriſdictio, ibid. *Sexta.*
Ubicunque eſt mentio poſſeſſionis, juſta intelligitur, ibid. *Septima.*
De feudo ad emphyteuſin non valet argumentum regulariter, ibid. *Octava.*
Feudum ſemper præſumitur proprium, niſi contrarium ex inveſtitura probetur, 70, 4.
Iniquum eſt aliquem ex ſua liberalitate conveniri, & prætextu amicitiæ ad egeſtatem deduci, 73, 11.
Quilibet Rex in ſuo regno Imperator eſt, 102, 5.
Nemo duorum uno tempore poteſt eſſe homo ligius, 103, 7. 373, 24.
Virtus in ſe unita, ad omnia pericula ſuſtinenda validior eſt, quàm dimidiata, 110, 26.
Multa quæ ab initio rectè conſtituta ſunt, ex poſt facto cadunt, 111, 29.
Ubi major pars, ibi totum, 122, 13.
Perfectum in jure dicitur, quod ex omnibus ſuis partibus eſt abſolutum, 123, 14.
Nihil tam naturale eſt, quàm voluntatem domini volentis rem ſuam in alium transferri ratam haberi, 127, 2.
Non ſemper eaſdem eſſe leges ſucceſſionum in regnis, quæ in privatorum hereditatibus, 129, 8.
Qui per ſe facere non poteſt, per alium facere non videtur, 131, 11. 368, 13.
Non minor vis aut metus ab eo qui in poteſtate conſtitutus eſt inferri poteſt, quàm à milite armato, 133, 17.
Naturale vitium eſt negligere quod communiter poſſidetur, 140, 15. 263, 35.
Nemo ignarus eſſe debet conditionis ejus cum quo contrahit, 143, 23.
Nemo ſibi jus dicere, nemo ſui juris auctor eſſe poteſt, 144, 24.
Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, 154, 17.
Qui commoda percepit, oneribus ſit obnoxius, *ibid.*
Quod meum eſt, ſine facto meo in alium ſæpe tranſit, 154, 18.
Tantum valere debet moneta in forma excuſa, quantum in maſſa & materia valet, 156, 21.
Paria enim in jure ſunt, novam monetam excudere, & excuſæ valorem extendere, *ibid.*
Nec mortales contra Deum immortalem, nec privati contra Principem præſcribere poſſunt, 165, 48.

Ex Libro ſecundo.

PEr extraneam perſonam nihil nobis acquiritur, niſi per procuratorem, 168, 3.
Nihil actum intelligitur, quamdiu aliquod ſupereſt agendum, 191, 29. 437, 17.
Acceſſorium ſemper ſequitur ſuum principale, 200, 24.
Si nullum commodum ex conceſſione ad dominum pervenerit, neque in præſenti, neque in futurum, non eſt locus evictioni, 207, 2.
Mala fides vel ſcientia nemini eſt objicienda, cum ſint in pari caſu, 207, 3.
Jura ſanguinis aliquando obſunt, contra juris Civilis regulam, 208, 5.

Spoliatio ſive delictum quodcunque nullum habet warrantum, 210, 11.
Fruſtra fit per plura, quod æquè commodè fieri poteſt per pauciora, 210, 12.
Ex malis moribus bonæ oriuntur leges, 211, 13.
Jurare de libello, quando exceptioni locus eſt, nemo tenetur, 214, 21.
Hoc tantùm poſſumus, quod de jure poſſumus, 219, 10.
Ejus quod non eſt, nec certum an unquam futurum ſit, nulla poteſt eſſe obligatio, 229, 16.
Nullum actornatum aut procuratorium ſive mandatum generale ſufficit, quoties grave aliquod præjudicium immineat, 239, 6.
Negligentiâ in minoribus permiſsâ, facilis fit tranſitus ad majora, 244, 13.
Qui aliquam rem diſponit, omnia etiam illa diſpoſuiſſe videtur, ſine quibus res non poteſt eſſe utilis, 252, 4.
Conceſsâ juriſdictione, ea omnia concedi videntur, ſine quibus ea exerceri nequit, 261, 30.
Cui plus licet, multò magis & minus, 263, 35.
Paria in jure ſunt, indebitè fieri, & in indebitum tempus conferri, 280, 7. 281, 11.
Non eſt novum, ut quæ utiliter ab initio ſunt conſtituta, in ſuo robore durent, licet ille caſus ſupervenerit, a quo incipere non potuit, 280, 8. 368, 12. 476, 36.
Ab utraque parte & facienda & omittenda fiant bonâ fide, ſit regula generalis inter dominum & vaſſallum, 284, 1.
Infamiæ metus viris bonis major quàm mortis eſſe ſolet, 286, 8.
Multa ſunt quæ per ſe non ritè tranſeunt, quæ tamen cum univerſitate commodè tranſire poſſunt, 295, 35.
Paria ſunt in jure ſcire, & ſcire debere, 298, 5.
Qui ſuo merito eſt calamitoſus, miſeratione non eſt dignus, 301, 15. 468, 16.
Nemo heredem habere poteſt, præter Baronem, Prælatum & Burgenſem, 310, 7.
Vitium naturæ nemini eſt imputandum, 314, 18.
Succeſſio feudalis fit ſecundum diſpoſitionem juris Civilis, niſi quatenus jure Feudali aliter diſpoſitum eſt, 315, 24.
Parentes nunquam filiis, etiam ſine liberis decedentibus, ſuccedere poſſunt, 321, 46.
Ad ea quæ rarò fiunt voluntates contrahentium non rectè accommodantur, 324, 2.
Vaſſallus domini ſui conditionem deteriorem facere ſine ejus conſenſu non poteſt, 344, 20.
Nihil tam naturale, quàm unumquodque eo modo diſſolvi quo fuit colligatum, 344, 21.
Culpâ carere non poteſt, qui immiſcet ſe rei ad ſe non pertinenti, 348, 3. 353, 16.
In his quæ ultra hominum memoriam ſunt, aliquando famæ credendum, 351, 11.
Princeps ea tantùm dare poteſt quæ ſunt juris Civilis, non autem quæ ſunt juris naturalis, 368, 13.
Paria ſunt in jure, omnino non fieri, & non legitimè fieri, 380, 5.
Plus juris non cenſetur contuliſſe is qui donat, quàm quod & quale tempore conceſſionis habuit, 381, 8.
Dolo carere non videtur, qui aliunde petit quod domi ſecum habet, 384, 18.
Quæ in nuda adminiſtratione conſiſtunt, tranſlationem non admittunt, 394, 10.
Quamprimum uxores viris pares fiunt, mox etiam ſuperiores evadent, 417, 8.
Fruſtra legis beneficium implorat, qui in legem peccat, 426, 35.

Ex Libro tertio.

QUando feudum ob delictum amittitur, paternum cedit agnato proximo, novum domino aperitur, 432, 5.
Non intelligitur amiſſum, quod alteri non eſt acquiſitum, 437, 17.
Invito & contradicenti nihil acquiritur, *ibid.*
Ignorantiâ dominia rerum non acquiruntur, niſi per ſervum, procuratorem aut filiumfamilias, *ibid.*
Traditionibus & uſucapionibus, & non nudis pactis dominia rerum transferuntur, 439, 21. Hoc non univerſaliter verum, vid. 444. 30.
Aliud eſt vendere, aliud vendenti conſentire; & ex jure nudus conſenſus alienationem non inducit, 443, 29.
Dolo carere non videtur, qui rem ſuam ſe præſente, & cùm poſſit non contradicente, vænire paſſus eſt, *ibid.*
Qui tacet, licet non diſſentiat, conſentire non videtur, *ibid.*
Ex inutili contractu, traditione ſubſequente, dominia rerum transferri poſſunt, modò contractus ille non ſit contra leges, *ibid.*
Nemo poteſt plus juris in alium tranſferre quàm ipſe habet, *ibid.*
Ejus ſolùm intereſt cujus realiter intereſt, 452, 9.
Qui actionem habet ad rem, ipſam rem habere videtur, 458, 22.
Gravius eſt non facienda facere, quàm facienda negligere, 464, 6.
Vaſſallus nunquam punitur privatione feudi, niſi ſcienter & ex propoſito delinquat, 464, 7.
Non amittit vaſſallus ſuum feudum ob delictum, ſi dolo aut culpâ domini ad delinquendum erat inductus, *ibid.*
Dolus dolo compenſatur, & paritas delicti exceptionem in jure parit, *ibid.*
Neceſſitas non habet legem, 468, 16.
Quod quis uno modo, ſive directè, facere non poteſt; nec alio modo, ſive obliquè, facere poteſt, 468, 17.
Prohibitio hominis cum prohibitione legis concurrens, omnimodam alienationem prohibet, 471, 23.
Sua mora aut ſua culpa cuique obeſſe debet, non alii, 476, 36.
Si generale præcedat, & ſequantur ſpecialia verba, hæc reſtringunt generale ad ſpecificata, 479, 5.
Reſoluto jure dantis, reſolvitur & jus accipientis, 508, 10.
Auctoris delictum heredi nocere non debet, 589, 13.
Ex maleficiis pœnales actiones ad heredem aut in heredem non tranſeunt, niſi ſuper his lis fuerit conteſtata, *ibid.*
Maxima merita pari ingratitudine obliterantur, 511, 18.

GLOSSARIUM:

SEU,

Succincta Vocabulorum quorundam feudalium, Scotis præcipuè & Anglis uſitatorum, Explicatio; ex editione Lipſienſi Luderi Menckenii plurimùm deſumpta.

Quæ ab Auctore ipſo explicantur, ex Indice, ac proinde ex Textu petenda relinquimus.

A

Acquietatio, ſolutionem ſeu apocham ſignificat.

Acra eſt menſurata terræ portio, olim incerta, ſed ab Edwardo I. bis octogies perticam continens determinata. Pro qualibet acra 12 denarii, relevii nomine, appenduntur. Vid. p. 401. § 35.

Acræ etiam dicuntur jugera agrorum, quæ commodè ſeparatim coli non poſſunt.

Acta Parliamentorum fiunt ex trium Ordinum regni conſenſu, 174, 20. A perfect Copy of all Summons of the Nobility to the great Councils and Parliaments, edidit duobus tomis Sir William Dugdale, Kt. Lond. 1685.

Actornatum nihil aliud eſt niſi mandatum generale, 239, 6.

Actornatus eſt actor negotii alieni, & in forenſi uſu procurator generalis ſeu Actornatus, cauſarum Regiarum Advocatus, fundi Regii præpoſitus, *Ballivus* aliàs dicitur. Vid. *Ballivus*.

Advocatia uſurpatur pro dignitate quadam in urbe & Eccleſia, ad eam defendendam: etiam adhibetur quandoque pro defenſione, & ipſo jure præſentandi, 73, 11. *fin.*

Art and Part, idem quod *ope & conſilio*, dicitur apud Scotos iſta ingratitudinis ſpecies maxima, ubi dominus, vaſſalli arte & participatione facti, cæſus eſt; aut ſi, domino mortuo, injuriam fecit, cadaveri ejus illuſit, aut illud inhoneſtè abjecit, aut aliâ ratione in dominum morientem injurius fuit, 496, 19.

Alba firma eſt cenſus annalis, qui centenario ſeu domino hundredi penditur.

Albæ firmæ præſtatio nihil aliud eſt, quàm nuda ſuperioritatis recognitio. Per albam firmam liberè tenentes dicuntur Soccomanni, opponunturque militibus, ut plebeii Nobilibus.

Allodium opponitur feudo, cujus etymologia atque deſcriptio habetur, 62, 24.

Admirallus vel *Almirallus*, Præfectus maris, à voce Arabica *Almiral*. Vid. Indicem.

Amerciari eſt mulctâ affici ſeu puniri.

Amerciamentum eſt mulcta ſeu pœna pecuniaria, quæ pro qualitate delicti per judicem delinquenti ſolet irrogari: & apud nos olim certo boum, ovium, aut aliorum animalium numero, æſtimabatur. Vid. leges Malcolmi noſtri II. cap. 8. A *miſericordia* videtur deductum, à levi mulcta levioribus erratis impoſita, ad arbitrium judicis.

Amortizatio eſt prædiorum tranſlatio in manum mortuam; mortui enim dicuntur cœnobiorum conventus, collegia, gildæ, fraternitates, ſocietateſque politicæ; item Epiſcopi, Decani, Rectores Eccleſiarum, & hujuſmodi: ſic appellati, quod res ipſis datæ tanquam apud mortuos hærent; nec vel caſu (hoc eſt, per eſchetam, ut loquuntur) ad dominum feudi redeunt, nec feudalia emolumenta (quæ wardam, maritagium & relevium vocant) exhibent.

Angaria, Anguria eſt id quod præter debitum exigitur per ſuperiores à ſubditis, ſeu in pecunia, ſeu in obſoniis, ſeu in operibus perſonarum, equorum, curruumve, & hujuſmodi.

Angariare, cogere, & exactionibus onerare, vid. Ind.

Annuus reditus, Scotis triplex, Anglis itidem. Vid. Ind.

Appretiationis lex redimendi jus ei, à quo appretiatæ ſunt terræ, in ſeptennium olim, nunc in decennium concedit; & poſt hoc tempus omnino à redemptione excludit. Vid. Ind.

Arrierban eſt extraordinarium ſervitium, ſi quando publica neceſſitas exigit.

Arbiter ad formam judiciorum procedit.

Arbitrator, omni formâ proceſsûs neglectâ, ſine ullo ſtrepitu judiciali, aut partis præſentia, procedit; & ex ſua ſententia, non ex præſcripto legis, omnia moderatur.

Armandia, vid. Ind.

Arreragia, vid. Ind.

Aſſedatio, vid. Ind.

Aſſignatus, qui & Ceſſionarius, vid. Ind.

Aſſiſa dicuntur Brevia quædam Regia, & litigandi formulæ, è conſtitutionibus veterum Regum nata. Hinc aſſiſa grandis in Brevi de recto, minor ſeu ordinaria per Vicecomitem conſcribitur; hinc aliquid per aſſiſam probare. Aſſiſa etiam penſio annalis vocatur; item curia, quæ habetur in Anglia tempore vacationis quadrageſimalis & æſtivalis: quandoque mulctam ſignificat. Vid. Ind.

Aſſiſus reditus in maneriis dicitur, certus ille & immobilis cenſus, qui domino ſolvitur ex prædiis liberis.

Attachiamentum, vel Arreſtum, dicitur eſſe quoddam vinculum legitimum, per quod pars defendens invita adſtringitur ad ſtandum juri, & reſpondendum parti de ſe querenti juridicè.

Attachiare appellatur reum vincire, ligare.

B

Balliare eſt rem alteri tradere vel committere.

Balliatus ſeu *Ballivatus* dicitur territorium ſeu munus Vicecomitis vel Ballivi.

Balliſtri,

Balliſtri, vid. Ind.

Ballivus ſeu *Baillius* eſt judex qui in villis ſeu maneriis domini perſonam ſuſtinet, ejuſque vice omnia diſponit & moderatur; item qui rebus alienis curandis deputatur, ſeu in provinciis, ſeu in urbibus, ſeu in caſtellis, villis, dominiis, re familiari, &c. Vid. *Actornatus*.

Ballivus manerii eſt Præpoſitus villæ. Cùm inter duos convaſſallos, ſeu inter dominum & vaſſallum quæſtio oritur, dominus Ballivos creare ſolet, qui ipſi & inter convaſſallos jus dicant. V. p. 520. § 16.

Bannire, citare, ſtatuere, per edictum vocare, proſcribere. Bannitus, vid. *Forisfactus*.

Bannus pro mulcta ſumitur, pro tributo, pro proſcriptione, pro proclamatione in Eccleſia, pro banno nuptiali, pro campo, pro territorio.

Barones dicuntur qui de Principe ſolo ſua feuda tenent.

Baronis nomen propriè de Senatore intelligendum, qui ſuffragium in publicis regni comitiis habet: apud majores, qui tria caſtella habebant, Barones; qui tantùm unum, Scutiferi ſeu Caſtellani ſunt dicti.

Baronettus, ſeu *Bannerius*, nominatur parvus Baro.

Barones ſunt tam magnates ſeculares quàm Eccleſiaſtici. Sub Jacobo II. acceperunt jus, in quem vellent ſuas baronias conferendi. Vid. p. 150. § 5. Barones majores curias ſuas habent; minores verò Sok, Suk: de quibus vid. Ind.

Barones habent merum imperium, quod Furcæ & Foſſæ nomine ſignificatur. Dicuntur Barones etiam Thani, vid. Ind.

Barratria, vox Italica, modus feudi amittendi, vid. Ind.

Baſtardia eſt illegitima nativitas, de qua vid. Ind.

Blancum idem quod francum. Vid. *Feudum*.

Blanca firma, vid. Ind.

Bluidwittis, vid. Ind.

Bothena, vid. Ind.

Braia, infantis poſt partum vagitus, 428, 42.

Brevia multifaria, vid. Ind.

Burgus & *Burgagium*. vid. Ind.

C

Cambium, idem quod excambium, vid. Ind.

Cana, vid. Ind.

Cancellaria codex dicitur, quo Brevia Regia, tam originalia quàm judicialia, formularum muneri inſcribuntur.

Capitaneus eſt Dux militum, vid. Ind.

Capitale meſſuagium eſt principalis habitationis locus vaſſalli, & hodie transfertur ad honeſtum quodvis domicilium ſine prædio.

Caſtaldus, vid. *Guaſtaldus*.

Caſtaldia procuratio, 34, 2. Vid. Ind.

Caſtelgardia, vid. Ind.

Catallorum ſeu *Catellorum* nomine, *Haimhaldatio*, deſignatur apud Normannos & Anglos poſſeſſiones rerum mobilium, ob id quod apud gentes Septentrionales bona in armentis & pecoribus conſiſtebant. Vid. Ind. & Quon. Attach. cap. 10.

Cenſus, vid. *Extentus*.

Ceſſionarius, idem qui Aſſignatus.

Charta alia diſpoſitionis, alia confirmationis. De chartis reſignationis & warrantiæ, vid. Ind.

Clamare, *Clamantes*, *Clamati* & *Clamei*, vid. Ind.

Clamare dominum dicitur vaſſallus, quoties quæſtionem ſeu querelam de feudo patitur, & dominum in auxilium ſibi poſcit.

Clericus, Scriba ſeu Actuarius, vid. Ind.

Comitis nomen unde? vid. Ind.

Commendatio, Cuſtodia eſt beneficii Eccleſiaſtici, quæ ad certum tempus alicui conceditur, vid. Ind.

Conquæſtus, novum feudum, quod non ex ſucceſſione provenit, vid. Ind.

Conſtabularius, vid. Ind.

Copiehold eſt ruſticum feudum, ſeu tenura per copiam rotuli curiæ. Vid. Ind.

Corrodium eſt alimenti modus, qui alicui conceditur ad terminum vitæ, vel pro certo tempore.

Corvagium, vid. Ind.

Cucurbitare quid? vid. Ind.

Curialitas, vid. Ind.

Curtis, *Curia Pares*, vid. Ind. & *Pares*.

Cuſtodia, vid. Ind.

Cuſtuma debet ſolvi Regi ab omnibus victualia infra regnum ementibus, ſtat. Rob. III. cap. 8.

D

Defalta eſt vox fori, & indicat defectum aut negligentiam. Defalta uſurpatur pro omni alio ſervitio, item pro quæſtione ſeculari ſeu demanda.

Delatio eſt contumacia commiſſa per aliquem, qui eſſoniatur, pro quo eſſoniator reſpondere debet, Reg. Majeſt. lib. 1. cap. 8. n. 11.

Dena eſt modus agri aut terræ, vel potius ſylvæ portio; alia magna, alia parva.

Denizatio, vid. Ind.

Denunciatio, vid. Ind.

Deſervitio ſeu Inquiſitio, vid. *Saſina* & *Brevia*.

Deveſtire, vid. Ind.

Diſclamatio eſt negare dominum eſſe dominum. Vid. *Clamare*, & Ind.

Diſſaſinam facere, aut *Diſſaſire*, eſt ſaſinam rumpere, impedire poſſeſſionem, aut ex ſaſina ejicere.

Diſparagium, vid. Ind.

Diſtringendi poteſtas jurisdictionem exprimit. Vid. Ind.

Dominus & Vaſſallus ſibi invicem obligantur per mutuas obligationes hominii & tuitionis, quæ apud nos Manrent & Mantenance dicuntur, 284, 1.

Dominus capitalis, the over Lord or Superior, habet cuſtodiam & maritationem heredis minoris.

E

Ejectio, vid. Ind.

Eſcheta, vid. Ind. In foro debent publicè vendi per Vicecomitem eſchetæ malefactorum, ſtat. Rob. III. cap. 28. Nihil judicatur eſſe eſcheta, niſi propter culpam aliquam aut delictum: ideoque molendinum, cujus rotâ homo occiditur, non fit eſcheta, Quon. Attach. cap. 48, 13.

Eſcheta etiam fit ex cauſa publica, 507, 8. Terræ felonum ſunt eſchetæ temporales, proditorum ſunt perpetuæ, Reg. Majeſt. lib. 4. cap. 34.

Eſſonium, exceptio, an Eſſonzie or Excuſe: legale ſeu legitimum, eſt triplex: aut enim fit per infirmitatem lecti, aut per ſervitium domini Regis, aut per tranſitum ad nundinas, Quon. Attach. cap. 57. 5.

Eſſoniato dantur 40 dies. Quòd ſi quis fraudulenter utitur hoc eſſonio, ſi non venerit in curiam, amittit jus ſuum, ſtat. Will. cap. 16. 3.

Eſſonia non admittuntur ſine plegio, i. e. fidejuſſore, Quon. Attach. cap. 33. 2.

Evictio, vid. Ind.
Executor, vid. Ind.
Excambium, vid. Ind.
Exitus curiæ, vid. Ind.
Extentus antiquus, ſeu cenſus, eſt æſtimatio juſta valoris feudi, vel quanti valuit tempore majorum ſeu pacis: novus, quo prior æſtimatio duplicatur, triplicatur, aut quadruplicatur, i. e. quantum hodie valet. Vid. Ind.

F

Felo, de felonia convictus aut confeſſus, aut fugitivus, aut tenet terras ſuas de Rege; & tunc omnes res ejus, mobiles & immobiles, pertinent ad Regem, ſine ulla diſtinctione: aut tenet terras ſuas de alio domino capitali, & tunc ejus terra per anni ſpatium pertinet quoque ad Regem; poſt annum verò & diem, terra revertitur ad dominum capitalem, de quo tenetur, Reg. Majeſt. lib. 4. cap. 34.
Felonia, vid. Ind.
Feudaſtrum, vid. Ind.
Feudum, vid. Ind.
Feudum *annui reditûs*, vid. Ind.
Feuda, quæ ſervitium & blancam tenendriam continent, nomine feudorum communium cenſentur, & relevium cum warda & maritagio heredis domino debent.
Feudum *ad manum mortuam*, vid. Ind.
Feudum *burgagii*, vid. Ind.
Feudum *francum*, vid. Ind. Quidam aſſerunt, quod ſolummodo Francis ex Franconia in Galliam tranſeuntibus talia feuda ſunt conceſſa.
Feudum *guaſtaldi*, vid. *Guaſtaldus*.
Feudum *intratum* ſeu *plenum* dicitur, cujus vaſſallus ſaſitus eſt, & feudum introiit.
Feudum *ligium* à Principe, *non-ligium* de alio tenetur.
Feudum *de menſa Prælati* eſt quod ad ejus victum & veſtitum eſt ſeparatum.
Feudum *militare* trahit ſecum wardam & relevium, cum heredis maritatione.
Feudum *ſimplex* eſt quod uni ſimpliciter & ejus heredibus conceſſum eſt.
Feudum *talliatum* eſt, quod præciſâ directæ & linealis ſucceſſionis regulâ, ad alios heredes ex proviſione & tenore infeofamenti devolvitur.
Feudum *talliatum*, *limitatum*, *conditionatum*, ita talliatur, hoc eſt, amputatur & reſcinditur, ut ad nullos tranſeat heredes, niſi à corpore certæ alicujus perſonæ emanantes, excluſis interea non ſolùm aliis conſanguineorum ramis, ſed & fratribus ejuſdem, ipſiſque interdum filiis ab uxore altera procreatis: ex. gr. ſi tantùm hèredes ex corpore, non collaterales ſuccedant. Hinc *Tallia*. Uni poſt alium talliatum ſeu proviſum dicitur feudum, ſi nominatim uni poſt alium ſit conceſſum, ubi unius delictum alteri in ordine ſequenti non præjudicat, 511, 20.
Feudum *talliatum generale* vocant, quando alicui conceditur & heredibus ex corpore ſuo procreatis; *ſpeciale* vocant, ſi viro & fœminæ, & heredibus ex eorum corpore procreatis, detur.
Feudum *antiquum* hereditas, *novum* conquæſtus dicitur.
Feudum *caducum* dicitur fieri, quando vaſſallus ob delictum feudo privatur. Vid. Ind. voc. *Caducum*.
Feudum *diſcontinuatum* apud Anglos dicitur per alienationem.
Feudifirma, vid. *Alba firma*.
Feudi *præſentationem* dicitur facere Rex, quando alium vaſſallum in locum prioris domino feudi præſentat, eumque rogat, ut hunc novum præſentatum in locum prioris vaſſalli recipiat, & ſub iiſdem conditionibus. Vid. Ind. *Rex*.
Feudi *amiſſio* dicitur, cùm illius eſſe deſinit, cujus antea fuerat: *Extinctio* dicitur, cùm prorſus deſinit eſſe feudum.
Feudum *relevare* eſt idem redimere, poſtquam cecidit vel devenit in manus domini. Vid. *Relevium*.
Feudum *in capite tenere* eſt de primo domino feudum nobile tenere.
Feudalium judiciorum forma recenſetur lib. 3. D. ult.
Fidelis dicitur vaſſallus, qui feudum habet in eo territorio ſeu juriſdictione.
Fidejubere in libro Adjournalis dicitur vaſſallus, quando contra dominum criminaliter accuſatum fidejubet, ſe ad certum diem literas domini accuſationem continentes repræſentaturum, quo ipſo feudum amittit. Vid. Ind. *Vaſſallus*.
Filiationis poſſeſſio præſumitur ex cohabitatione.
Firlota, aridæ menſuræ apud nos nomen.
Fiſci erant viminea & flexibilia utenſilia, quibus majoris pecuniæ ſummæ inferebantur. Vid. Ind.
Forenſis, qui non eſt ex eo territorio ſeu diſtrictu. Vid. Ind.
Forisfactum dare, i. e. pœnam.
Forisfactura mulctam deſignat, eaque contingit quando quis rem ſuam ex delicto amittit, aut etiam confiſcationem, bannum ſeu mulctam aliquam incurrit. Unde in *forisfacturam* cadere quis dicitur.
Forisfacere eſt rem ſuam ex delicto amittere.
Forisfacere *corpus ſuum* dicitur fœmina, jus ſuccedendi habens in feudo fœmineo, quæ corpus ſuum polluit, & eam partem feudi, in quam ſuccedere debet, amittit. Vid. Ind. *Fœmina*.
Forisfacere *vaſſallum* eſt è feudo ejicere ſeu exheredare.
Forisfactus dicitur beneficio privatus, 495, 15. *fin.*
Forisfamiliari dicitur filius, quum partem hereditatis à patre accepit, eâque contentus eſt, adeò ut amplius petere non poſſit, Reg. Majeſt. lib. 2. cap. 33. Inde *Forisfamiliatus*.
Formedon, vid. Ind.
Freeholders liberè tenentes vulgò dicuntur.
Furca & Foſſa poteſtas eſt apud nos gladii poteſtas. Vid. Ind.

G

Gagium, vid *Vadium*.
Garba eſt faſciculus, ſive è frugibus ſive è lignis.
Garbales ſunt decimæ, quæ ex herbis aut fructibus colliguntur.
Gaveletum, Gavelkind, priſcâ Anglo-Saxonum conſuetudine è Germania delatum eſt, quo omnes filii ex æquis portionibus patris adeunt hereditatem. Vid. Ind. Hæc hereditas Feudalibus legibus non coërcetur, nec feloniæ mulctis eſt obnoxia; domino tamen reditus præſtat & ſervitia. Confer The Hiſtory of Gavelkind, by Silas Taylor, Gent. Lond. 1663.
Geniſtæ ſunt arbuſculæ humiliores. Vid. Ind.
Gilda eſt verbum Saxonicum, & ſignificat religioſorum, artium mechanicarum, vel mercatorum ſocietates, ut ſcribit Gulielmus Lambardus de priſcis Anglorum legibus. Vid. ſtatuta Gildæ apud Johannem Skenæum in Reg. Majeſt. Scot. Lond. 1613.

Gildum,

Gildum, ſeu *Geldum*, mulcta, compenſatio delicti, pretium rei. Sic viri occiſi compenſatio, *Wergeldum*; valor ſeu pretium pecoris, *Orfgild*.

Greſſumas dicimus ſummas pecuniæ, quæ in principio aſſedationis aut ſolvuntur aut promittuntur, ſupra annuam mercedem. Vid. Ind.

Guadium, vid. Ind.

Guarda, ſeu Cuſtodia, aut Warda, & *Guardianus* de jure, de facto, & per accidens, vid. Ind.

Guardus, aut *Guardia feudum*, vid. Ind.

Guarantizatio, vid. *Warrantizatio*, *Evictio*, & Ind.

Guerra, pro bello, 35, 2.

Guaſtaldus, ſeu Caſtaldus, actor ſeu procurator prædiorum, camerarius.

Guaſtaldii feudum eſt quod Guaſtaldo ſeu actori curtis aut prædiorum datur, officii exſequendi gratiâ œconomi ſeu villici Regii. Vid. Ind.

H

Habitatio ex jure dicitur, ubi quis uxorem, liberos & familiam habet, animo remanendi.

In *Heredem deſervitus* dicitur, qui ſolenniter hereditatem adiit.

Heredes *proviſionales*, ſeu Talliæ. Vid. *Tallia*.

Heredem *ex proviſione* dicimus, ſi heres ex ſecundo aut tertio matrimonio ſit, qui in tantum, in quod convenerat, ſuccedit.

Haimhaldatio, vid. *Catallorum*.

De Haute Fuſtaye, eſt apud Gallos idem quod apud Anglos *Vaſtum*; prohibetur enim dominus, qui feudum in cuſtodia habet, ædes, maneries, ſilvas, &c. reddere deteriores, arbores, & imprimis alti faſtigii, ſuccidere aut eradicare, 396, 19.

Herezelda nomen, vid. Ind.

Heribannum, ſeu *Haribannum*, vid. Ind.

Homagium & *Hominium*, vid. Ind.

Husbandia terræ, vid. Ind.

I

Immobilia, vid. ſtatus prædiorum.

Indentura, vid. Ind.

Infeodare appellant poſſeſſionem plenam terræ tradere, ſaſinam dare.

Infeofamentum inveſtituram exprimit. Charta & ſaſina unum infeofamentum conſtituunt. *Strictius* aliquando capitur pro Brevi illo teſtato, ſeu charta inveſtituræ.

Infeudatio conjuncta, ſeu Inveſtitura, eſt in qua maritus & ejus uxor ſimul in feudo inveſtiuntur, de qua vid. Ind.

Inquiſitio de feudo mandatur probis & fidelibus patriæ, ſacramento interveniente, qui ſolent eſſe numero 11, 13, 15 aut 17, ſemper impari: unde quindecimvirale arbitrium. De hac inquiſitione, & ejus retornatu, vid. Ind.

Inſinuatio, ſeu *Intimatio*, vid. Ind.

Introitus, ſeu terræ introitæ, vid. *Relevium* & Ind.

Intromiſſor, vid. Ind. & *Executor*.

Invadiare ſignificat oppignerare.

Invadiatum dicitur quod apud defunctum ſub pignore vel hypotheca eſt.

Inveſtitura eſt feudi novi acquiſitio.

L

Laiſus.

Leaſe aut aſſedatio eſt locatio prædiorum pro certo annorum ſpatio.

Lectus agritudinis dicitur morbus ex quo quis moritur, de quo vid. Ind.

Libro in Adjournalis fidejubere, vid. *Fidejubere*.

Liber Reſponſionum, vid. Ind.

Librata eſt portio terræ. Vid. Ind.

Liferers omnino à ſolutione mercedis immunes ſunt; & cùm liberum habeant uſumfructum, tenentes, pro arbitrio, in ſuo uſufructu poſſunt ſubſtituere & removere.

Liferer-tenents, ſeu Tackſmen, ſunt coloni perpetui, qui mercedem ſolvere ſolent, & tenentes pro arbitrio in ſuo uſufructu ſubſtituere & removere nequeunt, niſi id in lege locationis caveatur. Vid. Ind. *Liberum tenementum*.

Ligius, & *Ligium feudum*, vid. Ind.

Liquidatio eſt æſtimatio fructuum certorum annorum à judice facta, de qua vid. Ind. ubi etiam de liquidatione in unam ſummam.

Literæ quatuor formarum dicuntur, quibus mandatur debitori ut ſolvat. Vid. Ind.

Lord nomen unde? vid. Ind.

M

Maius, vid. Ind.

Manerium idem quod villa ſignificat, quandoque habitationem cum certa agri portione: accipitur etiam pro præcipua feudi domo.

Manus mortua de iis dicitur, quorum poſſeſſio immortalis, & quæ fructum feudalem, quales ſunt omnes feudi obventiones, non exhibet. Vid. *Feudum* & Ind.

Manrent & Mantenance, & obligatio protectionis, vid. Ind.

Manſus eſt ager qui duobus bobus ad arandum ſufficit. Item domini habitatio.

Maris Admirallus, ſeu Thalaſſiarchus, maria ſui Principis à privatis purgare debet. Vid. Ind.

Maritagium dicitur id quod viro datur cum uxore: dotem jure Britannico appellant, non quod vir accipit, ſed quod fœmina. In alia acceptatione dos accipitur ſecundum leges Romanas, nempe id quod cum muliere datur viro, quod vulgariter dicitur Maritagium.

Maritagium, ſeu *Maritatio*, uſurpatur etiam pro eo quod vaſſallus domino feudi pendet, pro licentia contrahendarum nuptiarum. Vid. Ind. In favorem matrimonii, terræ in *liberum* ſeu *francum* maritagium conceduntur. Talis feudi heres nihil domino præſtat, uſque ad quartum deſcendentium gradum. Vid. Ind. *Feudum*.

Maritagium *francum* dicitur quoque feudum, quod ad heredes, qui ex matrimonio deſcendunt, tantùm extenditur.

Maritatio eſt poteſtas à jure introducta in favorem domini ſuperioris. Vid. Ind.

Maritationis heredis, tam maſculi quàm fœminæ, valor ut æſtimetur? vid. Ind.

Maritatio & warda ex feudo militari debetur. Vid. Ind.

Marus, vid. Ind.

Mercheta, ſeu *Merchetum*, vid. Ind.

Meſſuagium, vid. *Capitale*.

Metrocomi dicuntur, qui dimenſos à Principe pagos habent.

Eſſe in miſericordia Regis dicitur, qui ex juris rigore ſive jure ſummo poteſt toto feudo mulctari, ſed Rex, miſericordiâ in eum uſus, ad compoſitionem pro ſuo delicto illum aliquando admittit: ex. gr.

de purpræſtura convictus eſt in miſericordia Regis. Vid. Ind.

Mobilia, vid. *Catellorum*.

Modificatio eſt æquitas quæ obſervatur quamdiu domino fructus feudi debentur, ut heres alatur, & ex dignitate familiæ educetur.

Morganatica eſt matrimonii Germanici ſpecies. Vid. Ind.

Molitura, ſeu *Multura*, eſt merces quæ propriè pro opera molitoris datur.

Morgagium, vid. *Vadium*.

Mortificare Eccleſiæ dicitur, ſi quis prædium aliquod ſeu terras in puram eleemoſynam Eccleſiæ alicui concedit. Vid. Ind.

Mutehill dicitur colliculus actionum ſive querelarum: majores enim in judicando quendam tumulum ſeu colliculum in medio aut alioqui alio loco ſui territorii ſolebant deligere, in quo jus partibus dicerent. Vid. Ind.

N

Namare diſtrictum ſignificat, ſeu executionem ſententiæ in rebus mobilibus debitoris. Vid. Ind.

Namus, ſeu Captio, deſignat ea quæ à poſſeſſore auferuntur, legitimèque retinentur, mulctæ aut pignoris nomine.

Non-introitus dicitur totum illud tempus, quo vaſſalli heres renovationem inveſtituræ differt. De quo, & ejus jure, & quotuplex ſit? vid. Ind. & ſtat. Rob. III. cap. 19 & 38.

Nota ſunt compendioſi ſcriptionis characteres, quibus Scribæ & Cancellarii Principum dictata ilico deſignabant. Hinc dicitur quis *notam* à Notario petere.

O

Obligatio omnis apud Anglos hæc tria neceſſariò requirit, ſcripturam, ſigillationem & traditionem. Vid. Ind. *Sigillum*.

Orfgild, vid. *Gildum*.

P

Pacis tempus, tempus majorum innuit, qui nunc in pace ſunt. Vid. Ind. *Tempus*.

Part, vid. Art.

Pares, ex. gr. ſi inquiſitio ratione feudi ruſtici fiat, ſunt qui feuda ruſtica habent. Vid *Curtis* & Ind.

Pares ii intelliguntur, qui unius domini ejuſdem curtis ſeu curiæ ſunt Pares. Quomodo Pares eligendi? vid. Ind.

Pedagium, vid. Ind.

Perambulatio eſt judicium finium regundorum, cùm quotannis parochiarum termini luſtrantur.

Pertica, vid. *Acra*.

Petaria & *Turbaria* ſunt loca, ex quibus glebas & turvas [Turves] eruere ſolemus.

Petitiones, vid. *Clamores*.

Plegii, i. e. Fidejuſſores, *in judicio* tenentur tantùm de judicio ſiſti: *ad ſtandum juri*, tenentur & judicio ſiſti, & judicatum ſolvi. Uxor non poteſt eſſe plegia, quia mulieres prohibentur fidejubere pro alio, Quon. Attach. cap. 22.

Pourprix Gallicè teſtudinem ſeu circulum aut præcinctum ſignificat.

Præceptum de Clarè à verbis initialibus ſic dictum. Vid. Ind.

Procurator, vid. *Reſponſales*.

Protimeſeos jus eſt jus prælationis, quâ una perſona alteri præfertur in rerum alienarum venditione aut auctione. Vid. Ind.

Providere denotat præeligere.

Proviſionales heredes, ſive talliæ. Vid. *Tallia*.

Purchess, vid. *Conquæſtus*.

Purpræſtura contra Regem multis modis committitur. Purpræſtura eſt terræ alienæ clandeſtina ſubtractio, &c. Vid. Ind.

Purpret idem eſt quod confiſcatio.

R

Rebellis, vid. *Utlagus*.

Recognitio eſt retractatio judicialis, ob alienationem feudi, aut majoris partis: de qua, & de ea quæ fit ob non demonſtrata monumenta, vid. Ind.

Recorda dicuntur Regiarum curiarum actus ſolennes, reſponſa, mandata.

Redditionis vox exprimit præſtationem ex feudo, cujus ſunt varia genera. Vid. Ind.

Redditio *in blanco* eſt teſſera ſubjectionis vaſſalli quæ præſtatur honoris gratiâ, ut roſæ, &c. *In blanca firma* eſt præſtatio cum quodam commodo conjuncta.

Redemptio dicitur quicquid præſtandum eſt pro feudo.

Refutare denotat renunciare aut reſignare.

Regalia ſunt ſpecialia jura coronæ. Vid. Ind.

Regalitas nihil aliud eſt quam jus, aut juriſdictionis privilegium, in aliquo dominio à Rege impetratum. Vid. Ind.

Regiſtrum eſt Brevium originalium & judicialium liber. Hinc *Regiſtrarius*.

Regreſſus eſt pactum inter vaſſallum vendentem & dominum ſuperiorem initum. Vid. Ind.

Relaxatio apud Anglos quid ſit? vid. Ind.

Relevium, quid ſit? & in quibus feudis locum habeat? & reliqua de eo, vid. Ind.

Renovatio, vid. Ind.

Rentale dicitur reditus annuus.

Rentallarii ſunt tenentes, de quibus vid. Ind. qui apochas dabant, quibus quo pacto quave conditione locatio facta eſſet continebatur, quas Reverſas vel Antapochas vocant.

Remanentia apud Anglos quid? vid. Ind.

Replegiare eſt actionem ſive civilem ſive criminalem à judice ordinario evocare. Vid. Ind.

Requiſitionis forma in maritatione, vid. *Maritationem* & Ind.

Reſignatio, *Refutatio*, *Renunciatio*, vid. Ind.

Reſignatio *ad perpetuam remanentiam*, vid. Ind.

Reſignatio quæ *in favorem* dicitur facta, vid. Ind.

Reſponſalis, i. e. procurator.

Retaliare eſt par pari referre.

Reverſio quid ſit apud nos & Anglos? item de reverſione legali & conventionali, vid. Ind.

Retornatus, vid. *Inquiſitio* & Ind.

Ripatica, vid. Ind.

Rotulus deſignat tabulas publicas, quibus actus & reſponſa curiarum recitantur, unde dicitur *Rotularius*, qui eas conficit.

S

Sak, Sok, vid. Ind.

Saſina quid ſit? quis eam det? quot modis detur?

tur? ejus effectus, vi cujus fiat, & quibus perſonis conſtet? vid. Ind. Ut nullum feudum ſine ſaſina, ſic nullum beneficium ſine canonica inſtitutione obtineri poteſt, 191, 31. Vid. etiam Ind. *Beneficium.*

Scaccarium, the Exchequer, ſive curia Regia, Fiſcus Regius, habet Præſidem & aſſeſſores.

Scaccarii Camerarius.

Sceptri Regalis privilegium eſt, quòd ipſe Princeps, item Rex, inter ipſum & vaſſallum quæſtione intercedente, poteſt cognoſcere, petereque ut, ſe præſente, tota cauſa diſputetur: & ſic, adhibito ſuo conſilio, quod ei pro Paribus eſt, judicabit. Vid. Ind. *Rex.*

Scutagium, vid. Ind.

Seneſcalli nomen gubernatorem ſignificat, idemque quod Major domûs. Vid. Ind.

Serjeandus eſt nomen multiplicis muneris: ſignificat etiam legum peritum, non graduatum.

Seriendria magna & parva, vid. Ind.

Socca, Sok, Sak, vid. Ind.

Soccagium, vid. Ind.

Soccomannus, vid. Ind.

Soldarii milites mercede conducti ſunt.

Solennizatio in facie Eccleſiæ, eſt matrimonii juxta ritus Eccleſiæ celebratio.

Solidum ſignificat ſtipendium militare. Vid. Ind.

Solidus & fidelis homo Eccleſiæ item uſurpatur pro vaſſallo.

Solidus regulariter ſignificat aureum; diverſus tamen, pro ratione territoriorum, alius Romanus, Gothicus, Anglicus, Francicus, & ævo ſequiore etiam ex argento cudi cœpit.

Spoliationem vocamus actionem vi bonorum raptorum, quâ vaſſallus contra dominum uti nequit. Vid. Ind.

Status prædiorum Angli poſſeſſiones rerum immobilium propriè vocant. Vid. Ind.

Succeſſio feudi, vid. Ind.

Succeſſio *talliata* aliquando *conventionalis*, aliquando *proviſionalis* dicitur; & procedit ex tenore primæ inveſtituræ, ut ſciatur quis in feudo ſuccedere debeat. Vid. Ind.

Succeſſor etiam intromiſſor dicitur.

Summonitio eſt certi diei & loci exhibitio ſive declaratio partibus facta ad diem legalem, Quon. Attach. cap. 2.

T

Tackſmen, vid. Liferent-tenents & Ind. *Liberum tenementum.*

Talliatum feudum, vid. *Feudum.*

Talliata ſucceſſio, vid. *Succeſſio*, *Heres*, & Ind.

Tallia nihil aliud eſt, quàm proviſio, quâ directa linea deſcendentium aut collateralium interſecatur, locuſque aperitur alii ſucceſſori.

Telonia ſunt vectigalia quæ pro tella ſive menſa capiuntur. Vid. Ind.

Tenementum eſt prædium quod vaſſallus tenet de domino.

Tenementum communiter accipitur pro hereditate vel feudo; ſed liberum tenementum idem eſt quod uſusfructus, Leg. Burg. cap. 135. Sed ſæpiſſime confunduntur, & hæc differentia non obſervatur.

Tenendria idem eſt quod utile dominium. Vid. Ind.

Tenendrias vulgò dicunt, quæ de Principe non tenentur feuda.

Tenendriæ nomine fidelitas exprimitur, cui opponitur ſuperioritas. Vid. Ind.

Tenens dicitur vaſſallus.

Tenens quoque vocatur reus ſive pars defendens.

Tenorem vocamus modum, quo vaſſallus in feudo inveſtitus eſt, & de quo domino tenet.

Tenura vox ſignificat poſſeſſionem.

Terræ introitæ dicuntur, quæ vaſſallum ſaſitum habent. Vid. *Introitus.*

Thalaſſiarchus, vid. *Maris Admirallus* & Ind.

Thani, ſive *Taini*, ſunt Barones, & præcipuè ii ex nobilitate Danica, quos Canutus M. Danorum Rex ad ſui comitatum adſcivit, milites Regis dominici.

Thania & Thaindom eſt Baronia. Vid. Ind.

Timmariæ, vid. Ind.

Top-annual eſt reditus annuus, qui oneroſus dicitur: jus diſtringendi ei inhæret.

Traditio, ſeu Saſina: alienatio non fit ſine ſaſina ſeu traditione.

Triens major dicitur uſusfructus conjugis, qui eſt triens aſſis: Triens *minor*, ſeu reliquæ hereditatis, triens Beſſis. Hæc de triente uſusfructûs petitio, non niſi per inquiſitionem & deſervitionem feudalem expeditur, nempe 15 virorum.

Triens *ſolaris* & *umbralis*, vid. Ind.

Turbaria, vid. *Petaria* & Ind.

V

Vadium ſive Gagium, vel *Vivum vadium*, eſt quando fundus oppigneratur pro certa pecuniæ ſumma. In mortuo vadio ſive morgagio, ſolutione ad diem non factâ, actio non amplius competit. Vid. Ind. Vadium pignus vel hypotheca vocatur. Vadatarius, cuſtos hypothecæ vel pignoris, à fructibus ratione wardæ excluditur. Vid. Ind. *Vadium*, *Wardam*, & *Gagium.*

Valvaſſores, *Vaſſi*, *Valvaſſini* & *Vaſſalli*, vid. Ind.

Vaſtum eſt ſolitudo vel eremus. Terræ vaſtæ ac ædificatæ ſibi opponuntur. A vaſto faciendo cavere debet dominus in warda, & ejus donatarius, & alii. Vid. Ind. Si emphyteuta vaſtum fecerit, à feudo cadit, 508, 12.

Veſtire eſt plenam poſſeſſionem terræ vel prædii tradere, ſaſinam dare, infeodare. Vid. *Deveſtire.*

Veſtitus, qui de re aliqua inveſtitus, dicitur; deveſtitus autem denudatus vocatur. Vid. *Saſina.*

Vicecomes debet tenere ſua placita & curias, ad caput 40 dierum, & illis intereſſe jubentur Barones, milites, &c. ſtat. Wil. cap. 2, 2, 3.

Vicenetum, ſive *Vicinitas* vel *Viſnetum*, eſt jus, forma vel modus dirimendi controverſias civiles vel criminales; in rebus dubiis, neque omnino certis, per aſſiſam vicinorum de villis, vel civium aut burgenſium, iis ſciz. advocatis, ex quorum veredictis, ſeu depoſitionibus, judex pronunciat.

Villa accipitur pro prædio quodam in rure, cùm idoneis ædibus ad reponendos ejuſdem fructus.

Villanus eſt, qui vel in actis curiæ ſe profeſſus eſt villanum, vel qui ex villano patre natus eſt. Vid. Ind.

Villani *ſacramentum fidelitatis* ita fit: Tenet manum ſuam dextram ſuper libro, & dicit hunc in modum, Audi, Domine in B, quòd ego C à die iſta in antea vobis ero fidelis & legalis, & fidem vobis feram de tenemento, quod de vobis teneo in villenagio, & à vobis juſtificabor in corpore & in catallis: ita me Deus adjuvet & Sancti ejus. Ad ſimilitudinem ſervorum villani, qui in villa habi-

tant, frumenti modum, aut pecus, aut veſtem domino reddunt.

Villenagii exceptio contra petentem objecta, impedit Breve de morte anteceſſoris, Reg. Majeſt. lib. 3. cap. 29, 6.

Viſnetum, vid. *Vicenetum*.

Vitales ſtatus, qui lege deferuntur, ſunt, uſusfructus, Tertia ex prædiis mariti, quam lex ejus viduæ defert. Vid. Ind.

Unio eſt, cùm duo fundi ſeparati in unum uniuntur. Vid. Ind.

Utlagus apud Anglos eſt rebellis. Vid. Ind.

Utlagari poteſt principalis debitor, qui non ſervat ſuum plegium indemnem, Reg. Majeſt. lib. 1. cap. 18, 3.

W

Warda & maritatio ex feudo recto domino debetur: de qua, & circa eam jus apud nos & Anglos, vid. Ind.

Warrantizatio, ſeu Evictio, vid. Ind.

Warrantum ſunt literæ à Senatu impetratæ, quibus imperatur judici aut inquiſitoribus, ne reus ſive debitor ullus ſuas terras ſive prædia in fraudem creditoris alienet, aut hypothecæ ſubjiciat.

Wergildum, vid. *Gildum*.

Wrack & Waith bona inter Regalia ſunt, de quibus vid. Ind.

FINIS.